III. 6 2
675

8042

CORPVS

INSCRIPTIONVM LATINARVM

CONSILIO ET AVCTORITATE

ACADEMIAE LITTERARVM REGIAE BORVSSICAE

EDITVM

VOLVMEN PRIMVM

ADIECTAE SVNT TABVLAE LITHOGRAPHAE

BEROLINI APVD GEORGIVM REIMERVM

MDCCCLXIII

INSCRIPTIONES

LATINAE ANTIQVISSIMAE

AD C. CAESARIS MORTEM

CONSILIO ET AVCTORITATE

ACADEMIAE LITTERARVM REGIAE BORVSSICAE

EDIDIT

THEODORVS MOMMSEN

ACCEDVNT

ELOGIA CLARORVM VIRORVM

EDITA AB EODEM

FASTI ANNI IVLIANI

EDITI AB EODEM

FASTI CONSVLARES AD A. V. C. DCCLXVI

EDITI A GVILELMO HENZENO

BEROLINI APVD GEORGIVM REIMERVM

MDCCCLXIII

Postquam academia regia litterarum Borussica inscriptionum Graecarum syllogen absolvit, iam inchoatur auspiciis Regum Clementissimorum Friderici Gulielmi quarti et Gulielmi eadem academia curante corpus alterum inscriptionum Latinarum. In quo instituendo eundem fere ordinem sequi placuit, ad quem Graecae digestae sunt, scilicet ut relicta dispositione, quam proposuit primus Martinus Smetius retinueruntque eum secuti maiorum syllogarum editores fere omnes, inscriptionum in certas quasdam classes discribendarum secundum argumenta, rediretur ad distributionem, quae obtinet fere in syllogis antiquis, secundum provincias civitatesque, neque ex argumentis in classes separarentur nisi tituli eodem loco reperti; placuit item ut universa sylloge Latina aeque atque Graeca inciperet ab antiquissimis uno volumine seorsum edendis. Deinde cum non solum usus docuisset eiusmodi opus unius hominis vires etsi summi summas longe superare, sed etiam omnes perspicerent Latinam hanc syllogen rerum varietate et argumenti gravitate Graecae fortasse cessuram esse, at titulorum numero librorumque tam editorum quam scriptorum huius operis causa ad artis leges examinandorum et in omne aevum excutiendorum copia longe eam vincere (nam terrae Italiae tituli cum duobus tribusve saeculis ante Graecos Asiaticosque data opera conquiri describique coepti sint, inde inscriptionum Latinarum editori labores generantur difficillimi molestissimique, a quibus fere vacatio datur epigraphiae Graecae), denique cum inter peritos homines constaret Latinarum inscriptionum corpus perfici non posse in sola Germania, sed requirere praeterea vetustum suum et quodammodo nativum domicilium urbem Romam, cuius ad hunc usque diem tam musea quam bibliothecae longe maximum gravissimumque huiusce operis instrumentum suppeditant, cum haec, inquam, quorum ea cura fuit ita esse intellegerent, visum est iis inde ab ipso initio tres viros huic operi praeficere, quorum labor modo coniunctus modo divisus magnum opus profligaret, praeterea autem hanc legem operi dare, ut ubi e re esse videretur fierique posset, homines docti alii ad operis societatem advocarentur. Itaque Romae degentes Gulielmum Henzenum et Iohannem Baptistam Rossium inscriptiones urbanas una cum iis quae in Latio Etruria Piceno repertae sunt curare iusserunt, reliquam operis partem mihi demandaverunt ita, ut praeter Italiam reliquam provinciasque omnes etiam antiquissimarum inscriptionum syllogen una cum Friderico Ritschelio quam primum pararem. Parui iusso, eaque quae tum in manibus habebam incepta nisi utiliora certe iucundiora huiusce corporis causa seposui communi litterarum utilitate permotus. Magnopere enim verendum fuit, cum eiusmodi corporis condendi consilium per hos centum annos saepe captum adhuc irritum semper fuisset, operis autem difficultas augescente indies indigesta materia continuo cresceret, si hoc quoque academiae nostrae inceptum frustra fuisset, ne talis syllogae spes in perpetuum abicienda esset totaque res recideret ad syllogas particulatim secundum regiones provinciasque ordinandas. Quo facto quantum damnum haec pars litterarum passura sit, sciunt ii qui eam perdidicerunt. Nam et ad consilii constantiam, quae in eiusmodi corpore condendo vel maxime requiritur, numquam pervenietur opere ita diviso et necessario ita neglegentur et quodammodo abicientur quae iam ab decimo quinto inde saeculo creverunt inscriptionum Latinarum omnis generis collectanea, studiorum horum egregium et incomparabile subsidium tot lapidibus per quattuor haec saecula incuria hominum absumptis solarumque schedarum beneficio hodie superstitibus, sed indigestum et plane confusum neque ullo genere sordium non inquinatum. Haec enim horum subsi-

diorum condicio cum sit, ut pleraeque eius generis syllogae complurium locorum titulos simul complectantur, praeterea ad harum syllogarum crisin quae extant subsidia in schedis multo magis posita sint quam in editis libris iisque per universas orbis litterarum bibliothecas dispersis, qui partem aliquam solam inscriptionum Latinarum sibi tractandam proponit neque fieri potest, ut quibus opus est subsidiis plene potiatur et ut fieri posset, numquam recte utetur syllogis, quarum particulam tantum callet. His igitur potissimum rationibus permotus corporis eiusmodi condendi magnum gravemque laborem in me recepi feceruntque idem quos supra nominavi operis socii ab academia mihi dati, tam vetusta amicitia mecum coniuncti quam paritate in hac re iudiciorum consiliorumque. Primariam deinde ut par fuit operam collocavimus in excutiendo apparatu tam quem servant musea lapidaria permagnum ambitu et laboriosum, sed re ipsa facilem et simplicem, quam quem suppeditarunt bibliothecae ingentem et ipsum et impeditissimum cum inanibus repetitionibus iam expellendis tum plurimorum maximaque ex parte incertorum auctorum testimoniis primum separandis, deinde expendendis, denique nullam hominum tam litteratorum quam barbarorum neglegentiam fallaciamque non perpessum. Hi vero labores dum lento, sed tamen continuo passu procedunt, mihi praeterea elaborandum fuit in condenda sylloge inscriptionum Latinarum antiquissimarum, quae universum corpus ut praecurreret, decreto academiae constitutum esse supra dixi. Quae cum tandem aliquando in publicum edatur, de huius operis consilio et natura iam exponendum est.

Antiquissimas inscriptiones placuit definire eas omnes, quae libera etiam tum re publica Romana ad annum usque, quo C. Caesar dictator interfectus est, u. c. 710 sive a. Chr. 44, scriptae essent esseve viderentur; hoc enim termino statuto cum iis recte consulere videbamur, qui inquirunt in linguae Latinae primordia, desinentia si quo certo anno eo a quo fere auspicamur aetatem litterarum Romanarum Augustam, tum studiosis rerum gestarum antiquitatumque rei publicae Romanae, cuius forma eodem tempore mutata est in principatum. Horum tamen vel maxime interesse visum est, ut ex titulis aetatis posterioris certae quaedam classes extra ordinem adicerentur, dico elogia virorum illustrium ex annalibus rei publicae Romanae in statuarum bases translata, item fastos tam annales quam magistratuum quatenus supersunt; haec enim omnia etsi conscripta sunt aetate imperatoria, tamen et argumento suo pertinent ad liberam rem publicam et parte sua maiore et graviore expressa sunt et quodammodo descripta ex libris tabulisve summae vetustatis, neque quem condere volui liberae rei publicae Romanae apparatum epigraphicum sine his perfectum esse existimavi. Contra grammaticorum causa factum est, ut nummorum huius aetatis inscriptiones Latinae reciperentur; eae enim licet ab inscriptionum libris abesse soleant et in universum debeant, tamen brevi quem nos dedimus inscriptionum nummariarum indiculo sane non iis satisfacere volumus, qui propter rerum notitiam nummis operam dant, sed credidimus sic eorum commodo consultum iri qui in linguae origines inquirunt. Ipsum autem opus tripartitum ut esset constituimus, ut partem unam efficeret ipsa sylloge inscriptionum ad C. Caesaris usque mortem adiectis commentariis rerum historicisque, alteram tabulae, quibus proponerentur inscriptionum huius aetatis quatenus hodie supersunt imagines ad archetyporum fidem exactae, tertiam commentarii palaeographici et grammatici. Tabularum enim adiectio necessaria visa est non solum ut accuratae et perfectae lectionis, quam huius generis liber imprimis praestare debet, tabulae illae tanquam sponsores quidam vindicesque extarent, sed etiam ut Latinorum elementorum forma et ratio quae fuerunt ad tempus id quod dixi, plene et perfecte cognoscerentur et illustrarentur, id quod exempla typis descripta etsi in suo genere accuratissima nequaquam praestant. Tertia denique operis pars commentarii debuerunt esse palaeographici et grammatici; non recte enim singulis titulis hi subiciuntur, sed hoc requirunt, ut cuiusvis litteraturae proprietatis exempla quae supersunt primum componantur, deinde explicentur ordine et ratione, id est tractatu peculiari. Huius tripartiti operis primam partem in me recepi, secundam tertiamque Fridericus Ritschelius; editur autem nunc ipsa sylloge et volumen tabularum. Quod si tertia operis pars ita ut proposueramus non prodibit societasque illa hodie invenitur esse ante disiuncta quam inceptum opus peregit, eius rei culpam neque meam esse neque academiae sciunt ii qui de ea re acta norunt, reliqui mihi credent.

Ipsum librum pervelim reputare eos, quorum de hac re iudicium suspicio, non sponte mea me fecisse, sed coactum operis lege, cui aut in hac re parendum fuit aut corporis universi spes abicienda; cuius condicionis nisi ipse mihi conscius essem, vix ut talem, qualis est, e manibus emitterem a me impetrassem. Imperfectus enim est non solum ita, ut inevitabili hominis fato imperfecta nostra sunt omnia, sed propter causas eas, quae evitari potuerunt re melius distributa et ordinata. Quorum prima cernitur in ipsorum, huic libro qui inserendi essent, titulorum delectu. Horum longe plerique cum sint urbani suburbanive neque incidant in eam corporis universi partem, quam mihi tractandam dedit academia, factum est, ut in ipso delectu instituendo praeter pervulgatos eosve qui casu quodam mihi innotuissent titulos urbanos vel in Latio repertos reliquos omnes operis socii suppeditare debuerint. Qua in re quamquam per longum operis cursum nullo tempore Henzeni accurata diligentia perfectaque titulorum qui Romae sunt notitia me destituit

idemque vir officiosissimus fastorum consularium editionem, cui imparem me esse sentirem Berolini morantem, in se recepit universam itaque non exigua laboris parte me levavit, tamen nemo non intellegit non sine gravissimo operis praeiudicio inscriptionum antiquissimarum ab altero delectum fieri, ab altero syllogen parari. Quod molestum fuit praesertim in titulis iis, quorum aetatem non rerum indicia definiunt, sed sola litteratura; accessitque in iisdem aliud incommodum ex huius operis partitione oriundum. Nam de horum titulorum aetate cum iudicium omnino anceps sit et raro ab omni dubitatione exemptum, hoc apparet omnino de iis iudicare non debere nisi eum, qui aetatis indicia illa per singulos litterarum apices declinationumque proprietates accurate et plene rimatus sit et persecutus; quod tamen quominus ego facerem, non voluntas defuit, sed impedivit lex societatis, secundum quam provincia haec Ritschelio relinquenda fuit, tractanda in commentariis illis de quibus supra monui grammaticis et palaeographicis. Itaque in eo fuit ut eam operis partem, quae versatur in titulis aetatis nisi per litteraturam non certae colligendis, omitterem totam; quod quamquam non feci, ne promisso viderer defuisse, tamen neglecta ea prodit et exposita magis ab auctore quam proposita. Secutus autem sum in hac parte edenda maxime Ritschelii iudicium, qui quae tabulis suis inseruit, ea ego quoque non omisi nisi ubi satis constare mihi videretur de aetate tituli recentiore. — Similiter atque in delectu laboravi in inscriptionum crisi recte instituenda, quae ut ordine procederet, cum nunc sit tumultuaria et inaequalis, volumen hoc totius operis non primum esse debuit, sed postremum. Plenus enim et perfectus criticus apparatus non pertinet nisi ad solam syllogen primariam, cuius est universam materiam epigraphicam ad suos auctores revocare et ad certas artis leges examinare; ad inscriptiones propter certam quandam causam ex universo corpore separatas non magis ille pervenire potest quam in delectibus ex variis auctoribus factis scriptorum crisis perfici. Nam ut ad crisin libri cuiuscunque recte instituendam non sufficit varia lectio ad certos locos integra, sed integra requiritur in universum, ita qui exempli causa Iucundi lectionem tituli cuiusdam novit, ut eam recte adhibeat antea percipiat necesse est, quomodo descriptor hic in universum rem instituerit. Quare si licuisset, id quod raro licet, opus aggredi consilio et ratione, reliquis autem causis omnibus posthabitis, primum apparatus ille digerendus fuit, deinde in selectis titulis edendis ea inde excerpenda, quae et per se satis intellegi possent et ad lectionem huius ipsius tituli constituendam aliquid conferrent. Iam vero cum apparatus ille hodie partim non perfectus, partim ne inchoatus quidem sit, sylloge haec gravissimo inde damno affecta est multisque locis certo fundamento caret, ubi operis socii (nam in hac quoque re ego maxima ex parte ab iis pependi) lectionum auctoritatem et conexum tum eum ad me de hisce titulis rettulerunt nondum satis explorarant. In titulis tamen qui adhuc extant mihique praesto fuerunt aut in tabulis a Ritschelio summa fide praeclaraque arte paratis aut in exemplis ectypisve ab Henzeno Rossio Brunnio aliis peritis viris ex marmore aereve diligenter exceptis, cum de lectione certo constaret, incommodum illud facile tuli; plenum enim apparatum, qui tituli de quo agitur recenseat exempla scripta impressave quae innotuerunt omnia variamque lectionem sistat universam, omnino abhorrere a tali qualem paravi ego sylloge supra iam monui, multaque eius generis consulto abieci, quae sicubi non supervacanea iudicabuntur, tamen nullo incommodo syllogae primariae reservari potuerunt, cum praesertim tituli prodromo huic inserti ibi suis locis sint redituri. At ubi deficiente exemplo recte facto reiectus fui ad secundaria et maxime ad syllogas illas saeculi decimi quinti insequentisque, de quibus quam difficile sit recte iudicare sciunt periti, saepe haesitavi mihique ipsi ita displicui, ut qui haec improbabunt, ii facile me ipsum habituri sint assentientem. Quod incommodum cum evitare non possem, tamen curavi, ut tituli maioribus crisis difficultatibus obnoxii in hoc corpore essent quam paucissimi neque eius generis reciperentur nisi illustriores certasque vetustatis notas prae se ferentes; denique ob eandem causam inscriptiones ficticias quae aetatem liberae rei publicae mentiuntur omisi omnes, ut sunt nummi Serviani qui dicuntur (Ritschl tab. XCVII 25), pondus L. Lucretii Tricipitini q. urb. (Reines. 2, 56), Iani Portuni (Grut. 95, 6. 7) Iovisque Sterculii (*Bulett.* 1850 p. 162) bases, titulus Iovi a M. Fulvio dedicatus devictis Liguribus (Henzen 5107), anulus Garruccianus inscriptus '*hospitaalitas Interpromini*' (Garrucci marmi di Fabrateria p. 8), ut omittam innumeras alias hodie merita oblivione obrutas.

Hisce operis defectibus cum mederi non potuerim, tamen libri utilitatem spero fore ut minuant, non tollant. Habent lectores titulorum Romanorum qui ex aetate liberae rei publicae ad nos pervenerunt recensum ita plenum, ut potiora in eo non facile desiderentur. Habent legum populi Romani publicarum quae in aere supersunt corpus perfectum, nisi quod ex huius syllogae instituto desiderantur monumenta eius generis aetatis imperatoriae. Habent syllogen elogiorum iis quae hodie circumferuntur certe meliorem; apparatum ad fastos consulares restituendos et emendandos tam ex lapidibus quam ex codicibus nunc primum non sine multo labore congestum; fastorum annalium tam lapidi incisorum quam libris scriptis traditorum reliquias omnes, opus multorum annorum et a multis diu exoptatum. Commentariis, a quibus in ipso opere abstinendum esse decrevimus, prodromus non potuit supersedere; sed adiecti

sunt non aequabiliter per totum opus eoque maxime consilio, ut aetas tituli exploraretur ibi ubi fieri posset nec statim appareret, deinde ut monumenta ea iusta illustratione ne carerent, quae aut ita fracta ad nos pervenissent, ut nisi adiecta explicatione legi omnino nequirent, aut quae sua vi et natura hoc requirerent, ut componerentur et enarrarentur. Illius generis maxime illustria exempla sunt leges repetundarum et agraria, huius fasti anni Iuliani. Contra consulto abstinui a disceptandis monumentis iis, quae in summa re recte et facile procedunt neque difficultatem habent nisi eo nomine, quod saepe difficile est quae ibi traduntur iis quae de rebus Romanis praeterea comperimus recte inserere sciteque omnia haec inter se conciliare; quales sunt leges Rubria et Iulia municipalis. Grammatica et palaeographica cur in his commentariis peraeque desiderentur, supra significavi; nam multo melius quam a me fieri posset haec Ritschelium explanaturum esse sic ut constituerat tum cum haec scribebam adhuc confidebam.

Indicum non minus laboriosum scriptori quam lectori optatum additamentum Aemilio Huebnero debetur, quem praeterea per totum opus fidissimum et utilissimum socium habui.

Berolini d. 30. Dec. a. 1862.

CONSPECTVS OPERIS.

PARS PRIOR.

Inscriptiones vetustissimae bello Hannibalico quae videntur anteriores.

PARS POSTERIOR.

Inscriptiones a bello Hannibalico ad C. Caesaris mortem.

SECTIO PRIMA.

Instrumenta publica populi Romani.

SECTIO SECVNDA.

Nummi Romani.

SECTIO TERTIA.

SECTIO QVARTA.

Tituli reliqui aetatis minus certae.

FASTI ANNI IVLIANI.

FASTI CONSVLARES AD A. V. C. DCCLXVI ET ACTA TRIVMPHORVM.

INDICES.

PARS PRIOR.

INSCRIPTIONES VETVSTISSIMAE

BELLO HANNIBALICO QVAE VIDENTVR ANTIQVIORES.

NVMMI ANTIQVISSIMI SAECVLI FERE QVINTI.

Monetarum inscriptiones a sylloge monumentis liberae rei publicae aetate scriptis destinata abesse non debere quamquam facile patuit, tamen per multum tempus haesi incertus, qua ratione rem ita expedirem, ut ne quid vel deesset vel abundaret. Neque enim placuit propter nummorum inscriptiones ipsam disputationem de re nummaria Romanorum in hunc librum ingerere ab eius consilio alienam neque ὡς ἐν παρέργῳ expediendam; et tamen quod omnino necessarium erat, nummorum aetatis quantum fieri potest certa investigatio, non debebat ad solam inscriptionum nummariarum indicationem dirigi, sed requirebat praeterea ponderum examinationes, typorum comparationes, omnino totius rei nummariae Romanorum absolutam pertractationem. Quare eam explorationem procul quidem ab ipso hoc libro habendam esse statui; sed nihilominus cum eo vel maxime coniunctam eam esse cum intellegerem, huius syllogae causa quae olim de hoc argumento inchoaram, retexui et quantum in me fuit ad finem perduxi, edito libro qui inscribitur *das römische Münzwesen* (Berol. 1860. 8.). Iam eo tamquam fundamento usus inscriptiones nummarias secundum aetates generaque ita ordinavi, ut quod argumentis allatis rationibusque examinatis illo libro explicavi, eius summa hoc loco uno obtutu legentibus proponatur quasi in tabella depicta, omissis omnibus, quibus hoc loco lectorem impediri magis quam adiuvari mihi persuasi.

Incipiunt seriem monetarum antiquissimarum eae quae ad assem libralem pertinent (n. 1—9). Quarum quae ad pecuniam Romanam spectant (n. 1—4), eas bello Punico primo anteriores esse constat (*R. M. W.* p. 288 sq.); quae non sunt Romanorum (n. 5—9), aut eodem aut certe non multum posteriore tempore flatae vel cusae videntur esse (*R. M. W.* p. 291 sq.). Inscriptionibus autem, praeter pretii notas ab hac nostra tractatione consulto exclusas, Romanorum aes grave plane abstinet, ut quae huius generis Romanorum reperiuntur litterata, aut pro pecunia magis quam in pecunia fuerint (n. 1, cf. *R. M. W.* p. 170 sq.) aut certe extra Romam flata vel cusa sint (n. 2. 3. 4). Paullo frequentius inscriptiones adsunt in aere gravi non Romano; Latinae tamen et ipsae perrarae sunt. Exhibentur huius generis Lucerinorum asses duo et oppidi et duovirum nominibus (cf. *R. M. W.* p. 365) insignes (n. 5), cum in reliquo aere gravi Lucerino ne oppidi quidem littera notata sit; aera Hatrianorum (n. 6), Firmanorum (n. 7), Vestinorum (n. 8), denique incertum nescio cuius populi (n. 9). Sequuntur nummi Latinorum argentei eiusdem aetatis percussi Albae (n. 10) et Signiae (n. 11), item Coranorum ex argento et aere (n. 12); deinde Campanorum vicinarumque regionum cum inscripti nomine Romae (n. 13) tum Cosani (n. 14), Caleni (n. 15), Suessani (n. 16), Paestani huius aetatis (n. 17), Maliessani et Beneventani (n. 18. 19), Aesernini (n. 20), Caleni Suessani Teanenses Caiatini Aquinates galli forma notati (n. 21) quique inscribuntur *Cap* vel *Cai* (n. 22). Extremo loco exhibentur aerei Ariminenses (n. 23), Larinates antiquissimi (n. 24) nequedum relati ad assem Romanum, recepti in hunc ordinem, quia litteris certe Latinis inscripti sunt, quamquam eorum sermonem iure videtur habuisse Friedlaenderus pro Osco (*osk. Münzen* p. 42); denique Lucerini (n. 25), Venusini (n. 26), Brundisini (n. 27) qui pertineant ad assem vere trientalem. Non admisi quidquid pertinet ad assem trientalem imminutum sive sextantarium, nedum ad assem uncialem et semuncialem, ut sunt Larinates qui partium assis notas habent, Lucerini inscripti LOVCERI, Paestani Venusini Brundisinique plerique, denique nummi omnes Valentiae et Copiae percussi; hos enim secundae magis aetatis esse quam huius apparet ideoque suo loco postea referentur. Contra huius aetatis Teatinos nummos exclusi propterea, quod inscriptio TIATI iam mihi non tam Latina creditur quam Graeca propter duas potissimum causas. Primum nummus sic inscriptus argenteus cusus ad exemplum Tarentinorum (Ritschl tab. VII 82 ad nummum mus. Berol. collato Friedlaendero tab. 6, 2) aperte prae se fert eam aetatem, quae intra Apuliam Latinum sermonem nisi in colonia Latina non admittit. Deinde aereus cum hoc argenteo iungendus (Ritschl tab. VII 83 ex Minervinio *oss. num.* 1, 6 p. 89 sq.) praeter inscriptionem TIATI alteram habet in postica nondum satis stabilitam, quae tamen cum sic fere referatur BIΔAIFAKIAI..., omnino aut Graeca est aut quod magis credo ad Apulorum sermonem antiquum pertinet, certe non est Latina. Quicunque hoc loco recensentur nummi eius fere aetatis sunt, quo sermo Latinus extra Latium coloniasque Latinas nondum per Italiam sese propagarat, item rei nummariae consuetudo Romana extra Latium Picenumque vix obtinebat Campaniamque maxime non occuparat. Cusi enim sunt aut Romae (n. 1—4. 13) aut in coloniis Latinis (n. 5—7. 10—12. 14—20. 21 *a. b.* 23. 25—27) neque praeterea Latina inscriptio reperitur nisi in nummis Vestinorum (n. 8), Aquinatium Teanensium Caiatinorum (n. 21 *c. d. e*), quos propter eam ipsam potissimum causam horum recentissimos esse puto. Ad assem autem relati nummi non inveniuntur nisi aut in Latio percussi, unde hoc pecuniae genus originem traxit, aut in regionibus ad mare Hadriaticum (n. 5—8. 25—27), quo Romanorum consuetudinem longe prius pervenisse constat quam pervenit ad Campanos Lucanos Bruttiosque Graecis nummis diuturno usu assuetos.

Genus nummi.	Typi.	Inscriptio. (a superscripta anticam, p superscripta posticam designat)	Aetas.	Auctores.
1. aes flatum formae quadratae V pondo; nam unicum quod extat specimen integrum pendet p. IV unc. XI librae antiquae Romanae. Cf. *R. M. W.* p. 173. 229.	Aquila alis expansis fulmen unguibus tenens. Pegasus volans.	^{a}ROMANOM	ante a. u. c. 490, quo as libralis esse desiit.	Ritschl tab. V *a*, ubi antica repetita est ex Bullett. arch. 1844 p. 51 et Diamilla mem. num. 1, 2 tab. 3, postica datur ad ipsum aes, quod Velitris repertum et museo Borgiano illatum (cf. Eckhel syll. 1, 28; d. n. 5, 49) hodie Romae servatur in Kircheriano. Alterius quinipondii frustum ad vicum *Tor Marancio* prope Romam repertum exhibet Ritschl tab. V c ex Diamilla l. c. tab. 4.

Genus nummi.	Typi.	Inscriptio.	Aetas.	Auctores.
2. as libralis (pendet unc. c. X) Romanus extra urbem flatus. Cf. *R. M. W.* p. 181.	Caput muliebre adversum galeatum. Bos stans, supra eum interdum caduceus.	ROMA; interdum additur L. Supra bovem in assibus his cervi modo caduceum modo L hodie tradi solet (cf. Marchi aes grave p. 60; aeque *Apoll.* p. 10; Carelli p. 9 ed. Lips., al.); antiquiores tamen eo loco assis notam plus minusve corruptam exhibuerunt, ipseque Marchius in tabula dedit ɋ neque L nisi ad marginem pingi iussit. Quaeritur itaque adhuc, num vere L ibi deprehendatur. Fortasse ancoram vel simile quid neque litteram monetarius eo loco pingere voluit; certe assem hunc nisi in regionibus inter Padum Tiberimque adhuc non repertum Luceriae tribuere vix licet.	ante a. u. c. 490.	Ritschl tab. V A ex Marchio et Tessierio tab. inc. V, 15 et suppl. n. 1.
3. semis ad assem libralem referendus, item Romanus Luceriae flatus. Cf. *R. M. W.* p. 180.	Soliti in semisse Romano.	L	item.	Imago nondum edita est; describit Riccio *mon. di città* p. 30, *catal.* p. 26 *bis*.
4. triens, quadrans, sextans, uncia ad assem re sex fere unciarum, lege libralem referendi, a Romanis in Apulia ut videtur cusi. Cf. *R. M. W.* p. 181. 284.	*Triens.* Caput Iunonis diadematum. Hercules luctans cum Centauro. *Quadrans.* Caput Iunonis sospitis. Taurus currens; infra draco. *Sextans.* Lupa gemellis ubera praebens. Corvus florem rostro tenens. *Uncia.* Solis caput radiatum adversum. Luna dimidia et stellae duae.	ROMA	item.	Cohen *méd. consul.* tab. 71 n. 3. 4. 8. 9.
5. asses librales Lucerinorum. Cf. *R. M. W.* p. 183. 195. 239. 314.	*a.* Caput Apollinis laureatum. Equus saliens, supra stella.	L· et L·ΓVLIO·L·F·C·MODIO·CN·F· De littera L non constat. Adesse eam sub equo testatur quidem Riccius in nummi descriptione; tabula tamen eiusdem non L, sed signum aliquod incertum sub equo ostendit et apud Wiczayum spatium sub equo omnino vacuum est. Idem Wiczayus CR·F pro CN·F, male.	440—500.	Ritschl tab. V D ex Riccio in Polyoramate Neapolitano n. 26 (cf. eundem *mon. di città* p. 29, cat. p. 26 *bis*); alterum exemplum ib. V E ex Wiczay Mus. Hedervar. 1. n. 901 tab. 2 f. 42.
	b. Caput Apollinis laureatum. Gallus stans.	·L· et SE·ΓOS·Π·BAB	item.	Ritschl tab. VI W ex Minervinio *oss. num.* tab. 4, 14.
6. as libralis cum suis partibus Hatrianorum. Cf. *R. M. W.* p. 183. 195. 247. 291. 314.	Typos vide *R. M. W.* p. 247 et alibi.	HAT, etiam litteris retrogradis. Inscriptio HATRI (Eckhel 1, 99) iusto auctore caret.	465—500.	Ritschl tab. V F (as) ex Marchio aes gr. cl. IV tab. II, 1. Ritschl tab. V H (sext.) ex eadem tabula 5 A. Ritschl tab. V G (unc.) ex eadem tabula 6 B. Ritschl tab. V J (unc.) ad delineationem eiusdem aeris, quod in eadem tabula Marchiana 6 A repraesentatur.
7. quadrans et sextans ad assem libralem pertinentes Firmanorum. Cf. *R. M. W.* p. 183. 195. 249. 291. 316.	Typos vide *R. M. W.* p. 249 et alibi.	FIR	490—500.	Ritschl tab. V M (quadr.), Ritschl tab. V N (sext.) ad Genarellium *mon. prim. diss. della Pontif. Accad.* t. XI p. 53. 54.
8. triens, sextans, uncia, semuncia (?) ad assem libralem pertinentes Vestinorum. Cf. *R. M. W.* p. 183. 195. 246.	Typos vide *R. M. W.* p. 246 et alibi.	VEƧ vel VEƩ Ʃ in quibusdam reperiri testatur Riccio *mon. di città* p. 3.	eiusdem fere aetatis.	Ritschl tab. V P (sext.) ad aes gr. cl. 4 tab. III B, 1. Ritschl tab. V O (unc.) ad eandem tabulam 2. Ritschl tab. V Q (sem.) ad eandem tabulam 3.
9. semuncia vel hemilitrion (hoc enim videntur indicare notae Σ et H) assis libralis populi incerti. Cf. *R. M. W.* p. 209. 248.	Typi nulli.	A	saeculi quinti.	Ritschl tab. VI T ex Marchio cl. IV tab. II, 7.

Genus nummi.	Typi.	Inscriptio.	Aetas.	Auctores.
10. nummus argenteus eiusque semis Albensium. Cf. *R. M. W.* p. 207. 253. 314. 319.	AR. *Nummus.* Caput Mercurii petaso alato tectum. Gryphus currens.	[p] ALBA	451—486.	Ritschl tab. VII 27 ad nummos museorum Berol. et Paris.
	AR. *Seminummus.* Caput Minervae galeatum. Aquila fulmini insistens.	[p] ALBA		Ritschl tab. VII 28 ad nummum musei Paris.
11. seminummus argenteus Signinorum. Cf. *R. M. W.* p. 207. 253. 312. 319.	AR. Caput Mercurii petaso alato tectum. Caput apri, iuncta ad collum persona Sileni.	[p] SEIC vel SEIÇ SEIÇ Eckhel d. n. vol. p. 12 (ut omnes volunt), Sestinius lett. num. t. 5 tab. 2 f. 12, 13, Mionnet S. 1, 221, 71; Capranesi ann. dell' Inst. t. 12 p. 207 tab. P, 2. SEIC Ritschl, Carelli p. 3 ed. Lips.; Leake num. Hell. Ital. p. 143 in nummo musei Britannici. ƧEIC Avellino apud Carellium l. c. E duobus nummis musei nostri alter SEIC exhibet, alter virgulam ad C addere videtur, sed in parte superiore est C; quod monuit Friedlaenderus. Omnino virgula illa, qua a c distinguitur g, per aliquod tempus modo hic modo illic appingebatur, unde postea quoque in usu remanserunt formae duae G et Ç.	ante a. 486.	Ritschl tab. VII 67 ad nummum musei Berol.
12. stater argenteus cum litris (?) aereis Coranorum. Cf. *R. M. W.* p. 210. 311. 319.	AR. Caput Apollinis laureatum. Eques hastam vibrans.	[p] CORANO	ante a. 486.	Ritschl tab. VII 39 ad nummum mus. Parisini collato Millingeno *anc. coins* 1, 1.
	AE. Caput Apollinis laureatum. Bos facie humana coronatur a Victoria.	[a] KORANO Lectio aerei nummi non satis certa est; nititur enim unius Riccii testimonio.		Describit Riccio *mon. di città* p. 8.
13. stateres argentei cum minoribus nummis aereis, litris fortasse, cusi aut omnes aut certe plerique a Campanis, postquam cives Romani facti sunt. Cf. *R. M. W.* p. 211 sq. 254 sq. 341 sq.	*a.* AR. AE. Caput Martis (in aereis Minervae) galeatum; glans. Caput equi frenatum; spica.	*p; in aereis saepe utrimque.* ROMANO, etiam retrorsus scriptis litteris. Inversa inscriptione Cohen p. 347 n. 33; p. 345 n. 34.	inter a. 416, quo Capua in potestatem Romanorum venit, et a. 543, quo res publica eorum sublata est, hi nummi maximam partem certe Campani comprehenduntur, ita ut inscripti ROMANO ad a. 416 propius accedant, inscripti ROMA saeculo quinto exeunte vel sexto demum cusi esse videantur.	Ritschl tab. VI 3 AR. (ad nummum musei Berol.); Cohen tab. 44 n. 19. Ritschl tab. VI 4 AE. (ex Lepsio inscr. Umbr. tab. 30 n. 2); Cohen tab. 71 n. 12.
	b. AR. Caput Apollinis laureatum. Equus saliens; stella.	[a] RoMANo		Cohen tab. 44 n. 17.
	c. AR. Caput Herculis pueri diadematum cum leonis exuviis clavaque. Lupa gemellis ubera praebens.	[p] RoMANo		Ritschl tab. VI 2 (ad nummum musei Berol.); Cohen tab. 44 n. 18.
	d. AR. Caput muliebre galeatum; sigillum varians. Victoria coronam alligans ad palmam; litterae monetales Graecae.	[p] RoMANo		Ritschl tab. VI 1 (ad nummum musei Berol.); Cohen tab. 44 n. 20.
	e. AE. Caput iuvenile diadematum. Leo gradiens pedem attollens.	[p] ROMANO		Cohen tab. 71, 13.
	f. AE. Caput iuvenile galeatum. Aquila fulmini insistens; in campo meta; infra K.	[et a et p] ROMANO		*Röm. Münzwesen* p. 255.
	g. AV. trium formarum; in secunda pretii nota adest XXX. — Caput geminum imberbe. Sacerdos porcum sacrificat; adstat utrimque miles.	[p] ROMA		Cohen tab. 44, 8—10.
	h. AR. AE. Caput Martis galeatum. Caput equi modo frenatum modo sine freno; strigilis.	[p] ROMA		AR. Ritschl tab. VI 6 ad nummum musei Berol.; Cohen tab. 44 n. 13. 14. AE. Cohen p. 346 n. 16.
	i. AR. AE. Caput Apollinis laureatum. Equus saliens.	[p] ROMA		AR. Ritschl tab. VI 10 (ex Graesio *Handb.* tab. 58, 5); Cohen tab. 44, 15. 16. AE. Cohen tab. 71, 1.

Genus nummi.	Typi.	Inscriptio.	Aetas.	Auctores.
	k. AR. AE. Caput Martis galeatum; clava. Equus saliens; clava.	ROMA		AR. Ritschl tab. VI 5 ad nummum mus. Berol.; Cohen tab. 44 n. 11. 12. AE. Cohen p. 346 n. 13.
	l. AR. Caput geminum imberbe laureatum. Iupiter in quadriga, quam regit Victoria.	ROMA *saepe litteris incusis.*		Ritschl tab. VI 7 ad nummum musei Berol.; Cohen tab. 43 n. 5. 6. 7.
	m. AE. Caput Herculis leonis exuviis tectum; clava. Equus alatus; clava.	ROMA		Cohen tab. 71, 2.
	n. AE. Caput muliebre turritum. Eques currens.	ROMA		Cohen tab. 71, 10.
	o. AE. Caput muliebre galeatum. Cornu copiae duplex.	ROMA		Cohen tab. 71, 16.
	p. AE. Caput muliebre galea Phrygia tectum. Canis.	ROMA		Cohen tab. 71, 11.
14. similes aerei Cosanorum (?). Cf. *R. M. W.* p. 315	AE. Caput Minervae galeatum. Caput equi frenatum.	*utrimque* COƧA vel *utrimque* COƧANO De lectione nondum satis constat. Eckhelius (n. 41 a) in postica deprehendit COSA, idem utrimque Carellius in tab. 10 n. 17. 18. In Londinensium duorum (n. 40 b. 41 b) parte aversa est ONAZOƆ et ut videtur C··AИO, in Eckheliano n. 40 a COƧA et ··ƧANO, in Carelliano tab. 10 n. 19 COƧANO et ··ANO. Avellinius in nummo musei Neapolitani deprehendit COƧA·· in postica (suppl. 1, p. 1 cf. p. 46). Vide ne subsint similitudini Romani supra n. 13 a, qui passim inveniuntur cum inscriptione ROMANO corrupta.	post a. 481.	Ritschl tab. VII 40 *a*. 41 *a* ex Eckhelio syll. 1, 81; 40 *b*. 41 *b* ad nummos mus. Londin.
15. stater argenteus cum litris aereis Calenorum. Cf. *R. M. W.* p. 115. 117. 166. 313. 319.	AR. Caput muliebre galeatum; pone sigillum varians et interdum littera monetalis Graeca. Biga cum Victoria.	CAℲENO	420 — 486.	Ritschl tab. VII 38 ad nummum mus. Berol.
	AE. Caput Apollinis laureatum. Bos facie humana, supra lyra aut stella aut Victoria, infra littera monetalis Graeca.	*plerumque et a et p* *a.* CAℲENO *b.* CAℲENO; SVESANO *c.* CAℲENO; NEOΠΟΛΙΤΩΝ		*a.* Ritschl tab. VII 35 ad nummum mus. Berol. *b.* describit Riccio *mon. di città* p. 12. *c.* Avellino It. vet. num. suppl. I p. 19 n. 506; ex museo Borbonico commemorat Minervinius *oss. num.* p. 24.
16. stater argenteus cum litris aeris Suessanorum. Cf. *R. M. W.* p. 115. 117. 166. 314. 319.	AR. Caput Apollinis laureatum; pone sigillum varians. Desultor palmam tenens equo insidens, alterum ducens.	SVESANO	441 — 486.	Ritschl tab. VII 69 ex Lepsio tab. 30, 14.
	AE. Caput Apollinis laureatum; pone littera monetalis. Bos facie humana; supra Victoria; infra interdum IΣ.	*a.* SVESANO *b.* NEOΠΟΛΙΤΩΝ; SVESANO		*a.* Ritschl tab. VII 70 ex Lepsio tab. 30, 13. *b.* Ritschl tab. VII 71 ex Minervinio *oss. num.* tab. 6, 11.
	AE. Caput Mercurii petaso alato tectum. Hercules stans leonem strangulans.	SVESANO; ΓRBOVM (n. 72) plerumque, rarius ΓRoBoVM (n. 73) vel ΓRoBoM (n. 74). Praeter tres has inscriptiones *probom* (quae est omnium maxime vulgaris; certe in museo nostro tres nummi sunt ita inscripti, inscriptos *proboum* vel *probom* nullus), *proboum*, *probom* reliquas quas tradunt PKOBOM (Ritschl n. 75), PKOKOM, PROROM, PROROVM, PIKEOVM, ARBOVM omnes ortae videntur aut ex nummis non satis integris aut ex mero legentium errore. In unico Hunteriano (Mionnet S. n. 393) pro hoc vocabulo ad Mercurii caput legitur ΑΛΟΣΤΑΣ, cui error subest.	post a. 486. Aetatis paullo recentioris aerei hi videntur esse quam qui proxime praecedunt; sunt enim aperte minus eleganter et argento iam prohibito cusi.	Ritschl tab. VII 72 ad nummum mus. Berol. collato Paris. et Londin., n. 73 ad nummum mus. Vindob., n. 74 ad nummum mus. Paris., n. 75 ad nummum mus. Londin.

Genus nummi.	Typi.	Inscriptio.	Aetas.	Auctores.
17. stater argenteus cum litris aereis Paestanorum. Cf. *R. M. W.* p. 111. 156. 315. 319.	AR. Caput Apollinis laureatum; pone cycnus. Dioscuri equitantes palmas tenentes; supra stellae; infra serpens et M.	[a] ΠΑΙϟΤΑΝο	481—486.	Ritschl tab. VII 59 ad nummum musei Vindob. (cf. Mionnet S. 1, 308, 734).
	AE. Caput Neptuni laureatum; pone delphinus. Amor delphino insidens coronam tenens et tridentem.	[p] ΓΑΙϟΤΑΝΟ Lectio n. 61 ΓΙΙΣΤΑΝΟ ex Carellio excerpta sine dubio corrupta est; idemque valet de inscriptione ΡΑΣΤΑΝΟ (Eckhel d. n. 1, 158).	post a. 481.	Ritschl tab. VII 60. 62 ad nummos musei Vindob., n. 61 ex Carellio t. CXXX, 2.
18. litra aerea cusa Maliessae, id est in urbe ea, quae Romanis primum Maleventum deinde Beneventum dicebatur. Nummos hos omnino extra Latium percussos et satis veteres cum Latinae ex parte certe litterae coloniae alicui Latini iuris adsignent, unam restat, de quo cogitare liceat, Maleventum (Liv. 9, 27. 10, 15. Fest. v. Numerius p. 173. Auctor de praenom. c. 6. Plin. h. n. 3, 11, 105) sive Meleventum, quod potuit olim dici Maloenta vel Maliessa, ab Apolline fortasse Μαλόεντι, potuitque nomine mutari non statim post coloniam deductam, sed aliquanto post.	AE *a.* Caput muliebre ornatum. Taurus cum capite humano, supra persona barbata.	[a] ΜΑLΙΕΣ L littera admodum exiguam habet lineam secundam, quae tamen nequaquam angulo acuto, sed recto ad priorem applicatur.	post a. 486.	*a.* Ritschl tab. VII 58 ex Friedlaendero *osk. Münzen* tab. 8 extr.
	b. Caput Apollinis laureatum. Taurus similis; supra galea.	[p] ΜΑLΙΕϟ		*b.* Ritschl tab. VII 57 ex Minervinio *oss. num.* tab. 4 n. 9.
19. litra aerea Beneventanorum. Cf. *R. M. W.* p. 117. 316.	AE. Caput Apollinis laureatum. Equus currens; supra pentagonum.	[a] BENVENTOD; [p] ΓROΓOM ΠΡΟΠΟΥΜ pessime Riccio mon. di città p. 5.	post a. 486.	Ritschl tab. VII 30 ad nummos mus. Lond. et Paris.
20. similes Aeserninorum. Cf. *R. M. W.* p. 117. 316.	AE. Caput Apollinis laureatum. Bos facie humana a Victoria volante coronatur; inter bovis crura T vel IΣ.	[a vel p] ΑΙϟΕRΝΙΝΟ AESERNINO non satis idoneis testibus nititur; nam apud Carellium p. 15 merum mendum est neque Riccio mon. di città p. 4 de ea re credatur. In simili nummo musei Spinelliani Garruccius (stor. di Isernia Nap. 1849 p. 179) vidit in antica ΝΕΟ//, in postica AISERNINOM; fere ut Goltzius ex huiusmodi nummo antica retulit A///NINO, ex postica ΝΕΟΠΟΛΙΤΗΣ (Avellino ad It. vet. num. suppl. 1 p. 20; opusc. 2, 14). Quod tamen certioribus testibus confirmetur opus est antequam admittatur.		Ritschl tab. VII 22 ex Lepsio tab. 30, 36.
	AE. Caput Vulcani pileatum; pone forcipes. Biga cum Iove fulmen tenente, supra quem interdum Victoria volat.	[p] ΑΙϟΕRΝΙΝΟ, raro [p] ΑΙϟΕR ΝΙΜ; [a] VOKANOM AISERNINO ut semper in iis qui praecedunt nummis, ita in bigatis hic plerumque legitur. Quod interdum reperitur AISERNNIO (Ritschl tab. VII 25; Mionnet S. 1, 223, 184), vitium est scalptoris. AISERNIM rarum est, reperitur tamen monente Friedlaendero (osk. Münzen p. 23) in nummis compluribus diversarum formarum, ne de simili errore cogites. AISERNINOM Avellino (opusc. 2, 15. 159) deprehendit in nummo musei Santangelani confirmavitque Riccio (mon. di città p. 4); neque tamen ea lectio adhuc extra omnem dubitationem posita videtur esse. Antiquiorum auctorum VOLKANOM (Eckhel 1, 101; Mionnet S. 1, 223, 180. 184) erratum est; denique quod Garruccius (l. c.) in simili nummo deprehendere sibi visus est //LATINO, item spernatur.	post a. 491.	Ritschl tab. VII 23 ad nummos mus. Berol. et Vindob. collato Lepsio tab. 30 n. 37. 38; 25 ad nummum mus. Parisini; 26 ad nummum mus. Berol.
	AE. Caput Minervae galeatum. Aquila serpentem unguibus tenens.	[a] ΑΙϟΕRΝΙΟ, etiam retrograde. AISERNINO, quod ex his nummis olim solebat referri (cf. Eckhel 1, 101), dudum explosum est; neque fides ulla inscriptionibus /ISERNIM et /ISERNIOM, quas in huiusmodi nummis Garruccianae tabulae (l. c.) monstrant. Item AESERNIO Mionneto (S. 1, 223, 184) peccatum est.		Ritschl tab. VII 24 ad nummos mus. Paris. et Lond. collato Lepsio 30, 39.
21. similes Calenorum, Suessanorum, Teanensium, Caiatinorum, Aquinatium cum gallo. Cf. *R. M. W.* p. 117.	AE. Caput Minervae galeatum. Gallus; stella.	*a.* [p] CALENO vel CALENO; interdum inscriptio in antica legitur tumque additur utrimque A.	saec. V exeuntis vel incipientis VI.	*a.* Ritschl tab. VII 37 *a. b* ad nummos musei Berol. collato Lepsio 30, 9; 36 (cum A) ex Minervinio *oss. num.* tab. 3, 2.

Genus nummi.	Typi.	Inscriptio.	Aetas.	Auctores.
		b. ŚVEŚANO		*b.* Ritschl tab. VII 68 ad nummum mus. Berol. collato Lepsio 30, 12.
		c. ŚTIANO		*c.* Ritschl tab. VII 76 ad nummum musei Berol. collato Friedlaendero *osk. Münzen* tab. 1, 8.
		d. ĆAIATINO, etiam retrograde. Retrograde Carelli p. 15 ed. Leps. CAIAITNO Avellino op. 2, 36 monetarii errore.		*d.* Ritschl tab. VII 34 ad nummum musei Berol. collato Lepsio 30, 7.
		e. ΆΩVINO vel ACVINO, etiam retrograde. A interdum in his nummis reperiri testatur Minervinus *oss. num.* p. 23		*e.* Ritschl tab. VII 29 *a. b* ad nummos mus. Berol.
22. similes Campani, fortasse alii Capuae percussi, alii Caiatiae. Cf. *R. M. W.* p. 342 n. 144.	AE. Caput iuvenile hedera coronatum. Leo gradiens, dextro pede baculum vel thyrsum gerens.	modo ĆAΓ, modo ĆAI; saepe sine ulla inscriptione.		Friedlaender *osk. Münzen* p. 8; Capranesi *ann. dell' Inst.* vol. 12 p. 214.
23. aereus cusus Ariminensium. Genus nummi fortasse cum Anconitanis comparandi (*R. M. W.* p. 209) plane incertum est, nisi quod ad aes librale Ariminensium nummulus hic vix potest referri. Cf. *R. M. W.* p. 251. 315. 397 n. 95.	AE. Caput virile (Vulcani fortasse) barbatum pileatum. Miles capite nudo scutum Gallicum et longum gladium tenens torque collum cinctus.	ÁRIMN vel ARIM, etiam retrograde. ARIM vel recto ordine vel retrorsum scriptum plerumque in his nummis est vidique unum in museo nostro, in quo post M margo integer cernitur nullamque post M litteram detritam esse constat. Praeterea in quibusdam reperitur ARIMN ut in uno musei nostri, item apud Marchium (tab. suppl. cl. IV n. 2, cf. p. 57. 106) et apud Tonninium (*stor. di Rimini* p. 23), idemque est, sed imperfectum, quod legitur apud Eckhelium (numm. vet. anecd. p. 5) et Hunterum (p. 45) ARIML. Idem Eckhelius quod scribit in museo Italorum borgiano nummos vidisse se inscriptos ARIMNO, fortasse verum est, praesertim cum in nummis inscriptis ARIMN saepe relicta littera in fine fortasse perierit, sed potest etiam vir optimus in hoc se errasse et marginis globulum male ad inscriptionem adscivisse. Quare nolui in lectione mira neque facile explicanda fidem habere testi optimo quidem, sed singulari.	post a. 486.	Carelli tab. 24, 1 et alibi.
24. nummi Larinatium aerei, non relati ad assem Romanum. Cf. *R. M. W.* p. 330. 331.	AE. Caput Minervae galeatum. Equus currens; supra stella.	ĹADINEI	saec. fere V exeuntis.	Ritschl tab. VII 49 ex Friedlaendero *osk. Münzen* tab. 6 n. 9.
	AE. Caput Minervae. Fulmen. Nummi hi quamquam aetate cedunt sine dubio antiquissimis omnium Larinatium cum typo Campano bovis cum facie humana et inscriptione Graeca ΛΑΡΙΝΩΝ, tamen antiquiores videntur quam qui ad assem uncialem referuntur, notis partium assis Romani signati.	ĹADINoD Litteras horum nummorum cum Latinas sint, tamen iure dubitans Friedlaenderum, num sermo sit Latinus, supra (p. 3) iam dixi. Larinates enim, qui Latii ius non habuerunt, vix credendum est hac aetate ad sermonis communionem admissos esse, cum praesertim Frentani Teatinique aequales nummos aut Osce aut Graece inscriptos sint. Accedit *d* pro *r* in oppidi nomine, quod quamquam in Latino etiam sermone excusari potest, tamen ab ea aetate abhorret, accedit quod ad inscriptionem *Ladinei* Latina nulla tam prope accedit quam Osca *frentrei*	saec. fere VI incipientis.	Ritschl tab. VII 48 ex Friedlaendero l. c. n. 8.
25. as trientalis cum partibus suis Lucerinorum. Cf. *R. M. W.* p. 240 sq. 284.	Typi recensentur *R. M. W.* p. 240 sq. et alibi.	Ⱶ	saec. V exeuntis vel incipientis VI. Aetas horum et sequentium nummorum inde aliquatenus efficitur, quod cusi sunt post sublatum assem libralem a. u. c. fere 490, ante introductum in his Italicorum nummis semuncialem, quod accidisse videtur saeculo VI medio (cf. *R. M. W.* p. 321).	Riccio *mon. di Lucera* tab. 2; Mus. Kirch. cl. V tab. 1 B.
26. assis trientalis partes Venusinorum. Cf. *R. M. W.* p. 244. 284.	Typi recensentur *R. M. W.* p. 244 sq. In aereis libralibus Venusinis idem monogramma num reperiatur, nondum constat; quam ob rem hoc loco id referre malui.	VE	eiusdem aetatis.	Ritschl tab. V, XL ex Bull. Nap. II tab. 2, 2. 3.
27. assis trientalis partes Brundisinorum. Cf. *R. M. W.* p. 284. 291. 316. 352.	Recensentur *R. M. W.* p. 352.	BRVN	post a. 510.	Carelli tab. CXX, n. 9. 6. 4.

Inscriptiones horum nummorum pleraeque ut par est nomen civitatis proponunt, cuius iussu nummus is cusus est; oppidi nomen, ubi alterius populi iussu nummus cudebatur, non reperitur nisi in Romanis quibusdam extra urbem flatis (n. 2. 3). Civitatis nomen in Campanis secundum Graecam eius aetatis consuetudinem solet proferri plene scriptum ponitur que plerumque populi nomen casu secundo numeri pluralis, ut sunt *Aisernino* (n. 20), *Caiatino* (n. 21), *Caleno* (n. 15. 21), *Corano* (n. 12), *Cosano* (n. 14), *Paistano* (n. 17), *Romanom* (n. 1) et *Romano* (n. 13), *Suesano* (n. 15. 16. 21); nam etsi linguae leges item ad nominativum secundae declinationis omissa extrema *s* haec ut referamus permittunt, tamen eiusdem aetatis eiusdemque regionis nummi Graeci et Osci ignorant usum hunc ab antiquissima aetate sola non alienum, contra ethnici genetivum pluralis maxime amant; neque sane cum in eodem nummo legatur Νεαπολίτων et *Suesano*, de huius interpretatione ambigi potest. Eiusdem generis videntur esse inscriptiones *Aisernio* (n. 20), *Aquino* (n. 21), *Tiano* (n. 21), derivatae ab ethnicis quae postea exoleverunt *Aisernius*, *Aquinus*, *Tianus*. Nam de oppidi nomine sexto casu scripto, quamquam eo ducunt Teanenses antiquiores inscripti Osce *Tíanud*, non videtur cogitari posse, cum hic casus ea aetate sine *d* finali non procedat; contra in ethnicis formandis quantum aetas mutaverit, nemo ignorat potestque comparari inter alia nummus inter Larinates antiquissimus inscriptus Graece Λαρίνων. Eodem denique referendum videtur *Aisernim* (n. 20), scilicet ex *Aisernio(m)* eadem ratione effectum, qua ex *filios* efficitur *filis* et *fili*. In his non casu, sed consulto post longam vocalem omissam esse *m* finalem demonstrat cum huius omissionis summa constantia (nam *m* reperitur post *ó* bis tantum in *Romanom* n. 1 et in *Aiserninom* n. 20, quod utrumque et singulare est et dubium) tum quod post correptam vocalem, ut in *Volcanom* quarto casu, praeterea in *Aisernim*, *propom*, *prboum*, eadem littera in iisdem nummis semper adest. — Diverso more in Beneventania (n. 19) scribitur nomen oppidi casu sexto *Benventod*, cuius consuetudinis Graeca exempla nulla suppetunt, adsunt Osca complura, ut *Ladinod* (n. 24), *Akudunniad*, *Tíanud Sidikinud*. Simile est *Ladinei* (n. 24) casu genetivo vel potius locativo, sed et ipsum Oscum magis quam Latinum. — Contra inscriptiones *Roma* (n. 2. 4. 13) et *Alba* (n. 10) et ad aliam regionem pertinent et alium casum ostendunt; neque enim est cur dubitemus oppidorum nomina in his ipso efferri nominativo. — Reliquae inscriptiones imperfectae cum sint et fere aut prima littera (*A* n. 9 cf. 21 *a*; *L* n. 2. 3. 5. 25) aut prima syllaba (*Brun* n. 27; *Cai* n. 22; *Cap* n. 22; *Fir* n. 7; *Hat* n. 6; *Seig* n. 11; *Ves* n. 8) constent aut certe vocabuli terminatione careant (*Arimn* n. 23; *Malies* n. 18), de iis certa ratione iudicari non potest. — Ad alius generis inscriptiones quod attinet, *Volcanom* n. 20 explicatione non indiget neque difficultatem faciunt duumvirorum Lucerinorum nomina *L. Pulio* (= Pullius) *L. f.; C. Modio Cn. f.; Se. Pos.*, quod mihi est *Servius Postumius*, non *Sextus*, cum hoc praenomen alibi notatum reperiatur SX; *P. Bab*, *Babbius* credo, cum eiusmodi nomen legatur in titulo Lucerino sepulcrali (I. N. 971). Contra *propom* (n. 19), *prboum*, *proboum*, *probom* (n. 16) quid sibi velit, nemo adhuc divinavit; nam de nummo lege probato qui id acceperunt, non intellexerunt nominativum neutrius vel accusativum masculini generis in secunda declinatione et in *om* et in *um* neque tamen ullo tempore in *oum* desiisse et omnino in *ou* secundam litteram non abundare, sed ex *v* consonante fere originem traxisse. Quare ut *Loucios* Oscorum *Luvk*-, Graecorum Λευκ- respondit, ut *noundinum* ex *novem* derivatum est, ita in *prboum* sane aliud latet ac simplex vocabulum *probum*.

CARMEN ARVALE.

28. Actorum collegii fratrum Arvalium tabula Mariniano ordine quadragesima prima, in cuius priore pagina v. 32—38 quod hic repetitur carmen legitur, effossa est a. 1778 Romae in basilica Vaticana ibidemque servatur parieti affixa. Scalptura est, ut ait Marinius p. 523, rudi, confertis et minutis litteris, quarum forma non invenusta solum est, sed saepe dubia, insolens, commutata.

Ritschl tab. XXXVI A ad lapidem. Ex prioribus editoribus unum commemorasse sufficit Marinium, *Arvali* (1795) p. CLXI, ubi aere carmen expressum est accurate; post quem denuo nunc primum opinor lapis diligenter collatus est. Tractaverunt plurimi, inter quos nominabo Lanzium (*saggio* 1, 142 sq. et apud Marinium *Arvali* p. 600 sq.), G. Hermannum (elem. doctr. metricae p. 613), Rud. Henr. Klausenum (de carmine fratrum Arvalium liber. Bonn. 1836. 8. pp. 89), Corssenum (orig. poesis Romanae p. 86 sq.), Bergkium (*Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1856 p. 129 sq.). Recepit Meyerus anth. n. 8. — Tabula reliqua cum ab huius libri ratione aliena sit, satis visum est carmen solum referre typis consuetis, versuum tamen principiis duplici virgula indicatis distinctisque litteris emendatione supplementove repetitis scriptura cursiva.

1 *a*. Enos, Lases, iuvate.
b. ‖ *E*nos, Lases, iuvate.
c. Enos, Lases, iuvate.
2 *a*. Neve luae rue, Marma, sins incurrere in *p*leores.
b. Neve lue rue, Marmar, ‖ *s*ins incurrere in pleoris.
c. Neve lue rue, Marmar, sers incurrere in pleoris.
3 *a*. Satur *f*u, *f*ere Mars. Limen ‖ *sali*. Sta. Berber.
b. Satur fu, fere Mars. Limen sal*i*. Sta. Berber.
c. Satur fu, fere Mars. Limen sa*li*. Sta. Berber.
4 *a*. ‖ *Se*munis alternei advocapit conctos.
b. Semunis alternei advocapit conctos.
c. Simunis altern*ei* advoca*pit* ‖ *conct*os.
5 *a*. Enos, Marmor, iuvato.
b. Enos, Marmor, iuvato.
c. Enos, Mamor, iuvato.
6 *a*. Triumpe.
b. Triumpe.
c. Triumpe.
d. Trium ‖ *pe*.
e. *Triu*mpe.

Imp. Macrino Aug. et Advento cos. (nam ante Macrini mortem haec peracta et perscripta esse constat) anno p. Chr. 218 Ambarvalium sollemnium die secundo et principali, qui eo anno incidit in a. d. IIII kal. Iun. sive 29. mensis Maii, in luco deae Diae, promagistro Alfenio Avitiano, post alia sacra perfecta cum reliqui qui aderant pueri nobiles servique publici ministrique ex aede exiissent, clausa ea *sacerdotes*, ut ponamus ipsa actorum verba, *clusi succincti libellis acceptis carmen descindentes tripodaverunt in verba haec*, quae supra posuimus; *post tripodationem deinde signo dato publici introier(unt) et libellos receperunt.* Idem carmen quot annis sacrum factum est, sacerdotes cantasse consentaneum est, neque tamen in reliquis Ambarvalium actis verba eius referuntur. Quomodo cantatum sit, ex supra relatis apparet, nisi quod *descindendi* sive *descidendi* (ita enim legitur v. 27: *duo ad fruges petendas cum publicos* — sic — *desciderunt et reversi dextra dederunt laeva receperunt)* vocabulum obscurum est; flexioni tamen, quae de discedendo cogitare vetat, et significationi utrique loco aptae unum discindendi verbum videtur convenire, ut *discindere* sit *separare se a caterva, in partes ire*, quique canunt discindentes, alternis et quasi hemichoriis cantent. — Scriptura lapidis non solum pessima est, sed etiam subinde incerta; verborumque quamquam priscum sonum consulto retentum esse apparet — haec enim fuerunt Saliorum carminibus simillima, quae, ut ait Quintilianus (inst. 1, 6, 40), *vix sacerdotibus suis satis intellecta mutari vetat religio et consecratis utendum est*, et fortasse ipsorum illorum pars et appendicula (cf. Marini p. 597) — tamen in quibusdam, maxime iis, quorum non tam sonum quam scripturam tempus immutarat, recentissima quaeque se insinuaverunt, ut *iuvate* et *iuvato*, item *incurrere* cum *r* gemina, *luae* pro *lué*, *pleoris* pro *pleosis*. Omnino carmen hoc ex ipsis collegii libellis a quadratario exceptum non multo meliore condicione traditum accepimus, quam quae huius generis apud auctores leguntur per probae fidei membranas ad nos propagata. Singuli versus ter repetuntur, clausula *triumpe* quinquies. Illud in precationibus quibuscunque sollemne fuisse docet Marinius p. 604 neque aliud hic subesse puto, quamquam Corssenus p. 97 cogitavit de praecentore duobusque fratrum hemichoriis. — De ipso carmine pauca addam. Praeter Lares, quorum in tutela collegium Arvalium erat ab Accae Larentiae filiis olim constitutum, et Semones, id est deos cunctos, praecipue invocatur Mars, quem in agro lustrando sive Ambarvalibus privatis praecipue colendum esse Cato quoque (de r. r. 141) praecipit, ut *morbos visos invisosque viduertatem vastitudinemque calamitates intemperiasque prohibessit defendat averruncetque utique fruges frumenta vineta virgultaque grandire beneque evenire sinat pastoresque pecuaque salva servassit duitque bonam salutem valetudinemque* ei qui precatur *domo familiaeque* eius.

V. 1 cum *enos* alii composuerunt Graecum *ἐμοί = μοί*, alii *Ecastor, Edepol* similiaque Latina, quae tamen minus recte huc trahuntur, cum hoc *e* ortum esse videatur ex *me*. — 1*a* IVVATE Marinius, IVVAT tabula. — 1*c* LASES Marini, IASES tabula prima littera corrupta.

Ad v. 2 Müllerus in Fest. p. XXXIV adhibuit glossam (inter Isidoriana 7, 450 Arev. et apud Maium classic. auct. t. VIII p. 63. 75), quae beluem significare dicit egestatem, scite magis quam vere; hanc enim qui tradunt apparet de vastatione beluae cogitasse neque de velue sive mala lue. Praeterea *luerue* sine *luaerue* a *lue* non recte derivari iure monuit Bergkius; ut enim *luerem* flexiones similes boverum, Ioverum, lapiderum (Schneider *lat. Gramm.* 2, 171) satis fortasse defenderent, tamen neque *u* interiecta neque *ae* pro *e* scripta ullo modo sic explicatur. Quare adhibita glossa Cyrilliana *πτῶσις ἐπὶ οἰκοδομῆς ruina, rues* (p. 164 Labb.) scripsi *luem ruem*. — *Marmar (Marma)* sive *Marmor (Mamor)* Oscorum Mamers est, qua forma Latinos quoque olim usos esse praeter carmen hoc ostendit praenomen Mamerci factum a Mamerte ut a Marte Marcus. — 2*a* scriptor posuit primum IN·P pro INC, quasi iam scribendum esset INPLEORES, sed errorem statim intellexit et sustulit. — 2*a* DLEORES lapis hoc loco; PLEORIS est 2*bc*. Quod de floribus acceperunt Lanzius et Corssenus, perperam; litterae enim *f* et *p* inter se non commutantur. Contra recte Marinius, Klausenus aliique contulerunt vocabula *plerus*, *πλέων*, *πλείων*, ut *pleores* eadem ratione abierit in *plures* qua ex *revorsus* factum est *rursus*. Neque incommoda significatio; nam quaedam ex segetibus animalibusque pereant necesse est neque Martem precantur fratres, ne nihil sibi sumat, sed ne multa et ut celeriter satur fiat. — 2 *b* MARMAR Marinius, MAR ·AR tabula. — 2*c* SERS loco non movi; nam ut *sins* pro *sinas*, ita *sirs* pro *siris* scribi potuit.

3*a* EVRERE lapis, sed *b c* FVFERE, quod praeferendum esse magis constat quam quomodo explicandum sit. Recte tamen Bergkius p. 135 monuit errare eos, qui *fufere* revocarint ad verbum substantivum; reduplicatio enim quamquam facile defendatur, tamen si pro infinitivo praesentis habeas, nullo modo ferri posse infinitivum pro imperativo positum, si *fufueris* interpretere, non facile rationem reddi terminationis amissae. Idem probabiliter litteras diremit et explicavit *fu, fere*. — Verba *limen sali, sta*, Arvales non ad deos, sed alter alteri dicunt. — 3*a* ... E, *b* SALL, *c* ut videtur SAII; scribendum SALI vel SALE, nam ut *salius* et *subsulus*, ita olim et *salire* et *salere* in usu esse potuerunt. — 3*c* SCA Marinius; sed littera imperfecta potius est quam commutata. — BERBER quid sibi velit, anceps dictu est; videtur tamen de fervendo nullo modo, cogitari posse, posse de verberando solo, ut *verbera*, pro quo olim potuit dici *verbere*, imperativus sit abiecta vocali extrema, quam item in *fu* vidimus extritam.


4. Semunes qui fuerint, inter antiquos quos adhuc legimus memoriae prodidit nemo; Martianum Capellam enim cum ἡμιθέους explicat *semones aut semideos* (2, 156), de vocabuli origine magis quam de usu cogitasse apparet, Fulgentius autem (expos. serm. ant. p. 561 M.) eiusque personatus Varro in mystagogarum libro quae produnt Semones dictos esse deos quos nec caelo dignos adscriberent ob meriti paupertatem, ut Priapum Eponam Vertumnum, nec terrenos eos deputare vellent pro gratiae veneratione, et incertae admodum auctoritatis sunt et per se parum probabilia. Equidem ni fallor, quisquis supra humanam naturam est sive deus quicunque, semo est, quod et cum etymologia facile conciliatur, nam *se* privativum et *homo* coniuncta verbum efficere potuerunt, ut ex *ne* et *homine* factum est *nemo*, et ab illis explicationibus ita recedit, ut in iis veri vestigia quaedam inesse appareat, et maxime commendatur Semonis Sancus cum deo Fidio comparatione et huius tabulae in ipsa clausula cunctorum Semonum invocatione. — 4*c* ALTERNIP Marini et ita fere tabula; litterae tamen deformatae magis sunt quam permutatae. — 4 *b* ADVOCAPIT lapis, item 4 *a* secundum Marinium; 4 *a* ADVOCADIT tabula; 4 *c* ADVOCAIIT litteris extremis corruptis lapis. ADVOCAPIT vix admittit interpretationem nisi eam quae statim se offert *advocabitis*, in quo quamquam futurum imperativi loco recte se habet, tamen vel maxime offendit *p* pro *b* inter duas vocales posita et terminatio tota omissa. — De numeris carminis ancipitem sane quaestionem iis relinquo, qui in hanc rem inquisiverunt inquirentve.

SCIPIONVM ELOGIA.

Scipionum monumentum extra portam Capenam commemorant Cicero Tusc. 1, 7, 13: *an tu egressus porta Capena cum Calatini Scipionum Serviliorum Metellorum sepulcra vides, miseros putas illos?* pro Arch. 9, 22: *in sepulcro Scipionum putatur is* (Ennius) *esse constitutus ex marmore;* Livius 38, 55: (Q. Terentium Culleonem) *ad portam Capenam mulsum prosecutis funus* (Africani maioris) *dedisse*, deinde c. 56: *Romae extra portam Capenam in Scipionum monumento tres statuae sunt, quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poetae Q. Ennii;* Suetonius apud Hieronymum: *Ennius sepultus in Scipionis monumento via Appia intra primum ab urbe miliarium.* Eo ipso, quem auctores indicant, loco (cf. Becker *Topogr.* p. 517) inter moenia Serviana et Aureliana Scipionum elogia reperta sunt saeculo partim XVII incipiente partim XVIII exeunte. De illis effossionibus quae accepimus paucissima haec sunt. 'Effossa est altero abhinc anno Romae ad portam Capenam intra urbis moenia haec inscriptio' (n. 32) *Sirmondus Romae 1616.* 'Lapis (n. 32) paucis retro annis Romae erutus a Franc. Augustino repente nondum primariae eius vetustatis origine vulgata XX aureis emtus' *Gualtherus* 1624. Eodem tempore lapis n. 35 visus et descriptus est. — Post inventa haec anno CLXVI mense Maio a. 1780 eiusdem praedii tum domini fratres Sassi sacerdotes cum casu denuo incidissent in idem monumentum, tandem aliquando totum pervestigatum est, de quibus effossionibus fere quae Ennius Quirinus Viscontius tradidit adscribam. Sassiorum praedium est ante portam S. Sebastiani ad sinistram eius qui Roma venit via Appia. Crypta villae quae ibi fuit cum ampliaretur, reperti sunt tituli n. 33 et 35 cum capite laureato iuvenili ex lapide Albano, conspectumque est praeterea hypogaeum catacumbae simile in clivi Martis visceribus, monumentum scilicet ex vivo solidoque topho excisum, ubi fuerunt fortasse lapicidinae ante quam mortui eo inferrentur. Constabat parte inferiore et superiore. Inferioris introitus duo apparuerunt, sed ad Appiam neuter, uterque ad viam intermediam inter Appiam et Latinam et ipsam rotabilem conversus; quorum alter plerumque videtur clausus fuisse: *tagliato era questo nel vivo del monte, ma non guernito di pietre, anzi vedeasi murato sin dall' antico. Era questo l' ingresso della lapicidina, del quale si servirono poi qualche volta per introdurre nell' ipogeo que' sarcofagi ch' erano in un sol pezzo di marmo albano incavati.* Ad eandem viam alter ingressus fuit *contornato da un arco e munito di soglia. Questa soglia però è ben più in alto della strada stessa, talchè non è facile entrarvi senza qualche ajuto. L' apertura per altro non ha segni di essere stata custodita con cancelli o con porte.* Faciem monumenti ad eandem viam monstrat tabula Viscontiana altera (cf. p. 67). *L' arco è composto di nove pietre di peperino, qual più grande e qual meno: quella che ne forma la chiave non è perfettamente nel mezzo. Le due più basse che posano sulla soglia son tagliate in maniera che ristringono l' apertura nell' estremità inferiore. L' apertura interiore dell' arco è più angusta dell' esteriore; per lo che ottenere, non solo le prime pietre dell' arco son situate oblique e convergenti fra loro, ma le altre van diminuendo verso le loro superficie interne, a segno che quella di mezzo va quasi a terminare in un angolo. Il resto del basamento è coperto di più intonachi. Sino a tre se ne distinguono un sopra l' altro, e l' esteriore è ancor colorato di rosso.* Haec pars inferior monumenti, maxime arcus ille simplex et rudis et inaequaliter iunctus antiquissima est; contra quae de parte columnata superiore, quamquam subterranea et ipsa, remanent vestigia, Graecam elegantiam spirant. *Bellissima e semplice insieme è la cimasa composta di tre membri che corona il basamento medesimo lavorata di marmo albano. Della stessa pietra eran rivestite le pareti superiori, dove si distingue il basso di una colonna scanalata e a quel che sembra dorica a base attica, la quale tagliata nel peperino era poi rivestita di finissimo stucco. Giuste sono le proporzioni di quella base, belle e grandiose le scanalature non framezzate di piccioli piani, quali ne' più vetusti ordini greci s' incontrano, ma eran vuote sino al basso secondo il miglior gusto ed occupava ciascuna la vigesima parte della periferia secondo gli esempli greci e le regole Vitruviane. La situazione della colonna attaccata non solo al muro, ma in parte incassatavi, ci addita che con quest' ordine si volle indicare un falso portico. Lastre di peperino assai ben connesse foderavano il vivo del monte.* Partis superioris ingressus ubi fuerit, non constat; Viscontio creditur ad Appiam fuisse et hanc cuius vestigia supersunt faciem non fuisse nisi lateralem. *Verso l' Appia l' ordine delle colonne potrebbe aver formato una loggia o portico a guisa di un pronao, e forse le statue de' due fratelli Scipioni e del poeta loro amico eran visibili fra gli intercolunnj.* — Hypogaei pars superior tota periit; inferior quamquam aedificiis postea superpositis fulcrisque et pilis intus aedificatis ruinam passa et ipsa (*ne' secoli di mezzo vi si lavorò calce* Marini iscr. Alb. p. X), tamen magna ex parte adhuc extat repertaeque ibi sunt modo totae in cavis insertae, modo dimidia parte prostantes, modo collocatae ad parietes arcae complures, cum alias ante sublatas esse cava vacua indicio sint. Ex monolitho unica reperta est arca Barbati n. 29. 30; reliquae arcae ex pluribus lapidibus compositae erant teste Lanzio *saggio* 1, 150. Lapidi Albano (*peperino*) plerique tituli (n. 29—34. 38) incisi sunt, topho n. 35—37, denique n. 39 partim ex topho constat, partim ex lapide Tiburtino. Litterae rubro colore pictae erant. — Per arcum ingredientibus statim ad dextram repertus est sarcophagus Scipionis Hispani n. 38, iuxta hunc titulus Corneliae Gaetulicae Orell. 559, deinde sarcophagus fractus n. 37; ulterius monumenta quae fuerant dudum perierant. Item per ingressum olim clausum ingredientibus in vestibulo visebatur sarcophagus L. Scipionis Asiatici filii n. 35, pone hunc sarcophagus ex lapide Albano, ante quem aetate posteriore titulus M. Iunii Silani Orell. 560 collocatus fuit. Per vestibulum hoc pervenitur in cameram amplam, cuius superficiem sustinent pilae duae ex solido topho relictae. In dextra pila ab exteriore parte stetit sarcophagus P. Scipionis flaminis Dialis n. 33, ab interiore L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis n. 34; in sinistra ab una parte sarcophagus L. Scipionis Barbati filii, cuius epitaphium minio scriptum n. 31 (*della parte posteriore dello stesso monumento*) suo loco repertum est, cum alterum n. 32 lapidi incisum inde ab anno 1616 sublatum esset; ab altera parte arca quae fuit perierat. Denique in extremo sepulcro pone pilam sinistram in pariete collocati erant sarcophagi Scipionis Asiageni Comati n. 36 et Paullae Corneliae n. 39, ante Paullae sarcophagum ad parietem stabat sarcophagus Scipionis Barbati n. 29. 30. Praeterea in eodem hypogaeo complura elogia reperta sunt cum Corneliorum libertorum tum aliorum hominum e tenuioribus omnium, quae habebis apud Viscontium tab. VI p. 58 sq. addito titulo postea reperto Henzeniano n. 5140. Confirmatur igitur, quod testantur auctores Cicero de leg. 2, 22, 57 et Plinius h. n. 7, 54, 187, Corneliorum patriciorum ante Sullam dictatorem neminem igne crematum esse, sed omnes terra conditos et humatos; tituli enim, quos ad urnas ollasve stetisse appareat, nulli reperti sunt in hypogaeo praeter Corneliae Gaetulicae et M. Iunii Silani, item libertorum clientiumque, quos omnes aetatis Augusteae vel etiam recentiores esse

constat. Quamquam in pila intuenti ad sinistram, e regione sarcophagi L. Scipionis Barbati filii, iuxta alterius arcae locum Viscontius reperit loculum ollae cinerariae unice aptum, ubi quod Ennii poetae cineres sepultos esse sibi persuasit, magis pro desiderio suo quam ratione posuit; Ennium enim in monumento Scipionum sepultum esse neque constans fama est (nam qui unus id tradit Suetonius addit quosdam narrare ossa eius ex Ianiculo Rudias translata esse) et quae facile credatur orta ex statua illa in monumento collocata, quam Ennii esse iam aetate Ciceronis fama percrebuerat. Ceterum praeter sarcophagos in monumento inventa sunt capita duo, alterum ex lapide Albano iuvenis laureati (rep. 23. Mai 1780, cf. Fea ad Winckelmannum *storia della arti* 1, 30 not. A), alterum optime factum ex Graeco marmore (Visconti tab. VII), item anulus aureus, in cuius gemma Victoria incisa erat, a papa donatus Dutensio; denique caput parvum cretaceum (*una piccola testa alta un pollice in terra cotta, rappresentante un vecchio senza capelli e senza barba*: Fea ad Winckelmannum *stor.* 2, 309). — Sarcophagis suis Scipiones extractos, cineres sparsos, titulos arcasque museo Vaticano illata esse notum est. 'Il *sig. Angelo Quirino senatore Veneziano*, Amadutius narrat (nov. Fior. 1781, 371), *ha potuto acquistare il cranio con altre ossa di L. Cornelio Scipione ed una lucerna antica appartenente allo stesso sepolcro. Egli medita di situare tutto questo in un' urna di marmo ed ornarne la sua villa di Altichiero a due miglia da Padova.*' Quam barbare et neglegenter Scipionum monumentum huic operi praefecti devastarint magis quam investigarint, praestantissimi quique Italorum, Morcellius, Marinius (*iscr. Alb.* p, X; *atti* p. 117 n. 109), Viscontius (p. 6) uno ore conquesti sunt.

Corneliorum gentem vetustissimam esse vel tribus Cornelia declarat (v. hist. mea Rom. 1, 35), item pontifex sub rege Ser. Tullio Cornelius (Plut. q. R. 4), neque ulla tam mature in plures stirpes se divisit, quod et ipsum cum amplitudinis tum vetustatis non obscurum indicium est. Hoc de quo agimus sepulcrum proprium fuit Corneliorum Scipionum eiusque familiae ibi sepulti sunt homines ab initiis usque ad interitum stirpis clarissimae per quattuor fere saecula; ut tamen Scipiones Nasicae, fortasse item Scipiones Asinae, qui sexto saeculo medio a Scipionibus simpliciter dictis se separarunt et propriae deinceps stirpis instar fuerunt, ad hanc sepulturam admissi non esse videantur. Iam adscribam Scipionum stemma, quatenus nostra interest, ut quorum elogia supersunt diductis litteris distinguantur, explicatio quatenus ea hoc loco opus est subsequatur.



1. *Tr. mil.* 359 . . . . Scipio *tab. Cap.*; P. Cornelius Scipio Liv. 5, 24; Πόπλιος Σέξστος Diod. 14, 94. — *Interrex* 362/3 (Liv. 5, 31) et 364/5 (Liv 6, 1). — Num idem sit P. Cornelins tr. mil. cos. pot. II. a. u. 360, incertum est. — Ad hunc pertineat necesse est narratio sive vera sive conficta Macrobii sat. 1, 6, 26 Cornelium, qui cognominem patrem luminibus carentem pro baculo regeret, Scipionis inde cognomen traxisse et ad posteros propagasse. — P. Cornelium Scipionem, quem Livius 5, 19 eumque secutus Plutarchus Cam. 5 magistrum equitum a. 358 faciant, potius dicendum fuisse P. Cornelium P. f. M. n. Maluginensem eundem qui tribunus militum fuerit a. u. c. 357, Borghesius *fast.* 2, 160 sq. demonstravit.
2. *Aed. cur.* 388 (Liv. 7, 1). — *Mag. eq.* 404 (Liv. 7, 24). — *Censor* inter a. 407 et 415 cum fratre (Vell. 2, 8 explicante Borghesio Bullett. 1857 p. 85).
3. *Interrex* 401/2 (Liv. 7, 21). — *Consul* 404 (Liv. 7, 23; male C. Cornelius dicitur Diodoro 16, 56). — *Censor* cum fratre, vide supra.
4. *Consul* 426 P. Cornelius Scapula (Liv. 8, 22, Cassiod.); P. Cornelius (Diod. 17, 87); Scipio (Chr. Pasch. 1, 320 Bonn. et Idat. 2, 150 Bonn.); Barbatus (Chronogr. a. 354). — *Dictator* 448 . . . . n. Scipio Barbatus (fast. Cap.); P. Cornelius Scipio (Liv. 9, 44). — *Pont. max.* 450 Cornelius Barbatus (Liv. 9, 46).
5. Cn. hunc novimus ex solis filii et nepotum notis genealogicis.
6. *Cn. Cornelius L. f. Cn. n. Scipio Asina* dicitur in tabulis consularibus a. 494. 500 triumphalibusque a. 501.
7. Cn. et P. Scipiones in Hispania caesos Lucii filios fuisse demonstrat maxime nota filiis eorum subinde adscripta *L. n.* — *Calvus* dicitur Gnaeus in fastis Capitolinis, a quibus abest *Hispani* cognomen tributum ei a Diodoro (exc. l. 35 p. 605 Wess.) solo; nam ficto lapidi Grut. 315, 3 non immoror.
8. ////NELIVS·C/F·L·N·SCIPIO·HISPALLVS fast. Cap. ex ed. Piranesii, quem solum recte legisse reiciendumque esse et ...L·F·P·N Smetii et L·F·L·N Sigonii Henzenius quaerenti mihi rescripsit; idemque coniectura assecutus est Viscontius p. 46. — Idem videtur Cn. Cornelius Scipio pontifex creatus a. u. c. 555 (Liv. 32, 7), item praetor inter peregrinos a. u. c. 575; quod enim in libris Livianis 40, 14 pro *Cn.* bis scribitur *C.*, recte reiectum est, cum hoc praenomine patricii Cornelii plane abstinuerint. Ceterum quod filius in elogio (n. 38) *facta patris se petiise* praedicat, ea facta si quae fuerunt hodie ignorantur.
9. *P. Cornelius Cn. f. L. n. Scipio Nasica* dicitur in tabulis Capitolinis. Frater patruelis Africani appellatur Livio 35, 10.
10. Cn. Cornelius Scipio Hispalli filius cum sibi Hispania provincia sorte obvenisset, illuo ne iret decrevit, adiecta causa quod recte facere nesciret, itaque senatus animadversionem meruit (Val. Max. 6, 3, 3.) Cum haec pertinere nullo modo possint ad Hispalli consulis a. 578 filium Gnaeum, cui praetori a. u. c. 615 provincia peregrina evenerit (Val. Max. 1, 3, 2), restat ut de filio eius cogitemus; progeniem enim praetorem a. 615 reliquisse ex elogio eius (n. 38) apparet et quamquam alibi Hispanus, Valerio Maximo (1, 3, 2) tamen Hispal(l)us dicitur.
11. P. et L. Scipiones in fastis subinde dicuntur *P. f. L. n.*
12. Cn. Scipio Africani maioris filius qui cedente sponte sua scriba Cicereio praetor factus est (Val. Max. 4, 5, 3), plerumque creditur idem ac L. Cornelius Scipio praetor a. 580 (Pighius ann. 2, p. 356); nam cum C. Cicereius a. 581 praeturam obtinuerit, eum anno proxime praecedente de candidatura destitisse placuit. At sic in hominis praenomine alteruter auctorum erravit. Quare magis credo Cn. Cornelio Scipioni, qui praetor a. 577 Galliam sortitus est (Liv. 41, 8), Cicereii beneficio locum datum esse, quem deinde quinto demum anno ad praeturam pervenisse minime improbabile est. Idem Cn. Scipio potest fuisse Africani filius is, qui ab hostibus captus est a. 564 bello Antiochino (Val. Max. 3, 5, 1 ibique qui citantur).
13. L. Cornelius Scipio qui a. 580 praetor inter cives et peregrinus fuit eodemque anno propter turpitudinem ex senatu motus est (Liv. 41, 21. 27), quo patre natus sit non video nisi eodem Africano; certe neque ad Hispallorum stirpem pertinet neque Asiageni filius fuit.
14. L. hunc non novimus nisi ex indicibus genealogicis filii.
15. *L. Cornelius L. f. L. n. Scipio Asiaticus* in fastis scribitur. Creditur plerumque adnepos, non pronepos eius qui Antiochum vicit; attamen cum ipse natus sit c. a. 630 patrisque igitur natales recte referantur ad annum c. 590, avus cur non fuerit L. Scipio quaestor a. 587, cuius monumentum superest, non intellego. Idem mihi creditur L. Scipio is, qui bello sociali a. 664 Aeserniam aliquamdiu defendit et antequam caperetur, servili habitu inde aufugit (Appian. b. c. 1, 41).
16. Appian. b. c. 1, 85. Huius videntur esse nummi inscripti L·SCIP·ASIAG cusi paulo ante a. u. c. 670. Soror eius P. Sestio nupsit (Cic. pro Sest. 3, 7).
17. Scipio Pomponianus (Plin. h. n. 35, 2, 8) cognomine Salvitto (ita Plin. l. c. et 7, 12, 54; Salvito Suet. Caes. 59; Σαλάττων Dio 42, 58; Σαλλουτίων Plut. Caes. 52) homo levis et contemptus, qui ad vitae opprobrium (Suet. l. c.) a mimo Salvittone cognomen traxit (Plin. 7, 12, 54), ex Africani tamen genere (Plut. l. c.) in quod adoptione testamentaria ex Pomponia gente venit (Plin. 35, 2, 8: *eadem causa Messallae seni* — † c. 757 — *expressit volumina illa quae de familiis condidit, cum Scipionis Pomponiani transisset atrium vidissetque adoptione testamentaria Salvittones — hoc enim fuerat cognomen — Africanorum dedecore inrepentes Scipionum nomini*), a. u. c. 708 militavit in Africa sub Caesare (Suet. Caes. Dio ll. cc.). Adoptatus videtur aut a consule a. 671, cuius filius naturalis fortasse morte praematura extinctus est, aut ab hoc filio ipso.
18. P. Cornelius Scipio consul a. 738 (Dio 54, 19; fasti Colot.; chronogr. a. 354; Cassiod.). Probabiliter creditur Borghesio Scipio ille, qui ob adulterium Iuliae punitus est a. 752 (Vell. 2, 100). Videtur fuisse praecedentis filius.

Restat parentelae incertae unus M. Cornelius Scipio Maluginensis praetor u. c. 578 (Cic. de or. 2, 64, 260. Liv. 41, 14. 15. 27; cf. Catonis oratio contra M. Cornelium citata a Frontone ad Anton. 1, 2 Mai., ubi tamen num hic intellegatur, minime constat).

Scipiones Hispalli circa medium saeculum septimum effloruerunt; nam Cornelius Hispanus aetatis Augusteae rhetor a Seneca patre passim commemoratus ex antiqua patriciaque illa domo vix originem traxit. — Nasicarum ultimus videtur fuisse Q. Caecilius Metellus Pius Scipio interfectus in Africa a. 708, qui et ipse adoptione transiit in domum Metellorum neque filium post se videtur reliquisse. Quamquam descripsi Tibure in aedibus publicis titulum magnis et optimis litteris, cuius accurate factum exemplum submisit deinde Henzenius:

[GVS · SEP]
met[ELLO·SCIP]*ioni*
[XIIX]

qui potest stetisse in sepulcro filii illius praeterea ignoti. — Sciplones qui simpliciter dicuntur sub Augusto finivisse vidimus. Ita factum est, ut primo post Christum natum saeculo Scipionum et nomine et sepulcro Lentuli uterentur; nam ad hos constat referenda esse quae de Scipionibus hac aetate accepimus testimonia, ut Dionis 61, 17. Quae res sane memorabilis ut melius intellegatur, adscripsi stemma Lentulorum, quatenus vel sepulcri vel nominis communione cum Scipionibus coniuncti sunt, Borghesii fere (*annali* 1849 p. 56) vestigia legens:

- *Cn. C - Lentulus* cos. 736.
  - *Cossus C- Lentulus* cos. 753.
    - *Cossus C - Lentulus* cos. p. Chr. 25.
      - *Cossus C - Lentulus* cos. p. Chr. 60.
    - *Cn. C - Lentulus Gaetulicus* cos. p. Chr. 26.
      - *Cossus C - Lentulus Gaetulicus* (3)
      - *D. Iunius Silanus Gaetulicus*
        - *M. Iunius Silanus Lutatius Catulus* (5) † a. XX n.
      - *Cornelia Gaetulica* (4)
  - *P. C - Lentulus Scipio* (1) cos. p. Chr. 2.
    - *P. C. Lentulus Scipio* (2) cos. . . . . .
      - *P. C - Lentulus Scipio* cos. p. Chr. 56.

1. Orell. 644. Marini Arv. p. 15. Vel ad hunc vel ad filium eius nepotemve cognomines pertinere videtur titulus a Sirmondo ad portam Latinam, i. e. ad Scipionum sepulcrum descriptus, mihi vero ex schedis eius (ms. Paris. suppl. Lat. 1417 n. 1) missus ab Henzenio:

   CORNELIA
   PRIMA
   NVTRIX · SCIPIONIS

   neque enim liberae reipublicae aetatem prae se fert. Estque hic titulus documento in Scipionum sepulcrum imperatoria aetate non Lentulis Gaetulicis solis, sed Lentulis Scipionibus etiam ius fuisse.
2. Tac. ann. 3, 74. 11, 2. 4. 12, 53. Grut. 396, 5.
3. Hic liberto paterno in Scipionum sepulcro locum et titulum dedit, qui superest (Henzen n. 5140); in quo elogio pater dicitur *Cn. Lentulus Gaetulicus*, filius *Cossus Cornelius Cn. f. Lentulus Gaetulicus.*
4. *Cornelia Gaetulici f. Gaetulica* (Orell. 559), cuius ex sepulcro Scipionum titulus prodiit, male Viscontio (p. 55; cf. Marini Arv. p. 66) filia creditur consulis a. 753, cum fuerit neptis; ille enim Gaetulicus appellari ipse noluit, sed *victoriae testimonium in cognomen fili contulit* (Vell. 2, 116).
5. Orell. 560, quod elogium erudite interpretati sunt Marinius Arv. p. 86 et Borghesius *ann.* 1849 p. 55 sq.

Apparet aetate Augustea extinctis Scipionibus et nomen et sepulcrum eorum Lentulis cessisse, ut ex duobus filiis Cn. Lentuli consulis a. 736 minor Scipionis cognomen cum Lentuli sociatum hereditario iure posteris traderet. Quod iure adoptionis factum esse videtur Borghesio, ut Lentulum Scipionem consulem a. 2 ultimus Scipionum adoptarit. At Latro apud Senecam controv. p. 123 Burs., quem huius rei testem excitat, ait sic: *Fabiorum imagines Metellis patuerunt; Aemiliorum et Scipionum familias adoptio miscuit*; ita enim ibi emendandum est sublatis corruptelis cum *Fabriciorum* (pro quo olim proposui *Africanorum*) tum *Aemiliorum Copiorum familias* (ubi cogitavi aliquando de lectione *et Piorum familias* vel *cum Piorum familia*), nam obversata est omnino Latroni ex libro, quem Atticus (Nepos c. 18) rogatu Scipionis Cornelii et Fabii Maximi de Fabiis et Aemiliis composuit, L. Aemilii Paulli progenies adscita in gentes Corneliam Fabiamque, deinde per Q. Metellum Pium Scipionem in Caeciliam gentem propagata; neque sane cogitavit de Lentulo nescio quo a Scipione adoptato. Praeterea ut Lentulus Scipio cognomen ab adoptione traxerit, quomodo inde explicatur fratris eius naturalis posteros in monumento Scipionum hereditario sepeliri potuisse? — Omnino aliud subest neque id inventu difficile. Patricii Cornelii quin ab eodem gentis auctore sive iure sive sola opinione omnes orti sibi viderentur, dubitari non potest; artioris parentelae indicia cum de Rufinis Sullisque Dolabellis Cinnis Cethegis nulla suppeditent, hoc liquet quattuor stirpes vel antiquissimas Maluginensium omnium primariam, quam ducit Servius consul a. u. c. 269, Cossorum, quorum principes sunt Servius tr. mil. cos. pot. a. u. c. 320 et Aulus cos. a. u. c. 326, Scipionum, quam orditur Publius tr. mil. cos. pot. a. u. c. 359, denique Lentulorum, quorum ordinem ducit consul Lucius a. 427 (nam L. Cornelium Lentulum consulem a. 276 secundum Diodorum 11, 52 nullum fuisse constat, v. Borghes. fast. 2, 64), artiore quam reliquas vinculo inter se coniungi. Lentulos praesertim, quorum praeterea quidam propter L. Lentulum cos. a. 427 Caudinae ignominiae sive verum ultorem sive ita creditum (Liv. 9, 4. 14) Caudini cognomen adsciverunt, recte Borghesius (fast. 2, 65. 207) derivavit a Maluginensibus, quorum maxime proprium praenomen Servii apud illos quoque interdum invenitur; utriusque stirpis vero coniunctio sic fere repraesentabitur:

Ser. Cornelius Maluginensis tr. mil. cos. pot. VII 368—386.

- *Cn. Cornelius*
  - *Cn. Cornelius*
    - *Ser. Cornelius Cn. f. Cn. n. Lentulus* cos. 451.
- *L. Cornelius Lentulus* cos. 427, dict. 434.
  - *Ser. Cornelius*
    - *Ti. Cornelius*
      - *L. Cornelius Ti. f. Ser. n. Lentulus* cos. 479.
        - *L. Cornelius L. f. Ti. n. Lentulus Caudinus* cos. 517.
        - *P. Cornelius L. f. Ti. n. Lentulus Caudinus* cos. 518.

Quod sic cum Borghesio statuimus consulem a. 427 oriundum esse ab eo viro, qui ante annos sexaginta consulare imperium primum cepisset, pronepotem eius anno quinquagesimo secundo post proavum consulatum obtinuisse, tantum abest, ut difficultatem habeat, ut vel magis rem confirmet. Nam L. Lentulum consulem a. 479 natum esse c. a. 440, patrem Tiberium c. a. 415, avum Servium c. a. 390, proavum Lucium c. a. 365 itaque hunc fasces cepisse quinquaginta annis maiorem, neque praeterea offendit et optime convenit ei homini, qui patrem habuerit tempore Gallicae cladis iam senatorem et ex ore eius illius temporis memoriam acceperit (Liv. 9, 4). — Unde iam intellegetur qua ratione Maluginensium pridem extinctorum cognomen denuo redeat in Scipionum familia, cuius rei testis est M. ille, de quo diximus, Cornelius Scipio Maluginensis praetor a. 578; item quod multo magis memorabile est, cur tribus illis antiquissimis stirpibus extinctis quarta superstes Lentulorum illarum cognomina tanquam hereditate adsciverit. Neque enim in Lentulis invenitur Scipionum nomen solum, sed Maluginensium etiam in consule a. p. Chr. 10 Ser. Cornelio Lentulo Maluginense, itemque Cossorum in fratre Lentuli Scipionis eiusque posteris, quae est *Cossorum familia* Taciti (ann. 15, 22). Quod de nomine valet, recte ad reliqua gentilicia iura trahetur; in sepulcro certe id obtinuisse docent tituli ex Lentulorum stirpe in Scipionum monumento reperti.

Scipionum titulos deinceps exhibebimus coniunctos, qui quidem eorum ad liberae rei publicae aetatem ascendant, nam quamquam secundum leges huic operi dictas solummodo n. 29. 31. 32. ad partem priorem, reliqui n. 30. 33—39 ad secundam pertinent, tamen incommode sic videbantur divelli. — Ediderunt vero antea Scipionum titulos qui reperti sunt omnes Amadutius *novelle Fiorentine* 1780—1783; Io. Bapt. Visconti *antologia Romana* t. VI a. 1780 p. 385 sq., t. VII a. 1781 p. 377 sq., t. VIII a. 1782 p. 244. 249. 257, t. IX a. 1783 p. 187 sq. p. 227; Dutens *oeuvres mêlées* (Genève 1784. 8.) p. 345—348; Enn. Quir. Visconti cum tabulis a Piranesio delineatis (*monumento degli Scipioni* Rom. 1785, iterum in *opere varie* ed. Labus Mediol. 1827 vol. 1 p. 1—70, quam ed. multo facilius parabilem citavi); Lanzi *saggio di lingua Etrusca* vol. 1 (Rom. 1789) p. 150—159 cum addendis; Orelli 550—561 collatis emendationibus Henzenii vol. 3 p. 53. 54.

29 30 repertus est litteris adhuc miniatis sarcophagus longus palm. 12, altus palm. 6, largus palm. 5, ex lapide Albano, quem ita describit peritissimus Viscontius: '*Il marmo albano in cui è lavorato è del più bello e del più compatto. Di belle proporzioni, parti e modinature è formato il suo basamento, su del quale sollevasi la cassa sepolcrale con alquanta diminuzione di larghezza per ogni senso, formando nell'inalzarsi una specie di fusatura o di scarpa,* κρηπῖδα. *Circa i tre quinti dell' altezza del tronco lo circonda, anzi lo corona una fascia distinta di triglifi e metope, a guisa di un ricco fregio dorico, sulla quale poi sorge una cornice ornata di bei dentelli alquanto prolungati e che vengono rilevati su di una specie di cimasa, in vece di esserlo, come è il solito, su di un membro perpendicolare. I triglifi hanno i lor capitelli, i lor canaliculi e semicanaliculi colle sei gocce secondo i comuni esempli e precetti della greca architettura. Le gocciole però son coniche, come ne' fregi Pestani. Le metope sono insignite di belli e variati rosoni, e sono giusta le migliori regole perfettamente quadrate. Il coperchio, del quale si è conservata soltanto la sinistra metà, non manca di un conveniente ornamento. L' orlo anteriore è fregiato nel basso di una specie di toro o bastone che poi nelle estremità si termina in un anello dal quale spandonsi due ben intesi fogliami, e nel mezzo di essi nasce una specie di voluta simile di molto alla jonica, dalla quale si parte lo stelo d' un fiore che pende in giù e finisce d' arricchire quel vano che resta fra la voluta stessa e 'l bastone. La superiore superficie del coperchio si sollera analogamente ne' due lati, e forma un rivolto abbellito di foglie disposte a squame. — — Non può negarsi che il vedere sull' orlo di una cassa l' ornato degli ordini, e que' membri ch' esprimono le travi e 'l tetto de' grandi edifizj, non offenda alquanto l' occhio di quelle persone il cui sguardo non si lascia sorprendere in contraddizione col giudizio.* De latere idem p. 33: *Bello è l' ornato del rivolto ch' è sopra al coperchio della gran cassa: è lavorato come un tessuto di frondi a guisa di stuora, e come sono talora ne' lati quegli ornamenti del capitello jonico, dagli antichi detti pulvina, le riprese de' quali formano le volute.* Item paullo ante de eodem latere: *Il lavoro dell' orlo resta interrotto circa alla metà del fianco; non essendovi rilevati nè i triglifi, nè le metope, nè i dentelli: segno evidente che il sarcofago era inserito fino a mezzo nella sua nicchia, donde fu tratto per situarvi dietro il monumento d'Aula Cornelia.*' Cf. Fea ad Winckelmannum *stor.* 3, 46 not B.

29 in sarcophagi margine superiore litteris rubro colore pictis non incisis

*l. corneli*O · CN · F · SCIPIO

30 in sarcophagi antica litteris incisis

/ /
/ / / / / / / / / / / / / / CORNELIVS · LVCIVS · SCIPIO · BARBATVS · GNAIVOD · PATRE
PROGNATVS · FORTIS . VIR · SAPIENSQVE—QVOIVS · FORMA · VIRTVTEI · PARISVMA
FVIT—CONSOL · CENSOR · AIDILIS · QVEI · FVIT · APVD . VOS—TAVRASIA · CISAVNA cos. 456. cens. 464.
SAMNIO · CEPIT—SVBIGIT · OMNE . LOVCANAM · OPSIDESQVE · ABDOVCIT

Ritschl tab. XXXVII A. B ad lapidem. Ed. I. B. Visconti *Antol. Rom.* 1782 p. 250 sq.; Amaduzzi *nov. Fior.* 1782, 167; Fea ad Winckelmannum *stor. delle arti* (1784) 3, 489 sq. tab. XIV. XV; G. A. Antolini *il tempio d'Ercole in Cori* (Rom. 1785 fol.) tab. IV cf. p. VII aere expressit; Dutens p. 345; E. Q. Visconti III A p. 19 sq. (inde Ritschl. l. c. *a b*); Lanzi *saggio* 1, 150; Orell. 550.

Titulum pictum ita ut supra dedi exhibent I. B. Viscontius l. c. p. 261, addens: '*pare che fosse scritto* CORNELIOS *all' antica, benchè la lapida incisa 'non abbia queste terminazioni*,' et Amadutius, nisi quod hic dat . . . O..CN·F. Hodie in lapide ex antiqua scriptura non remanet nisi CN · F · SCIPIO; additum est manu recenti CORNELIO, quod idem legitur in tabula Piranesiana. Fea totam hanc inscriptionem omisit silentque item de ea Dutens et E. Q. Visconti. — In altero titulo versus primus et secundi litterae fere duodecim erasae sunt.

Numeros, quos Saturnios esse iam Viscontius p. 25 intellexit, sic constituit Ritschelius:

Cornéliús Lucíus — Scípió Barbátus
Gnaivód patré prognátus — fórtis vír sapiénsque,
Quoiús fórma vírtu — teí parisuma fúit,
Consól censór aidílis — queí fuit apúd vos,
Taurásiá Cisaúna — Sámnió cépit
Subigit omné Loucánam — ópsidésque abdóucit.

Plura de hoc titulo observanda sunt primumque videamus, qui factum sit ut titulus re primarius et ordine prior rubro tantum colore pingeretur, contra versus subscripti et inciderentur et pingerentur; quod ne casu accidisse putemus, vetat titulus filii eadem plane ratione perscriptus. More autem Romano cum in sepulcris atramento miniove (cf. praeter titulos Furiorum et ad S. Caesarium repertos Plin. h. n. 33, 7, 122: *minium clariores litteras vel in auro — malim muro — vel in marmore, etiam in sepulcris facit)* defuncti nomen primo casu scriberetur neque plerumque quidquam praeterea adderetur, contra carmina saxis incisa Graecam consuetudinem referre viderentur, Scipiones, qui inter primos Romae appetiverunt Graecam elegantiam, in epitaphiis ita rem temperarunt, ut in ipso elogio patrium usum sequerentur, carmen tamen ad exemplum Graecorum incidendum curarent. — Titulum hunc et forma litterarum et verborum usu et declinatione multo minus rudem cuicumque esse quam filii dudum adnotaverunt viri docti Fea (ad Winckelmannum *stor. delle arti* 2, 309), Viscontius (p. 20. 43) Lanziusque (*sagg.* 1,152) nuperque adeo Ritschelius (mus. Rhen. nov. 9, 9 sq.) hunc illo recentiorem pronuntiare non dubitavit. Cui quamquam tum ita oblocutus sum (mus. Rhen. 9, 461 sq.), ut quod factum esse posset, nimia fiducia pro certo virum doctum posuisse arguerem, iam omni apice denuo examinato de summa re magis concesserim. Nam quod tum me maxime movit, *Samnio* vocabulum fuit, quod pro quarto casu ut acciperem Ritschelius mihi persuaserat; quam ob rem cum utriusque aetatis propria in elogio coniuncta viderem, hoc minime sufficere ad titulum suo loco movendum non sine causa, opinor, iudicabam. Quid quod ratio suadet a Latinis initio *u* et *o* promiscue positas esse, deinde ita iubentibus Graecorum grammaticis *u* evanuisse solamque *o* in eiusmodo terminationibus per aliquod tempus admissam esse, denique litteris Latinis laetius efflorescentibus hunc quem nunc sequimur usum ad pronuntiationis leges accommodatum revaluisse. Sed postquam *Samnio* illud, in quo haeseram, ad sextum potius casum referendum esse perspexi, cum iam nihil sit in titulo inciso, quod aetate senatus consulti de Bacchanalibus scriptum esse nequeat, complura autem (v. Ritschelius l. c. p. 10), maxime *u* in declinatione secunda perpetuo adhibita, quinto saeculo non satis conveniant, accedat praeterea erasio versus primi et dimidii fere secundi, ubi olim fuit antiquius elogium et quidem incisum et ipsum neque solummodo pictum, denique pictus titulus in vocabulo *corneli*O (cuius de littera extrema iam videtur dubitari non posse) discedat ab orthographia tituli incisi redeatque ad eam, quae quinto saeculo obtinuit, hoc statuo pictum titulum saeculo quinto exeunte statimque post mortem una cum titulo exciso appositum esse, titulum incisum autem quem nunc tenemus, postea adscriptum saeculo sexto. Mirum quidem est et ni fallor sine exemplo sepulcro manente titulum sublatum esse et multos post annos carmen aliud pro alio substitutum; sed in huiusmodi rebus quid iure sacro licuerit, ita nescimus, ut magna cautione opus sit ei, qui tale quid fieri potuisse neget.

Ad argumentum tituli quod attinet, *L. Cornelius* hic *Cn. f. Scipio Barbatus*, ut dicitur in elogio suo, vel *L. Barbatus*, ut est in elogio filii, apud scriptores est *L. Cornelius Scipio* simpliciter. — De aedilitate ex hoc elogio solo constat. — Consul fuit a. u. 456 cum Cn. Fulvio Maximo Centumalo. Liviani annales, qui res hoc anno gestas soli tradunt, ita fere narrant post finitum a. u. 450 bellum Samniticum primum Samnites a. 455 post foedus factum inter Romanos et Picentes ad rebellionem spectasse, rebellasse demum a. 456 post foedus ictum inter Romanos et Lucanos. Quo anno cum et Etrusci in armis essent et in Samnites exercitus esset mittendus, alteri consuli Scipioni Etruriam obvenisse eumque ad Volaterras dubiam victoriam reportasse exercitumque inde reduxisse Falerios; collegam Cn. Fulvium in Samnium profectum ad Bovianum haud ambigue vicisse Aufiduamque oppidum cepisse et de Samnitibus triumphasse (10, 11. 12). At haud paullo diversum rerum ordinem indicant horum annorum tabulae triumphales, quae M. Fulvium consulem a. 455 non de Nequinatibus solum triumphasse scribunt, sed de Samnitibus etiam, item Cn. Fulvium Scipionis collegam in magistratu idibus Novembribus triumphasse de Samnitibus Etruscisque, ut prius illos, deinde hos vicerit necesse sit. Praeterea Frontino (strat. 1, 6, 1. 11, 2) teste Fulvius Nobilior, qui videtur esse M. consul a. 455 (Pighii annales 1, 386), ex Samnio in Lucanos exercitum duxit et de Samnitium numeroso exercitu successibusque tumido praeclaram victoriam paravit. Extiterunt itaque aetate Augustea narrationes duae diversae, quarum altera Liviana elogio longe antiquissimo testi plane contraria est, alterius quae supersunt sparsae laciniae cum elogio facile concilian-

tur. Rerum verus ordo, quatenus perspici potest, hic fere videtur fuisse. Lucani cum semper divisi essent parsque Samnitibus dedita cum Romanorum amicis nunquam desineret conflictari, foedus inter Romanos Lucanosque ictum et Samnites impulit ut ad arma redirent et in ipsa Lucania bellum excitavit; quod factum esse anno iam 455 tabulae triumphales Frontinusque ostendunt. Anno sequente u. c. 456 cum utrique consuli Samnium provincia decreta esset, Cn. Fulvius Samnites ad Bovianum vicit Aufidenamque cepit, item L. Scipio Taurasiam et Cisaunam oppida in Samnio expugnavit. Quibus rebus Samnitibus fractis Fulvius in Etruscos profectus eos perculit, Scipio exercitum duxit in Lucanos omnemque Lucaniam subegit obsidibusque acceptis Romam reversus est. Triumphavit Fulvius solus, fortasse quoniam de Lucanis nomine amicis etsi re hostibus patres triumphari noluerunt, in Samnio autem magis bene pugnatum esse quam debellatum, Etruria sola tota pacata visa est. — In singulis locis explicandis primum de verbis *Taurasia Cisauna Samnio cepit* videndum est, num *Samnio* cum Viscontio p. 28 et Friderico Lachmanno (de font. Liv. 1, 73) pro sexto casu habendum sit omissa praepositione *in*, an cum Ritschelio (l. c. p. 11) pro quarto; et hanc quidem opinionem quamquam olim secutus sum, tamen re denuo perpensa illam unice veram mihi videri supra iam significavi. Quamquam fatendum est difficultate plane carere neutram; nam cui *Samnio* accusativus creditur, excusanda ei est vocalis *o* ex usu antiquiore in hoc solo vocabulo retenta; contra qui ablativum ibi deprehendit, ab eo quaeretur, cur cum *Gnaivod* in lapide scriptum sit, diversa ratione quadratarius hic dederit *Samnio*. At me quidem iudice hoc multo facilius feretur quam illud; nam et in hoc ipso lapide *patre* legitur sine *d* et in senatus consulto de Bacchanalibus cum ipsum constanter *d* retineat, in fine legitur ab alia manu adiectum: *in agro Teurano*. Simplicis autem ablativi usum olim latius patuisse et in universum analogia suadet et locutiones ostendunt, quas usus inde retinuit, *terra marique, libro primo, hoc loco, parentis loco*, similia. Quod vero maxime movit me ut hanc interpretationem amplecterer, sententia fuit, quae subabsurda fit, si quidem iuxta Taurasiam et Cisaunam collocatur Samnium. Nam ut caput regionis recte sociatur cum regione ipsa scribiturque recte sic in filii epitaphio *Corsica Aleriaque*, ita inepte cum parvis et fere ignotis oppidis eodem ordine provincia universa componitur; contra optime sibi opponuntur *Taurasia* et *Cisauna* oppida duo in *Samnio omnisque Lucania*. Denique Tusculana inscriptio a. 565: *M. Fulvius M. f. Ser. n. cos. Aetolia cepit*, praesertim collata altera Romana a. 543: *M. Claudius M. f. consul Hinnad cepit*, quae utraque infra suo loco referetur, omnino confirmat huius elogii supparis fere aetatis interpretationem a nobis praelatam. Erunt fortasse, qui neutra sententia probata *Samnio* pro tertio casu habeant et capiendi vocabulo vim tribuant adimendi sive eripiendi; quod tamen nequaquam videtur admitti posse. — *Taurasia* oppidum memoratur a Livio 40, 38, ubi ad a. 574 narrat proconsules Cornelium Baebiumque Ligures Apuanos deduxisse in agrum publicum populi Romani in Samnitibus, *qui Taurasinorum [fuerat]*. Quae teste Plinio (h. n. 3, 5, 70) in Campania intercidit *Taurania* quaeque commemoratur a Stephano Byzantio p. 607 Mein. ita: Ταυρανία (—σία cod. Rehd. m. 2) πόλις Ἰταλίας· τὸ ἐθνικὸν Ταυραῖνος (—σῖνος cod. Rehd. m. 2) ὡς Πλακεντῖνος, καὶ Ταυρανιανός —, non sine veri specie ea ipsa quae in Samnio interciderit credetur Taurasia, cum Samnii regio ea in qua Ligures fuerunt postea cum Campania contributa sit (v. *Bullett.* 1847 p. 172); videturque ex hac ipsa causa Meinekius in Stephano reposuisse Ταυρασία, — σῖνος, — σιανός. Ligurum oppidum cum fuerit Macchiae prope Circellum inter Saepinum et Beneventum, eo ipso loco Taurasiam quoque antiquiorem stetisse sequitur; nam quod olim Taurasiam Liguresque collocaverunt in vico Aeclanum prope qui nunc est *Taurasi* propter nominis similitudinem, redarguerunt Ligurum tituli postea reperti, itidemque dudum explosus est error Cluverii (Ital. p. 1200), qui cum Taurasinis campis confudit Arusinos Benevento proximos. — *Cisauna* plane ignota est neque quicquam de ea praeter leves hariolationes viri docti protulerunt, quae non tam refellendae sunt, quam silentio oblitterandae. — Post consulatum quae gessit Scipio et in Samnio anno sequente (457) legatus Q. Fabii Maximi (Liv. 10, 14) et a. 459 in Etruria apud Sentinum legatus eiusdem (Liv. 10, 25. 26) et a. 461 legatus L. Papirii Cursoris apud Aquiloniam (Liv. 10, 40), in elogio praeterita sunt utpote gesta auspiciis alienis; quamquam legationes hae clarius indicant quam ipsi magistratus fortitudinem viri prudentiamque rei militaris non sine causa in elogio celebrari. — Censor denique fuit a. 464, cuius magistratus alterum indicium nuperrime ex frustulo fastorum Capitolinorum eruit Borghesius (Bullett. 1857 p. 81).

31 reperta 1781 in sarcophago ex lapide Albano fracto (*sui frammenti della cassa* Viscontius; *ad indicare le ossa del defunto nella parte interna [?] del sepolcro* Amad.) litteris non incisis, sed rubro colore pictis.

L · CORNELIO · L · F · SCIPIO
AIDILES · COSOL · CESOR   cos. 495. cens. 496.

Ritschl. tab. XXXVIII D ad lapidem, cuius tamen fides exigua est utpote restituti: *ne' transporti*, Viscontius ait, *la prima lettera con parte del sasso è perita, le altre ravvivate da moderno albario ritengono l' enunciazione, ma non più l' autenticità dell' epitaffio.* Ed. I. B. Visconti *Antol. Rom.* 1781 p. 378; Amaduzzi *nov. Fior.* 1781 p. 371: Dutens p. 345; E. Q. Visconti tab. V B p. 42. (inde Ritschl l. c. *d*); Lanzi *sagg.* 1, 153; Orell. 553.

1 L servaverunt I. B. Viscontius et Amad. et Dut. et in textu E. Q. Viscontius et Lanzius; hodie deest. — 2 AIMILES Visc. uterque, Amad., Dut., Lanzius; A hodie deest. — CENSOR Amad.

32 tabula ex lapide Albano *(peperino del monto Albano)*. Reperta est a. 1614 in sepulcro Scipionum (v. supra p. 11); quo loco olim ibi fuerit quamquam non traditur, tamen recte omnino relata est ad titulum miniatum qui praecedit. Contra non probo quod statuit Viscontius p. 42 inscriptionem pictam sub incisa olim absconditam esse *(sembra che la lapida Barberina appartenesse ad una esterior fodera composta di lastre di marmo albano riportate sul dinanzi della cassa)*; obstat et similis sarcophagus patris et ipsum argumentum, nam praeter epigramma nomen requirit Romana consuetudo. Quam ob rem sub picto nomine incisum elogium esse existimo.

HONC OINO · PLOIRVME · COSENTIONT R*omane*
DVONORO · OPTVMO · FVISE · VIRO
LVCIOM · SCIPIONE · FILIOS · BARBATI
CONSOL · CENSOR · AIDILIS · HIC · FVET · A*pud vos* — cos. 495. cens. 496.
HEC · CEPIT · CORSICA · ALERIAQVE · VRBE
DEDET · TEMPESTATEBVS · AIDE · MERETO*d*

Ritschl tab. XXXVIII E ad lapidem. Ed. (Iac. Sirmondus) antiquae inscriptionis, qua L. Scipionis Barbati f. expressum est elogium, explanatio cum additamento Hier. Aleandri. Romae 1617 (ed. princ. non vidi; repetita est in Graevii thes. 4, 1832—1840). Eundem libellum ms. accepit per Peirescum et Cottonum Seldenus indeque titulum edidit de dis Syris (Londini 1617) p. LVI. Gualtherus tab. Sic. (Messan. 1624) p. 152 ex Sirmondo. Gauges de' Gozze *iscrittione della col. rostr.* (1635) p. 11 ex Sirmondo et Aleandro. Reines. 6, 34 ex Sirmondo et Seldeno. Spon. p. 130 ex Sirmondo, citans praeterea Batelerii ad Peirescium epistolam. Fabrett. 461, 90 ex Aleandro et Sirmondo. Maffei ars crit. lap. p. 449, citans praeter laudatos Castellinium. Dutens p. 346. Visconti tab. V A p. 35 (inde Ritschl l. c. *e*). Lanzi *sagg.* 1, 152. Orell. 552. — Temere spuriam iudicarunt Batelerius Maffeiusque.

HEC in lapide clare apparere scripsit mihi Henzenus; HIC tabula.

Numeros sic constituit Ritschelius:

Honc oino ploirumé co — séntiónt *Római*
Duonóro óptumó fu — íse viró *viroro*
Lucíom Scipióne — filiós Barbáti
Consól censór aidílis hic fuét *apúd vos*
Hec cépit Córsica Aleri — áque urbé *pugnándod*
Dedét Témpestáte — bús aíde méretod *vótam*

De magistratibus rebusque gestis huius Scipionis haec adnotanda sunt. *L. Cornelius L. Barbati f. Scipio* dicitur in elogio, *L. Cornelius L. f. Cn. n. Scipio* in fastis consularibus tabulisque triumphorum. — De aedilitate non constat nisi ex elogio. — Consul fuit a. u. c. 495 cum C. Aquillio Floro; de quo magistratu haec ex annalibus ad nos pervenerunt. Liv ep. 17: *L. Cornelius consul in Sardinia et Corsica contra Sardos et Corsos et Hannonem Poenorum ducem feliciter pugnavit.* Zonar. 8, 11: Λεύκιος δὲ Σκιπίων ἐπὶ Σαρδὼ καὶ ἐπὶ Κύρνον ἐστράτευσε καὶ προτέρᾳ τῇ Κύρνῳ προσβαλὼν τὴν μὲν Οὐαλλερίαν τὴν κρατίστην αὐτῆς πόλιν βίᾳ εἷλεν, ἀπόνως δὲ τὰ λοιπὰ ἐχειρώσατο. ἐς δὲ τὴν Σαρδὼ πλέων κατεῖδέ τι ναυτικὸν Καρχηδονίων καὶ ἐπ' αὐτὸ ἐτράπετο. καὶ οἱ μὲν ἔφυγον πρὶν συμμῖξαι, αὐτὸς δ' ἐπὶ πόλιν Ὀλβίαν ἦλθεν ἔνθα τῶν Καρχηδονίων μετὰ τῶν νεῶν (νησιωτῶν Niebuhrius) ἐπιφανέντων φοβηθεὶς (οὐδὲ γὰρ εἶχε τὸ πεζὸν ἀξιόμαχον) ἐπ' οἴκου ἀπῆρεν. Flor. 1, 18 Iahn.: *L. Cornelio Scipione cos.* (populus Romanus) *Sardiniam adnexamque Corsicam transiit, Olbiae hic, ibi Aleriae urbis excidio incolas terruit.* Oros. 4, 7: *Carthaginienses Annonem in locum Annibalis subrogatum pro Sardis et Corsis defensandis navali proelio praefecerunt, qui a Scipione consule victus amisso exercitu confertissimis hostibus se immiscuit ibique interfectus est.* Valer. Max. 5, 1, 2: *L. Cornelius consul primo Punico bello cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime dimicans Hanno dux Karthaginiensium occiderat, corpus eius e tabernaculo suo amplo funere extulit.* Sil. Ital. 6, 671: *Scipio ductoris celebrabat funera Poeni Sardoa victor terra.* Frontin. strat. 3, 10, 2 (cf. 3, 9, 4): *L. Scipio in Sardinia cuiusdam civitatis per tumultum relicta oppugnatione quam instruxerat, speciem fugientis praestitit insecutisque temere oppidanis per eos quos in proximo occultaverat oppidum invasit.* Eutrop. 2, 20: *Scipio Corsicam et Sardiniam vastavit, multa milia inde captivorum abduxit, triumphum egit.* Tabulae triumphales: *L. Cornelius L. f. Cn. n. Scipio cos. de Poenis et Sardin[ia] Corsica an. CDXCIV V id. Mart.* Unde apparet L. Scipionem cum classe appulisse ad Corsicam, oppidum Aleriam vi cepisse, totam insulam subegisse, deinde in Sardiniam cursum direxisse, incidisse in classem Carthaginensium eaque cum fugisset antequam pugnam committeret, Olbiam eum obsedisse, caesum in pugna ante moenia Hannonem honeste sepelivisse, denique Poenorum adventante exercitu re infecta domum abiisse (nam quod referunt Valerius Florusque Olbiam captam esse diserte Zonaras redarguit, tacite elogium), ibi triumphasse. Quam narrationem elogium confirmat verbis: *hec cepit Corsica Aleriaque urbe*, item, ut diximus, silentio de Sardinia Olbiaque, quas consul temptavit magis quam pervicit. Novum inde accedit Scipionem, ex manubiis scilicet, aedem dedicasse Tempestatibus; quo dudum vidit Sirmondus alludere Ovidium (fast. 6, 193) ad k. Iunias: *Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur, Cum paene est Corsis obruta classis aquis.* Aedes haec, si fides est Notitiae urbis, quae in regione prima ad *aedem Martis* Curiosi adiungit *et Minervae et Tempestatis*, fuit in regione portae Capenae non longe ab ipso hoc Scipionum monumento, item prope aedem Martis, ut Ovidius fortasse non tam propter diem dedicationis communem quam propter vicinitatem Tempestatem Marti subiunxerit. — De censura Scipionis huius praeterea non superest nisi exiguum et diu neglectum indicium in fastis a. 496: *Cens. C. Duilius M. f. . . . . n. Sci . . . . . .*, ita enim legi in lapide quaerenti mihi confirmavit Henzen. — Denique quamquam vulgo notum tamen hoc loco non omittendum est in sepulcro A. Atilii Calatini, qui anno post Scipionem u. c. 496 iterumque a. 500 fasces gessit et item ad portam Capenam iuxta Scipionem sepultus est (Cic. Tusc. 1, 7, 13), simile elogium olim lectum esse, unde supersunt haec (Cic. Cato mai. 17, 61; de fin. 2, 35, 116): *unum hunc (uno cum* codd. illo loco, *unicum* codd. loco altero) *plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse virum* (cf. Ritschelius mus. Rhen. novo 9, 7). — Orthographia huius tituli proprium habet *m* finalem post brevem vocalem excepto unico *Luciom* vocabulo peraeque omitti, quod redit in Pisaurensibus aliisque, contra est in nummis et poculis.

33 litteris incisis profundius a sinistra, minus alte a dextra; lineae adhuc apparent inter quas litterae olim insertae sunt, item minii vestigia post effossionem agnita sunt. Tabulae sunt duae Albani lapidis, quae effecerunt olim anticam sarcophagi in pila dextra extrinsecus collocati.

QVEI · APICE INSIGNE · DIAL*is* *fl*AMINIS · GESISTEI
MORS · PERFE*cit* TVA · VT · ESSENT · OMNIA
BREVIA · HONOS · FAMA · VIRTVSQVE
GLORIA · ATQVE · INGENIVM · QVIBVS SEI
IN · LONGA · LICV*i*SET · TIBE VTIER · VITA
FACILE · FACTEIS SVPERASES · GLORIAM
MAIORVM QVA · RE · LVBENS · TE · IN GREMIV
SCIPIO RECIP*i*T · TERRA · PVBLI
PROGNATVM · PVBLIO · CORNELI

Ritschl tab. XXXIX *r* ad lapidem. Ed. I. B. Visconti *antol. Rom.* 1780 p. 387; Amadutius *nov. Fior.* 1780, p. 466; Dutens p. 348; E. Q. Visconti tab. V *o* p. 52 sq. (inde Ritschl l. c. *f*); Lanzi *saggio* 1, 155 (cf. add.); Orell. 558.

Versus exiguis iuterstitiis in ipso lapide separantur. — 1. 2 cum I. B. Viscontius et Dutens exhibeant lacunas fere ut nunc comparatae sunt, nempe DIAL*is* *fl*AMINIS uterque, PERFEC*it* *t*VA Visc., PERFE*cit* *t*VA Dutens, noli fidem habere E. Q. Viscontio, qui eadem edidit lacunis celatis.

Numeros sic constituit Ritschelius:

Quei ápice insígne diális — fláminis gesístei,
Mors pérfécit túa ut — éssent ómnia brévia:
Honós famá uirtúsque — glória átque ingénium,
Quibús sei in lónga licui — sét tibe útier víta,
Facilé facteis superáses — glóriám maiórum
Quaré lubéns te in grémiu — Scípió récipit
Terrá Publi prognátum — Públió Cornéli

monens praeterea v. 2 poetam scripsisse videri *tua uti*.

De Africani maioris filio, minoris patre adoptivo, ad quem Enn. Quir. Viscontius elogium retulit, haec accepimus. Cic. Cat. mai. 11, 35: *Quam fuit imbecillus P. Africani filius is qui te* (Aemilianum) *adoptavit? quam tenui aut nulla potius valetudine! qui ni ita fuisset, alterum ille extitisset lumen civitatis; ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat.* Idem de off. 1, 33, 121: *dictum est imitandos esse maiores . . . . . si natura non feret, ut quaedam imitari possit — ut superioris filius Africani, qui hunc Paullo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui — si igitur non poterit sive causas defensitare sive populum contionibus tenere sive bella gerere, illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam fidem liberalitatem modestiam temperantiam.* Brut. 19, 77: *Filius eius* (Africani) *is qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuisset in primis habitus esset disertus; indicant cum oratiunculae tum historia quaedam Graeca scripta dulcissime.* Vell. 1, 10: *P. Scipioni P. Africani filio nihil ex paterna maiestate praeter speciem nominis vigoremque eloquentiae retinenti.* In locum Sp. Postumii Albini a. u. 574 *P. Scipionem filium Africani augures cooptarunt* (Liv. 40, 42). — Flaminem dialem eundem fuisse nemo tradidit, videndumque ne fuerit unquam, quae sententia est Ambroschii (quaest. pontific. c. 3 p. 5 n. 23). Sane quod veri simile esse hic negat diales stante re publica auguratu fungi potuisse, posuit magis quam probavit; nam ut demus illius sacerdotii peculiari religione quominus omnibus auguris officiis fungeretur eum impeditum esse, tamen propterea ab ipso sacerdotio capessendo non magis arcebatur quam simili ex causa a magistratu capiendo. Item quod de auguratu lapis tacet, cum flaminatum praedicet, minime probat P. Scipionem augurem non fuisse; nam titulo amisso tenemus carmen solum, quod qui fecit, recte non commemoravit nisi sacerdotium summum. At magis ad rem facit, quod flamines diales Livius recenset C. Claudium, qui a. 543 flaminio abire coactus est (Liv. 26, 23; Val. Max. 1, 1, 4); C. Valerium Flaccum, qui a. 545 inauguratus est (Liv. 27, 8) et ad a. certe 571 superfuit, quo praeturam obtinuit (Liv. 31, 50. 32, 7. 39, 39. 45. 54); Cn. Cornelium, qui inauguratus est a. 580 (Liv. 41, 28). Iam P. Scipio, Africani c. a. 520 nati filius et quidem propter praenomen natu maximus, cum augur factus sit a. u. c. 574, filium natum a. 570 ante a. 586 adoptarit (Liv. 44, 44), denique elogio, si quidem eius est, teste immatura aetate diem obierit, vitam eius inter a. fere 550 et 590 concludamus necesse est. Potest igitur fieri, ut Cn. Cornelius per breve tempus flaminatum retinuerit, Scipio autem paulo ante mortem ad idem sacerdotium pervenerit; neque tamen talis coniectura commendatur commoda probabilitate. Item quod non nemo huc traxit flaminatu diali qui fungantur quamquam ad honores accedere non vetentur, tamen magnopere impediri (cf. Pictor apud Gell. 10, 15: *equo dialem flaminem vehi religio est et classem procinctam extra pomerium — videre; idcirco rarenter flamen dialis creatus consul est;* Plut. q. R. 113; Liv. 27, 8; al.) itaque hominem nobilem necessitate cogente inertem, qualis fuit P. Scipio, ad id aptissimum videri esse, speciosum magis est quam verum; nam flaminis officia et continua et valde molesta valetudinario homini vix conveniunt. Denique sermonis indoles litterarumque eae sunt, quae recte tribuantur saeculo sexto extremo. Summa res eo redit, ut nihil fere in lapide insit, quod Africani filio recte tribui non possit neque tamen quicquam certa ratione ad ipsum illum P. Scipionem ducat praeter nomen. — Non omittendum videtur quod ex L. Sullae rerum gestarum libro secundo rettulit Gellius (1, 12): *P. Cornelius, cui primum cognomen Sullae impositum est, flamen dialis est captus.* Inter eos quos novimus Sullas antiquissimus est praetor a. 542, quem praeterea hoc cognomine primum usum esse Macrobius (sat. 1, 17, 27) affirmat; at hunc excludit flaminum series apud Livium relata, nisi forte mature sacerdotium deposuit. Videtur igitur dictator aliam de sui cognominis origine fabulam secutus esse estque P. Cornelius Sulla ille flamen dialis aetatis plane incertae, ab hoc vero P. Scipione item flamine diali omnino diversus.

34 in tabula sarcophago apta ex lapide Albano.

L · CORNELIVS · CN · F · CN · N · SCIPIO · MAGNA · SAPIENTIA
MVLTASQVE · VIRTVTES · AETATE · QVOM · PARVA
POSIDET · HOC · SAXSVM · QVOIEI · VITA · DEFECIT · NON
HONOS · HONORE · IS · HIC · SITVS · QVEI · NVNQVAM
VICTVS · EST · VIRTVTEI · ANNOS · GNATVS · XX · IS
LocEIS · MANDATVS · NE · QVAIRATIS · HONORE
QVEI MINVS · SIT MANDATVS

Ritschl tab. XLI K *a* ad lapidem, K *b* ad exemplum recens in sepulcro restitutum. Ed. I. B. Visconti *antol. Rom.* 1781 p. 380; Amaduzzi *nov. Fior.* p. 1781, 371; Dutens p. 347; E. Q. Visconti tab. V D p. 48 (inde Ritschl l. c. *k*); Lanzi *sagg.* 1, 154; Orell. 555.

Numeros sic constituit Ritschelius:

Magná sapiéntiá mul — tásque virtútes
Aetáte quóm párva — pósidét hoc sáxsum.
Quoiei vitá deféclt, — nón honós, honóre,
Is hic sitús, queí núnquam — victus ést virtútei.
Annós gnatús vigínti — is Diteíst mandátus:
Ne quaíratis honóre — queí minus sít mandátus.

Rettulit titulum hunc Viscontius ad nepotem Calvi consulis 532, filium Hispalli mortui in ipso consulatu a 578, fratrem minorem Hispani praetura gesta c. a. 615 defuncti; quod probabiliter quidem posuit, sed nequaquam certa ratione, nam potest etiam cogitari de pronepote Calvi aliquo Hispani filio. Omnino neque de persona neque de aetate accurate constat; nota *annos* cum *n* gemina et *sit* pro *siet.* — 4 HONORE · IS, non HONOREIS in tabula esse auctor est Brunnius itaque est in tabula. *Honore* pro quarto casu accepit Lachmannus ad Lucret. 4, 602, recte puto. In honoris vocabuli ambigua significatione poeta lusit, nam hoc voluit ad honorem capessendum honestam indolem defuncti suffecisse, defecisse vitam. — 6 Brunnius cum Henzenio ex lapide enotavit primam litteram L videri, certe non esse E, deinde non plus duas deesse, sequi EIS inferne fractas et M dinidiatam, deinde post duarum litterarum capacem lacunam DATVS. Consentit tabula, nisi quod ibi M dimidiatam satis distinctam sequuntur incerta litterarum AN vestigia. Plus vidisse post L antiquos non crediderim; nam qui primus edidit I. B. Viscontius legit L ... IS · MANDATVS, idemque habet Dutens. Quod in exemplo recenti est LA EIS MANDATVS certa auctoritate destituitur. Temptaverunt alii alia, LAVREIS Amadutius et Marinius, LAVSEIS Viscontius uterque, TERREIS Lanzius, LAVDI · EST Orellius, LETO · EST Lachmannus l. c., DITEIST Ritschelius tit. Mumm. p. 13 vel DEITIST idem in indice schol. Bonn. aest. a. 1860, quae omnia lapidis vestigiis contraria sunt; item spatium excedit de quo aliquando cogitavi vocabulum LARVEIS. Quod iam scripsi LOCEIS videtur ferri posse, cum locare sub terra, locus, loculus in sepulcralibus sollemnia sint. — 7 extr. MANDATVS I. B. Viscontius et exemplum recens; MAND ... E. Q. Viscontius et Brunnius; MAND / / V / tabula; MANDA / / / Lanzius. Viscontiana explicatio et simplicissima est et omnino vera: *ne quairatis honore(m), quei minus sit mandatus*, id est quem non acceperit.

35 in tabula sarcophago apta ex topho in vestibulo ad ingressum clausum. — Romae apud Salviatos *Don.*

L · CORNELI L · F P N
SCIPIO · QVAIST — quaestor u. c. 587, † c. a. 593.
TR · MIL · ANNOS
GNATVS XXXIII
MORTVOS · PATER
REGEM ANTIOCO
SVBEGIT

Ritschl tab. XL G ad lapidem. Descripta est iam saec. XVII editaque inde apud Donium 5, 21 cui dedit Menetreius (inde inter falsas Mur. 1802, 4; Donat. 283, 2). Denuo repertum ed. I. B. Viscontius *ant. Rom.* 1780 p. 387; Amadutius *nov. Fior.* 1780, 466. 1781, 372; Dutens p. 347; E. Q. Viscontius tab. V E p. 51 (inde Ritschl l. c. *g*); Lanzi *saggio* 1, 153; Orell. 556.

1 P N I. B. Visc., Lanzi, Brunn, tabula; P · N Dut.; P N E. Q. Visconti; om. Donius.

De hoc Livius (45, 44) ad a. 587 sic: *Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. — — Biduum petiit, quo templa deum urbemque et hospites amicosque viseret. Datus qui circumduceret eum L. Cornelius Scipio quaestor, qui et Capuam ei obvius missus fuerat.* Deinde cum abiturus esset rex, placuit, *L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet sumptumque ipsi et comitibus praeberet, donec navem conscendisset.* Ex his sua excerpsit Val. Max. 5, 1, 1, qui cum in aliis erravit tum ex Lucio fecit Publium. Apparet selectum esse ad hoc officium Scipionem ut Graece eruditum et hospitem paternum regum Bithynorum. Quod si Scipio secundum consuetudinem Romanam annos circa XXVII natus quaesturam gessit, mortuus est c. a. 593.

36 sarcophagus ex topho in extremo monumento collocatus.

RNELIVS · L · F · L · N — c. a. 600?
PIO ASIAGENVS
COMATVS ANNORV
GNATVS · XVI

Ritschl tab. XL H*a* ad lapidem hodie minus integrum quam cum primum repertus est; H*b* ad exemplum recens in sepulcro restitutum. Paullo pleniorem ediderunt I. B. Viscontius *Antol. Rom.* 1782 p. 244, Amaduzzi *Nov. Fior.* 1782 p. 136; Dutens p. 348; E. Q. Viscontius tab. V F p. 52 (inde Ritschl l. c. *h*); Lanzi *saggio* 1, 157 pessime; Orell. 557.

1 ʀNELIVS hodie superest; RNELIVS Amad. Visc. uterque; CORNELIVS Lanzi; L · CORNELIVS Dut.; C · CORNELIVS exemplum recens, lectione hoc quoque nomine reicienda, quod a Gaio praenomine Scipiones abstinuerunt omnes. — 2. O hodie superest; PIO Amad. Visc. uterque Dut., SCIPIO Lanzi et exempl. rec. — 3 OMATVS hodie legitur; COMATVS auctores antiqui omnes. — ANNORVM Lanzi. — NATVS hodie legitur; GNATVS antiqui, nisi quod CNATVS exemplum recens. — XX Lanzi.

Titulus propter avi praenomen non ad filium Asiageni eius, qui Antiochum vicit, sed aut ad nepotem aut ad aliquem ex posteris gradus inferioris referendus est; recte tamen Viscontius in nepote videtur substitisse, cum sit satis antiquus. *Asiagenus* dicitur ut *privignus, aprugnus, abiegnus, Trutiknos* Umbrice estque pure et Latine declinatum; neque tamen reperitur nisi hoc loco. Contra graecissat *Asiagenes* Livii 39, 44 Diodori exc. l. 35 p. 605 Sidonii carm. 7, 80 Eutropii 4, 4, quos locos collegit Io. Fr. Gronovius, et male graecissat, nam non ex Asia oriundus Scipio fuit. ASIAG in denariis paullo post bellum Marsicum percussis utra ratione explendum sit, ignoratur. *Asiaticus* reperitur iam in fastis Capitolinis a. 564. 671 et apud Livium 37, 58, deinde usu communi obtinuit.

37 fragmentum sarcophagi ex topho.

S

*sci*PIONEM

*qu*O · AD VEIXEI

Ritschl tab. XL II ad lapidem. Ed. Visconti tab. V cf. p. 155 (inde Ritschl l. c. i); Lanzi *saggio* vol. 1 in addendis.

In his

. . . . *Scí*piónem

. . . . *quo* ad veixei

exitus versuum Saturniorum agnovit Ritschelius.

---

38 rep. mense Oct. 1782 perscripta in tabulis tribus lapidis Albani numeris signatis, quarum prima hodie periit (cf. Marini Arv. p. 117 n. 109) quaeque coniunctae sarcophagi anticam effecerunt.

I | II CN · CORNELIVS · CN . F III | III SCIPIO · HISPANVS

PR · AID · CVR · Q. TR · MIL · II · XVIR · SL · IVDIK pr. u. c. 615.

XVIR · SACR · FAC

VIRTVTES GENERIS MIEIS MORIBVS ACCVMVL | AVI

PROGENIE MI GENVI FACTA PATRIS PETIEI

MAIORVM OPTENVI LAVDEM VT SIBEI ME ESS | E CREATVM

LAETENTVR STIRPEM NOBILITAVIT HON | OR

Ritschl tab. XLII L ad lapidem. Ed. I. B. Viscontius *Antol. Rom.* 1782 p. 188. 227; Amaduzzi *nov. Fior.* 1783 p. 7 sq. p. 67; Dutens p. 346; E. Q. Viscontius tab. V C p. 43 (inde Ritschl l. c. f); Lanzi *sagg.* 1, 156; Schweighaeuser ad Appian. vol. 3 (1785) p. 448, qui emendatam accepit a Birchio Dano; Orell. 554.

Epigramma hoc est:

Virtutes generis mieis moribus accumulavi,
  Progenie mi genui, facta patris petiei.
Maiorum optenui laudem, ut sibei me esse creatum
  Laetentur; stirpem nobilitavit honor.

Tabulae duae a diversis operariis ita scriptae sunt, ut alter ad alterius opus non satis respiceret (cf. Ritschl mus. Rhen. nov. 9, 6); unde explicanda spatia inepta certe v. 2 inter Q et TR, item fortasse v. 6 inter ESS et E et v. 7 inter HON et OR (quamquam haec Viscontius p. 48 et Brunnius admissa credunt propter lapidem his locis corruptum) versuumque divisio inconcinna. Item XVIR · SACR · FAC debuit versu 2 extremo scribi, non suum versum explere. — Numerorum, quibus tabulae distinguebantur, ratio facile patet. Ceterum in tabulae secundae margine utroque Viscontius Mariniusque deprehenderunt II; contra II—III testantur Brunnius tabulaque Ritscheliana. — 4 VL hodie deest. — 5 PROGENIEMIGENVI lapis; PROGENIEM GENVI priores. *Progenie* pro dactylo ne offendat, conferatur Lachmannus ad Lucret. 2, 991: 'Est hoc rarissimum et antiquiorum poetarum proprium συνεκφωνήσεως genus, in quo i vocalis ita delitescit, ut syllabam non faciat longam'. Denique *progeniem sibi gignere* poeta ut similiter quodammodo Sallustius Iug. 5: *is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit.*

Hispani sive Hispalli cognomine usos duos tantum novimus ex Scipionibus, Calvi filium et nepotem, Gnaeum utrumque; quorum cum ille consulatum attigerit, hic intra praeturam substiterit, ad hunc elogium recte omnino rettulit Viscontius. Scriptores raro eius meminerunt. A consulibus a. 605 ad arma a Carthaginiensibus accipienda missi sunt Cornelius Scipio Nasica et Cn. Cornelius Hispanus (Γναῖος Κορνήλιος ὁ Ἱσπανὸς ἐπίκλησιν, Appian. Pun. 80); quo munere functus sit necesse est vel in alterutro tribunatu militari vel in quaestura. Praeterea Valerius Maximus 1, 3, 2 *Cn.* (ita cod. Paridis; *C.* cod. Bern.) *Cornelius Hispalus*, inquit, *praetor peregrinus M. Popilio Laenate L. Calpurnio cos.* (u. c. 615) *edicto Chaldaeos citra decimum diem abire ex urbe atque Italia iussit.* Paullo post eum mortuum esse ante quam ad summum honorem perveniret sarcophagus indicat. — Xviri slitibus iudicandis sub hoc nomine hic primum habentur; nam ubi antea inveniuntur in lege Valeria Horatia, dicuntur *iudices decemviri* (Liv. 3, 55). — Item recte dicitur vir eius aetatis Xvir sacris faciundis, cum quindecim numero anno certe 655 nondum fuerint (Obseq. 47) et a Sulla demum numerus collegii ita auctus esse videatur. — De patre huius et filio supra dixi ad stemma p. 13 n. 8. 10.

---

39 sarcophagus, cuius maiorem partem ad fracturam usque ex lapide Tiburtino, reliquam ex topho esse rescripserunt mihi amici Romani, cum totum Tiburtinum perhibuerit Fea (in notis ad Winckelmanni *stor. dell' arte* 3, 22), pone Scipionis Barbati arcam intra parietem ita collocatus est, ut fastigium versusque in hoc scriptus supra Barbati emineret, postica Barbati pro huius antica esset: *'non ha altra chiusura al dinanzi che il posterior lato del sarcofago di Barbato'.* Visconti p. 35.

*p*AVLLA · CORNELIA · CN · F · HISPALLI

Ritschl tab. XXXVII C ad lapidem. Ed. I. B. Visconti *Ant. Rom.* 1782 p. 262; Amaduzzi *nov. Fior.* 1782, 167; Dutens p. 346; E. Q. Visconti tab. III B = V I p. 32. 55 (inde Ritschl l. c. *e*); Lanzi *sagg.* 1, 158; Orell. 551.

Lapis cum et Paullae et Aullae lectionem admittat, illa omnino praeferenda est cum propter L geminatum in Paullo Paullaque sollemne, in Aulo mihi nunquam visum, tum propterea quod Paullae praenomen saepissime invenitur, Aulae unicum exemplum adhuc innotuit. Hispalli unius tantum certa memoria ad nos pervenit, scilicet consulis a. 578; nam filium eius Hispanum potius dictum esse quam Hispallum modo (n. 38) vidimus. Quod si huius uxor Paulla fuit, filia potest fuisse Cn. Lentuli cos. a. 553 vel Cn. Cornelii auguris a. u. c. 570 mortui (Liv. 39, 45), si quidem ab illo Cn. Lentulo diversus fuit hic, vel Cn. Dolabellae per hos annos regis sacrorum (Liv. 27, 36. 40, 42) Magis tamen crediderim recentiori alicui et praeterea ignoto ex Hispallorum progenie eam nuptam fuisse cum propter scripturam, quae consonantium geminationem constanter servat, tum propter lapidis naturam, qui in hoc solo titulo Tiburtinus est.

TITVLI RELIQVI HOMINVM NOBILIVM VRBANI.

40 in Privernatis lapidis fragmento. Locus non indicatur.

APPIOS CONSOL — 447? 458? 486? 490?

Sirmondus Scipionis elog. expl. (v. ad n. 32) p. 1836 Graev., qui affert propter P semiclausum et L uncinatum. In Sirmondi schedis desideratur neque quisquam praeterea quod sciam lapidem commemoravit. Ap. Claudii consules in fastis reperiuntur u. c. 259. 283. 405. 447. 458. 486. 490. 542. 569. 611. 675. 700. 716; quorum ex quattuor supra scriptis unum hunc lapidem posuisse oportet propter os scripturam post bellum Hannibalicum obsoletam. Denominatio *Appios* a consueta magnopere recedit nomine gentilicio omisso eamque ob causam praenomine non notato, sed plene perscripto; neque tamen descriptorem errasse crediderim aut lapidem imperfectum esse, cum hoc pertineat ad Appii praenominis usum plane singularem et inter praenomen nomenque medium quendam locum obtinentem; recteque comparabuntur *via Appia*, *forum Appii* similiaque. Vide quae scripsi in commentario de nominibus propriis Romanorum mus. Rhen. nov. vol. 15 p. 184.

---

41 effossa Romae in hortis Quirinalibus pontificis a. 1626.

traditur	*lege*
P · CORN	P · CORN*elios*
V · F · COSO	L · F · COSO*l*
PROBA	PROBA*vit*
MAR	MAR*te sacrom*

Servavit unus Gudius ms. 704, 2, ed. 318, 13. — Remoti aevi indicia omnia adsunt: L (neque enim v. 2 cogitandum esse de Vibii praenomine, quamquam legitur in fastis a. 302 *P. Sextius Q. f. Vibi n. Capitolinus Vaticanus*, sed descriptorem L uncinatum pro V accepisse mihi quidem constat) et P formae antiquae, cognomen omissum quamquam in gente Cornelia inde ab antiquissimo tempore in stirpes complures divisa, dei nomen scriptum post dedicantem, scriptura coso, quod non de Cosso accipiendum est, sed ex cosol remansit. Denique titulus quamquam Marti positus est, tamen et locus ubi repertus est et simul inventus infra referendus stetisse eum docent in aede Quirini collis Quirinalis; quod ipsum arguit summam antiquitatem. Nam deum Quirinum quamquam non esse nisi alterum Martem omnes consentiunt et cognomen olim fuisse quod deinde nomen dei factum est, tamen pro Quirino Martem praeter hunc lapidem nusquam reperimus. — Inter consules quarti quinti sextique saeculi (ulterius enim descendere tituli indoles omnino vetat), quibus nomen fuit P. Corneliis, statim reiciendi sunt praeter Maluginensem a. 361, qui magistratum non gessit, Arvina consul 448. 466, qui fuit A. f. (vide fastos a. 460); Rufinus consul 464. 477, qui probabiliter creditur P. f.; Scipio Asina consul 535 qui videtur Cn. f. fuisse; Scipio Africanus maior P. f. consul 549. 560; Nasica Cn. f. consul 563; Nasica P. f. consul 592. 599. Addetur his Scipio Africani maioris pater consul 536, quem L. f. fuisse fasti a. 549 aliaque multa docent; nam hunc aedi dedicandae in magistratu inter bella vacavisse non facile crediderim. Sed his exclusis restant adhuc Scipio Barbatus cos. a. 426, cuius pater ignoratur; Dolabella cos. 471, cuius item pater ignoratur; Lentulus consul 518, Cethegus consul 573 Lentulusque consul 592 L. f. dicti in fastis omnes; quorum certae rationes neque confirmant neque excludunt ullum. Quamquam titulus propter L formae vetustae et scripturam *cosol* ante potius quam post senatus consultum de Bacchanalibus positus videtur neque sine aliqua veri specie consuli a. 518 tribuitur, qui cum Ligures in magistratu vicerit non sine causa Marti aedem dedicarit. Tutius tamen rem incertam in medio relinquemus.

---

42 in capite arietis aereo, quod quo loco repertum sit, non traditur, extat Vindobonae in antiquario.

ATILIIS
SARANIIS · C · M · F

Ritschl tab. II A ad aes.

Praenominibus omissis significantur quicumque descendunt a C. et M. Atiliis Sarranis, fere ut in ara Bovillensi leguntur *genteiles Iuliei*. — Atilii antiquiores cum a Sarrani cognomine abstineant neque id inveniatur ante C. Atilium Sarranum qui consulatum petiit a. u. c. 538 (Liv. 22, 35; cf. liber meus de re mon. Rom. p. 506) — nam in consule a. 497. 504 et fasti Capitolini et auctores plerique eo cognomine abstinent neque multum tribuendum uni Cassiodoro, qui in priore neque tamen in secundo consulatu pro Regulo scripsit Serranum — aes Vindobonense scriptum videtur non ante sextum urbis saeculum.

POCVLA SPECVLA SIMILIA INSCRIPTA.

Quae sequuntur artis opera inscripta, et locis et generibus suis quodammodo ad Etruriam magis pertinent quam ad Latinos genuinos. Pocula deorum quotquot habemus, prodierunt ex sepulcretis Etruriae meridionalis Volcentanis Tarquiniensibus Hortanis et quamquam et arte et usu peculiaria, tamen propius quam ad artem Romanam accedunt ad patellas pictas Graeci maxime artificii, quibus Latium caret, Etrusca sepulcreta referta sunt. Opera cretacea et aerea quae sequuntur cum artificis nomine Latine scripto non solum Caere et Orvieti inventa sunt, sed etiam in Etruscorum statuis anaglyphisque nomen artificis non raro reperitur inscriptum Etrusce, quod contra est in Romanis. Specula denique Latine inscripta sequuntur usum apud Etruscos late sparsum probavitque nuper Orbetellanum (n. 57) repertum in sepulcro recentiore antiquioribus sepulcris mere Etruscis superposito specula cum Latina inscriptione delineata esse Etruscorum aetate extrema et ad Latinitatem iam vergente. Verum est Praeneste ea etiam reperiri in intimo Latio adeoque cistas aereas cum eiusmodi speculis et arte et usu coniunctas non eruderari fere nisi in solo Praenestino; attamen in his quoque Etruscam imitationem quadamtenus dominari docuerunt specula tria inscripta nuperrime Praeneste reperta, in quibus lecta sunt Etruscis litteris Etruscoque sermone *herel*, *turan*, *menle*, similia (*Bull. dell' inst.* 1857, 71. 1859, 37. 88). — Iam Etruriae partem inferiorem, ubi reperta fere sunt haec monumenta, cum et rerum memoria et nummi ostendant inde a saeculo quinto arte cum Latio coniunctam Latinique in eas partes colonias complures deduxerint linguamque suam et mores eo intulerint et cum indigenis alienigenis communicarint (v. hist. mea Rom. 1, 308. 390; *röm. Münzwesen* p. 274 sq.), eam linguae Latinae propagationem in Etruriam meridionalem optime illustrant monumenta haec Tuscanicae artis ibidem quinto sextove saeculo facta cum inscriptionibus Latinis. Pauca quaedam Ennio recentiora, quae in his insunt, ut n. 52. 53, videbantur a similibus minus commode separari. — De singulis generibus pauca addam. Poculorum sacrorum genus peculiare quo proprie pertineat adhuc incompertum est, quamquam facile varia cogitari possunt, quapropter fierent in certorum deorum vel honorem vel usum. Speculorum inscriptiones interpretationum id genus praebent, quod pictores fictoresque Graeci antiquiores figuris adscribere adsuerant. Efferuntur plerumque primo casu, quo refero etiam *Hercele* n. 56. Accusativi sunt *Diovem* n. 57 et *Alixentrom* n. 59, ut *Volcanom* est in nummis Aeserninis n. 20, ubi 'vides' cogitatione quodammodo supplendum est. Semel invenitur casus secundus in *Prosepnai* n. 57. Quod si tertius quoque reperitur *Iovei* n. 56, factum est propterea quod nomen hoc in basi inscribere artifici placuit (O. Iahn *fic. Cista* p. 58). Graeci praeter nominativum in similibus inscriptionibus non utuntur nisi genetivo, nunquam vero accusativo (cf. O. Iahn *Münchener Vasensammlung Einl.* p. CXV).

---

43 in patera nigri coloris, quam Volcis reperit baro Beugnot *Kell. Camp.*; deinde fuit apud Millingenum; nunc Londini est in museo Britannico.

exteriore gyro rami

ΛECETIΛI · POCOLOM

interiore gyro circuli quattuor

Ritschl tab. X B*b* ad delineationem a Samuele Birchio missam. Ed. Millingen *on late discoveries in Etruria* London 1834, q. n. v.; O. Kellermann *Intell. Bl. der Hall. A. L. Z.* 1833 p. 322 (46); Campanari *atti dell acc. Rom.* t. VII p. 16 ex Millingeno; Secchi *il musaico Antoniniano* (Rom. 1843) p. 47; Birch in Gerhardi *arch. Zeitung* 5 (1847), 154; de Witte *coll. Beugnot* (Paris. 1840) p. 78 n. 129; Ritschl de fictilibus litt. p. 17.

Aecetiam deam, quam olim modo indocte cum Egeria, modo subabsurde cum aceti nescio qua dea composuerunt, Bernaysius et ego Aequitiam sive Aequitatem esse coniecimus probavimusque Ritschelio de fict. litt. p. 19 sq. Prelleroque myth. Rom. p. 629.

---

44 Florentiae ex Durandi museo apud Millingenum *Welcker*; nunc Romae in museo Campanae.

BELOLAI · POCOLOM

caput muliebre intra sertum

Ritschl tab. XI G ad archetypum. Welcker ad Müllerum *Handbuch der Archäologie* ed. 3 p. 195, item apud Iahnium *fic. Cista* p. 55 et Ritschelium de fict. litt. p. 18.

De lectione *Belolai* cum iam constet, tamen ea quid significet ignoratur, cum eiusmodi nomen neque deae videatur convenire neque reliqua pocula deorum dearumve omnia de καλῇ, cogitare permittant.

---

45 in poculo quod dicitur fuisse olim apud Secchium, hodie latere.

COERAE · POCOLO

Ita in poculo scriptum esse complures ad me retulerunt, ex ore Garruccii omnes. Interpretatio sustinenda, donec de lectione constabit suspecta cum propter alia tum propter *m* finalem in hoc solo poculo contra poculorum horum consuetudinem omissam. Ut sit vera, de dea Cura cogitari poterit; Κόρην autem Graecorum neque *Coeram* Latini dicere potuerunt neque huius aetatis inscriptiones uno excepto Apolline nomina deorum dearumque agnoscunt nisi Latina.

---

46 in patera nigra Volcis reperta, deinde Romae in museo Gregoriano.

KERI · POCOLOM

puer alatus tibiis
duabus canens;
circuli quattuor

Ritschl tab. X D*d* ad archetypum a Brunnio delineatum vase repetito ex mus. Gregoriano. Ed. Campanari *atti dell Acc. Rom.* VII p. 16; Mus. Greg. II, 88; Secchi *musaico Antoniniano* p. 47.

Recte Secchius contulit Fest. p. 122 M.: *in carmine Saliari cerus manus intellegitur creator bonus;* ex eodem carmine Varro 7, 26: *duonus cerus es, duonus Ianus.* Cf. *unterital. Dial.* p. 133 de similibus Oscis.

47 in patera nigra, Orte reperta *Bullett.* Extat Romae in museo Gregoriano.

LAVIIRNAI · POCOLOM

puer alatus d. ramum, s. pateram tenens; circuli quattuor

Ritschl tab. X *Ee* ad archetypum a Brunnio delineatum vase repetito ex mus. Gregoriano. Ed. *Bullett.* 1837, 130; Mus. Gregor. vol. II tab. 88; Secchi *musaico Antoniniano* p. 47.

---

48 litteris albis in nigri coloris oenochoe ansata (non patera) sine picturis, quae ubi reperta sit, non traditur; extat Romae in museo Campanae.

SAIITVRNI · POCOLOM

Ritschl tab. X *Aa* ad archetypum a Campana delineatum. Ed. Garrucci *Bull. Nap. N. S.* 1, 86, item Ritschelius de fict. litt. p. 8 cum amplo commentario.

Eandem nominis formam restituit Ritschelius l. c. p. 7 apud Festum v. Saturno p. 325: *qui deus in saliaribus Saeturnus nominatur, videlicet a sationibus*, ubi in codice Festi est *Saturnus*, in epitomae codicibus non interpolatis *Suteurnus*. Ibidem docuit vocabulum coaluisse e stirpe *sā* terminationeque *urnus* vel *ernus*, aut ad exemplum *semp-it-erni* similiumque inserta *et* syllaba aut a participio *sā-t-tus* ad exemplum *di-urni* similiumque formato *Săĕturno*. Deinde hiatus vitandi causa *ăĕ* contractum est in *ā* factumque ex *Săĕturno Sāturnus*.

---

49 in patera nigra, Orte reperta *Bullett.* Extat Romae in museo Gregoriano.

SALVTES · POCOLOM

puer alatus tibiis canens

Ritschl tab. X *Ff* ad archetypum a Brunnio delineatum. Ed. Bullett. 1837, 130; Secchi *musaico Antoniniano* p. 47.

---

50 in patera nigra picturis albis. Tarquiniis repertam ait *Gerhard*, reprehendens eos, qui Volcis repertam dicunt, quod fecerat *Campanari*. Ex museo Dorowiano a. 1828 illata est museo regio Berolinensi. *'Diese kleine Schale stimmt in ihrem matten bleiähnlichen Firniss und in der weissen Färbung ihrer Figuren mit vielen spätern Vasenbildern Apuliens überein; ihrem geringen Kunstwerth und ihrer verhältnissmässig späten Zeit entspricht auch die unbeholfene Zeichnung'.* Gerhard.

VOLCANI · POCOLOM

puer alatus unguentarium s. tenens, ante eum herma barbatus

Ritschl tab. X *Cc*. Ed. Millingen *on late discoveries in Etruria* Londini 1834, q. n. v., inde Campanari *atti dell' Accad. Rom.* VII p. 16; *Bullett.* 1837, 130; Secchi *musaico Antoniniano* p. 47; Levezow *Gallerie der Vasen* tab. 6 n. 909; Gerhard *Berlins antike Bildw.* 1, 270 n. 909, *griech. und etrusk. Trinkschalen des Berl. Mus.* (1843) 8, 1, inde Ritschl de fictil. litt. p. 17.

51 inscriptum collo protomae aheneae Medusae, quae ubi reperta sit, ignoratur. Extat Romae in museo Kircheriano.

C · OVIO · OVF · FECIT

Ritschl tab. I *Cc* ad archetypum a Marchio delineatum. Ed. Brunatius mus. Kirch. inscr. p. 51; Welckerus in notis ad Muelleri archaeol. p. 187; Brunnius apud Iahnium *fic. Cista* p. 61.

Legendum: *C. Ovio(s) Ouf(entina) fecit;* virgula enim ad c litteram adiecta videtur esse I, fere ut postea pro VI scribi solet ꟻ. Idem visum est Ritschelio in mus. Rhen. novo 14, 383. Oufentina tribus facta est a. u. c. 436. Antiquiorem inscriptionem habemus nullam in qua nominetur tribus; quam olim cognominis loco tum nobilioribus reservati plebeios homines usurpasse docui in museo Rhenano novo 15, 203. 207.

---

52 in pallio statuae aheneae Iovis, quae ante fuit Romae in museo cardinalis Gualtieri *Montf.*, nunc ibi est in Kircheriano. Videtur Orvieti effossa esse; nam ex hoc patrio sibi oppido Gualtierius pleraque musei sui cimelia habuit.

C POMPONI QVIR · OPOS

Ritschl tab. I *Bb* ad aes a Marchio delineatum. Ediderunt varie corruptam Montfaucon antiq. t. III tab. 157 p. 268 ed. 2; Bonarotius app. ad Dempsterum (1724) p. 92; Contuccius mus. Kirch. inscr. p. 50; Welckerus in notis ad Muelleri archaeol. p. 189; Brunnius apud O. Iahnium *fic. Cista* p. 61; Ritschl de fict. litt. p. 16.

Altera R in tabula est P; Brunnius tamen qui inscriptionem diligenter examinavit et descripsit, legit R, quod sane qui titulum exaravit scribere voluit. Legendum *C. Pomponi Quir(ina) opos.* Quirina tribus cum facta sit a. u. c. 513, post hunc annum titulum scriptum esse Brunnius recte observavit. Retinui tamen hoc loco, ne separaretur a praecedente.

---

53 in patella cretacea rubra, ex qua media prostat Sileni figura dimidia, circa quam inscriptio est serto circumdata. Reperta est Caere a Mancinia femina. Nunc adservatur Parisiis in museo monetario publico.

CALENV · CANOLEIV · FECIT ·

Ritschl tab. X *Ii* ad exemplum gypseum Welckeri. Ed. Kramer *Intell. Bl. der Hall. Allg. L. Z.* 1834, p. 316; Braun ib. 1835, p. 108; de Witte *descr. des antiquités du cab. Durand* p. 350 n. 1434; Ritschl de fictil. litt. p. 28.

Kramerus qui vidit pateram ante quam restauraretur tria inscriptionis fragmenta profert sola haec: ECIT CALENV et CA et NO; Braunius sic citat eandem ut supra legitur videturque praeter Kramериana tria quartum fragmentum deprehendisse inscriptum LEIV. Hodie in patera est legiturque apud Wittium et Ritschelium: CALENVS · · CANOLEIVS · · · FECIT ·; ubi quod amplius est, debetur operariis non satis peritis, maxime puncta duo post CALENVS, tria post CANOLEIVS, cum unicum sit, ubi integra patera est post FECIT. — Hunc quoque titulum retinui loco non suo, ne a simillimis antiquioribus separaretur. — Calenus pro nomine cognomineve usurpatur in Oleno Caleno vate Etrusco (Plin. h. n. 28, 2, 15), item in Q. Fufio Caleno consule a. 707 Lucioque Caleno (Cic. Verr. l. 2, 8, 24). Praenomen non ex receptis et tribus omissa hominem significant libertum libertinumve. Cf. n. 54.

54 in lammina aerea sub tribus figuris Bacchicis, quae post opus factum cistae Ficoronianae operculo una cum pedibus adferruminatae sunt. Quam cistam una cum speculo n. 55 inter Palestrinam et Lugnanum a duobus operariis emisse se narrat *Ficoronius* (*mem. di Labico* Rom. 1745 p. 72); Luniani eam repertam esse ex eiusdem Ficoronii litteris refert *Muratorius* 132, 2; inter Praeneste et Valmontone repertam tradit *Maffei oss. lett.* Denique speculum de quo dixi in hac ipsa cista intus repertum esse una cum acerrae ligneae fragmentis quibusdam, pedibus nimirum et manubrio et aereae qua tegebatur lamellae parte auctor est *Contuccius* (mus. Kirch. aer. p. 5). Huius modi cistas in agro Praenestino fere solo reperiri notum est; in sepulcreto Praenestino nuper pervestigato, de quo infra dicetur, eiusmodi cistae aliquot repertae sunt intus in arculis, quae ibi supra sarcophagos lapideos solebant collocari. Neque dubium mihi est, quin ex ipso hoc sepulcreto Ficoroniana quoque cista olim prodierit, praesertim cum sepulcretum situm sit extra Praeneste Lugnanum versus, qui vicus non plus V milibus passum a Praeneste distat. — Hodie cista adservatur Romae in museo Kircheriano.

DINDIA · MACOLNIA · FILEA · DEDIT

NOVIOS · PLAVTIOS · MED ROMAI · FECID

Ritschl tab. I A *a* ad aes Marchii iussu delineatum. Ed. primus Mur. 132, 2 (1739) a Firoconio, item 2045, 9 a Contuccio; deinde Maffei *oss. lett.* (1740) 6, 96. M. V. 470, 3; Contucci mus. Kirch. aerea (Rom. 1762) I tab. I—VIII; Winckelmann *stor. delle arti* 2, 146 ed. Fea; Lanzi *saggio* 1, 160 aliique complures, nuperrime Bröndstedt *ficoroniske Cista* tab. VII. Commentati de hoc titulo sumus Iahnius et ego in libro illius *die ficoron. Cista* p. 42 sq. 52 sq., ubi incisus est p. 41.

Inscriptio quamquam legitur in ea parte operis, quae post delineatam cistam demum accessit diversumque prae se fert artificium, tamen nomen artificis ibi scriptum ad ipsam cistam et Iahnius (l. c. p. 52) rettulit et refero ego; subabsurdum enim est in opere summae mirabilisque artis auctorem locumque insolita diligentia enuntiare, nisi ita indicabitur ipsius operis artifex sane ea aetate nobilis et clarus. Quam ob rem hoc statuo, Novium Plautium Romae cistam delineasse, deinde aut ab eo ipso aut aliquanto post ab alio fabro Dindiam Macolniam sibi eam comparasse, ut dono daret mulieri cuidam, Dindiaeque iussu sigilla in operculo pedesque addita esse et nomen domumque artificis simul inscriptum. — Gentem Macolniam Praenestinam esse docent tituli qui mox referentur Praenestini n. 116. 117. 118 praetereaque titulus ibidem repertus Mur. 132, 1. *Dindia*, quod in hoc titulo praenominis loco est, pro nomine est in titulis duobus item Praenestinis Grut. 173, 3 et Orell. 3784. Praenestinam igitur mulierem fuisse quae cistam donavit et ea docent, quae de eiusmodi cistarum usu extra Praeneste fere ignoto supra diximus, et ipsum eius nomen. *Filea* additur, ut a cognomine matre distinguatur; cuius usus exempla aliquot collegi apud Iahnium l. c. p. 46. — Plautii quamquam et Praeneste reperiuntur et alibi, tamen causa nulla est, cur qui Romanum opificem ipse se profiteatur non referatur ad Plautiorum Romanorum stirpem plebeiam quidem, sed vetustam. Eorum Plautiorum cuiusdam libertus Novius quominus ex Campania Graeciave oriundus fuerit, nihil impedit, imo praenomen non Romanum tribumque omissam et in hoc et in Caleno Canoleio eo ducere supra iam ad n. 53 observavimus.

55 in speculo Praeneste rep. et adservato cum cista Ficoroniana n. 54, ubi vide.

iuvenis cum caestibus stans in basi; ad latus:	mulier stans, iuxta eam luna dimidiata, infra:	vir cum caestibus sedens in basi; ad latus:
POLOCES	LOSNA	AMVCES

Ritschl tab. I E ad archetypum Marchii iussu delineatum, speculi figura ex Gerhardiana tabula expressa. Ed. Maffei Mus. Ver. 470, 2; Contucci mus. Kirch. aer. I tab. IX; Lanzi *sagg.* 1, 161; Gerhard *etrusk. Spiegel* 2 tab. 171 aliique complures. Tractavit Iahnius *fic. Cista* p. 56.

56 in speculo pessimi operis originis incertae; extat Romae in museo Kircheriano.

mulier stans viri umerum tangit; ad caput:	Hermes cum modio in capite; infra vulva.	vir barbatus sedens in ara mulierem amplexurus; in basi:	phallus	iuvenis cum clava ad mulierem pergit; ad caput:
IVNO		IOVEI		HERCELE

Ritschl tab. I G ad archetypum Marchii iussu delineatum, speculo ipso repetito ex Gerhardo. Ed. Contucci mus. Kirch. aer. I tab. XIII (inde Lanzi *saggio* 2, 198 tab. 10, 3; Millin *gal. myth.* tab. CXIX); Gerhard *etrusk. Spiegel* tab. 147. Tractavit Iahnius *fic. Cista* p. 58.

57 speculum aereum repertum Orbetelli, ubi Cosa olim fuit. Notandum est hoc speculum Latine scriptum repertum esse quattuor tantum decempedis (*braccia*) sub terra una cum strigile aereo vasisque paucis parvis rudibus, omnino inter sepulcra hominum tenuiorum; deinde eodem loco, sed quattuordecim sub terra decempedis, reperta esse solita sepulcra Etrusca cum vasis et cretaceis pictis et aereis operis caelati, denique speculo Etrusce scripto; unde certa ratione apparet Latinum illud speculum quamquam antiquissimum tamen ad aetatem pertinere Etrusca posteriorem.

VENOS	DIOVEM	PROSEPNAI
Venus sedet lacrimans	Iupiter fulmen tenens sedens	Proserpina sedet cistellam digito demonstrans
	cistella	

Ritschl tab. XI M. Ed. de Witt *Bullett.* 1858 p. 104.

PROSEPINA de Witt. Forma *Prosepna* inter Περσεφόνη et Proserpinam locum medium obtinet.

58 in speculo originis incertae, quod extat Romae in museo Campanae.

sic CVDIDO ·	VENOS ·	VITORIA .	RIT
puer alatus stans	mulier ad puerum versa	mulier alata	figura, de cuius sexu non liquet, sedens

Ritschl tab. XI N. Ed. *Bullett.* 1859, 98.

CVDIDO pro CVPIDO error est sine dubio scalptoris, ut simili legendi errore deceptus Dionysius (1, 68) pro PENATIBVS deprehendit DENATES. — *Vitoria* videtur esse a vitulando. Macrob. 3, 2, 11: *Primo pontificii iuris libro apud Pictorem verbum hoc positum est 'vitulari'; de cuius verbi significatu Titius (Cincius?) ita rettulit: 'vitulari est voce laetari'. Varro etiam in libro XV rerum divinarum ita refert, quod pontifex in sacris quibusdam vitulari soleat, quod Graeci παιανίζειν vocant. — — Hyllus (Hyginus?) libro quem de dis composuit ait Vitulam vocari deam quae laetitiae praesit. Piso ait Vitulam Victoriam nominari; cuius rei argumentum profert, quod postridie nonas Iulias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit (unde Poplifugia vocantur), post victoriam certis sacrificiis fiat vitulatio.* Paulus p. 369 Müll.: *Vitulans laetans gaudio ut pastu vitulus; Ennius* (trag. 75 Vahlen): *is habet coronam vitulans victoria.* Plaut. Pers. 251: *Iovi — lubens vitulor.* Cf. Naevius Lyc. 34, Clast. 1 Ribbeck; Varro l. Lat. 7, 107. Vitula ea sive Vitellia (Sueton. Vitell. 1; Preller *röm. Myth.* p. 359) eadem videtur fuisse ac Vitoria haec; neque re diversa fuit posteriorum Victoria, quod nomen num ad antiquissimam aetatem pertineat, iure potest dubitari videturque magis dea Victoria orta ex duobus vetustioribus numinibus confusis Vica Pota dicta a vincendo potiundo, Vitoria a vitulando. — Quarti nominis litteram primam non satis certam dixit Brunnius cogitavitque de dea Peitho (PIT), non recte; omnino enim requiritur nomen Latinum (v. ad n. 45). Fuitne deus aliqui *Ritus*, Graecorum Ἰσγμός, a nuptiali argumento sane non alienus?

59 in speculo olim Romae in museo I. P. Bellorii *de la Chausse;* nunc Berolini in museo regio.

Mercurius cum petaso calceisque alatis; ad latus:	Paris sedens, ante pedem canis; ante eum:
MIRQVRIOS	AᴧIXENTROM

Ritschl tab. I F ad aes, speculo tamen repraesentato ex Gerhardo. Ed. de la Chausse Romani musei sect. 3 tab. 20 (inde Inghirami *gall. Omer.* 2 tab. 223); Begerus thes. Brand. 3, 424; Lanzi *saggio* 2, 219 tab. 12 n. 2 ex tabulis quas incisas Gorius reliquerat (inde Millin *gal. myth.* tab. CLI); Gerhard *etrusk. Spiegel* 2, tab. 182. Tractavit Iahnius *fic. Cista* p. 57.

60 speculum originis incertae, quod extat Romae apud Depoletium negotiantem rerum antiquarum.

OINOMAVOS	ARIO	MELERPANTA
vir	equus	vir

Ritschl tab. XI O. Misit nobis Henzenus.

Melerpanta est *Bellerophontes,* qui apud Plautum, ubi primum nominatur Latine (Bacch. 810), in optimo codice scribitur *Bellerophantes.* Ceterum vocabulum barbare corruptum est ad exemplum Catamiti pro Ganymede et similium. Socientur cum equo a Neptuno creato Arione equites duo clarissimi, qui tamen in fabulis praeterea non reperiuntur coniuncti.

ANTIQVISSIMA EX LATIO.

61 in lapide Albano Lanuvii *(Civita Lavigna)* in aedibus Iosephi di Marco.

AIDIᴌIS
moltaticod IRID
*coir*AV*it*

Ritschl tab. XLIX B ad lapidem. Ed. Henzen Bull. 1848 p. 67, syll. n. 7134 ad exemplum a nobis simul exceptum.

Dedi ut olim de lapide descripsi; tabula praeterea ductus exhibet incertos v. 2 extr. /A versumque tertium sic dat: //O/AVS. Restitui ad normam tituli Donatiani (263, 1 ab Olivierio), qui legitur Tibure in opere musivo longo palm. XXII litteris altis unc. IX:

M · SCAVDIVS · C · F
C · MVNATIVS · T · F
AEDILES · AERE · MVLTATICO

62 aerea lammina clavis olim affixa Tibure reperta, deinde apud Fabrettium; nunc Parisiis in museo publico.

a ab una parte:

C · ᴘᴌACENTIOS · HER · F ·
MARTE · SACROM

b ab altera:

C · ᴘᴌACENTIVS · HER · F
MARTE · DONV · DEDE

Ad ectypon missum ab Huebnero. Fabrett. 27, LV. 28, LVI, inde Lanzi sagg. 1, 165; Orell. 2417; Ritschl tab. II B *a b*. Clavorum foramina cum clare appareant in utroque margine, non simul legi potuit utraque inscriptio. Altera itaque paullo recentioris aetatis videtur esse, tabella fortasse cum donarium reficeretur inversa et rescripta; quod confirmat huiusce tituli lingua recentior. De Herio praenomine cf. quae collegi *unterital. Dial.* p. 262, addito Herio Potilio ex Zonara 8, 11. — 62 DEDET Fabrettius contra aes.

63 in columna parva, rep. Tusculi a. 1842 prope sepulcrum Furiorum (cf. Bullett. 1842 p. 171) *incontro all' eremo di Camaldoli fuori le mura dalla parte di settentrione.* Ibidem reperta est Minervae statua in Sardiniam asportata et truncus Sosiclis nomine inscriptus. Columna nunc extat in villa Rufinella.

M · FOVRIO · C · F · TRIBVNOS
MIⅬITARE · DE · ΓRAIDAD · MAVRTE · DEDET

Ritschl tab. XLIX B ad lapidem. Descripsi. Ed. Borghesi in ephemeride *il saggiatore* 1,32 (inde Bullett. 1847, 166); Henzen 5674.

64 in columna parva praecedenti simili una cum ea reperta Tusculi adservataque ibidem.

M · FOVRIO · C · F · TRIBVNOS
*milita*RE · DE · ΓRAIDAD · FORTVNE · DEDET

Ritschl tab. XLIX C ad lapidem. Descripsi et citavi *unterital. Dial.* p. 365.

65—72 Tusculi. 'Anno superiore in silva quae ad eremum monachorum Camaldulensium pertinet secus publicam olim viam, cuius vestigia adhuc supersunt, prodiderunt sese reliquiae veterum murorum e lapidibus quadratis, quos muros vestibuli olim fuisse dignoscitur, per quod ad monumentum ipsum patebat aditus. Nam in conspectu, qua muri hi desinebant, erat monumenti ostium superiori parte aliquanto artiore ac nunc ostia fieri solent. Eius antae ac superliminare ex lapide Albano *(peperino)* sine ullo ornatu, sed egregie compacta. Ostii lumen ita unico lapide ad unguem clausum, ut nihil fieri possit in eo genere exactius. In eo lapide, ut in foribus bipatentibus etiam nunc fieri solet, tympana utrinque impagibus ac coronis conclusa, ac quo loco manubria apponi solita, binae exsculptae larvae muliebris capitis speciem exhibentes. Conditorium in ipso topho excisum, in cuius medio erat sarcophagus 5 circiter pedum, lapide fastigiato opertus, cuiusmodi et aliae ad duodecim longe minores urnae in loculamentis ad utrumque conditorii latus positae. In earum nonnullis cineres reperti atque aereus etiam nummus humano capite signatus. Inscriptiones aliae in urnarum fronte, aliae in earum operculis extabant. Aliquot minio tantum scriptae imbribus deiectae perierunt. In eodem conditorio reperta sunt vasa nonnulla ex iis, quae vulgo Tuscanica antiqua esse creduntur ac fragmenta etiam coronae testacei operis variis coloribus eleganter depictae'. *Falconerius* 1668. —'A. 1665 mense Aprili cum in Tusculanis Camaldulensium tesquis rusticus circa tumulum fodicans terram vehementius concuteret, accidit ut terra ingens detexerit sepulcrum. De quo mox certiores facti Camaldulenses, quorum territorio locus subiacebat, terra amota primo quidem veluti vestibulum quoddam quadris lapidibus extructum detexerunt, deinde portam ex lapide piperite et ingenti saxo obstructam, arcu superposito et tandem cryptam, in qua tumbam praegrandem, intra quam vasa varia repererunt, una cum variis depositis circumsitis, quorum singula Furiorum nomine insigniebantur. Quae in hoc sepulcro reperta sunt vasa, fuerunt omnia fictilia. Numisma et in hoc sepulcro inventum fuit, cuius antica pars virum dignitate spectabilem nec non armis illustrem, postica triremem exprimit cum nomine ROMA. Anulos sepulcris imponi solitos quotidiana experientia docemur cum in huius tum in aliorum novorum sepulcrorum detectione'. *Kircherus.* Conferenda est imago formaque huius sepulcri a Sante Bartolio *gli antichi sepolcri* (Rom. 1768 fol.) tab. 25 proposita, qua melius quam Kircheriana narrationes supra relatae illustrantur.

65 *a* in operculo fastigiato:

<\TVRΠⅬEIO · < · F

b in arca alta Kirchero teste palm. 2½, larga palm. 2:

< · TVRΠⅬEIO · < · F

Falconerius (inscr. athleticae Rom. 1668. 4. p. 143; inde Ritschl tab. XLIX A*a*) et Kircherus (Latium. Amstelod. 1671 p. 67), qui non videtur descripsisse ex libro Falconerii edito. Arcarum enim operculorumque imagines mensurasque a Falconerio non relatas primus sistit; deinde cum Falconerius harum inscriptionum priorem in arcae summo margine, alteram in dextro eius latere collocet, Kircherus contra illam seorsim in operculo proponit, hanc in ipsa arca, idque confirmatur et titulo sequente similiter bis repetito et Scipionum elogiis n. 29—32. Accedit quod testatur ipse Kircherus vidisse se sepulcrum simul cum Falconerio. Quam ob rem, ut inter socios itineris fieri solet, unum exemplum duo excepisse credendi sunt, quod deinde Falconerius accuratius, plenius Kircherus publici iuris fecerunt. Kircherum exscripserunt Fabrett. 240, 643 auctore non indicato; Mur. 1504, 2 ex Kirchero; item Vulpius Lat. vet. t. VIII p. 226 tab. 8, ex quo rursus Lanzius pendet *sagg.* 1, 163, 24—26 et Sante Bartoli l. c. tab. 26, quos praetermisi omnes. — Prioris tituli primam litteram corruptam a descriptoribus Q credidit Ritschelius; at C eam fuisse declarat inferius exemplum neque abnuit figura.

66 *a* in operculo fastigiato:

P · IIoV · C · II

b in fronte arcae:

P · IIOV · C · II

Priorem et Falconerius et Kircherus qui viderunt ll. cc. exhibent, alteram Falconerius solus (inde Fabrett. 240, 644 auctore non prodito; Mur. 1504, 2 ex Kirchero pessime; Ritschl l. c. *c* ex Falc.).

67 in arca ut videtur.

Q · IIOVRIO · A · II

Falconerius et Kircherus ll. cc. qui viderunt (inde Fabrett. 120, 12 auctore non indicato; Mur. 1504, 2 ex Kirchero; Ritschl l. c. *b* ex Falc.). — Prima littera dubia est.

68 in arca alta Kirchero teste palm. 1, lata palm. 1½:

in fronte	in latere
A · IIoV	P · II

Falconerius et Kircherus ll. cc. qui viderunt (inde Fabrett. 120, 13 auctore non indicato; Mur. 1504, 2 ex Kirchero pessime; Ritschl l. c. *d* ex Falc.)

69

C · IIOVR

Falconerius (inde Ritschl l. c. *e*) et Kircherus ll. cc., ut addit ille, a monacho quodam, ut hic ait, in fragmentis. Tituli n. 69—72 videntur esse ii, quos minio scriptos et imbribus mox deletos esse Falconerius significat.

70

C · l'OVR
l · M · l'

Falconerius (inde Ritschl l. c. *f*) et Kircherus ll. cc. a monacho acceperunt. Legendum *C. Fouri(os) M. f.* Kircherus male sic

C · l'OVR M · l' ·
M · l' ·

71

l'OVRIO
M · l' · C · l' ·

Falconerius (inde Ritschl l. c. *g*) et Kircherus ll. cc. a monacho. Praenomen deest; pro C · l' scribe C · N · Unico versu absolutam edidit Kircherus.

72

CN · FOVRIO

Falconerius (inde Ritschl l. c. *g*) et Kircherus ll. cc. a monacho.

Adscripsi denique exempla a Petro Pollidoro Muratorio missa: Mur. 1757, 4 Tusculi in tribus urnis':

L · TVRPILEIO · L · F	*nostra* 65 *b*
M · TVRPILEIO · Q · F · L · N	*nobis deest*
Q · TVRPILEIO · L · F	*nostra* 65 *a*

Mur. 1678, 8 Tusculi:

C · FOVR	*nostra* 69
FOVRIO M · F · C · N	*nostra* 71
CN · FOVRIO	*nostra* 72
Q · FOVRIO A · F	*nostra* 67
C · FOVR · M F	*nostra* 70
P · FOVR · C · F	*nostra* 66
C · FOVR · A · F · MARCIA COIVNX	*nobis deest*
AN FOVR · M · F	*nostra* 68?

in quibus nihil inesse puto nisi tales fraudes, qualium in Neapolitanis edendis eundem Pollidorum toties convicimus.

Tractavit hosce titulos Ritschelius *de sepulcro Furiorum Tusculano* Berol. 4. 1853. pp. VIII.

73 Praeneste ad ecclesiam S. M. *dell' Aquila*

APOLON . . . .
METILIO . . . .
MAGISTER . . . . . .
CORAVERO . . .
CANICIOL · S . . . .   'sic' *Cecc.*
RIANDO . . . .

Cecconi *storia di Palestrina* (Ascoli 1756) p. 39 (inde Petrini *memorie Prenestine* Rom. 1795 p. 331 n. 25. p. 341 n. 76). — Legendum fortasse: *Apolon[e M.] Metilio [M. f.] magister [dat]. Coravero[n]t C. Anicio L. S . . . .* Versus extremus continetit opinor secundi curatoris nomen; quale tamen lateat gentilicium in litteris Cecconio visis RIANDO non assequor.

74—165 Praeneste a dextra eius, qui Roma venit, extra moenia ad meridiem versus in colle est sepulcretum, in quo sepulcrorum tres aetates discernuntur. Primae aetatis sepulcra cryptae sunt, non tectis arenatis, sed ad exemplum Caeretanorum antiquissimorum lapidum strue cuneata olim clausae; in his repertum est quidquid auri et argenti et eboris ex his effossionibus prodiit, item aerea complura antiquissima, neque tamen quidquam litterati (Henzen *Annali dell' Inst.* 1855 p. 76). Secunda aetate mortui sepeliebantur in sarcophagis ex lapide Albano *(peperino)* sive monolithis sive compositis, quorum singulis inditum erat aeris rudis frustulum; praeterea ibi reperta sunt '*tutti i vasetti chiamati etruschi, i vasi d'alabastro, que' di vetro colorato, le strigili, talvolta qualche arme di ferro ben corrosa ed ossidata ecc. Sopra varie di esse si è poi trovata altra piccola cassa pure di peperino con alcuni arnesi, forse d'uso femminile, consistenti in ciste, aghi di bronzo, specchj e cose simili, ed in una un piccolo arnese in avorio ben inciso con una figura grottesca in cima, rassomigliante a quel bastoncino, di cui si servono le donne al presente per appuntarci i ferri da far calzette*'. (Cicerchia apud Henzenum l. c. p. 75). Ad haec sepulcra pertinent bases quadratae ex lapide calcario cum pineis superimpositis, inserto intra basem et pineam capitulo ordinis plerumque Corinthii, quarum complures titulum habent modo in basi modo in ipsa pinea inscriptum. Tertiae aetatis sepulcra sarcophagi et ipsi sunt (cremandi enim ossaque colligendi consuetudo apud Praenestinos, cum hoc sepulcreto utebantur, nondum invaluerat; huius enim generis arcarum in eo non reperta sunt nisi rara vestigia), sed facile distinguuntur a praecedentibus primum loco, nam minus alte effodiuntur et illis olim superpositi fuerunt, deinde materia, tegulis enim constant, denique rebus simul inventis; iam enim aeri rudi ibi succedit signatum neque quicquam reperitur praeter monetam et ossa. Inter aes signatum notabiles sunt monetae quaedam Campanae (Bullett. 1858 p. 23). Sarcophagi tertiae aetatis latericii multo minore numero reperiuntur quam lapidei secundae. — Quod ad epochas attinet, quibus haec sepulcrorum genera tribuenda sunt, tertium testibus tegulis aliquot scriptis ex sarcophagis latericiis extractis ad imperatorum aetatem usque descendit. Contra secundum recte adsignabitur quinto sextoque, fortasse etiam septimo liberae rei publicae Romanae saeculo; nam eam aetatem plerorumque titulorum cum lingua tum scriptura aperte prae se ferunt neque civitatis Romanae, quam tamen Praenestinis lege Iulia demum a. 664 concessam esse constat, ullum indicium in titulis reperitur. Non obstat aeris inventio non signati, quod in civili sacroque usu etiam cum vulgo signabatur tamen rude mansisse cum raudusculum in mancipatione docet tum stipis coniectio hodie vulgo nota; cf. praesertim Tacitus hist. 4, 53: *passim iniectae fundamentis* (Capitolii) *argenti aurique stipes et metallorum primitiae nullis fornacibus victae sed ut gignuntur; praedixere haruspices, ne temeraretur opus saxo aurove in aliud destinato.*

Henzeni (*Annali dell' Inst.* 1855 p. 74 sq.) vestigia legens collegi hoc loco titulos sepulcrales quotquot loco indicato repertos esse accepi, consulto non reiectis iis quos aetatis longe recentioris esse apparet, ut sunt n. 94. 110. 129. 130. 131. Quosdam inde edidit Cecconius (1756) p. 16. 102, qui locum villam Rodiorum, mox Burriorum ea aetate dictum describit p. 16; eosdem rettulit paucis adiectis Petrinius (1795). Nostro demum tempore aestate a. 1855 in campo Dominici Mattia q. d. *la Colombella* tituli scripti inde protracti sunt ad octoginta, quos edidit Henzenus l. c. addito supplemento postea repertorum in vinea Agapeti Bandiera in regione S. Rocchi, quae proxima est fundo Mattiano, Bullett. 1858 p. 93—96. Idem Henzenus ectypa plerorumque cum Ritschelio communicavit. Usus est adiutoribus Giorgio, qui effossiones primum instituit, Petro Cicerchia Praenestino, qui iisdem sedulo institit, canonico Bonanni item Praenestino, qui et ipse complura misit ex lapidibus descripta, denique Rossio nostro, qui titulos plerosque cum cura descripsit. Lapides hodie servantur Praeneste in domo Barberina.

74 sub pinea.

C AMELIO · N · L

Ritschl tab. XLVI 44; Henzen n. 14.

Duas primas litteras infra fractas esse indicat Henzen; prima Ritschelio deest. Legendum videtur *C. Amelio(s) N. l.*

75 in pinea cum basi striata.

L · ANICI · V · F

Ritschl tab. XLV 2. Henzen n. 2.

76 in pinea.

ANICIA

Henzen n. 3, cui misit Cicerchia.

77 in pinea.

ANICIA · M · F

Ritschl tab. XLV 1. Henzen n. 4.

78 in columnae basi.

mINO · ANIA · C · F

Ritschl tab. XLVI 25. Henzen n. 1.

Id est *Minos (=Minor) An(n)ia C. f.* Quamdiu *honos* et *labos* in usu obtinuerint, tamdiu *maios* et *minos* quoque non plane oblitterata esse a gliscente rhotacismo consentaneum est. Contra *r* finalem in scribendo omissam esse ad exemplum litterarum *m s* posuit magis quam probavit Ritschelius (mus. Rhen. nov. 14, 399); nam eius modi usum antiquiora monumenta ad unum omnia ignorant neque quod librarii et quadratarii aetatis imperatoriae *similu* scripserunt, cum antiquissima litterarum illarum finalium in scribendo omissione iure componitur.

79 rep. in vineis e regione villae Rodi *Cecc.* in aed. Mocci *Petr.*

·ANTESTIA
POST

Cecconi p. 102. Petrini p. 372.

BOSTA Petr. Legerim *Postumi (uxor)*, non *Postuma*.

80 in basi columnae.

L · A//ION · I · L · AC

Ritschl tab. XLVI 47; Henzen n. 5.

L · AENTONI · L · AC tabula. Nomen *L. Antoni Laconis* tantae antiquitatis lapis nequaquam admittit; fuerit potius *L. A. C. (libertus)*.

81 in pinea.

M · APTRONIO ///

Ritschl tab. XLVI 26. Henzen n. 6.

Ab amptruando ductum nomen.

82 in pinea.

APTRONIA

Henzen n. 7, cui misit Cicerchia; puncta post litteras primam et secundam delevi.

83 in pinea rep. in villa Rodi.

C · AQVTI · C · F

Cecconi p. 16 (inde Petrini p. 381).

84 in pinea.

N · ATILIA · P · F

Henzen n. 8 ex schedis Petrinii. — Legi potest *Numeria Atilia P. f.*, quamquam mulierum praenomina raro scribuntur litteris singularibus.

85 in basi.

C · AVILIOS

Henzen n. 10.

86 rep. in vinea Bandiera.

A · BOVFILIO

Ritschl tab. XXXVI 57. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 1.

87 in basi.

M · CALTIVS · M · F

Ritschl tab. XLV 5. Henzen n. 12.

88 in basi cum pede ordinis Corinthii.

M · CALTI · M · F

Ritschl tab. XLV 6. Henzen n. 11.

89 in basi.

CALTIA · M · F

Ritschl tab. XLV 7. Henzen n. 13.

90 in basi.

C · CARMEI · C///

Ritschl tab. XLVI 27. Henzen n. 15.

91 rep. in vinea Bandiera.

S · CASIOS

Ritschl tab. XXXVI 61. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 2.

Lego *Spurius Cassius.*

92 in basi.

/CAVCI · M · F

Ritschl tab. XLVI 28. Henzen n. 9, qui lacunam initio statuit nullam.

93 Praeneste nuperrime rep.

C · CESTI · M · F

Ritschl tab. XXXVI 56. Ectypon misit Henzen.

94 aetatis recentioris, in basi ex lapide Albano.

EVCLESIS ·
CESTIA · Q · L ·
SALVE · VALE

Henzen n. 73, cui misit Cicerchia.

95 rep. in vinea Bandiera.

C · COMENI · N · F

Ritschl tab. XXXVI 54. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 3.

96 rep. in vinea Bandiera. Litterae exiguae sunt et parum cavae.

	fortasse
C COMENIAI CVF OR	C · COMENI · NOV · F OR

Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 4.

Bonanninus legit AICVS, Cicerchia AICVF; Henzenus in ectypo litteram tertiam similem reperit O infra apertae, extremam F potius credidit esse quam S. Equidem praecedente titulo collato *Nou(merii)* vel si magis placet *Nov(ii)* praenomen restituere ausus sum. OR est cognominis initium, Oratae fortasse.

97 sub pinea.

MINO · COPONIA · ARTOROMO

Ritschl tab. XLVI 29; Henzen n. 16.

Lectionem Henzenianam retinui. Extremi vocabuli ductus incertos esse Henzenus testatur; in tabula est litteris evanidis ARPOPOMIII.

98 rep. in vineis e regione villae Rodi *Cecc.* in aed. Mocci *Petr.*

P · CORDI · MATER
VALE

Cecconi p. 102. Petrini p. 373.

1 II CORDI Petr. — MAER Cecc.

99 rep. in vineis e regione villae Rodi *Cecc.* in aed. Mocci *Petr.*

CEMNA · CORDIA

Cecconi p. 102; Petrini p. 373.

C · EMNA · Petr. GEMINA videtur fuisse.

100 sub pinea.

C · CORIARIO

Ritschl tab. XLVI 30; Henzen n. 17.

101 sub pinea cum pede striato ordinis Ionici.

CORICIA

Ritschl tab. XLVI 31; Henzen n. 18.

Punctum post COR videtur casu accessisse.

102 in basi columnae.

L · CVPI · L · F

Ritschl tab. XLV 4. Henzen n. 19.

103 in basi columnae.

STA · CVPIO

Ritschl tab. XLV 3; Henzen n. 20.

104 in pinea.

CVRTIA ROSCI

Henzen n. 21, cui misit Cicerchia.

105 in basi columnae, litteris superne fractis.

EP VLEIA C F

Ritschl tab. XLVI 45 non dat nisi partem secundam; pleniorem habet Henzen n. 23. Videtur fuisse *Epuleia C. f.*

106 in pinea.

C · FABRECIO

Ritschl tab. XLV 8; Henzen n. 24.

107 in pinea.

M · FABRICI · K · F

Ritschl tab. XLV 9; Henzen n. 25.

108 in pinea.

MAIO · FABRICIA

Ritschl tab. XLV 10; Henzen n. 26.

109 in pinea.

GEMELAI

Ritschl tab. XLVI 33; Henzen n. 28.

110 in basi columnae.

P . GESSIVS · P · F
VALA

Ritschl tab. XLVI 34; Henzen n. 29.
Aetatis recentioris, quamquam eodem loco reperta.

111 rep. in vinea Bandiera.

P · HERENIO

Ritschl tab. XXXVI 58. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 5.
In tabula HE non cernitur.

112 in basi columnae.

L · IVNIVS · C · F

Henzen n. 30, cui misit Cicerchia.

113 sub pinea cum basi striata ordinis Ionici.

IVNIA · L

Henzen n. 31.

114 sub pinea.

V · LO

Ritschl tab. XLVI 35; Henzen n. 32.

115 sub pinea.

LORELANO · M · L

Ritschl tab. XLVI 36; Henzen n. 33.

116 sub pinea.

MAGOLNIO · PLA . F

Ritschl tab. XLVII 48; Henzen n. 36.
Lege *Plauti filius*, ut infra n. 191 *Pl. Specios.*

117 sub pinea.

M · MACOLNIO

Henzen n. 35, cui misit Cicerchia.

118 rep. in vinea Bandiera.

MGOLNIA

Ritschl tab. XXXVI 53. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 6.
Tabula MG, ut fuerit fortasse ductibus coartatis in ipso lapide MAG; nam de nexu M in huius modi titulis cogitari non debet.

119 rep. e regione villae Rodi.

P · MOP

Cecconi p. 102 (inde Petrini p. 384.)

120 rep. in vinea Bandiera.

M · MVTILIO · Q · F

Ritschl tab. XXXVI 59. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 7.

121 rep. in vinea Bandiera.

Q · MVTILIO

Henzen Bull. 1858 p. 74 n. 8.

122 in basi.

NVMTORIAI
M · OPI · ALBI

Ritschl tab. XLV 11; Henzen n. 37.
. . . MTORIAI tab.

123 in pinea.

OPI

Ritschl tab. XLV 13; Henzen n. 38.

124 in vinea Bandiera rep.

C · OPIO

Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 11, cui misit Bonanni.

125 in fragmento rep. e regione villulae Rodi sive Burri.

M · OPIO · M · F · L · N

Cecconi p. 16. Petrini p. 362.

126 in pinea rep. e regione villulae Rodi, extat apud Moccium *Petr.* Hodie desideratur.

P · OPIO · P · F

Petrini p. 362.

127 in basi.

SEXTO · OPIO · C · F

Ritschl tab. XLV 12; Henzen n. 41.

128 in pinea.

T · OPio · C · F

Ritschl tab. XLV 14; Henzen n. 42.
In tabula prima littera P potius videtur esse quam T.

129 basis, in cuius antica media vir rudi scalpro incisus est *Rossi*; rep. e regione villae Rodi *Cecc.* extat apud Moccium *Petr.* bodie apud Sebastianellium.

M · OPPI · M · F · ALB

Ritschl tab. XLVII 50; Cecconi p. 16; Petrini p. 362; Henzen n. 46, cui descripsit de Rossi. MOPPI · IMFALB tabula, male puto.

130 pinea rep. e regione villae Rodi *Cecc.* extat apud Moccium *Petr.* hodie apud Sebastianellium.

L · OPPI · L · F
FLACVS
PATR sic

Ritschl tab. XLVII 51; Cecconi p. 16; Petrini p. 362; Henzen n. 44, cui descripsit de Rossi.

131 pinea rep. e regione villae Rodi *Cecc.* extat apud Moccium *Petr.* bodie apud Sebastianellium.

L · OPPI · L · F
FLACVS
FILIVS

Ritschl tab. XLVII 52; Cecconi p. 16; Petrini p. 362; Henzen n. 45, cui descripsit de Rossi.

132 in basi.

OPIA

Henzen n. 43, cui misit Cicerchia.

133 sub pinea.

L · ORCVIOS

Ritschl tab. XLVI 37; Henzen n. 49.
Sequor Henzenum. Tabula ORC(vel ORCI) VIV (?) S. — Cf. C. Orchivius Cic. pro Cluent. 34, 94. 53, 147 al.

134 sub pinea.

M · ORCEVIO · M · F

Henzen n. 47 ex schedis Petrinii.

135 *sulla cornice superiore di un bassorilievo con molte figure trovato dirimpetto alla villetta Rodi.*

/ ORCEVIVS · M · F · NASICA

Petrini p. 362. — Lacunam notavi ego.

136 in basi pineae rep. e regione villae Rodi *Cecc.* extat apud Moccium *Petr.* Extare negat Henzenus; at nuper denuo reperta sit necesse est, cum tabula eam sistat.

MAIO · ORCEVIA · M · F

Ritschl tab. XLVII 49; Cecconi p. 16 (inde male Petrini p. 362).

137 sub pinea.

PESCN C L

Ritschl tab. XLVI 38; Henzen n. 51.
C///L/// · Henzen. Videtur legendum *Pescenia C. l.*

138 in basi.

C · PLAVTIO · C · F

Ritschl tab. XLV 18; Henzen n. 52.

139 in pinea.

PLAVTIA

in basi pineae:

PL

Ritschl tab. XLV 19; Henzen n. 53.
Inscriptionem in basi tabula non exhibet.

140 in pinea.

M · POMPONI · M · F

Ritschl tab. XLVI 39; Henzen n. 54.

---

141 in pinea.

POPILIA · M · F

Ritschl tab. XLVI 40; Henzen n. 55.

---

142 in pinea.

PROQIIIA · C · F

Ritschl tab. XLVI 32; Henzen n. 27.

FROQIIIA Henzen. Mihi est *Proqilia* sive *Procilia*.

---

143 rep. in vinea Bandiera.

A ROSCIO

Henzen. Bull. 1858 p. 94 n. 12, cui misit Bonanni.

---

144 in pinea magna.

RVTILIA · C · F

Henzen n. 56 ex schedis Petrini.

---

145 in pinea cum basi striata ordinis Ionici.

L · SAVFI

Ritschl tab. XLV 17; Henzen n. 57.

Tabula / SAVEL // ut videtur.

---

146 sub pinea.

OPI · SAVFIO · L · L

Ritschl tab. XLV 16; Henzen n. 58.

---

147 in pinea magna rep. e regione villae Rodiae, deinde apud Moccium *Petr.* Hodie desideratur.

SEHIAI · L · OPI

Petrini p. 362; Henzen n. 59 ex schedis Petrini.

SEHIA · L · L OPI sched. Petr., quod non intellego. Cf. n. 157.

---

148 in pinea cum basi ordinis Corinthii.

SELICIA · P · F

Ritschl tab. XLV 21; Henzen n. 60.

---

149 in pinea.

MARIA · SELICIA

Ritschl tab. XLV 20; Henzen n. 61.

---

150 in pinea.

//CIO · TAPIOS · M · L

Ritschl tab. XLV 22; Henzen n. 63.

luCIO non recte suppletur; hoc enim praenomen omnium maxime vulgare plene scribi non debuit. — *Tapios* est *Tampius*.

---

151 in pinea.

TAPIA · Q · VESTORI

Ritschl tab. XLV 23; Henzen n. 64.

---

152 in pinea.

TITIA · QV · AMI ////

Henzen n. 65.

---

153 in pinea.

MIN · TVTIA

Ritschl tab. XLVI 41; Henzen n. 41.

---

154 in pinea.

M · VAR

Ritschl tab. XLVI 42; Henzen n. 67.

---

155 in pinea.

GRAECA · VATRONIA

Ritschl tab. XLVI 43; Henzen n. 68.

---

156 in basi.

P · VEBIDIA · Q · F · NVMA

Henzen n. 69, cui misit Cicerchia.

Corrige VEBIDI vel VEBIDIO.

---

157 in pinea.

VEHILIAI · M · F

Henzen n. 70 ex schedis Petrinii.

---

158 rep. in vinea Bandiera.

Q · VSORO

Ritschl tab. XXXVI 60. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 9, ita vere legi in lapide testatus.

---

159 in pinea.

MPIO · FORTVM

Henzen n. 62 a Rossio, qui descripsit integramque dicit. Quare reiecta Henzeniana restitutione *tamPIO* scripserim MAIO · FORELANA.

---

160 rep. in vinea Bandiera.

GAIATRI

Ritschl tab. XXXVI 55. Henzen Bull. 1858 p. 94 n. 13 ad ectypon descripsit.

---

161 in pinea.

MINO /////L

Henzen n. 71.

---

162 in pinea.

Henzen Q · OVIIO · T · P

tabula L OPPIO ·

Ritschl tab. XLV 15; Henzen n. 50.

Videtur eadem esse. Neutra lectio vera est; na malteri hoc obstat, quod consonantes geminae non recte iunguntur cum *o* in casibus declinationis secundae.

---

163 in pinea.

MA

Ritschl tab. XLV 24; Henzen n. 34.

---

164 in pinea cum basi striata ordinis Ionici.

M

Henzen n. 72.

165

C/////////IO · C · L

Ritschl tab. XLVI 46; Henzen n. 22.

C initio non habet Ritschelius.

---

166 albo colore picta in vasis fracti collo, quod repertum Ardeae a. 1852 Romae modo fuit apud Io. Bapt. Guidi *Garr.*, nunc est in museo Campanae.

ÞMO · FAMILIAI · DONOM · I

Garrucci *Bull. Nap. N. S.* 1, 183 tab. VI, inde Ritschl tab. X H. Tractavit idem de fictil. litt. p. 26.

DONOM · I Brunnius, DONO · V] Garruccius. — *[Dr]omo fameliai dono u[rnam dat]* Garruccius, *[pr]omo(s) fameliai dono v[otom dedit]* Ritschl l. c.; *[Eros Marci h]omo fameliai donom d[at]* ego.

ANTIQVISSIMA EX PICENO.

n. **167—180** His ipsis diebus veterum Pisaurensium sacrum lucum votis idolis aris oblationibus refertum post tot saecula detegere mihi contigit'. Sic Olivieri marm. Pisaur. (1738) p. 201. Titulos ibi simul eodemque loco repertos et in museum Oliverianum statim illatos ediderunt mox Maffeius et Lanzius et hos secuti Muratorius Donatus alii, neque tamen ea cura, qua tantae vetustatis monumenta tractare par fuit. Sacrarii universi rerumque ibi repertarum accurata descriptio, parata ea quidem ab Oliverio et fortasse adhuc inter schedas eius reperienda, adhuc desideratur.

167 cippus altus 0.94, latus 0.42 — 0.35 metr.; litterae altae sunt 0.06 metr.

APOLENE

Ritschl tab. XLIII 6 dedit ad lapidem ut reliquas omnes. Maffei M. V. 470, 4 (inde Ritschl l. c. *g*); Lanzi 1, 164; Donat. 13, 3.
APOLENE Maffeius.

168 cippus altus 1, latus 0.245 — 0.22 metr.; litterae altae sunt 0.03 m.

CIISVLA
ATILIA
DONV
DAT DIANII

Ritschl tab. XLIV t. Male Maffei M. V. 470, 5 (inde Ritschl l. c. *i*).

169 cippus altus 0.89, latus 0.24—0.19 m.; litterae altae sunt paulo minus 0.04 m.

FERONIA
STA · TETIO
DEDE

Ritschl tab. XLIII a. Maffei M. V. 471, 1 (inde Ritschl l. c. *b*); Lanzi 1, 264.

170 cippus altus 1.15, latus 0.41—0.31 m.; litterae altae sunt 0.05 m.

FIDE

Ritschl tab. XLIV m. Maffei M. V. 470, 4 (inde Ritschl l. c. *m*); Donat. 13, 3.

171 cippus quadratus duabus partibus continuo inscriptis, altus 0.89, latus 0.40—0.37 m., litterae altae sunt 0.04 m.

IVNO · LO‖VCINA

Ritschl tab. XLIII h. Maffei M. V. 470, 5 (inde Ritschl l. c. *h*).

172 cippus altus 1, latus 0.47—0.38 m., litterae altae sunt 0.05 m.

IVNONII

Ritschl tab. XLIII f. Maffei M. V. 470, 4 (inde Ritschl l. c. *f*); Donat 13, 3.

173 cippus altus 1.11, latus 0.37—0.29 metr.; litterae altae sunt paulo plus 0.02 m.

IVNONE · RE
MATRONA
PISAVRESE
DONO · DEDROT

Ritschl tab. XLIII c. Maffei *oss. lett.* vol. 5 (1739) p. 187 (inde Mur. 1978, 9); M. V. 470, 6 (inde Ritschl l. c. *c*); Lanzi 1, 164.
1 REG et 4 DEDRON Maffei, male omnino.

174 conus altus 0.88 metr. cum basi quadrata alta 0.14 metr.; latus est in summa parte 0.26, in ima 0,44 m.; litterae altae sunt 0.05 m.

LIIBRO

Ritschl tab. XLIII d. Lanzi 1, 164.

175 cippus duabus partibus continuo scriptus, altus 0.56, latus 0.27—0.25 m., litterae altae sunt 0.03 m.

DEI · MARI‖CA

Ritschl tab. XLIV l. Lanzi 1, 164.

176 cippus quadratus duabus partibus continuo scriptis, altus 0.78, latus 0.39—0.36 metr.; litterae altae sunt paulo plus 0.05 m.

MAT · M‖ATVT

Ritschl tab. XLIV o. Maffei M. V. 470, 4 (inde Ritschl l. c. *o*); Donat. 13, 3.

177 cippus altus 0.72, latus 0.27—0.33 metr.; litterae altae sunt 0.03 m.

MATRE
MATVTA
DONO · DIIDRO
MATRONA
M · CVRIA — versus tres extremi
POLA · LIVIA — postea additi videntur
DEDA

Ritschl tab. XLIII a. Maffei *oss. lett.* 5 (1739) p. 187 (inde Mur. 1984, 9), M. V. 470, 7 (inde Ritschl l. c. *a*); Lanzi 1, 164; Orell. 1500.

178 cippus quadratus duabus partibus continuo scriptis

DEIV · NOV‖E · SEDE
(*versus ex‖cisus*)
T · POPAIO · PO‖P F

Ritschl tab. XLIV k. Edideram *unterital. Dial.* p. 342.
Versus secundi littera prima incerta est, videtur tamen T fuisse, non P. In fine POL Oliv., PPIE... Rocchi; secutus sum Ritschelianam tabulam a Rocchio denuo cum ipso lapide collatam, nisi quod secundam litteram quamquam formae ad D propius accedentis pro O habui.

179 cippus 1.02 m. altus, 0.415—0.36 latus; litterae altae sunt 0.05 m.

SALVTE

Ritschl tab. XLIV n. Maffei M. V. 470, 4 (inde Ritschl l. c. *n*); Lanzi 1, 164; Donat. 13, 3.

180 cippus fractus altus 0.24—0.205, latus 0.31—0.28 m.

NOMELIA
DEDE

Ritschl tab. XLIII e. Maffei M. V. 470, 5 (inde Ritschl l. c. *e*).
LIA hodie deest; supplevi ex Maffeio schedisque Oliverianis Rocchio visis.

Ad titulos hos interpretandos paucissima addam; facile enim intelleguntur neque huius loci est commentari de iis quae inde ad linguam antiquam et rem divinam illustrandam redundant. — Dii in his habentur hi Apollo (n. 167), Diana (n. 168), Feronia (n. 169), Fides (n. 170), Iuno (n. 171), Iuno Lucina (n. 172), Iuno Regina (n. 173), Liber (n. 174), diva Marica (n. 175), mater Matuta (n. 176. 177)', divi novemsedes (sic enim n. 178 legendum videtur, quamquam et de numero et de genere dubitari potest), Salus (n. 179), Latini omnes excepto uno Apolline, quem Graecum deum primum apud Latinos receptum esse constat. Inveniuntur inter hos dii postea oblivioni fere traditi, ut Marica Fauni uxor praeterea vix memorata nisi Minturnis, divi novemsides praeter grammaticos (a quibus venit carmen quoque Livii 8, 9) nusquam commemorati. Sacrarium matronarum Pisaurensium fuisse cum suadent dedicationes a matronis (n. 177) vel matronis Pisaurensibus (n. 173) factae, tum quod diis duo vel tres, deabus vero decem undecimve tituli positi reperiuntur; eminent vero super reliquas Iuno et mater Matuta. Dedicantium nomina reperiuntur virorum duo Sta(tius) Tettius (n. 169) et T. Poppaeus Pomponis (?) f. (n. 178), mulierum quattuor Cesula (= Caesulla Fest. v. Ravillae p. 274 Müll.; auct. de nom. §. 7) Atilia (n. 168), Mania Curia (n. 187), Pola Livia (n. 177), ... Nomelia (n. 180), quarum nullam praenomine carere inter indicia est remotissimae vetustatis. Idem de scriptura valet; frequentissima enim sunt A et A, II pro E, E, neque deest O infra aperta (n. 169. 174); contra quod A quo-

que non raro invenitur semelque visitur ι (n. 179), ne hos quidem titulos quominus quinto saeculo tribuamus impedit absolute. Lingua denique meram vetustatem spirat. Numquam reperiuntur in extremis vocabulis *m* et *s*, sed scribitur *dono* (n. 173. 177) et *donu* (n. 168), *Tetio* (n. 169), *Popaio* (n. 178), *Pisaurese* (n. 173), *nove sede* (n. 178), quod videtur esse pro *novem sedeis* (*unterital. Dial.* p. 342); saepe praeterea deest *t* extrema: *dede* (169), *deda* (177; cf. *unterital. Dial.* p. 237; Ritschl mus. Rh. nov. 14, 401), quamquam invenitur in *dat* (168) et *dedrot* (173). A diphthongis *ai oi ei* fere abstinuerunt horum titulorum scriptores: ita pro *ai* vel *ae* reperitur modo *a* in nominativo pluralis *matrona* (n. 173. 177) et in dativis primae *Feronia* (n. 169), *Loucina* (n. 171), *Marica* (n. 175), *Matuta* (n. 177), modo *e* in *Diane* (n. 168) et in *Cesula* (n. 168) pro Caesulla, scribitur tamen *Popaio* (n. 178); pro *oi* est *o* in *Lebro* (n. 174), quod consuetudo postea quoque retinuit; pro *ei* legitur *e* in *matre* (n. 177), *Iunone* (n. 172. 173), *Fide* (n. 170), *Salute* (n. 179), *Lebro* (n. 174), *sede* (n. 178), cum tamen reperiantur *Apolenei* (n. 167) et *deiv-* (n. 175. 178). Praeter haec reliqua etiam omnia quae in sermone horum titulorum singularia inveniuntur vetustissimam aetatem clare arguunt, id est aetatem bello Hannibalico vel anteriorem vel certe supparem. Verum est anno demum u. c. 570 coloniam civium Romanorum deductam esse Pisaurum; neque tamen quicquam impedit, cum Senones exacti reperiantur a. 471, condita sit Sena circa idem tempus pauloque postea a. 486 Ariminum, quominus Pisaurum antequam in coloniae formam redigeretur per integrum saeculum conciliabuli civium Romanorum locum obtinuisse statuamus. Ante saeculum tamen quintum extremum titulos hos reicere rerum memoria non permittit.

---

181 'ad angulos tabellae tria visuntur adhuc clavorum capita, quibus olim fuit infixa' *Maff.* '*Je rencontray en Fermo un libraire, qui me dist que l'an* 1548 *lon trouva dans la montaigne, qui est au milieu de la cité, que les habitants nomment Gerone e Girifalco, en XVII vases de terre III livres et demy de medailles d'argent, avec une petite figure de métal et en un tableau de cuivre engravé les noms de ces personnages*'. *Symeon*, quod videtur fide dignum. Contra *Ligoriani auctores*, inter quos sequor praesertim Metellum apud Smetium, rem sic narrant. Firmi in agro Piceno repertam esse urnam cretaceam in qua essent nummi argentei variorum vultuum pondo assium IVS, et tabellam aheneam L. Pessennii; ibidem alteram tabellam aeream quinque quaestorum in simili urna repertam esse et cum ea monetam aheneam pondo assium CCLXX (CCCLXX *Don.*). Quae narratio aperte eadem est ac Symeoniana, sed immutata et cum propter auctorem minus probabilis tum propter argumentum; nam tabellam hanc intra urnam repositam fuisse nemo credet neque quisquam sani iudicii Iovis Stigii tabula Symeoni adhuc ignota quin spuria sit dubitabit. Alteram tabellam apud Coluccium Ligorius narrat factam esse cardinalis Ranucii Farnesii, alteram Bernardini Maffei. Post aliquot saecula deinde quaestorum tabella in museo Veronensi rursus emergit teste *Maffeio*; ubi cum hodie desideretur, nuper eam Aem. Huebnerus in museo Parisino denuo investigavit.

L · TERENTIO · L · F
C · APRVFENIO · C · F
L · TVRPILIO · C · F
M · ALBANI · L · F
T · MVNATIO · T · F
QVAISTORES
AIRE · MOLTATICOD
DEDERONT

Dedi ad ectypon missum ab Huebnero. Ed. Symeon *observations antiques* Lyon 1558 p. 61; Manutii orthogr. (1566) p. 540, 1; Ursinus apud Grut. 52, 12 et apud Fabrum imag. ill. 1606 p. 26; Smetius 25, 4 (inde Grut. l. c.) a Io. Metello Burgundo; Ligorius apud Gud. ms. 1474, 8 (inde Grut. l. c. in notis ed. 2) et in ms. Taur. vol. 8 et apud Mur. 486, 3 et Coluccium ant. Pic. 2, 39; Fabrett. 241, 652 = 643, 367 ex schedis Barb.; Donius 5, 161 (inde Donat. 264, 2) e cod. Vat. 6038; Maffei M. V. 469, 2.

Formas litterarum L P servant Maffeius et ex parte Faber. — 1 L · TERENTIO solus Ursinus apud Grut. et Fabrum; praenomen deest apud reliquos neque in ectypo apparet. — 2 recte unus Ursinus apud Grut. et Fabrum; praenomen omittunt reliqui nomine praeterea corrupto in APVFENIO vel A · RVFENIO.

Alter qui simul repertus esse perhibetur titulus, quem proponunt Smet. 25, 2 (inde Grut. 52, 11. Orell. 1265) et Ligorius apud Gud. ms. 1474, 6 et Coluccius ant. Pic. 2, 30 ex antiquioribus rerum Firmanarum scriptoribus, hic est aperte falsus:

L · PESSENNIVS · T · F
MIRCVRIO · DONO · DEDIT · MERETO

in altera parte sic:

SACRA · IOVI · STIGIO

1 PESCENNIVS Grut. ed. 2., FESCENNIVS Col. — 2 MERCVRIO Col. — MERITO Col.

ANTIQVISSIMA EX MARSIS.

182 lapis repertus dicitur aream tegens ex tegulis compactam, in qua inventi sunt nummi septem et lanceae cuspis et pugio. Ipsi lapidi imposita fuit basis quadrata alta palmos c. 2 cum anulo. Inventus est 'in Marsis prope Milioniam', quod oppidum eo tempore collocare solebant in monte de Vico prope Lecce III m. p. ab Opi. — Frustra quaesiverunt Phil. Placidi et Garrucci.

V·AtIIDIVs
VIIsVNII
IIRINIII·IIT
IIRINII
ΓATRII
DONO·MIIrI
LIBs

Ritschl tab. III D ex Lanzio *saggio* III, 619 tab. XVI n. 2. 3, cui dedit abbas Marinus Tomassetti; iudidem I. N. 5483.

Tractavi *unterital. Dial.* p. 345; lectio tamen ita incerta est, ut titulo parum uti liceat. II et III descriptor confudit, S ubique corrupit aliaque etiam elementa ita deformavit, ut vix agnoscas, de quibus tabula conferenda est. — 1 expectaris *Atiedios.* Nomen Atiedii in his partibus aliquoties reperitur. — 2 *Vesuna* dea redit in titulo Campano Osce scripto (Bull. Nap. N. S. 2, 167), item in altero Volsco Antini Marsorum reperto (*unterital. Dial.* p. 321; Corssen de Volsc. lingua p. 26), denique in Umbris tabulis Iguvii repertis (*Aufrecht et Kirchhoff, umbr. Sprachdenkm.* 2, 365) adiecto genetivo *Puemunes Puprikes;* quo genetivo non patrem, quod placuit Aufrechtio, sed maritum potius significari censeo, nisi subest potius dictio aliqua *genio Iovis* comparanda. Quo pertinuerit cum *Vesuna* haec *Puemunes* (Pomoni?) uxor, tum *Vesuna Erinia* tituli Latini, adhuc latet; nam quod Aufrechtius (1, 102) Vestam Romanorum comparavit, paenitet me probasse. Non magis constat de Erine patre, quem male Kirchhoffius 1, 365 patrem Vesunae credidit; patris enim adiectio in diis alio pertinere solet. Comparandae fortasse *Heries Iunonis* (Gell. 13, 23 [22]) et *Heres Martea* (Fest. ep. p. 100). — 6 MIIL·I traditur, quod falsum esse vel L litterae forma cum LIBS sequentis versus collata evincit. In lapide fuit sine dubio MIRI vel MIRIL. — 7 littera s in tabula adest quamquam corrupta defenditurque *libs* pro *libes, libens* titulo sequente.

183 Trasacci fuit in epistylio eiusdem portae ubi inventa est n. 184. Hodie dicitur extare Neapoli apud hominem nomine Sorentino.

VICOS·SVΓM
VICTORIE SEINQ
DONO·DEDET
LVBS·MERETO
QVEISTORES
SA·MAGIO·ST·F
ΓAC·ANAIEDIO S /

Edidi I. N. 5567 ex schedis Brocchii et Avezzanensibus.

Brocchius puncta nulla habet. — 1 VECOSSVPN Brocchi. Vici nomen eo minus restitui potest, quod Trasacco quomodo aetate Romana dictum sit, adhuc ignoratur. — 2 SINQ Brocchi. Cum in lapide pro quaestore *queistor* sit, *seinq.* fortasse cognatione coniunctum est cum Sancus sanqualisque vocabulis. — 3 DED·ET sched. Avezz. — 5 QVESTORES Brocchi. — 6 MACIO sch. Avezz. — 7 PAC Br., TAC sch. Avezz. — SI traditur; scribendum S·F, id est Spurii filius.

---

184 prope Trasaccum in ripa lacus Fucini *Gud. 'all' imposta di una stalla dietro i fossi' Brocchi.* Hodie dicitur extare Neapoli apud Sorentino quendam.

SA·STA·FL·
VIC·D·D·L·
M

Edidi I. N. 5568 ex Phoebonio schedisque variis; lectio non variat, nisi quod Phoebonius pro SA·STA compendiis male solutis dedit SAL·SANCTAE.

Lege SAlenus STatius FLavii VICtoriae Donum Dant Lubentes Merito. Titulus propter solam cum praecedente coniunctionem hoc loco retentus vel propter sigla D·D·L·M praecedente multo recentior iudicandus est, neque tamen ita recens videtur, ut cognomen in eo admittatur.

ANTIQVISSIMA VENVSINA.

185 Venusiae olim in exteriore parte aediculae S. Nicolai della Capuana, ubi iam non extat.

/ / / / / / / / / / /
/ / / / / / / / / / /
/ / / / / / / / / / /
Q · RAVELiO / /
P · COMINIO · P · F
L · MALIO · C · F
QVAISTORES
SENATV D
CONSVLVERE
IEI / CENSVERE
AVT · SACROM
AVT · POVBLICOM
ESE / / / / / /

Ed. Fabrett. 242, 665; Aegyptius S. C. de Bacch. p. 152; Cimaglia p. 69 (inde Donat. 264, 8); Lupoli p. 297. Inde Orell. 3527; I. N. 715.

Initio tres vv. deesse notat Cim. solus. — 1 RAVEL/O Cim. qui notat: *clare visitur* L *littera et spatium post eam vel* L *vel* I *explendum.* RAVELO Fabr. Lup., RAVEIO Aeg. — 1 in f. lacunam nemo notavit. — 2 C · P Aeg. Lup. — 4 QVAESTORES Fabr. — 5 '*inter* SENATV *et* D *tres fere pollices nudi lapidis intersunt*'. Cim. — 6 COSOLVERE Aeg. Lup., improbante Cimaglia. — 7 IEId *Cim.*, IEI/ Lup., IEI · Aeg., ET · Fabr. Fortasse scribendum IEIS. — 9 POVBLICO Fabr.

186 Venusiae olim in quadam domo capituli adversus portam arcis. Videtur periisse.

/ / / / / / / / / / /
/ / / / NATV
CONSOLTVDE / / /
AVT SACROM
AVT POVBLICom
LOCOM · ESE · Q / / / /
CENSVERE

Ed. Corsignani p. 10; Aegyptius l. c.; Cimaglia l. c. (inde Donat. 264, 9); Lupoli l. c. Inde Orell. 3528; I. N. 716.

1 . . NATV . . Cors., . . NATVS Aeg. Lup., improbante Cimaglia. — 2 COSOLTV . . FE . . Aeg. (inde COSOLTV . FF . . Lup.) improbante Cimaglia, qui notat: *clare apparet* τὸ F *fuisse* D, CONSVLTV . . FE . . Cors. — 3 om. Cors. — 4 AVT . . . . PVBLIC . . . . Cors. AVT POVBLICOM Lup. — 5 LOCOM . . ESE . . Cors. — Q . . Cim., O . . Aeg. Cors. Lup. — 6 CENSAERE Cors. — Infra fractam facit Lup.

Explicationem horum titulorum incertam reddit obscuritas eius loci qui est prioris 5.6 et alterius 1.2, ubi cum accurate magis quam docte descripti sunt, corruptela videtur latere, quam non habeo quomodo cum aliqua probabilitate emendem. Nam de quo cogitavi SENATVOM, ut D pro O accipiatur ut in senatus consulto de Bacchanalibus, nimis singulare est debuitque certe ex analogia esse *senatuem*. Vix tamen aliud in dubiis locis his inest quam quod primum se offert quaestores senatum consuluisse. Quod quamquam quaestoribus Romanis non licuit, tamen Venusini hi sex numero vel certe supra tres alius generis omnino fuerunt componenturque rectius cum quinque quaestoribus Firmanis n. 181, item cum Romanorum IIIviris sacris conquirendis donisque persignandis (Liv. 25, 7) aetatisque imperatoriae curatoribus quinque locorum publicorum iudicandorum (Grut. 200, 6; Fabrett. 656, 482), potuitque eiusmodi collegio ius dari referendi ad senatum. Sententiam autem eo niti, quod deorum publicorum quod est et ipsum populi est (cf. Liv. 25, 1: *in publico sacrove loco*), facile quivis intelleget iuris publici Romanorum non ignarus.

ANTIQVISSIMA LOCORVM INCERTORVM.

187 tabella ahenea olim parieti affixa clavis (quattuor enim in extremis angulis posita cava non puncta sunt sed foramina), quae ubi reperta sit non traditur. Innotuit primum Romae ex museo Antonii Sabatini *Vign.* Ibidem primum, deinde in museo Alexandri Albani extitisse narrat *Lanzius*; Veronae apud Musellium (a quo titulum accepit descriptum Muratorius) *Tommasellius* in compendio operis Maffeiani p. 134; contra ibidem in museo publico n. 473 tabellam extare auctores sunt *Maffeius* M. V. et *Tommasellius* in elencho. Hodie ibi desideratur furto ablata; contra exempla duo extant alterum Pesthini in museo publico certo falsum, alterum Monachi in antiquario fortasse genuinum idque ipsum credo quod fuit olim Veronae.

M · MINDIOS · Ⅼ · FI
P · CONDETIOS · VA · FI
AIDIⅬES · VICESMA · PARTI
APOⅬONES · DEDERI

Ritschl tab. II B ad aes Monacense. Ed. Vignoli col. Anton. (Rom. 1705) p. 339 aere expressam; Mur. 22, 8 cui misit Iohannes Franciscus Musellius archipresbyter cath. Veronensis; Lanzi 2, 275 (inde Orell. 1433) ex schedis ab Serassio sibi exhibitis; Massmann libell. aur. p. 40 exemplo Monacensi buxo expresso. Citat damnatque Maffei M. V. p. 175. 471, immerito credo; certe quamquam exemplum Veronense falsum esse potuit, ad archetypum genuinum id factum esse nemo sanus dubitabit.

In lectione cum Ritschelio plane consentiunt Vignolius et Lanzius et Massmannus; Muratorius quod exhibet VICESIMA et DEDERE, venit ex arbitrio describentium, non ex aereorum exemplorum diversitate.

De vicesima Apollini oblata vide quae monebimus ad lapides Mummianos. — 2 VA fortasse *Valesus* est sive *Volesus*. — 3. 4 dubitari potest *vicesma parti* utrum quartus casus sit an sextus; utrumque enim dicitur *decumam dare* (Orell. 1756) et *de decuma dare* (Orell. 1862). Sed illud praeferendum, cum D in ablativo primae praesertim declinationis hac aetate raro absit, contra M extrema passim neglegatur. Deinde *Apolones* est sine dubio genetivus singularis diciturque *vicesima Apollinis* ut *pars Herculanea*; nam plures Apollines ab aedilibus dedicatos esse numinis, cui dedicarentur, nomine non adscripto quis credet?

---

188 lamella aerea, quam Romae apud antiquarum rerum negotiantem emit Friedlaenderus intulitque museo regio Berolinensi.

m. aim|ⅬIO · M · F · C · AN|*io c. f.*
prai|TORIS · PRO · PO|*plod*
di|TI · DIOVE · DEDE|*re*

Ritschl tab. II F ad aes. Edidi Bullett. 1846 p. 90.

1 extrema littera aut N aut M fuit. — 2 *praitoris* scripsi magis quam *quaestoris*, cum pro populo dedicare soleant magistratus summi; certe non fuit *dictatoris*, cum sint duo. — POPLOD Friedlaender proposuit, recte fortasse; male ego olim *po[testa]ti*, cum hac aetate vocabula in versibus extremis non dirimantur. — 3 MARTI vel simile quid non suppleverim, ne Iupiter secundo loco collocetur; neque aptius inveniri potuit quam Diiovis numen, quod duplici *i* scribi ostendit Gellius (5, 12; cf. Quintil. 1, 4, 17, item Liv. 31, 12, ubi pro *deo Iovi* recte videtur emendatum *Diiovi*). Forma haec cum *i* duplici nasci non potuit ex simplice Diove; contra Dis-Diovis potuit fieri primum Di-Diovis, deinde Di-Iovis. Videtur autem dives Iovis idem fere esse ac infelix Iovis sive Veiovis, id est deus summus infernus, unde in devovendo invocantur *Dis pater Veiovis manes* (Macrob. sat. 3, 9, 10), neque recte, siquid video, Prellerus (myth. Rom. p. 238) postea demum numina haec confusa esse credit.

---

189 lammina ahenea olim Romae in museo Borgiano, nunc Neapoli in museo Borbonico.

IVNONEI
ⅬOVCINA

Ritschl tab. II D ad aes. Ed. Lanzi *saggio* 3, 620 ed. 1., I. N. 6762.

---

190 parva basis ex lapide, quae ubi reperta sit quamquam non traditur, videtur tamen Romae vel in agro Romano alicubi effossa esse. Extat Florentiae in museo Mediceo.

// MISIO MAR*ti*

M · TEREBONIO · C · Ⅼ
DONVM · DAT · ⅬIBEN*s*
MERITOD

Ritschl tab. L D ad lapidem. Ed. Gori inscr. Etr. 1, 18 n. 28 (inde Mur. 110, 10), denuo ad ectypon a Ribbeckio mecum communicatum ego mus. Rhen. nov. 9, 454 cum tabula lithographica.

1 dei nomen explere non potui. Prima littera quae superest dimidiata aut A fuit aut potius M, reliquae satis certae sunt, etsi O aliquid damni passa est et sequentis M prior pars evanuit. Cogitavi aliquando de deo *Marte sive Numiterno* tituli Atinatis I. N. 4539, sed ut Numiternum etiam Numisium dici potuisse concedas, non habebimus sic nisi aenigma idem bis repetitum.

---

191 plumbea lammina originis incertae; extat Florentiae in museo Mediceo n. 1525.

PⅬ · SPECIOS

MENERVAI
DONOM
PORT

Ritschl tab. II C ad aes. Edidit Gori inscr. Etr. 1, 68 n. 190, unde Mur. 52, 11 et Orell. 1421 repetierunt. — *Plauti* vel *Plautii* praenomen redit in Praenestina sepulcrali n. 116 PLA · F. — *Portandi* vocabuli in huiusmodi dedicationibus alterum exemplum non novi et mire sane sic dicitur, neque tamen, quamquam tertia littera in tabula imperfecta est, lectio videtur posse in dubium vocari.

192 tabula aerea fracta originis incertae; extat Romae in museo Kircheriano.

T
ID
AT
ⱶ
VAD
VEⱶIT
COD
ⱶEIBER

Ritschl tab. II I ad aes. Ed. Brunati mus. Kirch. inscr. p. 20 male.

193 tabella ahenea utrimque scripta. Reperta videtur Romae vel in agro Romano; extat Gothae in museo ducali Indicavit nobis Iul. Friedlaender.

ab una parte

*no*MINID · M · O C*tavi*
per E Ր I O M · F V Ⱶ *viom*
ob / Ⱶ A T V D
T Ր O N T *i*

ab altera

I I I
V I T
A S
N O M

Ritschl tab. IV B ad ectypum, quod ego quoque tractavi. Quae in tabula esse potuerint magis quam quae ibi fuerint supplementi loco adscripsi.

194 locus in codice, unde prodit, non indicatur; collocata tamen est ibi inter Romanas.

CIA PACIA MINERVA
BRAIS · DATAS · PID · SEI · DD · I
BRATOM PAMPPERCI
SEFFI · I · NOM · SVOIS
CNATOIS

Ex sylloge inscriptionnm ms. Gudianis inserta fortasse Belloriana edidi *unterital. Dial.* p. 364 tab. XV. Cuiusnam dialecti sit, non constat; nam neque de tituli origine traditur quicquam neque quod intellegi potest cum ulla ex notis Italicorum hominum dialectis accurate convenit. Intelleguntur autem prima tantum et extrema *[Lu]cia Pacia Minerva (= Minervae) [et ....]brais dat...... seffi (= sibi;* cf. *tefe* Umbrice = *tibi) inom (= et,* Umbrice *enom) suois cnatois.* Numinis secundi nomen explere non potui; denique media frustra temptavi, nisi quod in mentem mihi venit in v. 2 inesse formulam *sei d(eus) d(ea) est,* in 3 v. extr. vocabulum parcendi.

COLVMNA ROSTRATA

C · DVILII · COS · A · V · C · CDXCIV.

195 C. Duilio cos. a. 494 columna in foro posita est propter victoriam navalem rostris captarum navium exornata, de qua auctores antiqui rettulerunt haec. Plinius h. n. 34, 5, 20: *non vetus est bigarum celebratio — — antiquior columnarum, sicuti C. Maenio qui devicerat priscos Latinos — — eodemque in consulatu in suggestu rostra devictis Antiatibus fixerat anno urbis CCCCXVI; item C. Duillio, qui primus navalem triumphum egit de Poenis, quae est etiam nunc in foro.* Quintilianus inst. 1, 7, 12: *Latinis veteribus D plurimis in verbis adiectum ultimum, quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quae est Duellio in foro posita.* Silius 6, 663 sq. in descriptione tabularum pictarum templi Liternini: *Aequoreum iuxta decus et navale tropaeum rostra gerens nivea surgebat mole columna; exuvias Marti donumque Duilius, alto ante omnes mersa Poenorum classe, dicabat.* Servius ad Georg. 3, 29: *Rostratas duas Duillius posuit victis Poenis navali certamine, e quibus unam in rostris, alteram ante circum videmus a parte ianuarum.* Cf. Beckeri Topogr. p. 323. Columnam non a C. Duilio, sed C. Duilio a populo Romano positam esse et meliorum testium auctoritas evincit et columnarum similium comparatio et quod Duilium victoriae monumentum Iani templum in foro holitorio struxisse traditur (Tac. ann. 2, 49. Becker Top. p. 259. 603). Similiter paulo post M. Aemilio Paulo consuli a. 499, qui classe vicerat Carthaginienses ad promontorium Hermaeum, item columna rostrata in Capitolio posita est (Liv. 42, 20). — Columnae huius pars eo loco, quem veteres indicant, id est in ipso foro reperta est a. 1565. 'Infra Capitolium ad arcum Septimii vetustissima inscriptio nuper effossa anno MDLXV mense Sextili' *Manutius* (1566). 'Superioribus annis in Capitolinis urbis ruinis reperta' *Panvinius,* qui rumores incertos in hac re videtur secutus esse. 'Columnae basis seu parastata potius non procul ab arcu Septimii in foro ipso Romano proximis superioribus annis e ruderibus effossa fuit, sed ea reliquis partibus integra, qua inscriptionem habuit pluribus locis fracta est'. *Ciacconius* p. 6 ed. Lugd. '*Fu molti e molti anni sono cavando trovata poco piu oltre dell' arco trionfale di Settimio Severo vicino quasi a quella colonna* (Phocae imp.) *sola ch'è rimasta in piedi rimpetto alla chiesa di S. Adriano sopranominata in tribus foris' Gauges de' Gozze* p. 5. 'Visitur in Capitolio' *Lipsius* 1568. Hodieque servatur ibidem in aedibus Conservatorum Capitolinis. Lapis est ex Pario marmore.

secest~~AN~~Q*que* . . . . *op-*
sidione~~D EXE~~MET·LECION*Esque cartaciniensis omnis*
*ma*XIMOSQVE·MACISTRaTOS *Luci palam post dies*
*n*OVEM·CASTREIS·EXFOCIONT·MACEL*amque opidom vi*
*p*VCNANDOD·CEPET·ENQVE·EODEM MAC*istratud bene*
*r*EM · NAVEBOS · MARID · CONSOL · PRIMOS · C*eset copiasque*
*c*LASESQVE · NAVALES · PRIMOS · ORNAVET · PA*ravetque*
CVMQVE·EIS·NAVEBOS·CLASEIS·POENICAS·OMN*is, item ma-*
*x*VMAS · COPIAS · CARTACINIENSIS · PRAESENTE*d hanibaled*
DICTATORED·OL*or*OM·INALTOD·MARID ~~PVG~~*Nandod vicet*
*v*IQVE·~~NAVE~~*is cepe*T·CVM·SOCIEIS·SEPTER*esmom unam quin-*
*queresm*OSQVE·TRIRESMOSQVE · NAVEIS · X*xx merset xiii*
*auro*M·CAPTOM·NVMEI. ↀↀↀDCC
*arcen*TOM·CAPTOM·PRAEDA·NVMEI·ↀ
omne·CAPTOM·AES·ↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀ
ↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀↀ*pri-*
*mos qu*OQVE · NAVALED · PRAEDAD · POPLOM *donavet pri-*
mosque CARTA~~CINI~~*ens*IS *inge*NVOS·D*uxit in*
triumpod EIS ~~CAPT~~

Ritschl tab. XCV; idem antea ediderat in programmate Bonnensi a. 1852 addito editionum priorum recensu variaque lectione adnotata. Nos copiis eius usi nostra opera subinde correctis et auctis in utroque genere ea tantum ponere voluimus, quae adhuc aliquam utilitatem habent post editum exemplum ad ipsum lapidem diligenter exceptum. Edidit primus *Aldus Manutius* a. 1566 orth. 142, 2; deinde *Lipsius* et in lect. antiquis (1575) l. II c. 14 et in auctario Smetiano p. 5, ubi adscripsit 'ego vidi et descripsi anno LXVIII'; item Petrus *Ciacconius* Toletanus mortuus Romae a. 1581, cuius 'in columnae rostratae C. Duilii inscriptionem coniectura suppletam commentarius' prodiit demum post mortem auctoris Romae a. 1586 (qua editione cum carerem, adhibui repetitiones duas, alteram editam Lugd. Batav. ex officina Plantiniana 1597. 8 ubi etiam principis editionis locus annusque affertur, alteram insertam Ciacconii opusculis Rom. 1608. 8; legitur praeterea in thesauro antiq. Rom. Graeviano t. IV p. 1807 sq.) Mox aere expressit *Lafrerius* in speculo Romanae magnificentiae, cuius tabulam cum alii repetiverunt tum *Pighius* in annal. 2, 24, qui praeterea statim post inventum lapidem descriptum eum accepisse se scribit a Nicolao Florentio Batavo. Onuphrius etiam *Pancinius* († a. 1568) columnae rostratae inscriptionem posuit in commentario 'de triumpho' edito post mortem auctoris primum quantum video Venetiis a. 1571 (nam qui prodiit Venet. 1557 una cum eiusdem auctoris fastis consularibus triumphorum recensus a quibusdam male cum illo de triumpho commentario confusus totus diversus est), deinde cum alibi repetito tum in thesauri antiq. Rom. Graeviani t. IX; qui cum eam inscriptionem profiteatur (p. 1383 Graev.) imprimendam se curasse 'ex auctoritate veterum scriptorum ab Antonio Augustino, Carolo Sigonio et Fulvio Ursino suppletam', non ex ipso lapide eam excepisse videtur, sed fere ut scalptor Lafrerianus ex doctorum virorum quae tum circumferebantur exemplis. Secuti sunt Gruterus 404, 1, qui sumpsit a Lipsio; Gauges de' Gozze Pisaurensis (*iscrittione della base della colonna rostrata* Romae 1635. 4. pp. 41; Latine versa legitur in Graevii Burmannique thesauri antiq. Ital. tomi IX parte VIII); Elias Boherellus, cuius exemplum c. a. 1663 ex lapide exceptum edidit Graevius in thesauri antiquit. t. IV (1697) praef.; Lanzi *saggio* 1, 148; adscitis Grotefendianis supplementis Orellius n. 549, qui deinde in analectis epigraphicis (1838) emendavit ad exemplum Kellermannianum, aliique complures.

De lectione hodie ita constat, ut quid priores subinde peccarint singillatim enumerare supervacaneum sit; hoc videndum, num antiquiores titulum quibusdam locis viderint pleniorem quam nunc est deminuto lapide in marginibus ante quam basi insereretur ei, qua nunc cernitur inclusus. In qua re diiudicanda longe primum locum obtinet exemplum Manutianum et antiquissimum omnium et supplementis omnino nullis corruptum, sed ex lapide simpliciter exceptum. Praeter hoc Lipsianum quod in auctario legitur inter Lipsiana optimum adhibui, quoniam et aetate secundum est et a supplementis et ipsum liberum; item Ciacconianum, in quo supplementa a parte antiqua sedulo distinguuntur; denique admisi Lafrerianum, quanquam ex apographo supplementis aucto ita profectum, ut litteras minusculas scalptor vellet quidem abicere, aliquoties tamen incuriose retineret, unde exempli causa initio versus adhaesit ficticius totus hic C·D...... M·F·M·N·C....L......
Exemplum Panvinianum Lafreriano simillimum consulto sprevi; reliquorum vero exemplorum aetatis posterioris in hac re usus nullus est. Sunt autem loca quattuor vel quinque, ubi illi auctores aliquid videantur vidisse, quod hodie deest: v. 3 med., ubi cum MACISTRATOS primus Ciacconius dederit, MAGISTRATOS Man., MACISTRATOS Lips. Lafr. habent littera tamen fortasse tacite suppleta; v. 10 extr., ubi LVCV Manutius, PVCN Lipsius dederunt, ut litteram quartam ibi praeter PVC etsi non integram uterque videatur deprehendisse, cum posteriores ipsique Ciacc. et Lafr. non viderint nisi quod adhuc superest PVC; v. 12 incip., ubi OSQVE Manutius Lipsius Ciacconius Lafrerius testantur sane ex lapide, in quo hodie OS deest; v. 18, ubi CARTACINI cum hodie ita supersit, ut quattuor postremarum litterarum vix appareant apices summi, Manutius qui edidit CARTACINI has litteras plenas adhuc vidit (solet enim fractas litteras fere neglegere), idem Ciacconius posuit, CARTACINI////s Lipsius, Lafrerius denique una sine supplementi temptamine CARTACINIENSI·N; denique v. 19, ubi cum in ea parte quae respondet litteris CINI versus prioris hodie nihil supersit, Manutius tamen Ciacconius Lafrerius eo loco referunt EI, Lipsius EIS. — Minoris momenti sunt, sed tamen notanda 2 extr. LECIONES Lips. (LECION Man. Ciacc.), cum in LECIONES A Lafrerii ultima certe littera remanserit ex supplemento *romanas*, 3 incip. AXIMOS Lips. Ciacc. Lafr. (XIMOS Man.), 4 extr. MACEL Lips. Ciacc. Lafr. et ita reliqui (MACE Man.), 9 incip. SVMAS Lips. Lafr. (VMAS Man. Ciacc.), 13 incip. OM Lips. ON Lafr. (M Man. Ciacc.), 14 extr. praeter

notam numeralem adhuc superstitem alterius vestigium c Ciacc. et in tabula habet et in commentario de ea re testatus est (om. reliqui), 17 incip. TOQVE Lips. (OQVE Man. Ciacc. QVE Lafr.). Horum similia quae apud posteriores hic illic inveniuntur cum desint et apud Manutium et apud Lipsium et Ciacconium, omnia ex supplemento proficisci constat. — Praeterea de lectione pauca adnotanda sunt. V. 3 extr. littera fracta Manutio est I, Lipsio et fere omnibus reliquis L. 'In marmore, Ciacconius ait, post vocem MACISTRATOS est L tantumque spatii restat inferiore parte vacuum, ut nulla alia vocalis nisi V post L scripta fuisse videatur'. Tabula tamen admittit etiam E. — 8 NAVEBOS quadratarius emendavit, cum primum scripsisset NAVEBVS; cuius erroris indicium olim fortasse tectorio inducto latebat. — 9 SVMAS si in lapide est fuitve, scribendum erit MAXSVMAS. — 11 SEPTER Lafr. Gozz. Kell. Ritschl; SEPTEM Manut. Lips. Boherell.; alterutrum ex lapidis vestigiis erui posse crediderunt Ciacconius et Brunnius. — 13 'nihil in lapide fuisse potest nisi aut DC aut quod est probabilius DCC' Ritschl. DCC Man. Lafr. Ciacc., DC reliqui. — 19 aut CAPT aut CART in lapide fuit.

Supplementa adhibitis Ciacconianis Pighianis reliquorumque conaminibus denuo ordinavi et spatiis singula sedulo accommodavi. Enarrat titulus quae gesserit C. Duilius*) M. f. M. n. cos. a. u. c. 494 non eo ordine quo gesta sunt, sed praeponuntur quae terra, sequuntur quae mari peregit, fere ut in indice triumphorum C. Duilius *de Siculeis et classe Poenica* triumphum egisse dicitur. Pugna facta apud Mylas Romani, Polybius (1, 24) inquit, *προσχόντες τῇ Σικελίᾳ τήν τε Αἰγεσταίων ἔλυσαν πολιορκίαν ἐσχάτως αὐτῶν ἤδη διακειμένων· κατά τε τὴν ἐκ τῆς Αἰγέστης ἀναχώρησιν Μάκελλαν πόλιν κατὰ κράτος εἷλον.* Similiter ex Dione Zonaras solus praeter Polybium harum rerum auctor 8, 11: *Δουίλιος δὲ τὸ πεζὸν προςλαβὼν τούς τε Ἐγεσταίους ἐρρύσατο μηδ' εἰς χεῖρας αὐτῷ τοῦ Ἀμίλκου ἐλθεῖν ὑπομείναντος, καὶ τὰ φίλια τὰ ἄλλα ἐξεβαιώσατο.* Quibus testimoniis verba *[Secest]ano[sque] .... [opsidione]d exemet*, etsi magna ex parte coniectura restituta, tamen satis videntur firmari. Sequitur in lapide: *lecione[sque Cartaciniensis omnis ma]ximosque macistratos l[uci palam post dies n]orem castreis exfociont.* Cuius fugae tenue indicium praeterea videtur reperiri apud solum Zonaram, quem narrare vidimus Hamilcarem Barcae filium copiis Poenorum in terra Sicilia eo tempore praefectum a Segesta abiisse pugna non commissa. *Legiones* de hostium exercitu cum alii auctores usurpant tum tabula Capitolina M'. Glabrionis, in qua fuit: *fundit fugat prosternit maximas legiones* (Atil. Fortunat. p. 2680 Putsch.). Deinde posui *luci*, ne Ciacconianum de lapidis vestigiis testimonium desererem. Quod mox legimus: *Macel[amque opidom vi p]ucnandod cepet* confirmatur Polybiana supra posita relatione. Huius oppidi nummi extant inscripti ΜΑΚΕΛΛΙΝΕΩΝ (Mionnet 1 p. 250 n. 355. 356) memoranturque inter populos in Sicilia intus apud Plin. 3, 8, 91 *Magellini*, item similiter apud Ptolemaeum 3, 4, 14 Μάκελλα; eiusdemque oppidi mentionem iniciunt Diodorus p. 502 una cum Adranone vico, unde apparet a. 491 Romanos frustra id obsedisse, denique Livius 26, 21 (cod. *Marcella*), ubi una cum Hybla ad Carthaginienses narratur defecisse. Eiusdem nominis fuisse in Sicilia mediterranea duo oppida, ad Aetnam montem alterum, alterum prope Segestam plerumque hodie creditur sine idonea causa; nam locus ubi Macella fuerit etsi ignoratur, tamen cum ex Polybiana maxime relatione ad Segestam Panormum Thermas bellum inter Duilium et Hamilcarem gestum esse appareat totum, ibi fere fuerit necesse est neque ab hoc situ reliqua testimonia abhorrent. — Sequuntur res gestae mari: *Enque eodem mac[istratud bene r]em navebos marid consol primos c[eset, copiasque c]lasesque navales primos ornavet pa[ravetque.]* Clara res et pervulgata; de qua fasti triumphales sic referunt: *C. Duilius M. f. M. n. cos. primus navalem de Siculeis et classe Poenica egit an. CDXCIII k. intercalar.* Taciti verba ann. 2, 49: *C. Duilius primus rem Romanam prospere mari gessit triumphumque navalem de Poenis meruit* fluxerunt fortasse ex ipso hoc titulo. — *Cumque eis navebos*, lapis pergit, *claseis Poenicas om[nis, item max]umas copias Cartaciniensis praesente[d Hanibaled] dictatored ol[or]om in altod marid pucn[andod] vicet].* Pugna apud Mylas notissima est. Hannibalem enim ipsum, qui biennio ante ex Agrigento fugerat, Gisgonis, si Zonarae (8, 10) fides, filium, Carthaginiensibus tum praefuisse cum alii tradunt tum Polybius (1, 23); dictator is qui summum imperium apud Carthaginienses obtinet appellatur a Catone (apud Gell. 2, 19. 10, 24) et Trogo (Iustin. 19, 1, 7), ut mittamus dubios locos Livii 23, 13 et Frontini 2, 1, 4. Ad tuendam locutionem *pugnando vincere* Ciacconius apte attulit Sallustii locum hist. 1, 75 ed. Dietsch.: *et Diponem validam urbem multos dies restantem pugnando vicit.* — *[V]ique nave[is cepe]t cum socieis septer[esmom unam quinqueresm]osque triresmosque naveis X[XX, merset XIII].* In ipso pugnae principio triginta naves cum viris amissas esse Polybius (1, 23 cf. Zonar. 8, 11) scribit, in his praetoriam Hannibalis *ἑπτήρη τὴν γενομένην Πύῤῥου τοῦ βασιλέως*; omnino periisse Carthaginiensium ex CXXX quas habebant naves quinquaginta. Ipsos in annales relatos numeros, quos Polybius ponere noluit, servaverunt Livii exscriptores Orosius (4, 7): *Hannibal amissa navi qua vehebatur scapha subductus aufugit; triginta et una naves eius captae, tredecim mersae, tria milia hominum occisa, septem milia capta referuntur*; et Eutropius (2, 20): *Duillius commisso proelio Carthaginiensium ducem vicit, XXXI naves cepit, XIV (XIII hist. misc.) mersit, septem milia hostium cepit, III milia occidit.* — Sequitur in lapide: *[Auro]m captom: numei (tria milia septincenti). [Arcen]tom captom, praeda: numei [ducenta milia]. [Omne] captom aes [plus vicies semel. Primos qu]oque navaled praedad poplom [donavet primosque] Cartacini[ensis ince]nuos d[uxit in triumpod].* Haec sic fere accipi solent, ut secundum tria genera pecuniae auri argenti aeris praeda distribuatur; quod rationem non habet. Neque enim sine causa post *aurom captom, arcentom captom* subsequitur non *aes captom*, sed post vocabulum, quod hodie desideratur, *captom aes*; neque casu post *arcentom captom* inseritur *praeda* primo casu, non sexto. Accedit quod quinam fuerint nummi illi aurei argenteique ex Sicilia a Duilio advecti, Romanis cum hic titulus exarabatur non magis liquebat, quam hodie liquet nobis, itaque aut nummorum genus accuratius definiendum fuit aut adscribendum, quantum effecerint pecuniae Romanae. Praeterea constat ex bellis extra Italiam gestis Romanos

*) *Duilii* formam nominis tabulae Capitolinae (ad a. 355. 494. 496. 523) agnoscunt solam eandemque deinde in *Bilius* abiisse ex Polybiana scriptura Βίλιος (1, 22. 23) dudum intellectum est. Ciceronis tamen aetate magis usurpabatur *Duellius* vel quod inde derivatum est *Bellius*, ut ipse testatur disertis verbis orat. 45, 153, quocum conveniunt loci pro Planc. 25, 60 (*Duellius*), de rep. 1, 1 (*Duelius*), Cat. 13, 44 (*Duellius* vel *Duillius*), quamquam de n. d. 2, 66, 265 codices videntur retinere *Duilius* vel *Duillius*, item ad fam. 9, 21 traditur *Duillus*. Ciceronem sequitur Quintilianus 1, 4, 16. 7, 12, item Dionysius 10, 58. 11, 23. 46 (Duellius, Duelius, Dualius *codd.*) et quibusdam locis Livius (2, 58. 7, 21. 8, 16) et Valerius Maximus (3, 6, 4), item Victor (38 secundum cod. Brux.) At Duilius vel Duillius sub imperatoribus rursus vulgo usurpabatur reperiturque apud Livium 2, 61. 3, 52. 54. 59. 64. 7, 16., Valerium 7, 3, ext. 7, Senecam de brev. vit. 13, Plinium 16, 39, 192. 34, 5, 20, Tacitum (ann. 2, 49 *Dullius*), Florum p. 29, 23. 30, 5 Iahn (*Duillius* vel *Duilius*, Iordanis tamen *Duellius*), Zonaram 8, 10. 11 (*Duilius*), alios.

in triumpho nunquam aes traduxisse, sed aurum tantum vel argentum (cf. librum meum de re monet. Rom. p. 381); neque aliter fieri potuit, cum in praeda divendenda quaestoribus consuetudo regionis in qua venderent omnino sequenda fuerit. Cuius usus ipsa haec inscriptio documentum praebet, nam *aurom captom, arcentom captom* cum significent sine dubio aurum argentumque inter praedam repertum, praeda, quae praeterea ad argentum adiungitur, non potest pertinere nisi ad pecuniam ex reliqua auro argentove non comprehensa praeda redactam venditione quaestoria; argento igitur praeda haec Sicula divendita est. Quam ob rem supplevi lapidem ad exemplum loci Liviani 45, 40: *summam omnis captivi auri argentique translati sestertium milies ducenties fuisse Valerius Antias tradit.* Rettulit igitur Duilius ex Sicilia nummorum aureorum captorum tria milia septingentos, argenteorum partim captorum partim ex vendita praeda redactorum ad minimum ducenta milia; summa auri argentique fuit supra vicies semel aeris. Ultra procedere vix licet, neque enim de summarum magnitudine satis constat neque adeo de generibus pecuniae. Nam aurei argenteique nummi debuerunt esse ii, quibus tum utebantur Panormitani et reliqui Siculi sub imperio Poenorum constituti; neque tamen in horum diversitate tanta, quantam fuisse demonstrat tabula libro meo de re monetaria Romanorum p. 89 (cf. p. 121) inserta, certa ratione definiri potest, ad quaenam nummorum genera annales Romani potissimum respexerint. Quamquam eminent inter aureos nummos cum maximus grammatum c. 9. 56 = $\frac{1}{34}$ librae Romanae tum secundi ordinis qui est gr. c. 7. 61 = $\frac{1}{43}$ librae Romanae, inter argenteos tetradrachmum Atticum pondere quattuor fere denariorum, et fortasse qui titulum scripsit de his cogitavit. Aes denique videtur indicari grave sive as libralis sestertium aequans (vide l. c. p. 292 n. 18; p. 381 n. 43. 44), sed potuit etiam ita significari as qui decima pars denarii est. Praeterea de auri quidem summa constat neque summa aeris trium hiatuum spatii satis certi habita ratione tricies centena milia multum videtur superasse. At de argenteorum nummorum numero hoc solum constat fuisse eum ducentis milibus non minorem; nam post notas quae supersunt utrum secutae sint duae tresve similes an miliariae solae et minores, denique num versus hic ad exemplum superioris non plene scriptus fuerit, quis explorabit? Qua ratione igitur summae convenerint cum demonstrari nullo modo queat, hoc ostendemus quae in lapide sunt cum explicatione nostra facillime posse conciliari. Sumamus numos aureos fuisse ex eorum numero, quorum trigiuta quattuor aequant libram Romanam, argenteos intellegi tetradrachma Attica, numerum horum fuisse ducentorum milium, denique rationem auri ad argentum fuisse duodecimariam; invenietur auri summa supra quadringenta milia sestertium, argenti tricies bis centena milia sestertium; quocum aeris summa satis convenit.

Restat quaestio de tituli aetate. Exemplum hodie superstes, quod fuisse ipsum a Plinio et Quintiliano in foro Romano conspectum non est cur dubitemus, non exaratum esse aetate liberae rei publicae facile apparet neque fugit harum rerum guaros iudices Ciacconium (p. 6 ed. Lugd.) Winckelmannum (in hist. artis l. 8 c. 4 §. 18), Garatonium (ad Cic. pro Planc. 25), Niebuhrium (hist. Rom. 3, 680), ut ei rei ex litterarum forma marmorisque natura solis satis perspicuae non sit cur immoremur. Magis anceps quaestio est, utrum titulus ex aliquo antiquiore ita desumptus sit, ut formae litterarum noviciae admitterentur verbis antiquis retentis, an scriptus sit sub primis imperatoribus a viro aliquo docto antiquitatis sermonem affectante. Et in illa quidem opinione et Quintilianus videtur fuisse et sequuntur eam hodie plerique omnes; mihi tamen dudum haec vera visa est (vide *unterital. Dial.* p. 28). Nam elogium hoc cum in universum male scriptum est tum eo sermone, qui longe recedat a brevitate et simplicitate vere antiqua insuntque in ipsa lingua, quae magis aetatis Claudianae grammaticum referant quam quinti saeculi scriptorem, maxime *s* et *m* extremae nunquam omissae, *c* pro *g* posita, quod convenire quidem legi XII tabularum, sed a saeculo quinto iam abhorrere constat, *in* vel *en* praepositio, pro qua expectamus *endo*. Denique quod in lapide est *aurom captom, numei tria milia septincenti,* ubi eius sermonis quem novimus leges requirunt genetivum, haud scio an et ipsum referendum sit ad simulatae antiquitatis constructionem nescio quam nimis paratacticam. Quam ob rem C. Duilio post victoriam columna posita videtur esse aut sine inscriptione aut cum brevissima et simplicissima, accessisse autem haec inscriptio quam tenemus aetate imperatoria, cum columna aetate corrupta reficeretur. Quam qui composuit, ante oculos habuerit opinor titulum L. Aemilii Regilli de victoria navali ad Myonnesum de Antiocho rege a. 564 reportata (Liv. 40, 52). Nam ut ibi dicuntur naves longae *cum omnibus sociis captae LXII*, ita hic legitur *nav[es cepe]t cum socieis;* item quod in hoc est *praesente[d Hanibaled] dictatored* recte comparatur cum illius tituli verbis *inspectante ipso Antiocho,* nisi quod hoc de rege Antiocho, qui ex littore cladem navium suarum spectarit, tam bene dicitur quam dicitur perverse de imperatore Hannibale, qui pugnae non affuerit, sed interfuerit.

PARS POSTERIOR.

INSCRIPTIONES A BELLO HANNIBALICO

AD C. CAESARIS MORTEM.

SECTIO PRIMA.

INSTRVMENTA PVBLICA POPVLI ROMANI.

EPISTVLA CONSVLVM AD TEVRANOS DE BACCHANALIBVS

A. V. C. DLXVIII.

196 lammina ahenea olim clavis parieti affixa, eius quam tabula ostendit magnitudinis, reperta inter plurima antiquitatis vestigia, columnarum scapos integros fractos, bases, zophoros, epistylia (verba sunt Aegyptii praef. init.) a. 1640 Tirioli, cum principis eius loci Io. Bapt. Cigalae iussu fundamenta aedium effoderentur. Tiriolo vicus est in Bruttiis inter Catanzarum et Nicastrum in montibus inter utrumque mare medius, ubi aetate Romana agrum Teuranum fuisse ex hac tabula extrema apparet. Eius agri praeterea certa memoria nulla superest, quamquam non plane improbaverim Aegyptii commentum a Lai fluminis ostiis Thurios versus patuisse agrum hunc Teuranum sive Taurianum, eoque pertinere cum Strabonis (6, 1, 3 p. 254 Cas.) Ταυριανὴν χώραν supra Thurios tum Ptolemaei (3, 1, 9) Ταυριανὸς σκόπελος in littore inter Tempsam et sinum Vibonensem. Hoc constat Tauriana tabulae Peutingerianae aliorumque auctorum diversa esse et fuisse inter Vibonem et Regium. — Tabula a cognomine eius qui invenerat nepote a. 1727 dono data est Carolo VI imperatori et illata in museum Caesareum Vindobonense, ubi hodie adservatur.

1 *Q.* Marcius L. f., S(p.) Postumius L. f. cos. senatum consoluerunt n. Octob.
2 apud aedem | Duelonai. Sc(ribendo) arf(uerunt) M. Claudi(us) M. f.,
L. Valeri(us) P. f., Q. Minuci(us) C. f. §
3 De Bacanalibus quei foideratei | esent ita exdeicendum censuere.
4 Neiquis eorum *B*acanal habuise velet. Sei ques | esent, quei sibei deicerent
5 necesus ese Bacanal habere, eeis utei ad pr(aetorem) urbanum | Ro-
mam venirent deque eeis rebus, ubei eorum *verba* audita esent, utei se-
6 natus | noster decerneret, dum ne minus senatorbus C adesent, *quom ea*
7 res cosoleretur. | Bacas vir nequis adiese velet ceivis Romanus neve
8 nominus Latini neve socium | quisquam, nisei pr(aetorem) urbanum adie-
9 sent isque *de* senatuos sententiad, dum ne | minus senatoribus C adesent,
quom ea res cosoleretur, iousiset. Censuere.
10 | Sacerdos nequis vir eset. Magister neque vir neque mulier quisquam eset. §
11 | Neve pecuniam quisquam eorum comoinem *h*abuise ve*l*et neve magi-
12 stratum, | neve pro magistratu*d* neque virum *neque mulierem* quiquam fecise
13 velet. | § Neve post hac inter sed conioura*se* nere comvovise neve con-
14 spondise | neve conpromesise velet neve quisquam fidem inter sed dedise
15 velet. | Sacra in oquoltod ne quisquam fecise velet, § neve in poplicod neve
16 in | preivatod neve exstrad urbem sacra quisquam fecise velet, § nisei
17 | pr(aetorem) urbanum adieset isque de senatuos sententiad, dum ne
18 minus | senatoribus C adesent, quom ea res cosoleretur, iousiset. Censuere.
19 20 | Homines plous V oinvorsei virei atque mulieres sacra ne quisquam | fecise
21 velet, neve inter ibei virei plous duobus mulieribus plous tribus | arfuise
velent, nisei de pr(aetoris) urbani senatuosque sententiad, utei suprad
22 | scriptum est. §
23 Haice utei in coventionid exdeicatis ne minus trinum | noundinum; senatuosque
24 sententiam utei scientes esetis § — eorum | sententia ita fuit: sei ques
25 esent, quei arvorsum ead fecisent, quam suprad | scriptum est, eeis
26 rem caputalem faciendam censuere — § atque utei | hoce in tabolam ahe-
27 nam inceideretis, ita senatus aiquom censuit; | uteique eam figier ioubeatis
28 ubei facilumed gnoscier potisit; § atque | utei ea Bacanalia, sei
29 qua sunt, exstrad quam sei quid ibei sacri est, | ita utei suprad scriptum
30 est, in diebus X, quibus vobeis tabelai datai erunt, | faciatis utei dis-
mota sient § in agro Teurano.

Ritschl tab. XVIII ad ses. Ediderunt Iac. Gronovius (in praef. ad opp. Ciceronis vol. I Lugd. Bat. 1692. 16°.), cui dedit Ioannes de Wit urbi Dordracenae a secretis descriptam, ut Aegyptius ait, a Iacobo Tollio, primus; post eum Fabrettius (1702) 427, 1 ad exemplum Augustini Scillae Messanensis; Matth. Aegyptius (senatusconsultum de Bacchanalibus Neap. 1729 fol.); Mur. 577, 1 ex Aegyptio; Endlicherus catal. codd. philolog. bibliothecae publicae Vindobonensis (Vindobonae 1836) n. 1 ectypo diligenter

ad tabulam exacto; Göttling *funfzehn Urk.* p. 27 sq., aliique quos hic recensere nihil attinet. Hoc monendum supervacaneum mihi visum esse maiusculis repetere cum hanc epistulam tum quae eius generis instrumenta praeterea extant apud Ritschelium diligenter ad archetypa expressa. Nam imitari eius generis documenta, maxime fracta typi satis non possunt noluique in eo elaborare, quod socius operis et solus perficere potuit et egregie perfecit. Deinde quae inter inscriptiones inveniuntur ex tabulariis antiquis reliquiae semper ita mihi visae sunt tractandae edendaeque, ut quae per membranas accepimus tractare et edere solemus; nam cum in veris titulis maiuscula elementa recte retineantur neque a peritioribus interpunctio desiderari soleat, instrumenta haec ne docti quidem facile legunt nisi transcripta et distincta. Operam igitur dedi, ut hac editione iis satisfiat, qui non imaginem tabularum intueri, sed verba tradita expendere cupiunt; quod ut recte fieri possit, non a genere scripturae pendet, sed ab apparatus critici fide et perfectione. Attuli ergo et tabularum Ritschelianarum lectionem universam, ubicumque ab ea discedere visum est, et quidquid praeterea ad singulorum instrumentorum crisin recte instituendam necessarium esse intellegebam, seduloque curavi ne quid vel deesset vel abundaret.

De clandestinis coniurationibus cum Bacchi sacris coniunctis senatus a. u. c. 568 consules quaeri iussit et curare, uti sacra ea antiquis et legitimis exceptis fieri desinerent; qua de re luculenter exposuit Livius (39, 8—19) citaturque a Cicerone quoque (de leg. 2, 15, 37) 'senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus'. Quo pertinere tabulam hanc omnes viderunt. Censuit senatus, Livius ait (39, 14, 7 cf. 17, 4), 'edici in urbe Roma et per totam Italiam edicta mitti, ne quis qui Bacchis initiatus esset coisse aut convenisse causa sacrorum velit neu quid talis rei divinae fecisse'. Quare senatus consultum qui hanc tabulam appellant, eos minus proprie loqui apparet, neque omnino senatus cum populis agit nisi per consules. Imo ipsum aes testatur (v. 29) tabellas has esse sive epistulam, quam dederint consules cum ad reliquos nominis Latini sociorumve in Italia magistratus tum ad agri Teurani magistros nescio quos, ad quos loquuntur consules inde a v. 23. Praemittunt vero allocutioni formam edicti, quam apud foederatos proponendam ediderat senatus v. 4—22; itaque factum est, ut praescriptio senatus consulti, cum praesertim iidem consules et senatum habuerint et litteras dederint, inscriptionis quae in epistulis esse solet locum occuparit. Propterea in senatus consulto ante v. 3, ubi oratio videtur hiare et a solita forma recedit, fortasse quaedam exciderunt, quae Teuranorum scire non interfuit; quamquam fieri potest, ut ea aetate formula postea recepta: *quod consules verba fecerunt...., quid de ea re fieri censerent, de ea re ita censuerunt placere ut* cet. nondum in usu fuerit et pro ea scribi solitum sit ut hic est: *cos. senatum consuluerunt — de .... censuerunt* sequente coniunctivo sine *ut*. *Censuere* bis adscriptum est v. 9 et 19, credo quod sententia ita divisa est ab iis qui senatum interrogabant; deest in fine senatus consulti v. 22, neque hic dubitari licet, quominus non totum communicatum sit cum Teuranis, sed demptis extremis ab edicto alienis. Adscribunt ad edicti formam a senatu datam consules de tabellis edicendis et proponendis necessaria et fere sollemnia adduntque praeterea, ne rei gravitas homines municipales fugiat, quam acerba poena senatus, cum de Bacchanalium hominum coetibus puniendis consuleretur, iis minatus sit, qui in edictum commiserint. Sequitur in extrema tabula locus cui has quas tenemus tabellae destinabantur oratione quidem continua, sed litteris maioribus scriptus, ut nuntio pro indicatione directoria esset; ab alio homine eum adiectum esse hoc ostendit, quod ablativi hi *d* extrema carent in ipsa epistula numquam omissa. Cf. p. 17.

Spatium ubi in tabula cernitur commatis indicandi causa, ibi in transcripto exemplo paragraphi signum § posui. — L in tabula ⅃ est. — Litteras ubi supra posui inclinatas neque in commentario quidquam monui, tot in aere periisse scito. — De singulis haec observanda sunt.

2 *de Bacanalibus quei foideratei esent ita exdeicendum censuere*, id est censuit senatus ut iis qui foederati sunt de Bacchanalibus ita edicatur, omisso praenomine demonstrativo in casu obliquo, ut in formula illa sollemni: *pecuniae quei volet petitio esto.* Ut in urbe itemque in coloniis municipiis conciliabulis civium Romanorum ipsi consules edicunt, ita ad foederatas civitates scribitur, ut magistratus eorum (v. 22) apud se similiter edicant.

3 SACANAL aes.

4 cf. Liv. 39, 18: *senatus consulto cautum est ne qua Bacchanalia Romae neve in Italia essent; si quis tale sacrum sollemne et necessarium duceret nec sine religione et piaculo se id omittere posse, apud praetorem urbanum profiteretur, praetor senatum consuleret; si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent, ita id sacrum faceret.* — *Velet* est *vellet*, non *velit*, et ita deinceps ubivis ponuntur imperfectum et plusquamperfectum, ut *adiesent* v. 17 est *adiissent*. De sequente infinitivo perfecti post verbum quod est *volo* in huiusmodi formulis sollemni exposuit Madvigius opusc. 2, 124.

5 'VTR A vitio fabri legitur interiecto quadratae litterae spatio pro VERBA' *Aegyptius* in praef.; quem cito quoniam lamminam vidit fractam et ipse recomposuit.

6 'post ADESENT relictam esse a fabro nulla necessitate cogente lacunam, deinde has litteras incisas esse A RES' testatur Aegyptius; ut aerarius scriptor exemplum hoc loco legere nequivisse videatur.

9 IOVSISENT aes.

10 Liv. 39, 13: *primo sacrarium id feminarum fuisse nec quemquam virum eo admitti solitum — — sacerdotes in vicem matronas creari solitas* (cf. c. 14, 7. 17, 7). Iam senatus pristinam consuetudinem ita revocavit, ut sacerdotem nisi mulierem esse non sineret; neglegenter Livius 39, 18 de eadem re ita rettulit: *neu qua pecunia communis neu quis magister sacrorum aut sacerdos esset.* Inter sacerdotem autem et magistrum Bacchanalium id interest quod interest inter Arvalium flaminem eiusdemque collegii magistrum; scilicet sacrorum curatio ad illum pertinebat, hic pecuniam et in universum rem publicam collegii videtur tractasse.

11. 12. 13 deesse fragmentum ad instar fere trianguli testatur Aegyptius, 'quod nos cum tabulae ipsius fragmenta non recte adhaerentia componeremus supplevimus, nam fuso stanno vacuum illud complanavimus et paucas litteras in id incidi curavimus, quas tabula ipsa incidendas apertissime significabat'. Unde in Gronoviana Fabrettianaque editione quamquam v. 11. 12 eadem habentur quae posuit Aegyptius (neque potuerunt ibi alia supplementa excogitari), v. 13 legitur CONIOVRAVISE VELET COMVOVISE. In tabula supplementa Aegyptiana a genuina parte non distinguuntur.

12 MAGISTRATVO aes; scriptor et hoc v. et v. 15 elementa D et O inter se videtur permutasse, Latinae linguae fortasse ignarus.

15 DQVOLTOD aes.

18 IOVSISENT aes.

19 Liv. 39, 18: *ita id sacrum faceret, dum ne plus quinque sacrificio interessent.*

28 Liv. 39, 18: *datum deinde consulibus negotium est, ut omnia Bacchanalia Romae primum, deinde per totam Italiam diruerent, extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset.*

LEX INCERTA REPERTA BANTIAE

ROGATA INTER A · V · C DCXXI et DCXXXVI.

197 tabula ahenea Latinam ex altera parte, ex altera Oscam legem habens rep. a. 1790 in ruinis Bantiae antiquae, quod Lucaniae oppidum fuit hodie *Oppido* dictum. Nunc est in museo Borbonico, nisi quod interiit particula v. 2. 3. 4 in. continens olim in museo adservata, item alterum frustum ad v. 24—32 pertinens, cum academiae Herculanensi venale oblatum statimque sed perfunctoria opera ab Avellinio descriptum esset, postea non comparuit. Vide librum meum de dialectis Italiae inferioris, ubi p. 150 sq. aeris vices enarravi.

....
1 | .... (64) ....
.... neque provin*ciam* .... (45) ....
2 .. | .... (42) .... *in senatu seive* in
poplico ioudicio ne sen*tentiam rogato tabellamve nei dato* .... (32) .....
3 .... | .... (42) .... *neive is*
*testumo*nium deicito neive quis mag(istratus) testumonium poplice ei de*ferri neive den*on-
4 tiari | *sinito. Neive ioudicem eum neive arbitrum neive recuper*atorem dato. Neive is in poplico
5 luuci praetextam neive soleas habeto neive quis | *mag(istratus) ibei praetextam soleasve*
habere eum sinito. Mag(istratus) queiquomque comitia conciliumve habebit eum sufragium
6 ferre nei sinito | *neive eum censor in senatum legito neive in senatu* relinquito. §
7 | *Sei tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(greis) d(andeis) a(dsignandeis),*
ioudex quei ex hace lege plebeive scito factus erit, senatorve fecerit *gesseritve*, quo ex
8 hace lege | *quae fieri oporteat minus fiant quaere ex* h(ace) l(ege) facere oportuerit oporte-
9 bitve non fecerit sciens d(olo) m(alo); seive advorsus hance legem fecerit | *sciens d(olo)*
m(alo): multa tanta esto īīs *... n(ummum) et* eam pequniam quei volet magistratus exsigito.
10 Sei postulabit quei petet, pr(aetor) recuperatores | .... (31) ....
.... *quos quotque dari oportea*t dato iubetoque eum, sei ita pariat, condumnari popul(o) fa-
11 citoque ioudicetur. Sei condemnatus | *erit, quanti condemnatus erit, praedes* ad q(uaestorem)
urb(anum) det aut bona eius poplice possideantur facito. Sei quis mag(istratus) multam
12 inrogare volet, | *quei volet, dum minoris* partus familias taxsat, liceto eiq(ue) omnium rerum
13 siremps lexs esto, quasei sei is hance lege | *pequniam quae s(upra) s(cripta) s(st) exegiseet.* §
14 | *Co(n)s(ul), pr(aetor), aid(ilis), tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(greis)*
d(andeis) a(dsignandeis) quei nunc est, is in diebus V proxsumeis, quibus queique eorum
15 sciet h(ance) l(egem) popolum plebemve | *iousisse, iouranto utei i(nfra) s(criptum) est. Item*
dic(tator), co(n)s(ul), pr(aetor), mag(ister) eq(uitum), cens(or), aid(ilis), tr(ibunus) pl(ebei),
q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(greis) d(andeis) a(dsignandeis), ioudex ex h(ace)
16 l(ege) plebive scito | *factus ..... quei quomque eorum p*ost hac factus erit, eis in diebus V
17 proxsumeis, quibus quisque eorum mag(istratum) inperiumve inierit, iouranto | *utei i(nfra)*
s(criptum) est. Eis consistunto pro aede Castorus palam luci in forum vorsus et eidem
18 in diebus V apud q(uaestorem) iouranto per Iovem deosque | *Penateis sese quae ex hace*
*lege oporte*bit facturum, neque sese advorsum h(ance) l(egem) facturum scientem d(olo)
19 m(alo), neque seese facturum neque intercesurum | *quo quae ex (hace) l(ege) oportebit minus*
fiant. Quei ex h(ace) l(ege) non iouraverit, is magistratum inperiumve nei petito neive
20 gerito neive habeto neive in senatu | *sententiam deicito deicereve eum* ni quis sinito neive
eum censor in senatum legito. Quei ex h(ace) l(ege) ioudicaverit is facito apud q(uaesto-
21 rem) urb(anum) | *eius quei ita utei s(upra) s(criptum) e(st) iourarit nomen perscr*iptum siet;
quaestorque ea nomina accipito et eos quei ex h(ace) l(ege) apud sed iurarint facito in
22 taboleis | *popliceis perscribat.* §
23 | *Quei senator est eritve inve senatu sententi*am deixerit post hance legem rogatam, eis in die-
24 bus X proxsumeis, quibus quisqu*e eorum sciet* | *hance legem popolum plebemve iousiset,*
iouranto apud quaestorem ad aerarium palam luci per Iovem deosque Penate*is sese quae*
25 *ex h(ace) l(ege)* | *oportebit facturum esse neque sese* advorsum hance legem facturum esse
26 neque seese, quominus sei .... (20) .... | .... (32) ....
.... se hoice leegei .... (30) .... anodni .. urauer ......
27 ...... (24) .... | .... §
28 | .... (70) .... e
29 quis magistratus p .... (24) .... | .... §
30 | .... (70) .... uti
31 in taboleis poplicis .... (24) .... | ....
.... (72) .... *trinum nondinum* ....
32 .... (28) .... | .... (74) ....
.... is erit uu .... (30) .... | ...
....

Ritschl tab. XIX ad aes, quatenus superest, addito frustulo v. 2. 3. 4 iam ex museo ablato ad fidem tabulae Rosinianae; alterum quo continentur v. 24—32 nonnisi typis editum est ab Avellinio Bull. Nap. n. LVI a. 4 p. 27 sq. Ediderunt primus a. 1795 Marinius Arv. p. 570, deinde Rosinius diss. isag. tab. n. VI pleniorem; auxit denno Avellinius l. c. editis duobus fragmentis novis; postremum dedi ego *Ztschr. für gesch. Rechtswiss.* 13, 363 et *unterital. Dial.* p. 145 sq. Praeterea Oscam partem Lepsius inscr. Umbr. et Osc. tab. XXV proposuit, Latinam Göttlingius *funfzehn Urkunden* p. 44 sq. Commentati sunt in Oscam legem permulti: Klenzius (*philolog. Abhandlungen* p. 25—54), ego l. c., Kirchhoff (*das Stadtrecht von Bantia* Berolini 1853), L. Lange (*die oskische Inschrift der tabula Bantina* Gottingae 1853), Huschke (*osk. Sprachdenkm.* p. 58 sq.). Latinam tractavit praesertim Klenzius l. c. p. 1—24, quocum iunge Puchtae commentariolum (*kleine civil. Schriften* p. 269—272) et Huschkii de Klenzii libro iudicium (in Richteri *krit. Jahrbücher* a. 1842 vol. 11 p. 291—302).

De Bantina tabula quaestio eo implicatur, quod qua ratione Latina haec lex cum altera Osca coniuncta sit, neque praeteriri potest neque facili certaque ratione explicari. Nos de hac re ita dicemus ut Oscae partis interpretationem ab hoc loco alienam ne denuo suscipiamus, sed quanta fieri potest brevitate ea attingamus, quae ad Latinam partem recte tractandam plane necessaria sunt. Quod olim posui (*Dial.* p. 154) Oscam partem versam esse ex lege aliqua populi Romani, quamquam qui post me de Osca parte egerunt fere contra dixerunt, tamen in tanta universae quaestionis incertitudine certissimum est. Neque enim aliter explicari potest, quod inter Osca verba quaecunque notis scripta sunt TR·PL., PR., Q., N., mere Latina sunt et ab Osca litteratura, quae ne agnoscit quidem elementum Q, plane aliena. Deinde quod certo casu quaestori lex Osca minatur: *izic post eizuc tr. pl. ni fuid*, id est, de qua re omnes consentimus, *is post hac tr. pl. ne esto*, quomodo de quaestore Bantino accipi possit, adhuc nec docuit quisquam nec docere potest. Nam quod exemplis rarissimis quae ipse attuleram de tribunis plebis Venusinis et Teanensibus, id est coloniarum Latinarum, cupide arreptis adversarii sibi satis fecerunt, temere fecerunt et hoc tantum demonstraverunt nescire se quid intersit inter Latini iuris oppida et reliqua foederata. Latina enim res publica solet quidem imago esse antiquissimae patriciaeque Romae ideoque quidquid plebi proprium est non recipere (*Stadtrechte von Salpensa* p. 429); sed tamen cum ea aetate, qua plebs post victos patricios laeta exultabat, tum Claudiana, qua in summa servitute personata aliqua libertas quasi per irrisionem redibat, fieri potuit, ut tribunatum plebis Latinae quaedam res publicae admitterent et Venusiae, quae quinto saeculo deducta est, Teanique, quae est colonia Claudia, per aliquod tempus tribuni plebis crearentur. Eius autem rei publicae, quae colonia non sit, qui fuisse aliquem tribunatum plebis statuit, non errat, sed hallucinatur. — Neque minus certum est, quod secundo loco posui, de utriusque legis et Oscae et Latinae argumento quodammodo certiores nos fieri ipso in quo tabula inventa est loco. Leges enim populi Romani et senatus consulta quamquam passim extra Romam publice proposita et adservata esse hodie multi sibi persuaserunt, tamen qui in eam rem diligenter inquiret, hoc reperiet, non inveniri in oppidis civium Romanorum nisi leges municipales, ut Veleiae Rubria lex reperta est, Iulia Heracleae, in civitatibus autem liberis praeter epistulas magistratuum Romanorum variis de rebus ad socios datas, quales repertae sunt in agro Teurano (n. 196), Tibure (n. 201), Cyretiis in Thessalia (C. I. Gr. 1770), alibi (C. I. Gr. 1543. 3045), sola foedera solere effodi, ut Astypalaeae (C. I. Gr. 2485), ubi sic perscriptum est in clausula foederis: *γεγραμμένα ἀνατε[τε] ἐμ μὲν Ῥωμαίων ἐν τῷ Καπετωλίῳ ναῷ τοῦ Διός, ἐν δὲ Ἀστυπαλαιέων ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τοῦ Ἀσκληπιοῦ καὶ πρὸς τῷ βωμῷ τῆς Ῥώμης* (vide quae dixi in ann. inst. arch. 30, 199), Similiter perscriptum fuit in foedere Iudaeorum (Maccab. 1, 8, 22) sollemneumque eiusmodi cautionem fuisse in foederibus quibuscumque sive populi scito sive senatus consulto confirmatis dubitari nequit. Quare quaecunque leges Romanae senatusve consulta liberae reipublicae aetate facta in civitate aliqua libera reperiuntur, aut foedera ipsa esse aut certe ad foedus adiecta probabiliter concluditur; liberam autem Bantiam adhuc fuisse, cum lex haec incideretur aetate Gracchana, satis constat. Huschkius (l. c. p. 60) quod opposuit sociorum etiam saepe magnopere interfuisse nosse leges Romanas ideoque eas per eorum quoque oppida passim propositas esse, parum considerate posuit; nam liberae civitatis primarios homines multarum legum Romanarum exempla sibi parare et potuisse et debuisse ut concedamus, quomodo inde sequitur publice eas ibi propositas esse? quod ne licuisse quidem eiusmodi civitatis civi propter ipsam libertatem satis constat. Quae si recte disputata sunt, utraque legis pars et Osca et Latina lex fuerit necesse est populi Romani de foedere cum populo Bantino faciendo mutandove. Legem vero, ex qua Osca versa est, eam ipsam esse, quae Latine in altera lamminae parte legatur coniecisse mihi videor incerta quidem, sed probabili coniectura. Nam quod Huschkius (l. c. p. 60) quinta fere parte angustius Oscas litteras scriptas esse cum exputasset, eo hanc coniecturam sibi refutasse videtur, nihil est; quidni enim scalptor Oscus aliquantum aeris reliquerit non scriptum? Denique ad confirmandam illam sententiam sane pertinet, quod civis Bantini Bantiaeque oppidi non semel mentio fit in parte Osca. Hucusque procedere uti datum est, ita hic subsistendum videtur esse. Nam Oscae partis ne universum quidem argumentum adhuc exploratum est; qua in re iuventutis calore abreptum multa me posuisse solidis argumentis minime defensa iam paullo magis fortasse provectus in arte omnium difficillima nesciendi adversariis facile concedo. Sed tamen eorum quoque rationes alias falsas, alias incertas esse video et omnino severiorum hominum decretum Osca haec et Umbra errorum latibula paucissimis exceptis, de quibus constat, a Latinarum rerum puriore et certiore indagine procul habenda esse dudum probavi. Latinae autem partis quamquam sententiam satis assequimur, tamen cum pertineat ad legis extremam partem de iure iurando et de sanctione, si qui magistratus eam non observarit, commode quidem haec referuntur ad foedus — foedus enim cum quotannis recitaretur (C. I. Gr. 2485 v. 14), ius iurandum quoque quotannis recte renovari potuit; denique foedere magistratus praecipue tenebantur — neque tamen quidquam in hac lege apparet, quo argumentum accuratius definiatur praeter iudicem ex ea quotannis ut videtur faciendum. Quod in foedere Bantino quamquam ita non expectaris, tamen quae de foederibus Italicis per Gracchana tempora saepe turbatis et violatis accepimus qui diligenter ponderarit et quot quantarum rerum notitia de hoc praesertim loco hodie desideretur aestimarit, sane esse potuisse huiusmodi iudicem agri publici fortasse similiumque rerum nequaquam negabit. — Iam cum de nomine legis aegrorum somnia non redarguenda sint, sed oblivione oblitteranda, una quaestio restat de legis aetate, quam satis certa ratione definit magistratuum index idem fere cum in hac (v. 7. 14. 15) tum in repetundarum supparis aetatis lege (v. 2. 8. 13. 16. 22). Sic vero concipitur in repetundarum lege: *dictator, consul, praetor, magister equitum, censor, aidilis, tribunus plebei, quaestor, III vir capitalis, tribunus militum legionibus IIII primis*

aliqua earum, III vir agris dandis adsignandis, vel inverso ordine (v. 2. 22) *III vir agris dandis adsignandis, tribunus militum legionibus IIII primis aliqua earum;* unde haec eo differt, quod tribunus militum omittitur, extremo autem loco additur: *ioudex quei ex hace lege plebeive scito factus erit.* Quocum conferenda sunt, quae de C. Glaucia praetore a. u. c. 654 caeso Cicero (pro Rab. Post. 6, 14) refert: *Glaucia solebat populum monere, ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet; si esset 'dictator, consul, praetor, magister equitum' ne laboraret;* item caput legis Corneliae de sicariis a Cicerone (pro Cluent. 54, 148) allatum: *'de eius capite quaerito, qui tribunus militum legionibus quattuor primis, quive quaestor, tribunus plebis'; deinde*, Cicero pergit, *omnes magistratus nominavit.* Magistratus ubivis recensentur maiores ordinarii, id est ii, qui iure publico creari debuerunt potueruntve forma rei publicae non mutata neque ulla de ea re lege nova lata, nisi quod interrex deest, qui tamen in simili ordine eorum magistratuum, apud quos manumitti potest, non praeteritur (Liv. 41, 9: *dictator consul interrex censor praetor*). Quod quamquam in Bantina lege cum Goettlingio (p. 47) ita explicari potest magistratum plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, gerere non licuisse (Liv. 31, 50), ab interrege vero ipso quinto die magistratu abituro iusiurandum hoc alienum fuisse, tamen haec explicatio ad reliquas leges non pervenit. Videntur itaque et interrex et similiter praefectus urbis ideo praeteriti esse, quod nomine magis quam re magistratum obtinebant. Censorem et praetori et magistro equitum ordine postponi, cum censor apud Livium l. c. praetori, apud Zonaram 7, 19 magistro equitum anteponatur, notandum magis est quam mirandum (Liv. 4, 8). — Denique cur ex minoribus magistratibus quibusdam receptis plerosque leges praeterierint ubi quaeris, hoc ordine invenies non comprehendi nisi magistratus ordinarios a populo in comitiis sollemnibus factos. Propter hanc ipsam causam tribuni militum legionibus quattuor primis, id est viginti quattuor a populo facti, in repetundarum lege in ordinem recepti sunt omissis rufulis ab imperatore creatis (cf. Marquardt *Handb.* 3, 2, 276); qui in lege Bantina nisi casu aliquo scalptori exciderunt, omissi credendi sunt propter legis argumentum a magistratibus mere militaribus alienum. Deinde ex vigintisexviris qui soli reperiuntur in legibus repetundarum Bantinaque quosque in lege Cornelia non nominatos fuisse ex Ciceronis verbis supra relatis minime sequitur, tresviri capitales iam inde ab a. u. c. 465 a populo creabantur (Liv. ep. 11), cum reliqui eius collegii magistratus aetate Gracchana aut annui nondum essent, ut tresviri monetales (v. librum meum *das röm. Münzwesen* p. 366 sq.), aut certe a magistratu crearentur, ut praefecti Capuam Cumas a praetore urbano. Quae si recte disputata sunt, sane tresviri agris dandis adsignandis qui in iisdem legibus in eundem magistratuum ordinem inveniuntur admissi, a solitis triumviris agrariis coloniariis similibusque extra ordinem creatis magistratibus non parum diversi fuerint necesse est. Accedit quod in legis repetundarum v. 22, siquidem sententiam ibi recte assecutus sum, recensentur primum magistratus ordinarii et in his tresviri agris dandis adsignandis, deinde senatores, denique tresviri coloniae Carthaginem deducendae ex lege Rubria a. 631. Iam vero tresviri lege Sempronia instituti a. 621, sublati a. 635 vel 636 lege Thoria, de quibus data opera agendum erit cum ad legem agrariam a. 643 tum ad eorum ipsorum cippos superstites, cum reliqui IIIviri agrarii et coloniarii crearentur ad tempus, donec negotium sibi iniunctum perfecissent, ipsi annui fuerunt (*τρεῖς αἱρετοὺς ἄνδρας ἐναλλασσομένους κατ' ἔτος* App. b. c. 1, 9), id est a reliquis agris dandis adsignandis triumviris tresviri lege Sempronia eo differunt, quod hi soli annui fuerunt ordinariique magistratus. Quare qui in utraque lege inter ordinarios magistratus nominantur tresviri a. d. a. sint necesse est ipsi illi creati lege Sempronia; unde utramque inter a. 621 et 636 conscriptam esse sequitur. Ulterius autem in Bantina certe pervenire non potui; nam quod olim putavi quoniam lex in triumviris taceat de iudicatione, scriptam eam esse oportere post ablatam triumviris iudicandi potestatem a. n. 625, non satis certum esse postea de cippis Gracchanis agens ostendam. Scriptura aetati Gracchanae optime convenit eademque fere est, quam in lege repetundarum observamus.

Argumentum simplex est: senatores magistratusque non senatorii ordinis qui contra hanc legem fecerint (nam his solis legem poenam irrogasse apparet ex v. 7) capite primo (v. 1—6) a muneribus officiisve publicis arcentur; secundo (v. 7—13) actio popularis adversus eosdem multaeve irrogatio proponitur; deinde in legem iurare iubentur magistratus qui sunt futurive sunt capite tertio (v. 14—22), quarto (v. 23—27) senatores qui sunt eruntve. — De singulis pauca restant quae praeterea moneamus. — Capitibus indices nulli praescripti fuisse videntur, sed ubi finiebant, reliqua versus pars vacua remansit, quod factum est v. 13. 22. 27. 28. 30. — Litterarum initio versuum desideratur a 7 ad 27 numerus fere aequalis, v. 1—6 paullo maior. Illae fuisse videntur inter tricenas et quadragenas, nam triginta tres exciderunt v. 14, qui quod scriptus fuit litteris diductioribus, eo compensatur, quod primi capitum versus fortasse aliquantum prostabant. Quot litterae in singulis lacunis deesse videantur ita indicavi numeris in parenthesi interpositis, ut restitutae simul comprehendantur.

1 EQVE PROV hodie cernitur dimidiatis neque satis certis litteris.

1 sq. Huius generis indicio (v. ad v. 24) Cicero (pro Cluent. 29, 79) queritur C. Iunium iudicem quaestionis *de foro atque adeo de civitate esse sublatum.*

2 INSENA, item 3 IVMDEICIF (sic) et 4 REM scripta fuerunt in lammina hodie deperdita nituntur que sola Rosinii tabula.

3—11 fragmentum novum Avellinius qui primus publici iuris fecit in *Bull. Nap.* 4, 27 egoque, qui aere accurate inspecto denuo proposui *Zeitschr. für gesch. Rechtswiss.* 13 ad p. 363, longe aliter legimus, scilicet sic:

	Avellinius	*ego*
3	RLI	VRATORAN
4	ROMAC · QV	TO · MAG · QV
5	NEI · LEGITO	RELINQVITO
6	VEI EX HACE LEG	QVEI · EX · HACE · LEG
7	CERE OPORTV	\ · H · L · FACERE · OPORTVI
8	· PEQVNIAM · Q	EAM · PEQVNIAM · O
9	TEAT · DATO · IVBETC	\TEAT · DATO · IVBETC
10	D · DET ·	D · DET ·

Ritscheliana tabula cum in hac aeris particula dum haec scribo nondum ita absoluta sit, ut lectionem inde referre liceat, interim ectypum sibi missum Ritschelius mecum communicavit, in quo quamquam complures litterae in ipso aere admodum detritae plane desiderantur, tamen eae quae cernuntur meam lectionem omnino confirmant, ut v. 4 TO, non RO deprehendi, v. 5 . . . QVITO.

3 NTIAR tabula, ectypo hoc loco corrupto.

4 *Solea* cum praetexta inter insignia magistratuum senatorumve hic nominata videtur esse mulleus proprius eorum qui magistratum curulem cepissent (Fest. s. v. p. 142 Müll.; Müller rer. Etrusc. 1, p. 271) et cum solea ab Isidoro (orig. 19, 34) compositus; certe non est haec vulgaris solea, quacum populi Romani senatori per urbis vias ingredi nequaquam decorum esse videbatur (Gell. 13, 22 al.).

7 CESSERIT aes.

9 de hoc iudicio privato rei publicae conferendus est Cic. pro Cluent. 33, 91: *multam petivit. Qua lege? quod in legem non iurasset; quae res nemini unquam fraudi fuit* cet., ubi item agitur de iudice lege facto quaestionis de veneficiis.

11 ante AD in tabula E est, quam litteram ipse neque ex aere notavi neque in ectypo mihi viso quaerens reperi.

12 cf. legis Siliae verba (apud Fest. v. publica pondera p. 246 M.): 'Si quis magistratus adversus h. l. (*cod.* hac) d. m. 'pondera modiosque vasaque publica modica minora maiorave 'faxit iussitve (*cod.* iussit vere) fieri, doluuve adduit quo (*cod.* 'que, *non* quod) ea fiant, eum qui (*cod.* quis) volet magistratus 'multare (*cod.* multaretur), dum minore parti (*cod.* patris) familias 'taxat, liceto; sive quis in sacrum iudicare volet, liceto'. Item Cato apud Gell. 6 (7), 3, 37: 'ecqua tandem lex est tam acerba, 'quae dicat: si quis illud facere voluerit mille, minus dimidium 'familiae multa esto'. — Litterae A vel M vestigium ante PARTVS, quod tabula exhibet, mihi male exceptum videtur; ego neque ex aere tale quid exscripsi neque in ectypo deprehendi.

20 NI QVIS ego, NE QVIS tabula; ectypum incertum est.

23 extr. QVISQV ego, QVISQVE tabula contra ectypum.

24 ad aerarium versatos esse quaestores notum est ibique minus sollemne iusiurandum eos adegisse ostendit Appianus b. c. 1, 31 recte a Klenzio l. c. p. 18 emendatus: ἐς τὸν τοῦ Κρόνου νεών, οὗ τοῖς ταμίαις ἐχρῆν ὀμνύναι. Magistratuum iusiurandum differt et die breviore et eo, quod quaestori cum iuraturo ad aedem Castoris eundum erat.

25 in. SE ego et ita ectypum habere videtur; E tabula.

25—32 frustulum insertum est ab uno Avellinio sic minusculis descriptum:

osqu
quo . minus . sei
anodni . . urauer

e . quis . magistratus . p

ti . in . taboleis . popl
inum . nondin
is . eritue

Addit is o in *taboleis* accentu insigniri, quod nisi casu factum esse non potest, et ı in *nondin* extare, quod et ipsum huic aetati nequaquam convenit.

26 in. SE priores neque refragatur ectypum; IE tabula. — Trium quas post LEEGEI sequuntur literarum vestigia aut FAC aut FID mihi significare videbantur.

27 vacui versus particulas capitis absoluti indicem et tabula proponit et frustum Avellinianum.

LEX REPETVNDARVM

A . V . C . DCXXXI vel DCXXXII.

198. Quo tempore quove loco tabulae aereae ingentis utrimque scriptae hae non minimae reliquiae repertae sint, plane ignoratur; nisi quod cum quominus emerserint simul omnes, vix liceat dubitare, una autem earum (nobis A) edita sit anno iam 1521, ante hunc annum inventae sint necesse est. Romae eas effossas esse eo quod in volumine Mazochiano urbanorum epigrammatum illa tabula extremo loco adhaesit, minime probatur; neque argumentum utriusque legis impedit, quominus in foederata aliqua civitate tabula olim prostiterit. Certe ut Romae vel inventae sint vel paullo post inventionem eo allatae, tamen Mazochiana aetate tabulae aut inde rursus ablatae erant aut certe latebant; nam syllogen illam qui curavit Franciscus Albertinius sic inscripsit: '*decreti fragmentum quod ubi sit ignoratur*', item appendicis ad eam syllogen auctor hoc epigramma inter ea retulit, quae vidisse se negat. Nos quid de his tabulis tum factum sit, nescimus, nisi quod editae pars inferior interiit interieruntque fortasse simul cum ea alia fragmenta, quorum hodie ne memoria quidem superest. Contra editae (A) partem superiorem, item reliqua fragmenta omnia B C D E in museum cardinalis Petri Bembi mortui Romae anno 1547 illata esse aut certis argumentis aut coniectura probabili assecuti sumus. Nam tabulas duas maximas A B*ab* Sigonius cum Patavii profitebatur repperit ibi in nobilissimo, ut ait, Petri Bembi cardinalis museo (de indic. l. 2 c. 27; de ant. iure Ital. l. 2 c. 2). Repperit autem eas inter a. 1560 et 1568, nam illo anno et librum de antiquo iure Italiae edens agrariae legis fragmentum ex Mazochio solo citavit (p. 68 ed. 1560) et in epistola a. d. 17. Febr. 1560 scripta Venetiis Romam petit a Panvinio, ut tabulae Mazochianae emendatum exemplum sibi paret: *non è possibile che non ve ne sia copia migliore in Roma* (Sigonii opp. 6, 1011); contra citat tabulam a in commentarii de iure antiquo provinciarum ed. principe p. 125, quae prodiit Venetiis a. 1568. Deinde tabulae D particulas *b c* vir doctus is, ad cuius exemplum edidit Pighius, transcripsit Venetiis apud heredes Petri Bembi (Pigh. ann. 3, 137). Denique ex Bembino museo tabulas se comparasse Ursinus scribit (in notis ad Cic. ad Att. 1, 18 p. 109 ed. pr.) idemque confirmat epistola Antonii Augustini ad eundem Ursinum data die 18. Aug. 1575, ubi dicuntur *le tavole trovate nello studio di Bembo* (Augustini opp. ed. Luc. 7, 258); Ursini autem fuisse constat tabulas hodie musei Neapolitani regii A (excepta scilicet parte inferiore) B*abc* D*abc*. Deficiunt certa testimonia et de lamminis hodie Vindobonensibus C D*d* et de lammina, quae in Galliam ablata est E; sed has quoque olim apud Bembum fuisse probabiliter conicere videmur. Nam Bembi heredes quae collegerat ille passim distraxerunt; cumque Torquatus Bembus papyrum Graecam a. 1553 vendiderit Iohanni Sambuco eaque hoc mortuo a. 1584 bibliothecae Caesareae Vindobonensi illata sit (Marini pap. p. 382), simul duae illae lammellae Venetiis videntur migrasse Vindobonam. De tabula E hoc tantum constat, eam ante a. 1557 innotuisse Paulo Manutio Veneto eamque a. 1564 vel paullo ante illatam esse in museum regium quod tum fuit apud Fontainebleau castrum; videtur igitur haec quoque tabula eodem in museo fuisse et similiter Gallis vendita esse ac duae illae Germanis. — Postea quae tabularum harum vicissitudines fuerint, ex superioribus fere apparet. Ante a. 1575, ut constat ex Augustini epistula supra relata, tabulas A B*abc* D*abc* emit Ursinus. Quocum simul accepisse videtur tabulae E exemplum, nam d. 11. Nov. 1575 Augustinus Lerida ita scribit ad Ursinum (l. c.): *Ho avuto una lettera di V. S. con li cinque fragmenti della legge agraria*, quae sunt, ut ex locis deinde in epistula allatis constat Ursinianae 1 (= B*ab*), 4 (= A), 5 (= D*abc*), 7 (= E), praeterea ut videtur 6 (= B*c*). Vindobonenses duas C (= 3 Urs.) D*d* (= 2 Urs.) Ursinus numquam possedit et ne descriptas quidem habuit cum reliquas Augustino misit, nam quinque tabulas solas hic amico refert acceptas neque C D*d* ullo loco citat adeoque scribit: *del fine delle righe non sono sicuro pur di una sola, tutte mi pajono imperfette*, quod si tabulam C novisset, certe non posuisset. Quare harum lammellarum exempla post a. demum 1575 Ursinum undecumque sibi paravisse oportet. Post Ursini mortem tabulae hae cum reliqua eius antiquarum rerum supellectile venerunt in museum Farnesianum, quocum Parmam primum migraverunt, denique a. 1732 Neapolim in museum regium Borbonicum, ubi hodie prostant. — Tabulae duae, quas c. a. 1553 Vindobonam allatas esse supra vidimus, per duo fere saecula servatae videntur esse in museo Ambrasensi, ubi a. 1762 et 1777 eas viderunt Garampius et Primisserus infra suis locis citandi; paullo post Vindobonam in museum Caesareum transierunt. Quarum alterius C praeterea falsum exemplum circumfertur, quod ante a. 1740 fuit in museo Barberino, ubi Muratorio (574, 1) descripsit Bimardus, deinde, ut constat ex nota in ipso tabulae margine perscripta, a S. Marini libera civitate a. 1801 cardinali Borgiae dono datum est, denique cum reliquis Borgianis cimeliis in museum Borbonicum migravit. — Denique tabulam E in regis Galliarum bibliotheca adservari scripsit Cuiacius a. 1564; in regia Fontis Blaudi bibliotheca Hamo a. 1567 a Mabillono allatus; in regia bibliotheca Brissonius a. 1583; qui praeterea de ea rettulerunt aut de loco tacent, ut Turnebus Scaliger Vinetus, aut nugantur; nam quod fallacissimus testis Boissardus praescripsit 'e Capitolio', e capite appinxisse eum hodie nemo dubitabit. Lamminam hanc post Brissonium nemo conspexit; quam cum vel saeculo XVII extremo frustra quaesiverit Mabillonius, item hodie in museis Parisinis eam non extare a Klenzio Rudorffioque rogati periti veri inquisitione facta rettulerint, circa finem saeculi decimi sexti in turbis bellorum civilium interiisse eam iam videtur constare.

Omnia harum legum quae supersunt fragmenta composuit primus Fulvius Ursinus in sylloge legum et senatus consultorum in lapide vel in aere servatorum, quae prodiit adiecta libro Antonii Augustini de legibus et senatus consultis Romae 1583. 4. Eadem fere exempla quamquam non omnium tabularum repperi in cod. Vaticano n. 6040, qui fuit Latini Latini, f. 34—37 cum hac praescriptione: 'antiquarum legum fragmenta ex aeneis tabulis Romae descripta'; quae cum exemplo edito Ursiniano ita conspirare scito, ut, ubicumque simpliciter Ursinianam lectionem attuli, idem in codicibus et scripto et edito extare significetur. Similia exempla legis iudiciariae vidi praeterea in codice Borghiniano, quem Florentiae tractavi, cum hac praescriptione 'legis Serviliae sive iudiciariae fragmenta Rom. 1575 m. Nov.' neque tamen descripsi. — Qua ratione lacera fragmenta inter se coniungantur, praeclarum Klenzii inventum est libro edito: *Fragmenta legis Serviliae repetundarum ex tabulis aereis primum coniunxit restituit illustravit C. A. C. Klenze.* Berolini 1825. 4; quam reconcinnationem cum supplementis Klenzianis etsi multi deinde repetiverunt, tamen

nemo adhuc data opera post Klenzium rem retractavit, nisi quod Goettlingius (*funfzehn röm. Urk.* 1845 p. 30—43) aera Neapoli et Vindobonae hodie servata denuo descripsit. Iam singulas partes qui quando ediderint, videamus.

A Ritschl tab. XXV (rep.). XXVI (agr.). — Integram unus servavit Iac. Mazochius epigr. ant. urbis (1521) f. 180, a quo in parte hodie deperdita, id est in repetundarum legis v. A 24—30 ex parte, 31—43 integris, in agrariae legis v. A 28—36 ex parte, 37—50 integris pendent posteriores omnes. Sigonius in librorum de antiquo iure populi Romani ed. Bonon. 1574 fol. (in prioribus enim desunt) repetundarum tabulam hanc posuit de iudic. l. 2 c. 27, agrariae de antiquo iure prov. l. 2 c. 2. Ursinus (1583) l. c. n. XI (rep.). IV (agr.). Lipsius auct. p. 11 (rep.) ex Ursino. Grut. 507 (rep.). 203 (agr.) ex Mazochio Sigonio Ursino. Descripserunt Klenzii causa a. 1821 Bluhmius, item Goettlingius l. c. n. IV; contuli ego Neapoli a. 1846.

B Ritschl tab. XXIII (rep.). XXVIII (agr.). — Constat tribus lamnellis, quarum primam et secundam (Ritschl B*ab*) iam Sigonius coniunxit, tertiam (Ritschl B*c*) adiunxit Klenzius. — Exhibent B*ab* Sigonius (1574) una cum A; Ursinus cod. Vat. 6040 n. 1 (agr. inde a v. 38 verbis ON · SIET ad finem); ed. (1583) n. VIII (rep.). I (agr.); Lipsius p. 10 (rep.). 7 (agr.); Grut. 506 (rep.). 202 (agr.); descripserunt Bluhmius, item Goettlingius l. c. n. I. II; contuli ego Neapoli. — B*c* exhibet primus Ursinus cod. Vat. 6040 n. 4 (rep.). 5 (agr.); ed. (1583) n. XIII (rep.). VI (agr.); Grut. 510, 3 (rep.). 205, 2=510, 1 (agr.) ex Ursino. Descripsit Bluhmius, item Goettlingius l. c. n. III; contuli ego Neapoli.

C Ritschl tab. XXV (rep.). XXVI (agr.). — Genuinum exemplum expresserunt Ursinus cod. Vat. 6040 n. 6 (rep.). 7 (agr.), ed. (1583) n. X (rep.). III (agr.); Grut. 1030, 1 (rep.). 206, 1 (agr.) ex Ursino; Amadutius anecd. litt. 1 (1773), 463 (rep. solam) cui descripsit a. 1762 Ios. Garampius; Primisserus *kurze Nachricht von dem Raritätenkabinet zu Ambras in Tyrol. Inspruck* 1777. 8. in aes incidit (cf. p. 37); Klenzius cum ipse a. 1821 contulisset, item in aes incidendam curavit. Descripsit Goettlingius l. c. n. VI (rep.). VII (agr.); contuli ego Vindobonae. — Falsum exemplum ed. Mur. 574, 1 (rep., agr.) cui in museo Barberino descripsit Bimardus, in museo regio Neapolitano contuli ego.

D Ritschl tab. XXIV (rep.). XXVII (agr.). — Constat quattuor lamnellis, quarum cum tres (Ritschl *abc*) coniunxisset Ursinus, quartam iisdem adnectendam esse perspexit demum Klenzius. — Proposuit D*abc* coniunctas primus Ursinus (1583) l. c. n. XII (rep.). V (agr.); praeterea D*a* tabellam sistunt cod. Vatic. 6040 n. 3 (rep.). 2 (agr.) et Brissonius de formulis (Paris 1583 fol.) p. 171 (rep.). 172 (agr.), cui descripsit in Italia alicubi Puteanus; D*bc* Pighius annal. vol. 3 (Autverp. 1615) p. 137 (rep., agr. cf. p. 98) ex nescio cuius viri docti apographo. Repetiverunt D*abc* Lips. p. 12 (agr.) ex Ursino, Grut. 508 (rep.) ex Ursino, 205, 1 (agr.) ex Ursino et Brissonio. Goettlingius l. c. n. V ad aera dedit. Item exhibent D*d* primus Ursinus cod. Vat. 6040 n. 8 (rep.). 9 (agr.), ed. (1583) n. IX (rep.). II (agr.), unde repetivit Grut. 510, 2 (rep.). 206, 2 (agr.); Amadutius anecd. litt. 1 (1773), 464 (rep. solam); Primisserus (1777) una cum C in aes incidit similiterque Klenzius ut in aes incideretur curavit. Goettlingius l. c. n. VII (rep.). VI (agr.) ad aes dedit. Descripsit D*abc* Neapoli Bluhmius, denique ego contuli et Neapolitana aera et Vindobonense. — D*d* tabulae recens exemplum Neapoli extare refert Goettlingius p. 30, errore omnino (cf. p. 35).

E, quae tabula hodie desideratur, ed. primi Ursinus (1583) l. c. n. XIV (rep.). VII (agr.), quocum conspirat cod. Vat. 6040 n. 11 (rep.). 10 (agr.), et Brissonius de formulis (1583) p. 173 (rep.). 174 (agr.), deinde Boissardus antiq. vol. 3 (Francof. 1597) f. 105 (rep.). 104 (agr.). Repetundarum tabulam repetiverunt Lipsius (1588) p. 13 ex Ursino, p. 14 ex Brissonio, Grut. 509 ex Ursino, 511 ex Brissonio; agrariam Lips. p. 15 ex Brissonio, Grut. 512 ex Brissonio et Ursino. Praeterea ex tabula antequam ederetur tota citaverunt Paulus Manutius de legibus (Venet. 1557 f.) f. 27*a* leges Rubriam et Liviam, quod pertinet ad agrariae legis v. 59 = E 9, v. 77 = E 27, v. 81 = E 31; Turnebus advers. 27, 21 (dedicatio subscripta est id. Quinct. 1564) ex exemplo misso sibi a Petro Daniele repetundarum legis v. 66 = E 22; Cuiacius in libro observationum septimo, qui primum prodiit a. 1564, c. 30 eundem quem Turnebus affert locum sed minus plenum; Mabillon de re diplomat. (in praef. ad f. et p. 344. 345 ed. 1681) ex exemplo a. 1567 descripto a Petro Hamone Caroli IX regis Galliae domestico et a secretis repetundarum legis v. 47 = E 3, v. 48 = E 4, v. 49 = E 5, v. 69 = E 25, v. 73 = E 29 et agrariae v. 78 = E 28, v. 79 = E 29, quos protulit in tabula incisos; Scaliger in notis ad Festum, quae primum prodierunt a. 1576 cum praefatione data a. d. XI kal. Nov. 1574, repetundarum legis v. 64 = E 20 (ad v. *sed**), v. 65 = E 21 (ad v. *prodidisse*), v. 72 = E 28 (ad v. *satura*), agrariae v. 75 = E 24 (ad v. *Punici*); Elias Vinetus in commentario in Ausonium (grat. act. p. 722 Toll.) scripto a. 1579, ex exemplo misso sibi Lutetia a Francisco Guillioterio, repetundarum legis v. 66 = E 22.

Iam videamus de crisis harum tabularum fundamento primumque de iis quae hodieque supersunt A excepta parte inferiore B C D. In quibus abiectis antiquioribus exemplis adhibui solas tabulas Ritschelianas n. XXIII—XXVIII quaeque ego olim Neapoli Vindobonaeque ex ipsis tabulis ita enotavi, ut Klenziano legis repetundarum Rudorffianoque agrariae exemplis adhibitis varias priorum descriptorum lectiones ad aes quantum potui accurate exigerem. Varia lectio inde enata quam exigua sit, lectores mox intellegent gaudebuntque; omnino nulla fere est nisi in litteris fractis, quarum unum alterumve apicem ego Ritscheliusque subinde vel aliter excepimus vel alter omisit ab altero notatum. Antiquiora exempla, quamquam et Ursinianum et Bluhmianum diligenter et perite excepta sunt, tamen abici et potuerunt et debuerunt, praesertim cum in tabularum margine postquam in Bembinum museum venerunt nihil amplius effractum esse usu didicerim, ut Sigonius quique deinceps descripserunt plus nobis videre non potuerint. Singulas tabulas separatim typis non repraesentavi, sed in legum restitutarum ordinem suo quamque loco recipere satis habui; quae si cui non sufficiunt, praesto sunt tabulae Ritschelianae affabre pictae, quibus aliquanto melius quam typis quamquam accurate descriptis exemplis aera repraesentantur. — Aliter res se habet in deperditis tabulis, id est tabulae A parte inferiore, quam cum superiore ne Mazochiana quidem aetate cohaesisse hiatus indicat, quem tum iam fuisse in repetundarum v. 28, agrariae v. 35 medio infra probavi; item ea quam signavi E. Illam habemus ab uno Mazochio; nam huic qui postea ediderunt Sigonius et Ursinus quamquam eam non acceptam referunt disertis verbis, tamen eorum exempla ita comparata sunt, ut antiquam lectionem satis corruptam nullo loco emendent, non paucis novas corruptelas superaddant adeoque in repetundarum

*) Verba haec Spangenbergius mon. leg. p. 85 cum apud Scaligerum reperisset neque unde petita essent agnovit et pessime corrupit et retulit ad legem de scribis. Quod huius auctoris impudentissimae neglegentiae unicum documentum recipere visum est; nam de scriptore ita indigno qui legatur monendum magis est quam quiritandum.

lege integrum versum *a* 36 omittant. Visum itaque est Mazochianum totius tabulae exemplum, ut tamen pars superstes a deperdita lineola separetur, cum suis naevis accurate hoc loco imitari, ut et de tabulae figura si quae potest inde coniectura capiatur et exempli indoles lectori sic plenius innotescat quam fieri potest ex subiecta varia lectione.

Tabulae A exemplum Mazochianum.

Decreti fragmentum quod ubi sit ignoratur.

2 IV
3 DE QVE EO HOMINE DE
4 EIVS ESTO·P·R·QVEI EX H·L·
5 EO MAG·INPERIOQVE ABIERIT QVO MIN
6 NEI·QVEM·EORVM·DET·SCIENS·D·M·QVOI·EI·IS·Q
7 VAESTIONEM·IOVDICIOQVE PVBLICO CONDEMNAT
8 VM·PR·QVEI·EX·H·L·QVAERET·ALIVM·PATRONVM·EIEI·QVEM
9 VM·A·D·A·SIET·FVERITVE·QVEIVE·IN·SENATV SIET·FVERINT EIS QVEI
10 ERIT·QVOS·LEGERIT·EOS·PATREM·TRIBVNVM·COGNOMENQVE IOVDICET Q
11 H·L·CDL·VIROS·LEGERIT·FACITO·RECITENTVR·IN·CONTIONE·IVRATOQVE SE SE
12 QVE EORVM MAG·COIPERIT FACITO VTEI CDL·VIROS ITA LEGAT QVEI HA
13 NNOS·LX·GNATVS SIET QVEIVE IN VRBE ROMAE PROPIVSVE VRBEM ROMA
14 EM TRIBV·COGNOMENQVE TRIBVTIMQVE DISCRIPTOS HABETO EOSQVE PROPOSITOS SVD
15 DE NOMINE DEFERVNDO IVDICIRVSQVE LEGVNDEIS·QVEI EX·H·L·PEQVNIAM AB A
16 QIT DE·CDL·VIREIS QVEI IN EVM ANNVM EX·H·L·LECTEI ERVNT ARVORSARIO EDAT EOS OM
17 NON ATTIGERET SCIENTEM·D·M·ITAQ·IS EDITO COVRATOQ·VRETIS ITA EDIDERIT TVM IN EA
18 EX SIET QVOI IS QVEIVE QVEI PETET GENER SOCER VITRICVS PRIVIGNVSVE SIET QVEIVE EI
19 IBERIT QVEIVE TRANS MARE ERIT NEIVE AMPLIVS DE VNA FAMILIA VNNVM NEIVE EVM
20 IECESITVDINE ATINCAT QVAE SVPRA SCRIPTA SIENT VNDE PETITVM ERIT QVOMI
21 EN EX·H L·DELATVM ERIT·L·IVDICES EX·H·L·NON LEGERIT EDIDERITVE EEIVE
22 EM LEGAT QVEI ITA LECTEI ERVNT EIS IN EAM REM IOVDICES SVNTO EORVMQVE EIV
23 EI PETIVERIT ET VNDE PETITVM ERIT QVEI EORVM VOLET EX TABOLEIS PO
24 QVEI PEQVNIAM CAPIET EVM OB EAM REM QVOD PEQVANIM EX·H·L·CEPER
25 RIT AVT IN EXILIVM ABIERIT· Q VOIVM NOMEN EX·H·L·DELATVM ERI
26 NOMEN EX·H·L·AD SE DELATVM ERIT FACITO VTEI IOVDICIVM P
27 CONQVAERI IN TERRA ITALIA IN OPPEDEIS FEREIS CONCILIAI
28 AVDIERIT QVOD EIVS REI QVAERVNDAI CENSEANT REFERE EIC
29 VM EIVS FIDE QVAERAT QVEIVE IN FIDE EIVS· SIET MAIORES V
30 T SECVMVE DVXERIT DVM TAXAT HOMINES·IIL·EARVM RE
31 IVE DE EA RE VOLET APVD PR·IS PRAETOREI MORAM NE FA
32 M REM IOVDICES ERVNT ANTEQVAM PRIMVM CAVSSA D
33 LET VTEI TESTIVM QVEI EAM REM ERVNT VERBA AVDIAT
34 ECITENTVR PROSCRIPTA PROPOSITAQVE PALAM APVD FOR
35 E IVDICIVM ADESSE POSSIT DE EA RE PRAETORI QVEI EX HAC
36 RE POTERIT FACITO QVOIVS DEICET NOMEN REFERRE
37 LET QVOIVS EX·H·L·HOMINIS DELATIO ERIT EI EIVS REI PE
38 VEI EAM REM QVAERET EX·H·L·CAVSAM NON NOVER
39 IVDICIVM FIERI OPORTEBIT TER
40 TE QVAM IBVNT FACIT IVRENT SE SE
41 ATVRVM ESSE· IVDICE
42 SATIONE PRIMCOVE
43 VR

Tabulae E in censum veniunt duo sola exempla Ursinianum et Brissonianum, quorum neutrum ex altero pendere constat. Illud Klenzius praetulit, hoc Rudorffius; equidem quamquam utrumque satis bonum repperi et modo hoc modo illud veram scripturam solum servavisse, praeterea in versibus separandis peccavisse in agraria E 38. 39 Ursinum, in repetundarum lege E 4—14 multo gravius lapsum esse Brissonium, tamen de summa re Rudorffio adsentior, nam Brissonius multo simplicius quae in aere vidit repraesentavit in libro, neque a coniecturis minoribusque supplementis (v. e. c. rep. v. 68, E 24) immune esse exemplum Ursinianum cum codicis Vaticani cum edito comparatio docuit tum ipsa re satis probatur. Contra Boissardi exemplum quamquam aere expressum tamen omnium corruptissimum est et ita comparatum, ut eo facile careremus. Sic enim ei convenit cum Brissonio, ut ubi discedit fere peccet; neque verum inveni, quod formam Boissardianam in tabulae C adhuc superstitis marginem recte Rudorffius (p. 15) dixit quadrare. Quid quod diu incertus haesi, num ex ipso edito Brissonii libro sua hauserit Boissardus; quod tamen redarguunt non tam agr. E 23, ubi pro IVS Brissonii IOVS Urs., IOVS Boissardus dederunt similiaque alia, quam notae numerales rep. E 4, agr. E 28 in Boissardi aere ita exhibitae, ut ex Brissonii libro petitae esse nequeant. Sed utut est, Boissardus non solum neglegentia peccavit, sed fraudis etiam culpam sustinet, cum illatis in verba legis archaismis quibusdam, quos neque Brissonius neque Ursinus agnoscunt, tum maxime additis in lege repetundarum extrema subditiciis his, quae a genuina parte distinxi forma maiore:


E 37 TRIBVNVS PLEBEI ROGAT // AT
E 38 *extr.* TIONEI // ICVT // R
FACIAT //\GATQ_
ATVM // SI //
RO /

Quae commenticia esse vel hoc ostendit, quod E 37 supplementa certissima AT illud nequaquam recipiunt quodque in aversa tabulae parte in lege agraria Boissardus ne litteram quidem plus exhibet quam reliqui omnes. Cui fraudi nulla alia causa videtur subesse praeterquam spatium, quod in antica legis parte versuum triginta et octo, cum postica habeat quadraginta duo, sculptori vacuum remansit. Praeter plena haec exempla adhibui quae inde particulatim citaverunt Turnebus Cuiacius Scaliger Vinetus Mabillonus, quamquam non magno cum fructu; neque aeris Mabilloniani maiorem quam bonorum exemplorum integrorum fidem esse reperi. Denique tabulam hanc quoniam Brissonius ita typis exhibuit, ut de forma lammellae coniecturam inde nullam capias, Boissardi vero ut in aliis ita in hac maxime re fides plane nulla est, integram subieci ad exemplum Ursinianum. Quamquam fragmenti huius Ursino nunquam visi formam cave credas ab eo recte repraesentari. Varia lectio, in qua referenda et Klenzius et Rudorffius saepe peccaverunt, annotationibus reservata est.


Tabulae E exemplum Ursinianum.

1 ...MVLTAM·SVPREMA·DELEA...
2 ...QVE·DIE·DEFERATVR·ISQVE·QVAESTOR...
3 ...RE·DEIXERIT·PRAETOR·EX·H·L·QVAERET·ITA·PRONON...
4 ...DICAT·EIS·HS·N·CCCIϽϽϽ·QVOTIENS·QVOMQVE·AMPLIVS·BIS·IN·VNO·IV...
5 ...REIE·QVOMODO·IVDICETVR· VBI·DVAE·PARTES·IVDICVM·QVEI·ADER...
6 ...REM·AGITO·TVM·PRAETOR·QVOM·EOVEIS·VIATORIBVS·APPARITORIBVSQVE·NEI...
7 ...QVE·IVDICIS·IS·PRAETOR·SORTICOLAM·VNAM·BVXEAM·LONGAM·DIGITOS·IIII·LA...
8 ...EAMQVE·SORTEM·EX·HACE·LEGE·APERTAM·BRACIOQVE·APERTO·LITERAM·DIGITEIS·OPERTAM·PALA...
9 ...VNDAI·CAVSA·AD·SITELLAM·SORTI·VENIET·IS·IN·EAM·SITELLAM·MANVM·DEMITTITO·TAM·DEVEXAM·POPVLO...
10 ...DEMNO·VBEI·NIHIL·SCRIPTVM·ERIT·SEINE·EVFRAGIO·EX·QVA·SORTI·PRONONTIARIT·EAM·SORTEM·PROXSVMO·IVD...
11 ...QVOD.PRAEVARICATIONIE·CAVSA·FACTVM·NON·ERIT·IS·EX·HACE·LEGE·SIVE·REI·APSOLVTVE·EETO· DE·REO·CONDEMNAN...
12 ...AVT·APSOLVTVE·ERIT·QVOM·EO·P·L·NISEI·QVOD·POSTEA·FECERIT·AVT·NISEI·QVOD·PRAEVARICATIONIS·CAVSEA·FACTVM·ERIT·AVT...
13 ...EVM·QVEI·EX·H·L·CONDEMNATVS·ERIT·Q·PRAEDES·PACITO·DET·DE·CONSILI·MAIORIS·PARTIS·SENTENTIA·QVANTI·EIS·CENSVER...
14 ...SCRIPTVM·TRANSDITO·QVAESTOR·ACCIPITO·ET·IN·TABOLEIS·POPLICEIS·SCRIPTVM·HABETO· DE·LEITIBVS·AESTVMANDEIS...
15 ...LATVM·AVORSVM·CONCILIATVMVE·ESSE·EA·RES·OMNIE·SIMPLI·CETERAS·RES·OMNIS·QVOS·POST·HANCE·LEGEM·ROGATAM·CO...
16 ..PARENTISVE·SVEI·QVOIVE·IPSE·PARENSVE·SVOS·HERES·SIET·LITEM·AESTVMATAM·ESSE·QVEIVE·EIEI·IVDICEI·CONSILIOQVE·EIVS·MAIOREI·PA..
17 ...HACE·LEGE·IN·AERARIO·POSITA·ERIT·OB·EAM·REM·QVOD·EO·NOMINE·LIS·AESTVMATA·ERIT·IN·TRIDVO·PRORSVMO·QVO·ITA·SATIS...
18 ...EX·HAC·LEGE·PEQVNIAM·OMNEM·AD·QVAESTOREM·REDIGERE·NON·POTVERIT·TVM·IN·DIEBVS·X·PROXSVMEIS·QVIBVS...
19 ...AESTVMATAE·ERVNT·QVOIVS·REGIS·POPVLEIVE·NOMINE·LIS·AESTVMATA·ERIT·LEGATEI·ADESSENT·DVM·NEI·LONGIVS·C·DIES·EDAT...
20 ...FECERIT·EI·PRIMO·QVOQVE·DIE·QVAESTOREM·SOLVERE·IVBETO·QVAESTORQVE·EAM·PEQVNIAM·EIS·SED·FRAVDE·SVA·SOLVITO...
21 ...PRAETOR·EX·HACE·LEGE·TRIBVENDEI·CAVSA·PRODEIXERIT·IS·VTEI·QVOD·RECTE·FACTVM·ESSE·VOLET·FACITO·QVOMODO·PRODE...
22 ...VMOS·EX·EA·DIE·QVA·TRIBVTVS·FACTVS·ERIT·APVD·FORVM·PALAM·VBEI·DE·PLANO·RECTE·LEGI·POSSITVR·PROSCRI...
23 ...AM·HABEBIT·EIS·FACIVNTO·VTEI·QVOD·RECTE·FACTVM·ESEE·VOLET·QVOD·EIVE·IS·REVS·NON·SOLVERIT·AB·EIS·PR...
24 ...AESTVMAVERIT·EI·VNDE·EA·PEQVNIA·REDACTA·SIET·QVANTVMQVE·IN·EO·FISCO·SIET·QVAESTOR·QVIQVOM...
25 ...QVOD·SINE·MALO·PEQVLATVM·FIAT·PR·QVI·EX·HACE·LEGE·QVAERET·DAREI·SOLVI·IVS·ERIT·ID·QVAESTOR...
26 ...OPORTEBIT·QVOM·EX·HACE·LEGE·FIERI·OPORTEBIT·NEI·QVIS·MAGISTRATVS·PROVE·MAGISTRATV·PROVE...
27 ...DVCITO·NEIVE·ABDVCIER·IVBETO·NEIVE·FACITO· QVO·QVIS·EORVM·MINVS·AD·ID·IVDICIVM·ADESSE·POSS...
28 ...TRA·QVAM·SEI·QVID·IN·EATVRAM·FERETVR· SEI·IS·PRAETOR·QVI·EX·HACE·LEGE·QVAERET·SEI...
29 ...QVD·EX·HACE·LEGE·FACTVM·NON·ERIT·FACIANT·FIANTQVE·QVAE·ER·HACE·LEGE·FIERI·OPORTERE·SEI...
30 ...VRNIVS·L·F·TR·PL·ROGAVIT·EXVE·LEGE·QVAM·M·IVNIVS·D·F·TR·PL·ROGAVIT·QVEI·EORVM·EO...
31 ...DE·PRAEVARICATIONE· PRAETOR·QVEI·ER·HACE·LEGE·QVAERET·QVA·DE·RE·EI·PRAE...
32 ...M·QVEI·CEIVIE·ROMANVS·NON·ERIT·ER·HACE·LEGE·ALTEREI·NOMEN...
33 ...M·EIEI·FILIO·GNATEIS·CEIVEIS·ROMANEI·IVETEI·SVNT...
34 ...EQVE·DANDA· SEIQVIS·EORVM·QVEI...
35 ...VTILITATE· IVDEX·DEINCEPS·FACIAT...
36 ...L·ET·FACITO·VTEI·EA·OMNIA...,
36 ...TRIBVNVS·PLEBEI·ROGAVIT.
37 SANCTIO
38 ...NEI...

LEX



REPETVNDARVM



Legem repetundarum scriptam esse in tabulae antica eius rei causa laevigata, agrariam in postica parte scabra, item illam versibus aequabiliter diremptis, hanc inaequalibus, accurate factis illam, hanc neglegentibus litteris minoribusque exaratam esse recte Klenzius (praef. p. IX) Rudorffiusque (p. 1) observaverunt; eodemque pertinet, quod capitibus in agraria lege neque index praescribitur neque nisi raro spatium vacuum relinquitur, cum utrumque factum sit in lege repetundarum. Margo superest duobus locis, in summa parte lamminae A, ubi primorum versuum utriusque legis pars servata est, et in lammina C, ubi supersunt legis repetundarum aliquot versuum principia, item ex lege agraria versuum qui respondent partes extremae. Utroque loco in margine visitur foramen, quae clavis parieti affixam tabulam olim prostitisse ostendunt. — Latior quam longior tabula videtur fuisse. Nam in latitudinem olim patuerit paullo plus duo metra Gallica necesse est, cum litterae centenae vicenae sexaginta quattuor circiter centimetra impleant, in singulis autem versibus litterae circiter quadringenae fuerint; in altitudinem autem hodie quod superest centimetra aequat c. octoginta duo neque in fine multi versus videntur periisse toti. — Quomodo fragmenta inter se iungenda sint, in universum Klenzius docuit; neque tamen in eius disputatione plane acquiesci potuit, sed rem denuo in examen vocare necessarium visum est. In qua disputatione, ubi de postica agi non monebitur, de antica accipienda esse quae dicuntur qui leget haec scito, item dextram partem laevamque eam peraeque intellegi, quae est a dextra laevaque intuenti tabulam adiectam, qua totam rem ante oculos ponere visum est. Numeri in ea Romani legum versus indicant, nostrates ad fragmenta extrinsecus positi versus fragmentorum, nostrates intra fragmenta intus positi numerum litterarum in singulis fragmentorum versibus superstitum adiecta ubi spatium vacuum remansit eius mensura, denique nostrates qui intra parentheses includuntur, litterarum in singulis hiatibus deperditarum numerum significant. Fragmenta B et A ita olim cohaesisse, ut a primis fragmenti A versibus in repetundarum lege ad quintum, in agraria ad sextum oratio procedat et sic deinceps pergat, Klenzius invenit Rudorffiusque confirmavit et est omnino certum; nam optime sic iunguntur cum reliqua omnia tum maxime quae de iudicibus legendis lex repetundarum v. 12 sq. scribit. De hoc dubitari potest, lammella A utrum a dextra an a laeva lamminae B olim steterit; potest enim simili plane eventu et sic coniunctio ordinari ut in tabula proposita est:

legis repet. v. 4] ... B 4 ...
„ „ v. 5] ... A 1 ... B 5 ...
„ „ v. 6] ... A 2 ... B 6 ...

et hoc modo:

legis repet. v. 4] ... B 4 ... A 1 ...
„ „ v. 5] ... B 5 ... A 2 ...
„ „ v. 6] ... B 6 ... A 3 ...

et ita porro. Nam quod Klenzius (prol. p. V) posuit dextrorsum (intuenti scilicet repetundarum legem in antica perscriptam) a lammina B spatium non sufficere ad lamminam A in eum locum a quinto inde totius legis versu recipiendam, effecit ex agrariae exordio, cuius quae in illum locum inciderint litteras plus sexaginta esse potuisse negavit; quod spatium sane nequaquam sufficeret. At cum ignoremus quot numero tribuni plebis legem agrariam rogarint eamque ob causam litterae multo plures quam sexaginta a dextra lamminae B interire potuerint, hoc argumentum minime sufficit ad rem expediendam. At nihilo minus recte Klenzius tabulam A a dextra B stetisse negavit; cuius dum infra certissimum indicium afferetur, hoc loco sufficiet monuisse tabulam nimis iam latam longe maiorem etiam et paene immanem effici, nisi fragmentum A a laeva B lammellae collocetur. — De parte inferiore similiter Klenzius docuit lamminam C olim cohaesisse cum deperdita E, item inter lammellas E et D medias non intercidisse nisi paucas litteras easque, quae in quibusdam versibus satis certa ratione recuperentur. — Contra de iunctione superiorum lammellarum AB inferiorumque CED diu anceps Klenzius haesit quamque tandem proposuit coniunctionem versu primo lammellae E, qui est in inferiore parte summus, versui 40 lammellae A praeposito itaque versu totius tabulae 44 composito ex E 1, A 40, B 44, eam arbitrariam esse ipse probe videtur sensisse (cf. Klenzius p. 61 n. 4. 6). Post quem Rudorffius in postica coniunxit B 51, A 46, E 1 Klenzianam restitutionem ita in agrariam legem converti opinatus; quod secus est. Neque enim convenit ita inter anticam et posticam. Exempli causa D 1, quem utrimque accurate sibi respondere par fere litterarum numerus tabulaeque figura indicant, apud Klenzium in v. 52 anticae cadit, apud Rudorffium in v. 62 posticae; at ducta tabulae mensura non hos sibi respondere apparet versus, sed potius 52 anticae et 61 posticae, 53 anticae et 62 posticae. Quare uno versu alteruter duum virum illorum a vero aberrarit necesse est. Legum argumentum rem non magis diiudicat; ita enim hic locus omnino comparatus est, ut quamvis lacinias ita consutas in eodem fere argumento versari appareat, tamen exilia fragmenta quo modo olim cohaeserint sententiarumque nexus qui fuerit, certa ratione nec Klenzius nec Rudorffius assecuti sint. Similiter ut in hoc in alio etiam loco non ratione, sed arbitrio restitutio facta est. Nam partis inferioris versum summum (id est E 1 anticae, E 2 posticae, cum E 1 anticae, litterarum numeri ratione habita, non primo, sed secundo posticae versui respondere intellegatur), ut aut Klenzius recte retulerit ad anticae v. 44 (cui respondet in postica v. 51) aut Rudorffius recte ad posticae v. 52 (cui respondet in antica v. 45), tamen neuter definivit, cur E ante, non post A collocarit. — Quibus ex haesitationibus tandem exemit me observatio tabulae A versus extremos adiuncta huic a dextra tabula E summa continuari; quo posito de tota re decisum est. Iam igitur in antica Klenziana restitutio ita emendabitur, ut E 1 non cum A 40 iungatur, sed cum sequente, unde pro octoginta novem versibus Klenzianis in hac editione nonaginta reperiuntur; contra in postica retinebitur Rudorffiana v. E 1 ad A 46 adiunctio numerusque versuum centum et quinque. Ita et aequabiliter utraque facies constituta erit et in antica sententiae multo aptius reperientur cohaerere, quam cohaerent apud Klenzium. Praeterea in eo et Klenziana et Rudorffiana restitutio corrigentur, quod in media parte non EAB—BAE tabulae, sed AEB—BEA se excipiunt; quod ad lacunarum spatia recte ordinanda aliquantum momenti habet. Denique sic de eo quoque certiores facti sumus, quo loco tabula A olim steterit; nam cum E tabula, quam ad A adiunximus, a sinistro margine proxime abfuerit, iam tabulam A ad alterum marginem reicere amplius non licet.

Versus in lege agraria pressius scriptos esse quam factum est in lege repetundarum supra iam observatum est. Quomodo fere ex utraque parte sibi respondeant, tabella quam infra posui demonstrat excepta ex tabulis Ritschelianis inter se comparatis, maxime ex B D; nam sive quod versus paullulum se incurvant sive quod lithographus in spatiis subinde peccavit, ad A C eaedem mensurae non conveniunt accurate. Nihilominus tabulam hanc quamvis nonnullis dubitationibus obnoxiam omittere noluimus; habet enim talis utriusque partis inter se comparatio ad lacunarum spatia dimetienda supplementaque apte ordinanda non minimam utilitatem.

rep.	agr.	rep.	agr.	rep.	agr.
1 —	1	32 —	37	62 —	72
	2	33 —	38	63 —	73
2 —	3	34 —	39	64 —	74
3 —	4	35 —	40		75
4 —	5	36 —	41	65 —	76
5 —	6		42	66 —	77
6 —	7	37 —	43	67 —	78
7 —	8	38 —	44	68 —	79
8 —	9	39 —	45	69 —	80
9 —	10	40 —	46	70 —	81
10 —	11		47		82
11 —	12	41 —	48	71 —	83
12 —	13	42 —	49	72 —	84
13 —	14	43 —	50	73 —	85
14 —	15	44 —	51	74 —	86
15 —	16	45 —	52	75 —	87
	17	46 —	53	76 —	88
16 —	18	47 —	54	77 —	89
17 —	19		55		90
18 —	20	48 —	56	78 —	91
19 —	21	49 —	57	79 —	92
20 —	22	50 —	58	80 —	93
	23	51 —	59	81 —	94
21 —	24	52 —	60	82 —	95
22 —	25		61	83 —	96
23 —	26	53 —	62		97
24 —	27	54 —	63	84 —	98
	28	55 —	64	85 —	99
25 —	29	56 —	65	86 —	100
26 —	30	57 —	66	87 —	101
27 —	31	58 —	67	88 —	102
28 —	32		68	89 —	103
29 —	33	59 —	69	90 —	104
30 —	34	60 —	70		105
31 —	35	61 —	71		
	36				

Singulos versus in utraque lege litterarum numero non multum differre dinumerationes in tabula adiecta ostendunt. Quot vero litteras versus dum integri erant olim habuerint, difficile dictu est; nam magnorum hiatuum supplementa, quae quidem ad litterarum numerum usque certa sint, nulla adhuc reperta sunt vereorque ut umquam reperiantur. Videntur tamen singuli versus litterarum fuisse fere quadringenarum. Quod primum probatur ipso exordio; nam primi versus cum prima pars, quae periit, ut ex supplemento anticae constat, litteras habuerit olim ad minimum 100, extrema, quae item interiit, ut constat ex supplemento posticae, litteris eius magnitudinis, quae sunt in anticae primo versu, non minus 60 absolvi potuerit, media, quae superest, habeat in antica litteras 75, litterae in primo versu ad minimum 235 olim fuerint necesse est eaeque solitis ita maiores, ut harum ternae quinis fere ordinariis respondeant; unde quadringenarum numerus supra positus efficitur. Item in lege repetundarum inter B 12 et A 9 cum eadem perierunt quae item inter A 12 et B 16 desiderantur non satis certae restitutionis, spatii tamen certi litterarum fere 90, tum certa ratione suppletae litterae 62; quare ubi cum A 8 litterarum 41 et B 12 litterarum 130 spatium inter A 8 et B 12 litterarum c. 100 duoque spatia in primis extremisque versibus litterarum, ut diximus, 150 coniunxeris, efficientur litterae 171 superstites, c. 250 deperditae, in summa litterae 420, quod cum rationibus supra positis satis convenit. Denique in agrariae v. 78 post hiatum ingentem qui supra centum litteras ad minimum hausit, sequuntur in tabula D litterae 88, deinde inter D et E certa ratione supplendae 13, denique in E et C coniunctis litterae 100, ut hoc quoque loco ad litteras supra trecentas calculi perveniant. Similia complura ex tabulis a nobis suppletis a sedulo lectore peti magis placet quam ad fastidium plerorumque hoc loco congeri. — Utile visum est, quot in singulis hiatibus litterae fere perierint explorare. Quae res cum omnino plena sit et taedii et periculi, in lamminis hodie deperditis A inf. et E cum de earum figura non constet, de spatiis intermediis multo magis ambigi potest. Ita exempli causa inter E et D quamquam pauca interciderunt et supplementa quaedam satis certa sunt, tamen ex his reliquorum hiatuum ambitum non satis colligimus; quam ob rem ne quis miretur, si quando in his supplementa mea recedunt a litterarum deperditarum numero eo, quem tabula indicat. Omnino spatiorum hae coniectationes magis quam computationes totae pendent ex supplementorum, de quibus supra dixi, calculis nequaquam accuratis et his aliter ordinatis simul commutentur necesse est. Praeterea hoc quibus hae res postea curae erunt caveant velim a quo priores non satis sibi caverunt, in spatiis his dimetiendis semper et anticam et posticam simul considerandas esse et quod in altera verum sit, in alteram transferri et posse et debere. Errore factum est ut in adiecta tabula spatium inter B et A decem fere litteris angustius appareat quam debuit esse secundum supplementa ea, quae inter A et B maxime probabilia reperta sunt; quam ob rem in spatiis ad marginem textus restituti computatis spatium inter A et B decem fere litteris auxi spatio inter B et marginem totidem litteris deminuto. Nam in leges restitutas quoque eosdem numeros ita intuli, ut in margine in hiatibus singulis quot litterae excidisse viderentur numeris inter parentheses interpositis indicarem. Ad quos numeros qui deinceps aut plane non attendet quive iisdem nimium tribuet, non me, sed suam ipsius incuriosam vel neglegentiam vel credulitatem accusabit. — Capita in lege repetundarum rubricas habent praescriptas praetereaque spatiis et ante et post rubricam vacuis relictis distinguuntur. Contra in lege agraria rubricae nullae sunt capitumque initia in sola prima parte legis solent indicari modo tribus punctis sic:

IVSIT · · · AGER

quod factum est v. 7. 13. 14. 15. 16. 26, modo duobus sic:

OPORTEBIT · · QVEI

quod factum est v. 12. 27. 28, semel v. 4 sic:

EST · QVEI

Post v. 28 eiusmodi capitum distinctiones amplius non reperiuntur videnturque spatio deficiente a scalptore omissa esse. In hac editione ubicunque in lege repetundarum spatium non casu, sed consilio relictum est punctare illa in lege agraria inveniuntur, signum paragraphi § positum est. — Emendate neutra lex scripta est et plus etiam fortasse peccavit anticae quam posticae scalptor; ut sit haec quoque lex documento, quantopere in arte scribendi Graeci homines Romanos superarint. De singulis erroribus dixi in adnotatione.

Iam videamus de lege ea, quae perscripta est in antica. Quam cum facile intellegatur ex genere earum fuisse, quae de pecuniis repetundis quaestionem perpetuam constituerint, iuvat primum componere quidquid de legibus his ante Sullam dictatorem latis praeterea traditur, deinde de huius legis aetate disserere.

1. *Calpurnia* lex a. u. c. 605. — Cic. Brut. 27, 106: *Quaestiones perpetuae hoc* (C. Papirio Carbone cos. a. u. c. 634) *adulescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt; L. enim Piso tr. pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio cos.* (u. c.

605) *tulit.* De offic. 2, 21, 75: *Nondum* (a. u. c. 710) *centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset.* Eadem fere redeunt Cic. Verr. 3, 84, 195. 4, 25, 56 et in scholiis Bobiens. ad or. pro Flacco p. 233 Or. Tacit. ann. 15, 20: *magistratuum avaritia Calpurnia scita (peperit).* In huius quoque legis v. 74 (cf. v. 23. 81) lex, *quam L. Calpurnius L. f. tr. pl. rogavit,* ita citatur, ut hanc de eadem re primam latam esse denuo confirmetur. Denique Val. Max. 6, 9, 10: *L. Lentulus consularis* (a. u. c. 598) *lege Caecilia* (imo *Calpurnia*, de quo post Sigonium de iud. 2, 27 multi monnerunt) *repetundarum crimine oppressus censor postea cum L. Censorino creatus est* (a. u. c. 607). *Quem quidem fortuna inter ornamenta et dedecora alterna vice versavit, consulatu illius damnationem, damnationi censuram subiciendo.* Festus v. *religionis* p. 285 M.: *L. Corneli Lentuli c[um L. Censorino sequitur censura.] Lentulus iudicio pu[blico repetundarum damnatus] fuerat; plurimi itaque [timebant, ne censor poenas repeteret, sed ille nulli gravis fuit].* — De auctore legis L. Calpurnio L. f. Pisone Frugi Censorio, qui consul fuit a. u. 621 et item res gestas populi Romani perscripsit, cf. Drumannus 2, 81.

2. *Iunia* lex lata inter a. u. c. 605 et a. 632. — Qua de lege nihil praeterea innotuit nisi quod in hoc aere v. 74 (cf. v. 23. 81) lex, *quam M. Iunius D. f. tr. pl. rogavit*, ita nominatur, ut inter Calpurniam a. 605 eamque, cuius reliquias hodie tenemus, medio tempore lata sit oporteat. — Auctor legis Borghesio (ann. vol. 21 a. 1849 p. 9) probabiliter creditur M. Iunius Silanus consul a. 645, qui cum primus in familiam Silanorum consulatum intulerit, ad summos honores non videtur pervenisse nisi aetate maturus itaque tribunatu facile fungi potuit c. a. 620.

3. *Acilia* lex lata c. a. u. 631 vel 632. — Cic. in Verr. act. 1, 17, 51 M'. Glabrionem tum a. u. c. 684 praetorem alloquens: *Fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis iudiciis severissimisque iudicibus usus est.* L. 1, 9, 26 postquam orator exposuit licere sibi reum comperendinare et ita bis accusare, se vero unica actione contentum fore, ita pergit: *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus; antea vel iudicari primo poterat vel 'amplius' pronuntiari. Utram igitur putas legem molliorem? opinor illam veterem, qua vel cito absolvi vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus condemnati sunt nequaquam tam manifestis neque tantis criminibus, quantis tu convinceris. Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Accusabo; respondebis; testibus editis ita mittam in consilium, ut, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment non primo iudicare.* Enarrator quae adnotat p. 144 Or.: *M'. Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, in qua ne comperendinari quidem licet reum;* item p. 165 *Aciliam legem] Acilii Glabrionis patris huiusce praetoris, de quo etiam supra dixit, quae lex neque comperendinationem neque ampliationem habet,* merae nugae sunt neque aliunde fluxerunt nisi ex ipsis Ciceronis verbis pessime lectis. Quam ob rem cum olim, nondum inepti illius magistelli auctoritate explosa, litigatum sit, utrum Servilia lex ante Aciliam rogata sit an ante Serviliam Acilia, iam hodie nemo dubitat legem de pecuniis repetundis, quae Serviliam a. u. c. 643 proxime praecesserit, Aciliam fuisse. — De rogatore praeter supra relata nihil accepimus, nisi quod Cicero eum *fortissimum* dicit eiusque *vim et acrimoniam ad resistendum hominibus audacissimis* praedicat (Verr. act. 1, 17, 52) etiamtum homo popularis, quodque ei nupsit Mucia P. Scaevola consulis a. 621 filia (Cic. Verr. l. c. ibique schol. p. 149; Brut. 68, 239); hunc enim Scaevolam enarrator intellegit eique quae Cicero de moribus eius significat unice conveniunt. Denique quod filium avus educavit (Cic. Brut. l. c.), patrem immatura morte obiisse indicat. Omnino inter M'. Acilium M'. f. C. n. Glabrionem, qui a. 573 aedem Pietatis dedicavit (Liv. 40, 34. Val. Max. 2, 5, 1) et a. 588 aedilis curulis (Terent. Andr. didasc.), a. 600 consul factus est, et M'. Glabrionem praetorem a. 684, consulem a. 687 quinam Acilii intervenerint, non traditur (cf. Borghesi *censori* p. 52). Legis latae tempus tamen in huius patrem recte convenit. Filius enim cum ad maiores honores non pervenerit nisi aetate provectus, *nam,* Cicero (Brut. 68, 239) inquit, *M'. Glabrionem bene institutum avi Scaevolae diligentia socors ipsius natura neglegensque tardaverat,* aliquanto ante a. 644 natus videtur esse, praesertim cum Mucia mater nasci potuerit c. a. 610 vel antea; quam ob rem pater tribunatum obtinere potuit a. 631 vel 632, quorum altero utro legem latam esse infra demonstrabitur.

4. *Servilia* lex lata c. a. u. 643. — Cic. Brut. 62, 224: *C. Servilius Glaucia — in praetura consul factus esset, si rationem eius habere licere iudicatum esset; nam et plebem tenebat et equestrem ordinem beneficio legis sibi devinxerat.* Pro Rab. Post. 4, 9: *Iubet lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenit. — — hoc totidem verbis translatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Servilia.* Pro Scauro apud Ascon. p. 21 Or.: *Reus est factus a Q. Servilio Caepione lege Servilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent et P. Rutilio damnato* (c. a. u. c. 662) *nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa;* ibique Asconius: *Q. Servilius Caepio Scaurum ob legationis Asiaticae invidiam et adversus leges pecuniarum captarum reum fecit repetundarum lege, quam tulit Servilius Glaucia. Scaurus tanta fuit continentia animi et magnitudine, ut Caepionem contra reum detulerit et breviore die inquisitionis accepta effecerit, ut ille prior causam diceret, M. quoque Drusum tribunum plebis* (a. u. c. 663) *cohortatus sit, ut iudicia commutaret.* Val. Max. 8, 1, 8: *C. Cosconium* (praetor videtur intellegi a. 664, v. App. b. c. 1, 52; Liv. ep. 75; Diodor. p. 539 Wess.) *Servilia lege reum propter plurima et evidentissima facinora sine ullo dubio nocentem Valeri Valentini accusatoris eius recitatum in iudicio carmen — erexit.* Cic. pro Balbo 23, 53: *Quo modo L. Cossinius Tiburs — — damnato T. Coelio, quo modo ex eadem civitate T. Coponius — damnato C. Massone civis Romanus est factus? — —* 24, 54: *Quodsi acerbissima lege Servilia principes viri et gravissimi cives hanc Latinis, id est foederatis viam ad civitatem populi iussu patere passi sunt, — — cum praesertim genus ipsum accusationis et nomen et eius modi praemium, quod nemo adsequi posset nisi ex senatoris calamitate, neque senatori neque bono cuiquam nimis iucundum esse posset, dubitandum fuit, quin quo in genere iudicum praemia rata essent, in eodem iudicia imperatorum valerent? Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur aut Serviliae legi aut ceteris, quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re praemium civitatis?* Praeterea ad locum Verrinarum supra in lege Acilia relatum enarrator has nugas adscripsit p. 164: *ante legem Glauciam* (sic) *de comperendinatione aut statim sententia dicebatur, si absolvendus esset reus aut 'amplius' pronuntiabatur, si videretur esse damnandus, cum dixissent iudices 'non liquet', hoc est 'obscura causa est'.* — C. Servilius Glaucia in praetura a. u. c. 654 occisus est; legem de repetundis non praetorem eum rogasse, sed ante in tribunatu consentaneum est, quem tamen quo anno gesserit ignoratur. Nam quod post alios Klenzius (p. XV. XVII) posuit Q. Servilium Caepionem lege iudiciaria quam consul a. u. 648 tulerit, iudicia ab equitibus ad senatum transtulisse, Glauciam deinde ea reddidisse equitibus lege repetundarum lata itaque hanc post a. 648 rogatam esse, id idoneis

argumentis carere olim iam demoustravi (*Zeitschrift für Alterthumswiss.* 1843 p. 823). Hoc solum ex locis supra relatis apparet ex lege Servilia repetundarum equites iudicasse eiusque ordinis potentiam in re publica ea lege lata magnopere auctam esse, cuius rei certa documenta sunt Rutilii damnatio et accusatio Scauri; at cum ferretur lex Servilia, iudicia apud senatores fuisse neque tradidit quisquam neque probabile videtur, iudiciorum enim commutatio non per repetundarum legem, sed per iudiciariam fieri debuit. Quare quamquam lex Servilia Caepionis aut perlata non sit aut mox rursus sublata necesse est, tamen ad hanc difficultatem expediendam non recte eo confugitur, ut Glauciam ponamus eam in tribunatu abrogasse. Annus igitur quo Glaucia tribunus fuerit quamquam ex his non efficitur, cur c. u. c. 643 tribunus fuisse videatur, mox aperiam. Ex Servilia lege non solum ad a. 663, sed ad latam usque Corneliam a. 673 de repetundis iudicatum esse loci supra allati ostendunt; unde magis etiam coarguitur eorum error, qui inter Serviliam Corneliamque Aciliam interponunt.

5. *Cornelia* lex lata a dictatore Sulla a. 673.

6. *Iulia* lex lata a C. Caesare cos. a. 695.

Iam aetatis argumenta in hac quam tenemus repetundarum lege obvia ubi circumspicimus, primarium locum obtinebit IIIvirum agris dandis adsignandis inter magistratus ordinarios commemoratio, propter quam supra iam ad n. 197 p. 46 et Bantinam legem et hanc repetundarum inter annos 621 et 635 latas esse demonstratum est. Quocum reliqua indicia optime conveniunt. Nam ut mittamus argumenta, quae tabulam hanc legibus Iulia et Plautia Papiria anteriorem esse evincunt, ipsa tabulae postica, in qua lex agraria anni 643 perscripta est, anticam ante hunc annum exaratam esse non minus simplici quam luculento testatur testimonio, quod viri docti, quibus haec lex Servilia esse visa est, ut effugerent, mira infelicitate adhuc se torserunt. Sed paullo ulterius etiam progredi licet. Nam senatores in hac lege cum iudicare vetentur, lata sit necesse est post legem eam, qua C. Gracchus iudicia a senatu ad equestrem ordinem transtulit a. u. 631 vel 632. Denique quod lex Rubria de colonia Carthaginem deducenda a. 631 lata, abrogata vero statim post caesum Gracchum a. 633 (v. commentarium in legem agr.) huius legis v. 22 ita commemoratur, ut eam tum adhuc valuisse appareat, legem hanc repetundarum ipsis annis quibus C. Gracchus tribunus fuit 631 et 632 adsignat. — Ei denique aetati sermo optime convenit paulo vetustior etiam quam legis agrariae latae a. 643. — Quibus positis ubi redimus ad ea, quae de legibus repetundarum scriptores memoriae tradiderunt, hanc sponte sequitur Serviliam esse non posse sed esse aut legem ignotam inter Iuniam Aciliamque interiectam aut denique ipsam Aciliam; neque quae de legibus Acilia Serviliaque supra relata sunt testimonia refragantur. Nam ante Glauciae legem in iudicio repetundarum comperendinationem non fuisse, sed ampliandi potestatem infinitam, Glauciam vero sublata ampliatione comperendinationem induxisse, praeterea ante eum non iis litem aestimatam esse, ad quos a reo pecunia pervenerit, ita in hanc legem conveniunt, ut ampliatio v. 48 commemoretur, comperendinationis vero nulla ibi usquam mentio fiat, neque magis iudicii illius secutorii vestigium in hac lege extet; nam qui contrarium sibi persuaserunt, supplementis male factis, non ipsis legis verbis innituntur. Caput de civitate danda, quod ex lege Servilia Cicero affert, in hac lege invenitur non tam idem quam simile; quod enim lex haec omnibus peregrinis proponit, Servilia relinquit solis Latinis (v. ad v. 86). Ceterum his neutram in partem multum tribuendum est; primum quia in tam lacera lege quid non fuerit difficile hodie dicitur, deinde quoniam, ut maxime constet capita a Glaucia primum addita a lege hac abesse, nihil inde sequitur nisi Serviliam eam non fuisse, de quo praeterea satis constat; Acilia num fuerit an antiquioris nescio cuius tribuni, inde non discimus, cum ea capita non ab Acilia sola abfuisse necesse sit, sed item ab omnibus repetundarum legibus ante Aciliam latis. Quid vero fuerit in lege Acilia, hodie plane ignoratur, nec recte Rudorffius (*Rechtsgesch.* 1, 78) propterea, quod haec lex popularis sit et in senatorium ordinem satis severa, Acilia autem Servilia mollior dicatur fuisse, hanc esse posse Aciliam negavit, nam atrocissima lege Servilia molliorem legem quid impedit perquam duram fuisse? Denique non sine causa Cicero homo tum popularis (in Verr. act. 1, 17, 52) excitavit *Glabrionis patris vim et acrimoniam ad resistendum hominibus audacissimis.* Totam autem rem ita fere ordinandam esse apparet. C. Gracchus tr. pl. postquam vel in primo tribunatu a. 631 vel in secundo a. 632 (de anno enim non satis constat) iudicia a senatoribus ad equestrem ordinem transtulit, quam legem credo pervenisse et ad repetundarum ceterasque si quae tum fuerunt quaestiones perpetuas et ad quaestiones extraordinarias deinceps ordinandas (Cic. Brut. 34, 128 coll. Sallust. Iug. 40. 65) et ad iudicia denique privata, necessarium visum est quaestionem repetundarum denuo ordinare. Nam iudicia ea, quae praesertim C. Gracchus exprobarat senatoribus quaeque ne optimates legem iudiciariam repellere possent, effecerant, L. Cottae, quem P. Africanus, M'. Aquillii, quem P. Lentulus princeps senatus frustra accurarant, in ipsis sociorum querelis vertebantur (cf. Cic. divin. 21, 69 App. b. c. 1, 22). Nec fieri potuit, quin lata lege Sempronia iudiciaria repetundarum quaestio universa retractaretur novaque et prioribus severior de ea lex perferretur, ut similiter postea Sulla de utraque re legem tulit. Lata itaque haec lex esse videtur vivo adhuc Graccho a M'. Acilio tr. plebis a. 631 vel 632. Cuius tribunatus tenue neque tamen plane spernendum indicium superest in lege Rubria Acilia, cuius senatus consultum de Astypalaeensibus (C. I. Gr. 2485 v. 12) a. u. c. 649 factum meminit, incerti quidem argumenti neque aetatis certa praeterea ratione definiendae, sed quam probabiliter attribuas ipsi illi Rubrio, qui cum C. Graccho tribunus plebis fuit, indeque efficias eo ipso anno Acilium quoque quendam tribunatum gessisse. Iam cum Acilium eum, qui hanc legem rogavit, paulo post tribunatum gestum diem obiisse videri supra docuerimus, periit fortasse cum aliis C. Gracchi amicis in Opimianis turbis. Abrogatam legem hanc esse nova lege Servilia lata a. 643 vel paullo ante inde colligo, quod cum in postica lex agraria prostitit, antica ad parietem conversa latuit; eodem autem fere tempore et legem hanc repetundarum abrogatam esse et tabulam, in qua palam proscripta legebatur, refixam consentaneum est. Eaque causa est, cur legem Serviliam repetundarum c. a. 643 latam esse supra posuerim. — Verbo denique monebo priorum opiniones de huius legis aetate non satis pensatas refutatione hodie non indigere. Circumfertur quidem ea ad hanc usque diem sub falso nomine Serviliae repetundarum, quam opinionem a Carolo Sigonio profectam, ab Antonio Augustino viro supra aetatem suam harum rerum perito Ursinoque recte spretam, denuo cum alii tum ipse Klenzius caece magis arripuerunt quam examine instituto conprobaverunt. Equidem ex quo ad haec studia me contuli statim eam improbavi et a. iam 1843 (v. *Ztschr. für Alterthumswiss.* 1843 p. 824 n. 26) legem hanc aetatis Gracchanae esse breviter significavi. Postea C. Tim. Zumptius editis commentationibus tribus 'de legibus iudiciisque repetundarum' (*phil. hist. Abh. der Akademie zu Berlin* 1845 p. 1—70. 475—515), usus maxime eo argumento, quod ex ampliatione admissa, comperendinatione exclusa desumitur, legem in

aheneis his tabulis servatam Serviliam esse sano iudicio negavit, contra ad Aciliam anno, ut ex latoris aetate conicit, c. 634 latam fragmenta rettulit (l. c. p. 20—25); quam opinionem inde ab eo tempore peritiores fere secuti sunt.

In enarranda cum hac lege tum magis etiam agraria a solita et huic syllogae in universum unice apta brevitate aliquantum recessi; neque id factum est sine causa. Nam in monumentis, quae verborum ordinem plus minus continuum exhibent, perpetuo commentario opus esse non solet; quae enim ibi difficilia et obscura inveniuntur, plerumque pauca sunt prae iis, quae facile leguntur et sine explanatione plana sunt. At in his laciniis, maximi iis quidem momenti cum ad linguam antiquam pernoscendam tum ad rei iudiciariae et agrariae plenam accuratamque notitiam percipiendam, tamen nulla sententia superest integra, sed fracta omnia sunt et quasi quodam turbine divulsa, ut sine enarratione supplementisque nihil fere assequare neque quantumvis doctus nisi examinata re et perpensa singula recte intellegas. Id movit me, ut quae ad has leges vel ab aliis recte disputata repperissem vel per viginti hos annos (tot enim effluxerunt, ex quo in eas data opera inquirere coepi) ipse adnotassem, huius libri causa digererem et ordine exponerem, hoc in ea re consilium secutus, ut quae accepimus ita fracta, ut ex residuis de parte deperdita aliquam coniecturam capere liceat, ea quantum fieri potest redintegrarem, abstinerem autem ab eorum consuetudine, qui plane incertas et cuivis argumento facillime accommodandas reliquias supplementis obscurant magis quam illustrant eaque in legem inferunt, quae ut vera sint, tamen in lege ita scripta fuisse nullo ex ea ipsa petito argumento demonstrare possint. Similiter raro in eo elaboravi, ut verba ipsa recuperarem — hoc enim quam sit plerumque vanum, vere prudentes non ignorant, sed hoc volui, ne speciosa supplementorum et plenitudine et sollemnitate lectorem minus peritum quodammodo fallerem, sententiarum tamen ordinem qui fuerit breviore quam commentariis adscriptis fieri potuit ratione significarem. In supplementis quae a prioribus accepi, maxime Klenzio Rudorffio Huschkio, quid cui debeatur, in gravioribus tantummodo monui; nam in hoc genere minimum quodque inventum ad suum auctorem revocare et infinitum est neque satis conciliatur cum horum studiorum gravitate virorumque illorum ipsorum non talibus minutiis indiga auctoritate. Denique quantum fieri potuit cavi, ne legis repetundarum enarratio transiret in commentarium de forma quaestionum perpetuarum; quod quam proclive fuerit, doctiores sentient. Eamque ipsam ob causam de toto legis argumento praefari non placet, nisi quod commodum erit capita legis quomodo se excipiant hoc loco proposuisse coniuncta. Cursivis litteris rubricas suppletas distinxi.

v. 1. *Praescriptio.*
v. 1-8. *Quam pequniam a quo quis apud quem ex hace lege repetat.*
v. 8. 9. De heisce dum magistratum aut inperium habebunt ioudicium non fiet.
v. 9-11. *De patrono dando.*
v. 11. 12. De patrono repudiando.
v. 12-14. *De CDL vireis in hunc* annum legundis.
v. 14-15. Quos (praetor) legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet.
v. 15-17. De CDL vireis quot annis *legundis.*
v. 17-19. Quos (praetor) legerit, eos patrem tribum cognome indicet.
v. 19-26. De nomine deferundo iudicibusque legundeis.
v. 26-27. *Iudicum patronorumque nomina* utei scripta in tab habeantur.
v. 27. Eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient.
v. 27. 28. *De incerto aliquo praemio.*
v. 28. .... scripta sient.
v. 29. *De iudicio in eum quei mortuos* erit aut in exilium abi
v. 30-33. *De inquisitione facienda.*
v. 33. De inro*ganda multa.*
v. 34. 35. *De testibus tabulisque custodiendis.*
v. 35. Praetor utei interroget.
v. 36-38. *Iudices utei iourent ante quam consi*dant.
v. 38. Ioudex nei quis disputet.
v. 39. *De ...... excusando.*
v. 40. 41. *De iudicio proferendo vel refe*rendo.
v. 42. 43. *De multa iudici, qui ad iudicium non adest neque ex satur, inroganda?*
v. 44. *Iudices utei iourent ante quam in consilium eant.*
v. 45. 46. Indices multam supremam debeant.
v. 47. 48. *Iudices in* consilium quomodo eant.
v. 49-52. *De* reis quo modo iudicetur.
v. 53. 54. *Sententiae quo modo pronontientur.*
v. 54. De *numerandis sententiis.*
v. 55. *De reo apsolvendo.*
v. 56. De reo condemnando.
v. 57. 58. *De praedibus dandis bonisve vendundis.*
v. 58. 59. De leitibus aestumandeis.
v. 60. 61. *De pequnia ex aerario solvenda.*
v. 62. 63. *De tributo indicendo.*
v. 63. 64. *De tri*buto servando.
v. 64. *Reliquom* in aerario siet.
v. 65. *De tributo proscribendo.*
v. 66. *Pequnia* post quinquenium poplei fiet.
v. 66. 67. *De pequnia a praedibus exigenda.*
v. 67. 68. Pequnia infiscis opsignetur.
v. 68. 69. *Quaestor utei solvat.*
v. 69. Quaestor moram nei facito.
v. 69-72. *Iudicium nei quis inpediat.*
v. 72. 73. *Iudex deinceps faciat pr ....*
v. 73-75. *De rebus ante iudicatis factisve.*
v. 75. De praevaricatione.
v. 76-78. De ceivitate danda.
v. 78. 79. De provocatione .... eque danda.
v. 79. 80. Iudex deinceps faciat pr .....
v. 80-82. *De rebus ante iudicatis factisve.*
v. 82. *De praevaricatione.*
v. 83-85. *De ceivitate danda.*
v. 85-87. *De provocatione .... eque danda.*
v. 87. 88. *De praemiis accusatoris civis Romani.*
v. 88-90. *Argumenti incerti, fortasse de provocatione.*

I .... *tr(ibun ..) pl(ebei) plebem ioure rogav ..... plebesque ioure scicit in ...... a(nte) d(iem) .... Tribus* (120)
...... *principium fuit. Pro tribu .... preimus scivit.*
Quoi socium no|minisve Latini exterarumve nationum, quoive in arbitratu dicione potestate amicitiav|*e populi Romani* ..... b 1 (245)
II .
.... *ab eo, quei dic(tator), co(n)s(ul), pr(aetor),*
mag(ister) eq(uitum), cens(or), aid(ilis), tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(gris) d(andis) a(dsig-
nandis), tribunus mi|l(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua earum fuerit, queive filius eorum quoius erit, *queive* quoinses b 2
pater senator siet, in annos singolos pequniae quod siet amp|*lius HS* ... *n(ummum)* .... (270)
III .
.... *pro inperio prove potestate ipsei regive populove suo parentive suo, queive in potestate manu*
mancipio suo parentisve sui siet fuerit, quo|ive ipse parensve suos filiusve suos heres siet, ablatum captum coactum con- b 3
ciliatum auersumve siet, de ea re eius petitio nominisque delatio esto; | *pr(aetoris) quaestio esto; ioudicium ioudicatio* (301)
IV *leitisque aestumatio, queiquomque ioudicium ex hace lege erunt, eorum hace lege esto.* ....
.... *Sei quis deicet praetorem nomen ex*
hace lege ita non recepisse utei delatum esset neque ioudicium ex hace lege ita datu|m esse utei peteret, de ea re eius petitio b 4
nominisque delatio esto; pr(aetoris) quaestio esto; ioudicium ioudicatio leitisque aestumatio quei quomque ioudic|*ium* (164)
ex hace lege erunt, eorum hace lege esto ....
V .... *eiu*|s iu|*dic* .... a 1 (140)
.... *De quo ex hace lege ioudicatum erit et contra hance legem fecisse dicetur postquam ea res iou-*
d|icata erit, aut quoius nomen praevaricationis caussa delatum erit, aut quoium nomen ex h(ace) l(ege) ex reis exem- b 5
ptum erit, seiquis eius nomen a|*d praetorem denuo detulerit, quaestio eius pr(aetoris) esto; ioudicium ioudicatio leitisque* (162)
VI *aestumatio, queiquomque ioudicium ex hace lege erunt, eorum hace lege esto* .... *ali*|eno nomin|*e* a 2 (134)
.
.... | quaestio eius pr(aetoris) esto; ioudicium ioudicatio litisque aestumatio, quei quomque ioudicium ex b 6
h(ace) l(ege) erunt, eorum h(ace) l(ege) esto. Is eum unde petet in ious ed|*ucito ad praetorem, quoius ex hace lege in eum* (161)
VII *annum quaestio erit, ante k. Sept. quae eo anno erunt* ....
.... | deque eo homine de | *eius praetoris sententia petito nomenque eius deferto. Post k. Sept. quod* a 3 (127)
nomen deferetur, sei is quei petet volet, is praetor de ea re ioudicium recuperatorium dato. Qu|oius eorum ita nomen ex b 7
h(ace) l(ege) post k. *Sept.* quae eo anno fuerint delatum erit, quei eorum eo ioudicio condemnatus erit, quanti eius
rei alis ae|*stumata erit, tantam pequniam quei eum condemnaverit dato* .... (156)
VIII .... *eaque pequnia, quei eum condemnaveri*|t, eius esto. Pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) a 4
q|*uaeret, facito,* .... *quidquid eorum quoi, quei nomen post k. Sept. ex hace lege detulerit, ob eam rem* (124)
ex hace lege dari oportere iudicatu|m erit, id utei privato solvatur quei *eorum* petet. §. b 8
De heisce, dum mag(istratum) aut inperium habebunt, ioudicium non fiet. § Dic(tator), co(n)s(ul), pr(aetor), mag(ister)
eq(uitum), | *cens(or), aid(ilis), tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III vir a(gris) d(andis) a(dsignandis), tr(i-* (154)
bunus) mil(itum) leg(ionibus) IIII primis aliqua earum, dum mag(istratum) aut inperium habebit, nei in ious educitor neive
IX *eius nomen praetor quei ex hace lege quaeret recipito. Postquam eorum quis e*|x eo mag(istratu) inperiove abierit, quo min|*us* a 5 (121)
in ious educatur .... *eiusque nomen praetor quei ex hace lege quaeret recipiat, e(ius) h(ace)*
l(ege) n(ihilum) r(ogato).
De patrono dando. Quei ex h(ace) | l(ege) pequniam petet nomenque detulerit, quoius eorum ex h(ace) l(ege) ante k. Sep- b 9
t(embres) petitio erit, sei eis volet sibei patronos in eam rem darei, pr(aetor), ad quem | *nomen detulerit* .... (149)
X .... *patronos ciceis*
Romanos ingenuos ei dato, dum | neiquem eorum det sciens d(olo) m(alo), quoiei is, q|*uoius nomen delatum erit,* ...... a 6 (120)
.... *gener socer vitricus privignusve siet, queive eiei sobrinus siet pro*|piusve b 10
eum ea cognatione attigat, queive *eiei* sodalis siet, queive in eodem conlegio siet, quoiave in fide is erit maioresve in
XI maiorum fide fuerint, | *queive in fide eius erit maioresve in maiorum fide fuerint,* .... (141)
.... *queive* | quaestione ioudicioque puplico condemnatu|*s siet* a 7 (118)
quod circa eum in senatum legei non liceat, ...
.... *neive eum qu*|ei ex h(ace) l(ege) ioudex in eam rem erit, neive eum quei ex h(ace) l(ege) patronus datus erit. § b 11
De patrono repudiando. § Quei ex h(ace) l(ege) patronus datus erit, sei is mori*bus suspectus erit, is quoi ex h(ace) l(ege)* (140)
XII *datus erit eum repudiato.* .... *Tum quos ex h(ace) l(ege) in eam rem*
patronos dare licet, eor|um pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, alium patronum eiei quem | *volet dato* .... a 8 (106)
....
De CDL vireis in hunc an|num legundis. §. Pr(aetor), quei inter peregrinos ious deicet, is in diebus X proxum(eis), quibus h(ance) b 12
l(egem) populus plebesve iouserit, facito utei CDL viros legat, quei in hac ceivit|*ate sestertium quadringentorum milium* (137)
XIII *n(ummum) plurisve census siet,* .... *dum nei quem eorum legat, quei tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis),*
tr(ibunus) mil(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua earum, trium vi|rum a(gris) d(andis) a(dsignandis) siet fueritve, quei ve a 9
in senatu siet fueritve, queiv|*e mercede conductus depugnavit depugnaverit artemve ludicram fecit fecerit, queive quaestione ioudi-* (104)
cioque puplico conde|mnatus siet quod circa eum insenatum legei non liceat, quei ve minor anneis XXX maiorve annos b 13
LX gnatus siet, queive in urbem Romam propiusve u|*rbem Romam p(assus) M domicilium non habeat, queive eius ma-* (135)
XIV *g(istratus) quei s(upra) s(criptus) e(st) pater frater filiusve siet, queive eius quei in senatu siet fueritve pater frater filiusve*
siet, queive trans mar|e erit. a 10
Quos legerit, eos patrem tribum cognomenque indicet. Q|*uei ex h(ace) l(ege) in hunc annum quaeret,* .... (100)
.... *is die .. ex quo legerit, eorum, quei ex* | h(ace) l(ege) CDL vireis in eum annum lectei b 14
erunt, ea nomina omnia in tabula in albo atramento scriptos patrem tribum cognomenque tributimque discriptos hab|*eto* (133)
XV *eosque propositos suo magistratu servato. Sei quis describere volet, is praetor permittito potestatemque scribendi quei volet fa-*
cito. Pr(aetor) quei legerit, is, quos e|x h(ace) l(ege) CDL viros legerit, facito recitentur in contione iuratoque sese | a 11 (100)

eos ex h(ace) l(ege) legise, de quibus sibei consultum sit . . . . optumos eos iudices futuros esse quosque oetiles b 15
io|udices exaestumaverit esse. Eosque CDL viros, quos ex h(ace) l(ege) legerit, is pr(aetor) omnis in taboleis puplicis
scriptos in perpetuo habeto. §.

De CDL vireis quot annis | *legundis. Praetor, quei post h(anc) l(egem) rogatam ex h(ace) l(ege) ioudex factus erit, ...* (129)
XVI . . . . *is in diebus X proxumis, quibus quis*|que eorum eum mag(istratum) coiperit, facito a 12
utei CDL viros ita legat, quei ha|*ce civitate sestertium quadringentorum milium n(ummum) plurisve census sit . . . .* (90)
. . . . *d*|um nequem eorum legat, quei tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), tr(ibunus) b 16
mil(itum) l(egionibus) IIII primis aliqua earum, trium vir a(gris) d(andis) a(dsignandis) siet fueritve, queive in senatu
siet fueritve, queive merc|*ede conductus depugnavit depugnaverit artemve ludicram fecit fecerit, queive quaestione ioudicioque* (128)
XVII *puplico condemnatus siet quod circa eum in senatum legei non liceat, queive minor anneis XXX maiorve a*|nnos LX gnatus siet, a 13
queive in urbe Romae propiusve urbem Roma|m *p(assus) M domicilium non habeat, queive eius mag(istratus) quei s(upra)* (90)
s(criptus) e(st) pater frater filiusve siet, | queive eius quei insenatu siet fueritve pater frater filiusve siet, queive trans b 17
mare erit.

Quos legerit eos patrem tribum cognomenque indicet. Quei ex h(ace) l(ege) in eu|m *annum quaeret, is die . . ex quo legerit,* (129)
XVIII *eorum, quei ex h(ace) l(ege) CDL virei in eum annum lectei erunt, ea nomina omnia in tabula in albo atramento scriptos pa-*
tr|em tribum cognomenque tributimque discriptos habeto eosque propositos suo ma|*gistratu servato. Sei quis describere* a 14 (85)
volet, is praetor permittito . . . . potestatem|que scribundi quei volet facito. Pr(aetor) quei legerit, is b 18
[eos], quos ex (hace) l(ege) C*DL* viros legerit, facito in conctione recitentur iouratoque sese eos ex h(ace) l(ege) legise,
de quibus sibei consu|*ltum sit optumos eos iudices futuros esse quosque oetiles ioudices exaestumaverit esse. Eosque CDL viros* (130)
XIX *quos ex h(ace) l(ege) legerit, is pr(aetor) omnis in taboleis puplicis scriptos in perpetua habeto.* | §. a 15

De nomine deferundo iudicibusque legundeis. §. Quei ex h(ace) l(ege) pequniam ab a*ltero petet, is eum unde petet . . . . .* (82)
. . . . *postquam CDL virei ex h(ace) l(ege) in e*|um annum lectei erunt, ad iudicem, in eum b 19
annum quei ex h(ace) l(ege) *factus* erit, inious educito nomenque eius deferto. Sei deiuraverit calumniae causa non
XX po|*stulare, is praetor nomen recipito itaque facito, ... utei die . . . ex eo die, quo quoiusque quisque nomen detolerit, is* (130)
quoius nomen delatum e|rit de CDL vireis, quei in eum annum ex h(ace) l(ege) lectei erunt, arvorsario edat eos om|*nes* a 16 (82)
. . . . *quoi is queive ei quoius nomen delatum erit gener socer vitricus pri*|vignusve siet, queive ei sobrinus b 20
siet propiusve eum ea cognatione attingat, queive ei sodalis siet, queive in eodem conlegio siet. Facitoque coram ar-
v|*orsario is quoius nomen delatum erit iouret, de CDL vireis, quei in eum annum ex h(ace) l(ege) lectei sient, praeterea nullum* (132)
XXI *esse nisei quei se earum aliqua necesitudine, quae supra scripta sient,* | non attigeret scientem d(olo) m(alo); itaque is edito a 17
iouratoque. Ubei is ita ediderit, tum in ea|m *quaestionem quei quoiusque ita nomen detolerit, pr(aetor), quoius ex hace lege* (76)
quaestio e|rit, facito utei is die vicensumo ex eo die, quo quoiusque quisque nomen detolerit, C viros ex eis, quei ex h(ace) b 21
l(ege) CDL virei in eum annum lectei erunt, quei vivat, legat e|*datque . . . .* (137)
XXII . . . . *dum nei quis iud*|ex siet, a 18
quoi is queive ei quei petet gener socer vitricus privignusve siet, queive ei sobrinus | *siet propiusve eum ea cognatione* (73)
attingat, queive in eodem conlegio siet, queive | ei sodalis siet, queive tr(ibunus) pl(ebei), q(uaestor), III vir cap(italis), III b 22
vir a(gris) d(andis) a(dsignandis), tribunus mil(itum) l(egionibus) IIII primis *aliqua* earum siet fueritve, *queive* inse-
natu siet fueritve, queive l(ege) Rubr|*ia IIIvir col(oniae) ded(ucendae) creatus siet fueritve, ...* (135)
XXIII . . . . *queive ab urbe Roma plus . . milia passuum* | aberit, queive trans mare erit; neive amplius de una a 19
familia unum, neive eum | *legat edatve, quei pecuniae captae condemnatus est erit aut quod cum eo lege Calpu*|rnia aut lege b 23 (67)
Iunia sacramento actum siet aut quod h(ace) l(ege) nomen *delatum siet.* Quos is C viros ex h(ace) l(ege) ediderit,
de eis ita facito iouret palam apud se coram a|*rvorsario eorum nullum se edidisse scientem dolo malo, quem ob earum cau-* (136)
XXIV *sarum aliquam de ea re ioudicare non liceat queive se earum aliqua* | necesitudine atingat, quae supra scripta sient. *Is* a 20
unde petitum erit quomi|*nus ex h(ace) l(ege) ex reis eximatur, per eum pr(aetorem) advorsariumve mora non erit, nisei is quei* (66)
petet ita C|viros ediderit iuraritque. Tum eis pr(aetor) facito, utei is unde petetur die LX, *postquam* eius nomen delatum b 24
erit, quos C is quei petet ex h(ace) l(ege) ediderit, de eis iudices qu|*os volet L legat . . . .* (138)
XXV . . . . *Quei ex h(ace) l(ege) nomen detolerit, sei is, quoius nom*|en a 21
ex h(ace) l(ege) delatum erit, L iudices ex h(ace) l(ege) non legerit edideritve, seive | *ex CDL vireis quei in eum annum* (66)
ex h(ace) l(ege) lectei erunt quei se adfinitate cognation|e sodalitate atingat queive in eodem conlegio siet, ex h(ace) l(ege) b 25
non *ediderit, tum ei per* eum pr(aetorem) advorsariumve mora non erit *quo* minus legat edatve | *quos volet L de eis C* (142)
XXVI *quos ex h(ace) l(ege) ediderit, ... dum nei quem eorum, quem ex h(ace) l(ege)*
de ea re ioudicare non liceat, sciens dolo malo ioudic|em legat. Quei ita lectei erunt, eis in eam rem ioudices sunto eorumque a 22 (66)
eiu|*s rei ex h(ace) l(ege) ioudicatio leitisque aestumatio esto.*

Iudicum patronorumque nomina | utei scripta in taboleis habeantur. § Pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, *facito eos L* b 26
viros, quos is quei petet et unde petetur ex h(ace) l(ege) legerint ed*iderint* eosque pat|*ronos, quos ei quei petet ex h(ace)* (148)
XXVII *l(ege) dederit . . . . in taboleis puplicis scriptos*
in perpetuo habeat. Ea nomina q|uei petiverit et unde petitum erit, quei eorum volet extaboleis popli|*cis describere, is praetor* a 23 (66)
permittito potestatemque scribundi facito. | §. b 27

Eisdem ioudices unius rei in perpetuom sient. § Quei iudices *ex h(ace) l(ege) lectei erunt,* quam in rem eis iudices lectei
erunt, e|*ius rei iudices in perpetuom sunto.* (178)

. .

XXVIII . . . . *q*|uei pequniam ex *h(ace) l(ege)* capiet, eum ob eam rem, quod pequniam ex h(ace) a 24
l(ege) ceper|*it, nei . . . . neive tribu mo*|veto neive equom adimito neive b 28 (66)
quid ei *ob* eam rem fraudei esto. §.
. . . . *scripta* sient. §. Pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) | . . . . (184)

. .

. . . .

XXIX *De iudicio in eum quei mortuos e*|rit aut in exilium abierit. § Quoium nomen ex h(ace) l(ege) delatum eri|*t, sei is prius mor-* a 25 (66)
tuos erit . . . . aut in exili|um abierit, quam ea res iudicata erit, pr(aetor), ad quem b 29

eius nomen delatum erit, eam rem ab eis item quaerito, | quei ioudicium ex h(ace) l(ege) erunt, quasei sei is, quoius nomen ex h(ace) l(ege) delatum erit, viveret inee ceivitate esset. . . . . (188)

XXX De inquisitione facienda. Praetor postquam | nomen ex h(ace) l(ege) ad se delatum erit, facito utei ioudicium p|erficiatur eumque a 26 (66)
quei ex h(ace) l(ege) nomen detolerit, eius iudici causa admittat, utei q|uod recte factum esse volet, dum neiquid advorsus b 30
h(ance) l(egem) fiat, ad inquisitionem faciundam; neive post h(ance) | l(egem) rogatam . . . . (189)

XXXI . . . . iubetoque | conquaeri in terra Italia in oppedeis foreis concilia- a 27
b|oleis ubei iure deicundo praesse solent aut in provincia in oppedeis foreis con|ciliaboleis ubei ioure deicundo praesse solent. b 31 (68)
In quibus diebus eum quei petet praetor, quei ex h(ace) l(ege) quaere|t, conquaerere iouserit . . . . (190)

XXXII . . . . Postquam is praetor ioudiciumque | audierit, quod eius rei quaerundai censeant refere, et c|ausam probaverit, a 28 (68)
quibus is quei petet denuntiaverit eos homines d(um) t(axat) IIL testumonium deice|re iubeto et quom ea res agetur, quam in b 32
rem quisque testis erit, in eam rem facito eis omnes adsient testimo|niumque deicant, dum nei quem testumonium deicere iubeat (191)

XXXIII . . . . quoia in fide is unde petetur siet maioresve in maior|um eius fide fuerint, queive in fide eius siet maioresv|e in a 29 (65)
maiorum fide fuerint, queive eius, quoius ex h(ace) l(ege) nomen delatum erit, c|ausam deicet dum taxat unum, queive eius b 33
parentisve eius leibertus leibertave siet.
De inro|ganda multa . . . . (195)

. . . .

XXXIV De testibus tabulisque custodiendis. Is quei petet sei quos ad testumonium deicendum evocari|t secumve duxerit dum taxat homines a 30
IIL earum re|rum causa, de quibus id ioudicium fiet, ... ea quai ita conquaesiverit et b 34 (61)
seiqua tabulas libros leiterasve poplicas preivatasve producere proferreque|e volet . . . . (197)

XXXV . . . . | ive de ea re volet apud pr(aetorem), is praetor a 31
ei moram ne fa|cito quo minus . . . . | rat. §. b 35 (66)
Praetor utei interroget. § Pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) q|uaeret . . . . (229)

XXXVI Iudices utei iourent ante quam consident. Praetor quei ex h(ace) l(ege) quaeret, quei in ea|m rem ioudices erunt, ante quam pri- a 32
mum causa d|icetur . . . . apud se iourent facit|o. Iudices quei b 36 (71)
in eam rem erunt omnes pro rostreis in forum | vorsus iouranto . . . . (229)

XXXVII . . . . facturumque se, utei quod recte factum esse vo|let, utei testium quei in eam rem erunt verba a 33
audiat | . . . . neque quicquam se facturum quo | eam rem minus b 37 (74)
ioudicet, nisei seiquae causa erit, quae eiei | ex hace lege quo eam rem minus ioudicet permittet. . . . . (231)

XXXVIII . . . . Quei ita apud se iourarint, eorum nomina is praetor facito in contione r|ecitentur, proscripta propositaque palam a 34
apud for|um habeto; neive quemquam ioudicare sinito, nisei quei ita iourarit eorum, quei ex e|is C ioudicis L lectei erunt. §. b 38 (76)
Ioudex neiquis disputet. §. | . . . . (229)

. . . .

XXXIX De . . . . excusando. Sei . . . . accidisse sibi deicet quid, quo minus ad id | iudicium adesse posit, de ea re praetori, a 35
quei ex hac|e l(ege) quaeret, statuere ius esto . . . . (85)
De iudicio proferendo vel refere|ndo. §. Quam rem pr(aetor) ex h(ace) l(ege) egerit, sei eam rem proferet, quoi|us intererit b 39 (228)
eam rem non proferri eum praetorem adito . . . .

XL

. . . . sei refer|re poterit facito quoius deicet nomen referre | . . . . a 36 (91)
. . . . | rit utei is ad sese veniat aut adferatur coram eo quei postulaver|it b 40 (227)

XLI

. . . . vo|let, quoius ex h(ace) l(ege) nominis delatio erit, ei eius rei pe|titio esto . . . . a 37 (102)
. . . . de|que ea re hace lege iudicium b 41
litisque aestumatio esto quasei sei eius| . . . . (226)

XLII . . . . Sei ioudex, q|uei eam rem quaeret, ex h(ace) l(ege) causam non nover|it a 38 (113)

is praetor c|oram iudicibus in contione pro rostris sententia ita pronountiato 'fec|isse videri' . . . . b 42 (224)

XLIII . . . . | iudicium a 39
fieri oportebit, ter|tio die . . . . (112)
. . . Sei ioudex, quei eam r|em quaeret, ex h(ace) l(ege) causam non noverit, pr(aetor) quei ex h(ace) l(ege) q|uaeret b 43 (221)

XLIV Iudices utei iourent ante quam in consilium eant. . . . . Iudices sei in consilium ire volent, praetor quei ex hace
lege quaeret an|te quam ibunt facito iurent sese | non facturum . . . . a 40 (128)
. . . . q|uoquis suae alterius sententiae certior siet, quod b 44
p|er dolum malum fiat . . . . (221)

XLV

. . . . l|aturum esse. §. a 41
Iudice|s multam supremam debea|nt . . . . e 1 (128)
. . . . sei ioudex quei eam rem qu|aeret, causam non noverit, quei eorum ioudex | . . . . b 45 (221)

XLVI
ad aerarium .... *excu*|satione primo quo|que die deferatur isque quaestor | .... a42;e2(126)
....

Iudices in co|nsilium quomodo eant. §. Pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) in|*dicabit* .... b 46 (221)

XLVII .... *nondum pl*|ur|*imis lique*|re deixerit, praetor *quei* ex a 43 *extr.*; e 3
h(ace) l(ege) quaeret ita pronon|*tiato* .... (120)
.... *eoru*|m quei quomque aderunt indicare | .... b 47 (222)

XLVIII .... *Iudices maior pars eorum sei ita noluerint de ea re iu*|dicare, is e 4
HS n(ummum) ↀ, quotiens quomque 'amplius' bis in uno iu|*dicio pronontiatum erit, singulis multa esto* .... (119)
.... | m quam ob rem et quantum pequ|*niae* b 48 (215)

XLIX
De | reis quo modo iudicetur. §. Ubi duae partes iudicum, quei ader|*unt, causam sibi liquere dixerint,* .... e 5 (111)
.... *praetor quei de ea re quaeret, utei eiei iudice*|s, quei iudicare negarint, semovant|*ur facito* .... b 49 (212)

L
|rem agito. Tum praetor quom soveis viatoribus apparitoribus quenei de i|*udicio iudex discedat curato* .... e 6 (108)
.... *sitellamque latam digitos* .., *altam digitos* .| XX, quo ioudices sorticolas con- b 50 (217)
iecinnt, | *apponi facito* ....

LI
.... *eius*|que iudicis is praetor sorticolam unam buxeam longam digitos IIII la|*tam digitos* .... *ab utraque* e 7 (107)
parte ceratam, ... *in qua sorticola ex altera parti A siet, ex alte*|ra parti C, inmanu palam b 51
dato a|*lteramque utram velit litteram eum iudicem inducere iubeto* .... (202)

LII
|eamque sortem ex hace lege apertam bracioque aperto litteram digiteis opertam pala|*m is iudex ad eam sitellam afferto* e 8 (106)
inque populum .... i|temque in eos ceteros singilatim b 52
iu|*dices versus ostendito itaque eam sortem in eam sitellam coniecito* .... (196)

LIII ....
Sententiae quomodo pronontientur. Quei iudex pronontiationis faci|undai causa ad sitellam sorti veniet, is in eam sitellam e 9
manum demitito *et* eam devexam popul|*o ostendito*. .... *Tum ad i*|ndicium | *se conver-* d 1 (50;50)
tito et ex ea sitella sortem unam educito quamque in eum r|eum sententiam *ea sors* habuerit, is ei | .... b 53 *extr.* (195)

LIV
palam pronontiato, ubei A littera scripta erit 'absolvo', ubei C littera scripta erit, 'con|demno', ubei nihil scriptum erit, 'seine e 10
sufragio'. Ex qua sorti pronoutiarit, eam sortem proxsumo iud|*ici* .... | u. transdito. §. d 2 (29)
De n|*umerandis sententiis* .... (276)
....

De reo apsolvendo. Nisei eae sententiae ibei plurumae erunt 'condemno', pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, eum reum pronon-
LV *tiato non fecisse videri. Quem reum ita non fecisse pronontiatum erit, quod postea non fecerit, qu*|od praevaricationis causa e 11
factum non erit, is ex hace lege eius rei apsolutus esto. §.
De reo condemnan|*do. Sei eae sententia*|e ibei plurumae erunt 'condemno', pr(aetor) qu|*ei ex hace lege quaeret eum rem pro-* d3 (22;265)
nontiato fecisse videri ....

LVI
Quei ex h(ace) l(ege) condemnatus | aut apsolutus erit, quom eo *h*(ace) l(ege), nisei quod post ea fecerit, aut nisei quod prae- e 12
varicationis causan factum erit, au|*t nisei de litibus* | aestumandis, aut nisei de sanctioni hoiusce legis, actio nei es|*to* ... d 4 (261)

LVII *De praedibus dandis boniave vendundis. Iudex quei eam rem quaesierit, earum rer*|um, quei ex h(ace) l(ege) condemnatus erit, q(uae- e 13
stori) praedes facito det de consili maioris partis sententia, quanti eis censuer|*int. Sei ita p*|raedes datei non erunt, bona d 5
eius facito puplice possideantur conq|*uaerantur veneant. Sei ea bona venierint, quantae pequniae venierint, tantam pequniam* (257)
ab eo emptore ....
LVIII .... *ioudex quei eam rem quaesierit exigito quaestorique eam pequniam et quanta fuerit*| scriptum trans- e 14
dito. Quaestor accipito et in taboleis popliceis scriptum habeto. §.
De leitibus aestumandeis. | *Quei ex* | hace lege condemnatus erit, ab eo quod quisque petet, quoius ex hace lege peti|*tio* d 6 (252)
erit, ad eundem praetorem, quei ex hace lege de ea re quaesiverit, deferto isque praetor eosdem ioudices, quei eam rem ioudica-
verint, eas leites aestumare iubeto, ... *quod*
LIX *ante hance legem rogatam consilio probabitur captum coactum ab*|intum avorsum conciliatumve esse, eas res omnis simpli, e 15
ceteras res omnis, quod post hance legem rogatam co|*nsilio probabit*|ur captum coactum abintum avorsum concilia- d 7
tumve esse, dupli; idque ad qua|*estorem, quei ab eo quei ex h(ace) l(ege) condemnatus siet praedes acceperit pecuniamve* (250)
ex bonis eius redactam in aerario habebit, ... *quantum sit facito deferatur.*
LX *De pequnia ex aerario solvenda. Quei iudici, quei eam rem quaesiverit, consilioque eius maiorei parti satis fecerit nomine su*|o pa- e 16
rentisve suei quoive ipse parensue suos heres siet leitem aestumatam esse, queive eiei iudicei consilioque eius maiorei
pa|*rti eorum sa*|tis fecerit regis populeive ceivisve suei nomine litem aestumatam esse sibei, q|*uanta ea pequnia erit, is* d 8 (268)
iudex facito, ...
LXI .... *sei de ea re praedes dati erunt seive*
quantae pequniae eae lites aestumatae erunt, tanta pequnia ex | hace lege in aerario posita erit ob eam rem, quod eo e 17

nomine lis aestumata erit, in triduo proxsumo, quo ita satis | *factum erit,* | ex hace lege solvatur. Neivequis d 9
iudex neive quaestorfacito sciens dolo m|*alo quo minus ita satis fiat itaque solvatur* .... (246)

LXII *De tributo indicendo. Quanti iudex quei eam rem quaesierit lites aestumaverit, sei is iud*|ex ex hace lege pequniam omnem ad e 18
quaestorem redigere non potuerit, tum in diebus X proxsumeis, quibus | *quae potue*|rit redacta erit, iudex quei eam d 10
rem quaesierit queive iudex ex hace lege *fac*|*tus erit tributum indeicito diemque edito.* .... (244)

LXIII .... *qua is, quoius parentisve quoius eiusve, quoi ipse parensve suos heres siet, lites*| aestumatae erunt, quoiusve regis popu- e 19
leive nomine lis aestumata erit, legati adessint, deum nei longius C dies edat. |
De trib|uto servando. §. Ubei ea dies venerit, quodie iusei erunt adesse, iudex quei e|*am rem quaesierit queive iudex ex* d 11 (243)
hace lege factus erit, quanta pequnia de eius, quei ex hace lege condemnatus est, bonis redacta erit, tantam pequniam in eas lites,
LXIV *quae aestumatae erunt, pro portioni tribuito. Queique ei iudici consilioque eius maiori parti eam litem aestumatam esse sibei*
satis | fecerit, ei primo quoque die quaestorem solvere iubeto quaestorque eam pequniam eis sed frude sua solvito. | e 20
Reliquom | in aerario siet. §. Quod eorum nomine, quei non aderit, tributus factus | *erit, quaestor in aerario servato* .... d 12 (227)

....

LXV *De tributo proscribendo. Quei* | praetor ex hace lege tribuendei causa prodeixerit, is, utei quod recte factum esse volet, fa- e 21
cito quomodo prode|*ixerit ea omnia m*|aiore parte diei adeam diem, donec solutum erit, apud forum palam, ubei de d 13
plano r|*ecte legi possitur, proscripta propositaque habeat* .... (200)
.... *praetor, quei eum*
LXVI *tributum* ‖ fecerit, die|*s* ... *prox*|umos ex ea die, qua tributus factus erit, apud forum palam, ubei de plano recte legi c 1. e 22
possitur, proscri|*bito.*
Pequnia | post quinquenium populei fiet. §. Quae pequnia ex hace lege in aerarium posita erit, quod in anneis qu|*inque* d 14 (201)
proxumeis ex ea die, qua tributus factus erit, eius pequniae quaestor ex hace lege non solverit, populei esto.
LXVII *De pequnia a praedibus exigenda. Sei ex h(ace) l(ege) praedes dati erunt, quaestor quei eos praedes acceperit queive deinceps* ‖ ean- c 2
dem provin|ci|am habebit, eis faciunto, utei quod recte factum esse volet, quod eius is reus non solverit, ab eis pr|ae- e 23
dibus primo quo|que die pequnia exigatur. §. d 15
Pequnia infiscis opsignetur. §. Quae quomque pequnia ex hace lege ad q|*uaestorem redacta erit, is quaestor ea pequnia fa-* (201)
cito in fiscis siet .... *fiscique signo suo opsignentur* ....
LXVIII .... *singulisque fiscis inscribatur* ‖ quis praetor litis aes|tumaverit et unde ea c 3; e 24
pequnia redacta siet quantumque in eo fisco siet. Quaestor quei quom|*que erit, utei quod* | recte factum esse volet, facito d 16
in diebus V proxumeis, quibus quomque eiei aerarium provincia obvenerit, | *fisci resignentur* .... (201)
.... *et sei ea pequnia, quam in eo fisco esse in-*
scriptum erit, ibei inventa erit, denuo opsignentur.
LXIX *Quaestor utei solvat. Quoi* ‖ pequniam ex hace lege, | quod sine malo pequlatu fiat, pr(aetor), quei ex hace lege quaeret, c 4; e 25
darei solvi iuserit, id quaestor | *quei aerarium pro*vinciam optinebit sed fraude sua extra ordinem dato solvitoque. §. d 17
Quaestor moram nei facito. §. Q | .... (200)

LXX *Iudicium nei quis inpediat. Quod* ‖ ex hace lege iudicium fier|i oportebit, quom ex hace lege fieri oportebit, nei quis ma- c 5; e 26
gistratus prove magistratu prove | *quo inperio potestateve erit facito quo* | minus setiusve fiat iudiceturve. Neive quis eum, d 18
quei ex hace lege iudicium exercebit, neive eum que|*i ex hace lege iudicabit neive eum quei petet neive eum unde petetur* (200)
neive eum quei in eam rem patronus testisve erit, ...
LXXI .... *ab eo iudicio avocato neive* ‖ avocarier iubeto neive ab|ducito neive abducier iubeto neive c 6; e 27
facito, quo quis eorum minus ad id iudicium adesse pos|*it quove quoi eorum minus in eo iudici*|o verba audeire in- d 19
consilium eire iudicare liceat. Neive iudicium dimitere iubeto, nisei quom senatu|*s ioure vocabitur* .... (200)

LXXII .... *aut nisei quom centuriae intro vocabuntur aut nisei quom* ‖ tribus intro vocabuntur, ex|tra quam sei c 7; e 28
quid in saturam feretur. §.

Sei is praetor, quei ex hace lege quaeret, sei|*ve is q(uaestor), quoi aerarium vel urbana provinc*|ia obvenerit, *eo magistratu* ioudi- d 20
cio ve inperiove abierit abdicauerit mortuosve erit ante quam ea omnia ioudica|*ta soluta factave erunt, quae eum prae-* (200)
torem eumve quaestorem ex hace lege ioudicare solvere facere oportet: queiquomque deinceps praetor ex hace lege quaeret quae-
LXXIII *storve aerarium vel urbanam provinciam habebit, is, utei quod recte factum* ‖ esse volet, facito: utei ea omnia | quod ex hace c 8; e 29
lege factum non erit faciant, fiantque quae ex hace lege fieri oporteret, sei | *apud eum ea res acta esset; deque ea re eiei* | prae- d 21
tori quaestorique omnium rerum, quod ex hace lege factum non erit, siremps lex esto, qua|*sei sei apud eum ea res acta esset* (200)

....

LXXIV *De rebus ante iudicatis factisve. Queibus quom iudicium* ‖ fuit fuerit ve ex lege, quam L. Calp|urnius L. f. tr(ibunus) pl(ebei) c 9; e 30
rogavit, exve lege, quam M. Iunius D. f. tr(ibunus) pl(ebei) rogavit, quei eorum eo | *ioudicio apsolutus vel condemnatus*
est eritve, quo | magis de ea re eius nomen hacu lege de*feratur* quove magis de ea re quom | *eo ex hace lege agatur, eius* d 22 (200)
hace lege nihilum rogato ....
LXXV .... *Queique contra hance legem fecisse dicentur, nisei lex rogata erit ante quam ea res facta* ‖ erit, quom eis hace c 10
lege actio nei esto.
| De praevaricatione. §. Praetor, quei ex hace lege quaeret, qua de re ei prae|*tori eisque iudicibus quei ex h(ace) l(ege) ad* e 31 (50)
eam rem i|udicandam adfuerint, quei vivent, eorum maiorei parti satis factum erit nomen quod ex | *hace lege quis detu-* d 23 (200)
lerit praevaricationis causa eum detulisse ....
.... §.
LXXVI ‖ De ceivitate danda. §. Seiquis eor|u|m, quei ceivis Romanus non erit, ex hace lege alterei nomen | c11; e32 (78)
.... *ad praetor*|em, quoius ex hace lege quaestio erit, deto- d 24

lerit, et is eo iudicio hace lege condemnatus erit, tu|m eis quei eius nomen detolerit, quoius eorum opera maxime unius eum (201)
condemnatum esse ei iudicio constiterit, sei volet, ...

LXXVII .... ipse filieique quei eiei gnatei erunt, cum || ceiv[?] Romanus ex hace lege fiet, nepotesque | tu|m eiei filio c 12; e 33
gnateis, ceiveis Romanei iustei sunto, | et in qua tribu, quoius is nomen ex h(ace) l(ege) detolerit, sufragium tulerit, in ea (82)
tribu sufragiu|m ferunto inque eam tribum censento, militiaeque eis vocatio esto, aera stipendiaque o|mnia eis merita sunto. d 25 (201)
Nei qui magistratus prove magistratu ....

LXXVIII .... eius hace lege || nihilum rogato. §. c 13

De provocation|e .... | eque danda. §. Sei quis eorum, quei | nominis Latini sunt, ... e 34 83)
quei eorum in sua quisque civitate dicta|tor praetor aedilisve non fuerint, ad praetorem, quoius ex hace lege quaestio erit,| d 26 (201)
ex hace lege alterei nomen detolerit, et is eo ioudicio hace lege condemnatus erit, tum quei eius nomen detolerit, quoius eorum
opera maxime unius eum condemnatum esse ei iudicio constiterit, ei deinceps ad p(opulum) R(omanum) provocare liceto tam-
LXXIX quam sei c(eivis) R(omanus) esset. Quodque || eius militiae munerisque poplici in su|a quoiusque ceiv|itate. §. c 14; e 35

Iudex deinceps faciat pr | .... Sei is pr(aetor), quei ex h(ace) l(ege) quaeret, seive is quaestor, quoi aerarium (86)
| vel urbana provincia obvenerit, eo magistratu iudiciove inperiove abierit abdicaveritv|e mortuosve erit ante quam ea omnia d 27 (201)
ioudicata soluta factave erunt, quae eum praetorem eumve quaestorem ex hace lege ioudicare solvere facere oportet: quei-
LXXX quomque deinceps praetor ex hace lege quaeret quaestorve aerarium vel urbanam || provinciam babebit, is, utei qu|od recte c 15
factum esse vo|let, facito, utei ea omnia | quod ex hace lege factum non erit faciant, fiantque quae ex hace lege fieri oporteret, sei e 36 (92)
| apud eum ea res acta esset; deque ea re eiei praetori quaestorique omnium rerum, quod ex | hace lege factum non erit, d 28 (200)
eiremps lex esto, quasei sei apud eum ea res acta esset ....
....

LXXXI De rebus ante iudicatis factisve. Queibus quom || iud|icium fuit fueritve ex leg|e, quam L. Calpurnius L. f. | tribunus plebei rogav|it, c16; e37(97)
exve lege, quam M. Iunius D. f. tr(ibunus) pl(ebei) rogavit, quei eorum eo ioudicio apsolutus vel condem|natus est eritve, quo d 29
magis de ea re eius nomen hace lege deferatur quove magis de e|a re quom eo ex hace lege agatur, eius hace lege nihilum rogato (200)
. .

LXXXII Queique contra hance legem fecisse dicentur, nisei lex rogata eri|t ante quam ea res | facta erit, quom eis hace lege a|ctio nei| c 17; e 38…
esto. (102)

De praevaricatione. Praetor, quei ex h(ace) l(ege) quaeret, qua quis de re ei praetori eisque ioudicibus, quei ex h(ace) l(ege) ad
ea|m rem ioudicandam adfuerit, quei vivent, eorum maiori parti satis fecerit e|um quei ex hace lege nomen detulerit prae- d 30 (200)
varicationis causa id detulisse ....
....

LXXXIII De ceivitate danda. | §. Seiq|uis eorum, quei ceivis Romanus non erit, ex hace lege alterei nomen .... c 18 (136)
.... ad praetorem, quoius e|x hace lege quaestio erit, detulerit, et is eo ioudicio hace lege condemnatus d 31
erit, tum eis qu|ei eius nomen detolerit, quoius eorum opera maxime unius eum condemnatum esse ei iudicio constiterit, sei (218)
volet, ... ipse filieique quei eiei gnatei erunt, cum ceivis Romanus
LXXXIV ex hace lege fiet, nepotesque t[?]um | eiei filio gnatei, ceiveis Romanei iustei sunto et in qua tribu, quoius is nomen ex h(ace) l(ege) c 19… (140)
detolerit, sufragium tulerit, in ea tribu sufragium ferunto inque eam tribum censento militiaeque ei|s vocatio esto aera sti- d 32
pendiaque eis omnia merita sunto. Neiqui magistratus pr|ove magistratu .... (360)
. .
.... e(ius) h(ace) l(ege) n(ihilum) r(ogato).

LXXXV Sei quis eorum quei nominis Latini sunt, quei eorum in sua quisque civitate dictator praetor aedilisve non fuerint, ad praetorem,
quoius ex h(ace) l(ege) quaestio erit, ex h(ace) l(ege) alterei nomen detolerit et is eo ioudicio h(ace) l(ege) condem|natus erit, tum d 33
quei eius nomen detolerit, quoius eorum opera ma|xime unius eum condemnatum esse ei iudicio constiterit, ei deinceps ad po- (361)
pulum Romanum provocare liceto, tamquam sei ceivis Romanus esset. Quodque eius militiae munerisque poplici in sua quoius-
que ceivitate deinceps susceperit, ...

LXXXVI . .
.... | i petetur, de ea re eius optio esto, utrum velit vel in sua ceivitat|e .... d 34 (361)
. .

LXXXVII . .
. .
.... | bere, liceto. §. d 35

Sei quis ceivis Romanus ex hace lege alte|rei nomen detolerit .... (362)
. .

LXXXVIII . .
....

.... | §. Quoi ex hace lege provocatio erit esseve oportebit | .... d 36 (417)
. .

LXXXIX . .
. .
.... praetor quei inter pe|regrinos ious | deicet .. d 37 (424)
. .

XC . .
. .
.... | atei q | d 38 …
.

I. Cf. lex agr. v. 21: *[civis] Romanus sociumve nominisve Latini.* Civem Romanum hoc loco praetermisi, non tam propter Ciceronis verba, quae in utramque partem trahi possunt, divin. in Caec. 5, 17: *civibus cum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato iure repetuntur; haec lex socialis est* —, quam propterea quod tota haec repetundarum quaestio cum orta sit ex pecuniae indebitae condictione apud praetorem peregrinum, ad indebiti condictionem inter cives Romanos initio non videtur pertinuisse, quamquam postea sane pertinuit (Cic. pro Cluent. 37, 104). Neque obstat, quod ex v. 76. 87 constat eum quoque qui civis Romanus esset, ex hac lege nomen deferre potuisse; nam ubi agebatur de pecuniis regi populove (v. 60. 63) ereptis, civis Romanus etiam ad eam rem agendam legari potuit et nomen deferre. Exempli causa Latinae civitatis civis etsi magistratu curuli domi gesto ad civitatem Romanam pervenerat (cf. v. 78), nihilo minus admittebatur ad magistratus, qui ab illa civitate pecunias contra legem cepisse dicebatur, nomen deferendum.

II. Tria sunt quae requiruntur in repetundarum reo. Primum reus aut in senatu sit necesse est aut magistratum minorem, quo quasi gradu in senatum ascendebatur, a populo obtinuerit aut horum alicuius filius sit. Quos lex hoc loco ita complexa est, ut primo loco posuerit magistratum a populo qui habuerint, quo comprehenduntur cum quibus in senatu sententiam dicere licet tum qui gesserunt magistratum minorem, secundo collocarit senatores, id est pedarios, filios denique et his et illis adiunxerit. Quare non sine causa hoc loco *senator* nominatur, cum infra v. 16 sit *quei in senatu siet fueritve.* — Alterum est, ut furtum hic commiserit in magistratu sive ordinario sive extra ordinem dato (Dig. 48, 11, 1: *lex Iulia repetundarum pertinet ad eas pecunias, quas quis in magistratu potestate curatione legatione vel quo alio officio munere ministeriove publico cepit*), quod indicavi verbis *pro inperio prove potestate* (cf. Fest. ep. p. 50 Muell.). Estque hoc diversum a priore, nam exempli causa qui consul fuit, repetundarum non peraeque in futurum tempus tenetur, sed ita si post id tempus pro potestate, puta pro consule agens pecunias contra legem cepit. Cf. v. 8. 9. — Tertio loco de summa cautum est; minima enim praetor non curat. Cf. Dig. 48, 11, 6, 2: *Lege Iulia repetundarum cavetur - - ne - plus doni muneris in anno accipiant quam quod sit aureorum centum.* Iulia igitur repeti voluit pecuniam male captam quantamcunque, donatam tum, cum certam summam excedebat neque veniebat a persona excepta (Dig. 48, 11, 1, 1). Antiquior haec lex non distinguit inter pecuniam aversam et pecuniam donatam, quae tamen inest in conciliata, eademque ratione dolum malum lex haec non requirit. Exceptio haec similiter comparata est ac quae comprehenditur iureiurando militis furtum se non facturum esse pluris nummi argentei in dies singulos (Gell. 16, 4). Summa periit, fuit tamen infra IIII milia sestertium; nam HS. $\overline{\text{VIII}}$ n. C. Catoni c. a. 642 ex hac ipsa ut videtur lege repetundarum lis aestimata est (Cic. Verr. 3, 80, 184, ubi et Vaticanus et reliqui fere codices hunc numerum habent, et 4, 10, 22, ubi Regius omnium optimus eundem tuetur), quae pecunia praeter repetitam alterum tantum poenae causa adiectum continet, indeque Velleius (2, 8) Catoni HS. $\overline{\text{IIII}}$ n. litem aestimatam esse scribit. — QVOIVS aes; QVEIVE·QVOIVSVE optime coniecit Klenzius.

III. IPSEI·PARENTE (VE· supra) aes; emendavit Klenzius. — Formula de petitione quaestione iudicio redit v. 4. 6, unde hic suppletur.

IV. Iudicium quod redditur in eum ad quem pecunia capta pervenerit a Klenzio huic loco illatum a lege hac alienum est. Agitur potius hoc loco de praetore, qui actionem male denegavit; quo facto qui post eum ex hac lege quaerit, quominus idem nomen recipiat non impeditur.

V. Pertinent haec ad regulam iuris Dig. 48, 2, 11, 2: *ab alio delatum alius deferre non potest; sed eum qui abolitione publica vel privata interveniente aut desistente accusatore de reis exemptus est, alius deferre non prohibetur.* Dig. 48, 15, 3, 1: *si reus accusatori publico iudicio ideo praescribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatum et absolutum, cavetur lege Iulia publicorum, ut non prius accusetur, quam de prioris accusatoris praevaricatione constiterit et pronuntiatum fuerit.* — *a* 1 SIV ego vidi neque aliter tabula. — *b* 5 in. CATA tabula; praeterea litterae I exiguum vestigium ego deprehendi.

VI. In *a* 2 non ANO est, sed LNO neque aliud supplementum inveni, quod tamen quo pertineat dubium est. Rudorffius suspicatus est hoc loco agi de eo, ad quem ea pecunia pervenerit; quod mihi aliter videtur. Nam primum ex verbis Ciceronis pro Rab. Post. 4, 9 satis apparet hoc caput a Glaucia demum inventum deinde tralaticium mansisse; neque ullo modo antiquissimum indicari potest, cum eiusmodi exactio recepta sit contra rationem iuris civilis. Deinde nequaquam ab eo, ad quem pecunia male capta pervenit, simpliciter ea exigitur ita ut repetitur ab ipso eo qui ceperat, sed tum demum cum hic solvendo non est; quod est plane diversum et locum sibi postulat omnino non in prima parte legis, sed post caput de litibus aestimandis. Denique notissimum est in eum, ad quem pecunia pervenisse dicitur, non quaeri, sed litem ei aestimari; quare cum subiciatur *quaestio esto*, hoc loco non de appendicula illa causae iudicatae actum esse sequitur. Videtur potius lex aliqua ratione distinxisse inter eum qui suo eumque qui alieno nomine reum detulit. — IOVDICIVMVE IOVDICATIO aes, sed VE deest v. 4 neque transpositio eiusmodi, qualis est *quaestio esto ioudiciumve,* in lege ferri potest.

VII. Accusationem ex hac lege ante k. Sept. instituendam esse certiore etiam ratione quam hic infra apparet v. 9, ubi patronus non datur nisi ei qui ante hunc diem nomen detulit. Quod per omnia Romana iudicia videtur obtinuisse propterea, ut si fieri posset sub magistratu qui iudicium dederat lis terminaretur, cum iudicium ad successorem transferre liceret magis quam expediret; vide quae de hac scripsi in commentario de controversia inter Caesarem et senatum p. 22 additis locis ibi praetermissis Cic. ad Att. 1, 1: *cum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurremus mense Septembri;* Plutarchi q. R. 38: Κόϊντος Μέτελλος ἀρχιερεὺς γενόμενος ἐκώλυσεν οἰωνίζεσθαι μετὰ τὸν Σεξτίλιον μῆνα. Contra qui dixit Zumptius minor (stud. Rom. p. 191), non satis rem videtur considerasse; duae enim ab eo excitatae causae M. Tuccii et C. Manilii de vi fuerunt itaque extra ordinem actae sunt, neque sane hoc dixi praetorem non toto anno suo iudicavisse, sed rerum actum causarumque ordinariarum inchoationem ea aetate intra k. Mart. et prid. k. Sept. conclusam fuisse. Item ipsa haec lex cum admittat aliquam repetitionem etiam post k. Sept., ea pertinere visa est ad vetustum peregrinorum recuperatorium iudicium, quod extra ordinem consedisse nec legitimum iudiciorum tempus expectasse notum est. Ita haec lex sociorum causa perlata ius eorum auxit instituto iudicio cum poena dupli patronisque publice datis publicaque exactione, nec tamen sustulit antiquam leniorem quidem, sed expeditiorem et nonnunquam commodiorem rerum repetendarum formam. Denique in hoc privati iudicii non obscura vestigia remanent, cum privato solvitur; praeterea enim ex hac lege qui condemnatur quaestori publico solvit. Supplementa ita institui, ut hoc significent praetorem eiusmodi petitori ea tribuere oportere, quae ex iure civili petitori in universum tribuuntur. — *a* 3 extr. mihi

visum est in aere ..; .. tabula. — *b* 7 itemque in sequentibus *b* 8—11. 18—21, quae minusculis damus inter utrumque huius lamminae fragmentum amissa, Sigonius Ursinusque tamquam in tabula legerint, exhibent; addiderunt tamen omnino ex coniectura. — *Quoius eorum* plurali numero ad sententiam magis quam ad verba posito ut v. 9. — ERIT post DELATVM in aere suppletum est inter versus.

VIII. Addendi sunt fortasse magistratus extraordinarii sive qui pro potestate sunt. — a 4 . · EIVS ego et sic fere tabula. — *b* 8 EQ tabula; ego non vidi nisi EQ. Cf. MAG · EQ · in lege Bantina v. 15.

IX. Hoc loco cautum fuit de numero patronorum et de exceptionibus ne propter certam causam patronus quis fieret, item fortasse de divinatione, si plures se offerrent, instituenda.

X. De sodalibus id quod lex dicit Cicero quoque innuit pro Cael. 11, 26: *fera quaedam sodalitas et plane pastoricia atque agrestis germanorum Lupercorum, quorum coitio illa silvestris ante instituta est quam humanitas atque leges, si quidem non modo nomina deferunt inter se sodales, sed etiam commemorant sodalitatem in accusando.* Unde satis apparet de quibusnam collegiis hoc loco lex cogitarit; certe neque excusabantur privata sodalitate coniuncti neque ii, qui cum in eodem collegio aliquando fuissent, ante quam res ageretur collegae esse desierant, ut qui simul in Saliis fuerunt. — De iis quae ad clientelam pertinent quamquam praeterea Klenzius erravit, hoc tamen recte intellexit tam de reo, ne sit in fide patroni, quam de patrono, ne sit in fide rei, olim hic cautum fuisse. — *b* 10 ATIIGAT aes. — QVEIV ego, QVEIV tabula. — FVERIT aes.

XI. Cf. v. 13. *Mori[bus suspectus]* Klenzio debetur, quod supplementum aptissimum esse intelleget, qui quam proxime patrocinium ad tutelam accedat expenderit. — *a* 7 QVAESTIONEM · IOVDICIOOVE aes. — *b* 11 in. .I ego, I tabula. — extr. MOR' ego, MOR tabula.

XII. Futurum *deicet* quamquam alia etiam ratione explicari potest, tamen eo retulerim, quod hanc legem tribuni plebis statim post initum magistratum a. d. IV id. Dec. ante promulgariut, quam praetores anni proximi inirent. — Quod censum equestrem in hanc legem intuli, recte factum puto; locus enim commode eum recipit neque, nisi rerum memoria plane fallit, ab hac lege abesse potest. Nam iudices Gracchani ut ex hac lege iudicent, non sufficit quod statim sequitur senatores eosque qui senatoribus aequiparantur a iudiciis arceri, nisi arceantur praeterea cives infra HS CCCC n. censi. — Praetermittuntur hoc loco magistratus qui supra tribunum sunt dictator consul praetor magister equitum censor aedilis, id est curules omnes, propterea quod satis comprehunduntur verbis *quei in senatu siet fueritve;* hac enim aetate qui magistratum curulem gesserant, iure senatores quidem non erant, sed tamen in senatu sententiam dicebant. Cf. Hofmann *der röm. Senat* p. 54 sq. — *a* 8 ante VM vestigium litterae, quae E erat vel fortasse R, certe non erat T, deprehendi in tabula omissum. — In fine est aut QVEM aut QVEIC, sed illud videbatur probabilius. — In *b* 12 initio certa litterae N vestigia N deprehendi, quae in tabula desunt. — LEGAT aes.

XIII. Coniectura non improbabili opinor ex vestigiis his *queir*.... et v. 16 *queive merc*.... in legem intuli gladiatorem auctoratum et histrionem mercede conductum; cf. l. Iul. mun. v. 112. 123. — Passus mille recepi ex lege Iulia municipali Gaio 4, 103 aliis locis, unde hunc agrum intra M passus a moenibus eodem cum ipsa urbe iure fuisse apparet; quamquam fieri potest ut lex maius spatium admiserit. Cf. Appian. b. c. 1, 23. — *a* 9 initio vestigia litterae R deprehendi in tabula omissa. — SIET · FVERINT · SIE pro SIET · FVERIT · VE aes; emendavit Klenzius. — QVEIV vidi ego, QVEI tabula.

XIV. Locum de magistratuum filiis et hic et v. 17 inserui cum spatii causa tum collato v. 2, neque res ipsa eum abesse patitur. — *Quos legerit* usque ad *indicet*, quamquam spatia solita desunt, tamen et argumentum et coniunctivus pro imperativo positus rubricam esse docent. — *a* 10 TRISVNVM aes, sed infra v. 17 recte est TRIBVM. — IOVDICET hic et infra v. 17 IOVDICES ferri nullo modo potest; reposui INDICET, quod ut in exemplo scalptor invenerit IVDICET facile commutarit cum IOVDICET. Similiter in agraria v. 90 IVDICIO et INDICIO permutata sunt. — *b* 14 SCRIPTES aes. — COCNOMEN aes. — DESCRIPTOS aes, at infra v. 18 est DISCRIPTOS conferendaque praeterea lex agraria v. 70.

XV. *De quibus sibei consultum sit* dedi partim ex vestigiis v. 18, partim ex loco Rudentis Plautinae v. 225 Fleckeiseni: *neque eam usquam invenio neque quo eam neque qua quaeram eam consultumst.* — Iudicum ex lege aliqua lectorum nomina in tabulis publicis, id est ad aerarium populi Romani perscripta et servata esse testatur Cicero Phil. 5, 5, 15: *hos ille demens iudices legisset, horum nomina ad aerarium detulisset?* — *a* 11 in. litterae X vestigium vidi in tabula omissum. — *b* 15 OMNIS tabula; OMNIS priores neque ego quicquam ex aere enotavi.

XVI. Cuinam praetori lex quaestionem de repetundis tribuerit, in aere periit; fuisse tamen iam ante Sullam aliquem praetorem repetundis ostendit inscriptio Orelliana n. 569 in elogiis denuo tractanda, in qua IVDEX · VENEFICIS · PR · REPETVNDIS dicitur C. Claudius Pulcher praetor a. u. 659. Quare cum ante hanc legem praetorem inter peregrinos de repetundis iudicasse cum aliunde intellegatur tum ex ipsa lege (v. 12) satis appareat, Claudii titulus autem etsi non eius aetatis de qua agit, tamen sincerus omnino et antiquus, praetorem repetundis ante a. 659 institutum esse ostendat, haec magistratus mutatio recte videtur referri ad ipsam hanc legem, id est ad a. u. 632, cum praesertim eadem lege formam iudicii mutatam esse constet. Nam ante hanc legem consueto iudiciorum privatorum ordine de repetundis sacramento cum actum esset (v. 23) simpli (v. 58), ex hac lege in eius locum successit aliquod sine sacramento iudicium et in duplum et publicum rei privatae, patrono petitori publice dato pecuniaque a condemnato publice exacta. Quare lex haec cum perferretur sortitione praetorum in annum proximum iam perfecta, primi anni iudicium praetori peregrino reliquit, deinceps vero inter reliquas sortes praetorias repetundarum quaestioni locum fecit.

XVII. *b* 17 SIEI EIVS ego, SIE OVEIVS tabula. — IOVDICES aes pro INDICET, vide supra v. 14.

XVIII. De nominibus describendis cf. v. 27. De praetoris iure iurando cf. Cic. pro Cluent. 43, 121: *praetores urbani — iurati debent optimum quemque in selectos iudices referre*; de quo loco admonuit Rudorffius. — *a* 14 TRIAV aes. — extr. SVOM ego et ita fere tabula. — *b* 18 initio QVS ego et tabula; MQVS priores. — IROS ego, ROS tabula. — CONCTIONE aes, quamquam littera C ante T fortasse deleta. Potuit ut in *Quincto*, *Quinctio* sic in *contione* etiam *c* ante *t* se insinuare; sed tamen v. 15. 42 scribitur CONTIONE. — LEGERINT aes. — RECITETVR aes, v. supra v. 15. Minime scribendum est *recitet*, sed delendum potius *eos* ante *quos*.

XIX. Caput hoc difficillimum et apud Klenzium incredibiliter confusum puto me expedivisse. Iudex in eum annum factus praetor sit necesse est, cum in ius educi reus non possit nisi ad praetorem; neque hoc solo loco eo nomine magistratus maiores significantur. Si verum vidi, cavetur primum de nomine deferundo et calumniae iuramento. Deinde iudicii constitutio incipit ab editione eorum, qui cum reo necessitudine coniuncti sunt, ne

accusator imprudens hos legat; nam ad rei necessarios v. 20 pertinere dubitari nequit, cum accusatoris v. 22 demum a iudicio arceantur. Neque adhuc de lectione lex loquitur, sed de editione tantummodo, neque omnia impedimenta legitima recenset sed solas necessitudines; quod utrumque cur fecerit, iam patefactum est. Editio haec perficitur apud praetorem utroque praesente die fortasse decimo post nominis delationem confirmaturque iureiurando. Deinde die vigesimo accusator edit iudices centum quos volet ex quadringentis quinquaginta, exceptis ipsius necessariis iisque, qui ex hac lege iudices legi vetantur (qui videntur rursus hic enumerari, ne admittatur qui inter lectionem CDLvirorum et iudicii huius constitutionem inhabilis factus est); praeterea ex eadem familia plus unum iudicem legere prohibetur. Quod de repetundarum condemnatis cavetur ne iudicent, supervacaneum est, cum is, quocum repetundarum agitur, aut in senatu sit oporteat aut magistratus aut eorum alicuius filius; de quorum trium generum primo et secundo probabiliterque de tertio quoque ante perscriptum est, ne inter iudices legantur. Quare qui legem primum conscripsit, totum hoc caput recte videtur omisisse deestque inde in ea parte legis, quae est de albo iudicum conficiendo; sed hic postea, ni fallor, intrusit id homo male cautus. Sequitur iusiurandum accusatoris simile eius, quod ante a reo exactum est. Denique die sexagesimo post nomen delatum reus ex centum illis iudicibus ab accusatore editis legit quinquaginta, quorum est iudicare. Quomodo plectantur reus accusatorque, nisi fecerint, quae ita lege facere iubentur, etsi non satis perspicitur, tamen si reus aut necessarios suos indicare aut iudices quinquaginta referre noluit, lex totam lectionem accusatoris arbitrio permittere videtur; accusatori quid e contrario minata sit, periit in hiatu v. 24 medio quodque posui de nomine eximendo, intra coniecturam subsistit. Sed ita universum omnia recte ita cohaerent; modo teneas *facito* ubivis ad praetorem referri, quod praesertim produnt verba *apud se* v. 23. — *b* 19 ERIT tabula, RIT ego.

XX. *a* 16 ⊥ in *lectei* aes. — *b* 20 EA · COGNATIONEM ATTINGAT in aere est itaque Ursinus.

XXI. *a* 17 COVRATO aes, et sententia perversa et scriptura, quae debuit esse COERATO vel COIRATO; itaque emendavi IOVRATO. Cf. v. 24 *ediderit iuraritque*. — *b* 21 VIREI tabula; VIREI priores neque ego quicquam ex aere notavi. — In fine vidi LEGAT · ⁒; post LEGAT in tabula sunt incerta vestigia.

XXII. Ad legem Rubriam quod attinet, reperitur cum Rubrius quidam collega Ti. Gracchi in tribunatu a. u. 621 (Appian b. c. 1, 14) tum alter Rubrius C. Gracchi in tribunatu a. u. 631 collega legisque de III viris coloniae Carthaginem deducendae creandis, de qua dicetur ad legem agrariam, rogator; legis praeterea Rubriae Aciliae argumenti incerti mentio inicitur in senatus consulto de Astypalaeensibus a. u. c. 649 facto (C. I. Gr. 2485 v. 12). Triumviri illi quam apte hoc loco nominentur, quivis intelleget (cf. p. 56); nominantur autem extremo loco, quoniam magistratus sunt extra ordinem creati, de qua re supra exposui p. 47. — *a* 18 EI ante QVEI inter versus additum est. — extr. SOBRINV tabula; SOBRINV priores neque ego quicquam notavi. — *b* 22 init. .I · SODALIS ego notavi; litterae E vestigium in tabula deest. — TRIBVNI aes, compendio a scalptore imperite soluto. — PRIM AFFARVM aes hodie, quamquam A litterae ante E vestigium in tabula vix discernitur, ut PRIMIS · ALIQVAE · EARVM in aere olim fuerit; PRIMIS ..... RVM Sig., PRIMIS AL ... EARVM Urs. — FVERITVE · QVEIVE · QVEIVE · IN aes. — Ante L · RVBR praecedit spatium non scriptum novem fere litterarum; quod vacuum reliquisse scalptorem, ut locum aeris scribendo parum aptum vitaret, cum sequentes versus hac parte curvi et male deflexi indicant tum arguunt similia spatia v. 74 ante HACE, v. 78 ante PRAETOR relicta.

XXIII. Sacramento actum esse etiam apud praetorem peregrinum, id est lege agere potuisse peregrinos quoque confirmat Gaius 4, 31. — *a* 19 FAMIIIA aes. — *b* 23 NOMEN · DE ... Urs. — extr. vidi vestigium litterae A, quod a tabula abest.

XXIV. *a* 20 Q · VNDE PETITVM ERIT aes, in quo errorem latere suspicor; quaestori enim hic locus non est neque aliud illud elementum recte significat. Scripsi IS pro Q. — *b* 24 PF · pro PR · tabula lithographi errore. — Post DIE in ipso aere adesse ⊥ vidi habetque tabula quoque eius notae indicium; ceterum spatium demonstrat LX potius fuisse quam L. — Extremo versu legi IVDICES · QV; tabula in IVDICES desinit.

XXV. Cf. Cic. Verr. 2, 10, 27: *ut quisque te maxime cognatione affinitate necessitate aliqua attingebat*. — *b* 25 ⸡ · EVM ego; ⸡ a tabula abest. — MORAM aes. — ERI//MINVS · LEGAT · EDATV˙ deprehendi ego; ER/////MINVS////T · EDAT tabula; ERIT · QVO · MINVS rel. om. Sig.; ERIT · QVO · MINVS · LEGAT · EDATVE Urs.

XXVI. *b* 26 in. spatium exiguum vacuum est, casu puto. — FAC, deinde OS ego; FA, deinde OS tabula; FACITO .... OS Urs.; FACITO · VTEI · L · VIROS · QVOS Sigon. — LEGERINT · ED, deinde ˙˙OSQVE · PAT ego; LEGERINT · I, deinde IO QVE rel. om. tabula; LEGERINT · EDIDERINT · EOSQVE · PATRONOS Sigon. Urs. omnino ex supplemento.

XXVII. Vide Cic. Verr. act. 1, 6, 17: *libelli nominum vestrorum consiliique huius in manibus erant omnium* coll. schol. ad h. l. p. 131. 392. 398 Orell., item quae supra v. 18 scripta sunt. — *b* 27 extr. post ERVNT in aere deprehendi ˙; in tabula deest.

XXVIII. Quamquam quae Klenzius de vadibus in hunc locum intulit perperam eum posuisse facile intellegitur, tamen quid subsit non assequor; quin ne hoc quidem scio quid sit *pecuniam ex hac lege capere*. Sane hoc loco post iudicium constitutum et ante iudicium adversus exulem nullo modo agi potuit de praemiis accusatoris; accedit, quod nemo adhuc in repetundarum causa accusatori pecuniam praemii loco datam esse fando audivit. Praecesserit poena aliqua adversus iudicem fortasse, qui nescio quid contra hanc legem fecerit; quam cum lex indici totam partemve attribuit, propter invidiam cum ea re coniunctam simul prospexit, ne ea res indici frandi esset. Non solos senatores esse eos, qui ex hac lege pecuniam capiant, hoc ostendit, quod lex cavet ne equus ei adimatur, qui ex h. l. pecuniam ceperit; nam post a. 625 senatorem equum publicum amplius non habuisse notum est. — *a* 24 PEQVNIAM · E//////˙˙EVM ego, E ˙˙˙EVM male tabula; Mazochi PEQVNIAM · CAPIET · EVM; olim in aere fuit PEQVNIAM · EX · H · L · CAPIET · EVM, sed Mazochii iam aetate tabulam hoc loco fractam fuisse ostendit similis hiatus in parte obversa huic respondens (agr. v. 35). — *b* 28 QVID · EIVS · EAM tabula; EIVS male scriptum est pro EI · OS, quod scalptor reponere voluit, sed emendationem non perfecit. — Post ESTO spatium est in tabula, quo caput perfectum indicari solet, item post SIENT. — Post H · L sequuntur vestigia incerta quae Ritschelio visa sunt L, Bluhmio IV vel N, mihi ⸜. Pertinet fortasse caput hoc ad pecunias ex hac lege solutas in tabulas publicas referendas.

XXIX. Puto quod fuit in aere me assecutum esse, quod Klenzio certe non successit; scilicet exilicam (Fest. ep. p. 81) mortuive causam. — *a* 25 ILIVM · ABIERIT Q servavit Mazochius solus, qui spatium ante Q notare non omisit. — *b* 29 M · ABIERIT ego, M · ABIERIT tabula. — NDICATA pro IVDICATA aes. — D ego, D tabula. — Supplementum *latum erit eam* spatium non satis explet litterarum c. 15—18 capax. — N REM Sig. Urs., contra aes.

XXX. in *a* 26 parte superstite praeter dubia primae litterae N vestigia adsunt VM · ESIT · FACITO · VTEI · IOVDICIVM · P. — *b* 30 VOD ego, OD tabula. — FIAT, deinde IVNDAM ego; FIAT, deinde VNDAM tabula; FIAT · AVT *actionem* SECVNDAM Sig.; FIAT .... SECVNDAM Urs.

XXXI. In *a* 27 hodie superest EDEIS · FOREIS · CONCILIAS — *b* 31 QVIBVS · N ego, QVIBVS · D tabula.

XXXII. In *a* 28 non superest nisi ENSEANT · REFERE · ET · C. — *b* 32 in. VE ego, E tabula. — EI · SES aes. — Auditionem hanc eorum, quae iudices inquirentis interesse censeant, rettulerim ad decretum quo inquisitio ordinatur edito die, loco, numero testium.

XXXIII. Causidicum a testimonio excusari confirmat Cic. Verr. 2, 8, 24 de Hortensio: *te mihi testem in hoc crimine eripuit legis exceptio.* — De libertis conferenda, quae ex lege Iulia de vi afferuntur in Coll. 9, 2, 2 et Dig. 22, 5, 3, 5: *in reum testimonium dicere ne liceto qui se ab eo parenteve eius libertove cuius eorum* (*lib. c. eor.* om. Dig.) *liberaverit.* Liberti libertum recipere spatium prohibet. Ceterum testimonii interdictiones vel excusationes eas, quarum in legis reliquiis nullum vestigium superest, consulto non restitui. Multa quae sequitur cum inquisitione testiumque denuntiatione coniuncta fuerit necesse est. — *a* 29 FIDE · QVAERAT Mazochio; reposui FIDE · FVERINT ex v. 10. — Ante SIET spatium vacuum apud Maz. — Superest hodie ex hoc versu SIET MAIORESV — *b* 33 in. litterae A vestigium vidi ego. — QVEI · EIVS aes; E altera superscripta locum videtur indicare, quo emendatio inseratur. — PARENTISVE · EIVS · ° ego notavi; in tabula ° deest, recte puto. — INSO potius quam TISO in aere mihi videre visus sum; T Sig. Urs.; NO Bluhmius; ductus incertos exhibet tabula mea tamen cum lectione facile conciliandos.

XXXIV. in *a*, cuius hic hodie versus extremus est, non superest nisi ·FARVM · RE. — IIL recte Mazochius; similiter in lege Silia (Fest. p. 246): *vini IIL (duo quinquaginta* cod.*) sextari quadrantal siet.* Natum est ex solita locutione *duodequinquaginta.* Postea numerum auctum esse ostendit Val. Max. 8, 1, damn. 10 de indicio repetundarum a. u. c. 700 adversus M. Scaurum suscepto: *cum accusator diceret lege* (Iulia scilicet) *sibi centum atque viginti hominibus denuntiare testimonium licere.* — In hiatu inter *b* 34 et *a* 31 quae perierint, indicat ex parte Cic. pro Flacco 9, 21: (litteras) *triduo lex ad praetorem deferri, iudicum signis obsignari iubet.* — *b* 34 initio |· · QVAI ex aere excepi ego; QVAE tabula. — extr. PROFERREQ ego, PROFERREQ tabula.

XXXV. *a* 31 PRAETOREI Maz., quod Sig. Urs. corruperunt in PRAETORI, cum sit *praetor ei.* — *b* 35 initio AT deprehendi; AT tabula. — Interrogatio praetoris quo pertineat, nescio; certe neque interrogatio rei in iure fuit neque testium interrogatio. Agitur potius hic de iudicii die edenda citandisque vel excusandis partibus iudicibusque.

XXXVII. *a* 33 IN om. Maz. — *b* 37 EIEI in aere deprehendi; EIE tabula.

XXXVIII. *b* 38 in. IS · C · priores neque quicquam ex aere notavi; S · C tabula. — Post DISPVTET quam litteram Bluhmius addidit tabulaque exhibere videtur V equidem in aere quaerens non deprehendi, sed spatium non scriptum. Ceterum iudicem disputare quod lex vetat, explicabitur locis Taciti (ann. 1, 74) Tiberium iudicem *rupta taciturnitate* proclamasse, Plinii (ep. 2, 11) Titium Cerealem iudicem *senatorio iure* aliquid postulasse (quoniam senatori sententiam dicere licet, non licet iudici), maxime Asconii in Milon. p. 41, quem adhuc male interpretati sunt, legem Pompeiam iussisse *ut prius quam causa ageretur testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices confirmarent.* Scilicet cum ante hanc legem non licuisset iudici si quid de ea re quae agebatur ipse comperisset in iudicio proferre, in causa Clodiana invitabatur ut testimonium etiam si posset diceret.

XXXIX. Iudicium proferre et referre quid sit, explanant Papinianus (Dig. 4, 8, 33): *arbiter ita sumptus ex compromisso ut et diem proferre possit, hoc quidem facere potest, referre autem contra dicentibus litigatoribus non potest,* et Festus (p. 289): *referri diem prodictam, id est anteferri religiosum est.* Sed quid in lege de ea re scriptum fuerit, nemo puto ex iis quae supersunt assequetur. — *a* 35 .. E IVDICIVM Maz.

XL. *a* 36 omiserunt Sigonius Ursinus Klenzius, servavit solus Mazochius, ex quo olim restitui in Richteri annalibus 1842 p. 762. — *b* 40 in. ·IT ego, IT tabula. — VT · EIVS in aere est, errore scalptoris; nam hac aetate non *ut* scribitur, sed *utei.* — *extr.* POSTVLAVE ego, POSTVLAVEI tabula.

XLI. *a* 37 HOMINIS Maz. — *b* 41 EIV· tabula, EIV ego.

XLII. *Causam non novisse* est excusationem non admittere. Cf. Cicero de leg. 1, 4, 11, ubi Marco aetatis vacationem speranti respondet Atticus: *atqui vereor ne istam causam nemo noscat* et ad fam. 4, 4, 1: *illam partem excusationis ... nec nosco nec probo.* Qui de his excusationibus, iudicum opinor ne iudicent, quaerit et iudicat, non ipse praetor est (v. 43), sed ex iudicibus aliquis cui eam rem praetor mandaverit. Quo probato Rudorffius bene adiecit iudicem hunc *rem quaerere*, praetorem *quaerere de re.* Sententiam tamen de multa suprema praetor videtur pronuntiasse. Diligentius haec persequi nolui, ne exilibus reliquiis sub specie supplementorum vis fieret. — *b* 42 ex litterarum vestigiis quae sic pinxi: C·AM BVS quaeque ita fere in tabula quoque cernuntur, puto recte me eruisse COBAM *iudicibus.* — *Fec[isse videri]* ad h. l. supplevit Ursinus.

XLIII. Iudicium intellege non in causa repetundarum sed de indice, cuius excusatio reiciatur. — *b* 43 in. ·M ego, M tabula.

XLIV. Ex secundo hoc iudicum iureiurando (cf. v. 36) nihil superest nisi quod se obligant non divulgaturos se esse, utram sententiam tulerint, condemnatoriam scilicet absolutoriamve. — *a* 40 FACIT Maz. — *b* 44 extrema littera mihi visa est F, Ursino D, Bluhmio, Ritschelioque N.

XLV. Multa his commemoratur, primum v. 42. 43 ante iusiurandum a iudicibus ante quam in consilium eant praestandum, iterum v. 45 ante in consilium itionem. De eadem re utraque videtur irrogari, scilicet si iudex sine causa a iudicio afuerit; hoc videntur differre, quod priore loco ad sessionem aliquam praeparatoriam iudex non venerit, altero loco ab ea sessione absit in qua in consilium itur. Quam ob rem hoc casu multam supremam (scilicet ovium duarum boumque triginta adaeratorum) pronuntiatam esse, illo leviores consentaneum est. — *a* 41 post ESSE exiguum spatium vacat apud Maz. — *e* 1 MVTAM Boiss. solus. — SVPREMA · DELEA Urs., SVPREMA · DEI Briss. Boiss.

XLVI. Quaestor hoc loco cur nominetur non liquet; de multa exigenda vix ibi perscriptum fuit, sed potius de nominibus iudicum excusatorum vel non excusatorum ad aerarium deferendis (cf. ad v. 15). — *a* 42 litteras extremas OQVO dimidiatas exhibet Maz. — *e* 2 DIE om. Boiss. — ISQ· Boiss. — QVAESTO Briss., QVESTO Boiss.

XLVII. *e* 3 a DEIXERIT ad ITA habet Mabillon. — DEIXERIT (SE om.) Briss. Boiss. — QVEI in aere defuit; om. Urs. Briss. Boiss. Mab. — QVERET Briss. Boiss.

XLVIII. Multam hanc legis Aciliae, ubi plus quam semel iudices ampliarint, viam aperuisse apparet ad comperendinationem legis Serviliae, qua post unam ampliationem legitimam denuo ampliare iudices prohibentur. — Versus *e* 4—14 sic male divulgerunt Briss. Boiss., ut ubi posui virgulas binas versuum initia signent, praeterea scriptura continuetur: [*e* 4] DICABE .... BIS ‖ IN

VNO IV [*e* 5] REIE .... IVDICVM ‖ QVEI ADEI [*e* 6] REM AGITO .... VIATORIBVS ‖ APPARITORIBVEQVE NEI DEI [*e* 7] QVE IVDICIS .... SORTICOLAM ‖ VNAM .... IIII [*e* 8] EAMQVE .... EX HACE ‖ LEGE .... PALA ‖ [*e* 9] CVNDA .... MANVM ‖ DEMITITO IT EAM .... POPVL [*e* 10] DEMNO .... SCRIPTVM ERIT ‖ SEINE SVPRACIO .... PROXEVMO IVD ‖ [*e* 9] CVNDA .... MANVM DEMITITO ‖ IT EAM .... POPVL [*e* 11] OD PRAEVARICATIONIS .... LEGE ‖ EIVS REI .... CONDEMNAN [*e* 12] AVT .... NISEI QVOD ‖ POST EA .... ERIT AV [*e* 13] M · QVEI .... CONDEMNATVS ‖ ERIT .... CENSVER [*e* 14] RIPTVM ‖ TRANSPITO .... AESTVMANDEIS. — *e* 4 B DICAREIS ad VNO habet Mabillon. — ƆICARE · IS Briss., DICAREIS Mab. et cod. Vat. m. 1, ƆEICAREIS Boiss., DICAT · EIS cod. Vat. m. 2, Urs. — ↀ Mab. Boiss., ↀ Briss., CCCIƆƆƆ Urs. compendio male intellecto, quod significat decem vel potius dena milia. — QVONQVE Boiss.

XLIX. *e* 5 VBI · DVAE · PARTES habet Mabillon. — Spatium ante VBI notat unus Urs. — VBI Mab. Urs. Boiss., VBEI Briss., cod. Vat. m. 1 — ADEI Briss. Boiss.

L. Iudices qui forte absunt cum in consilium itur, arcessuntur per viatorem (Cic. pro Cluent. 27, 74). — Plautinae Nervolariae qui apud Festum (p. 169) legerit versum: *ecquis huc effert nassiternam cum aqua sine suffragio?* facile hanc iudiciariam sitellam a poeta iocante respici crediderit. At in Sticho (352 ed. Ritschel.) idem versus sic dividitur inter duos homines ut clamanti: *Ecqui huc effert nassiternam cum aqua?* alter respondeat: *Sine suffragio populi tamen aedilitatem hic quidem gerit;* quod sane aptius est. — *e* 6 CVM · SOVEIS Boiss. — APARITORIBVSQ· Boiss. — extr. DEI Briss. Boiss., ita tamen ut utrum ad *e* 6 extr. an ad *e* 7 incip. referatur incertum sit (v. ad v. 48); om. Urs.

LI. *e* 7 LA om. Briss. Boiss.

LII. *e* 8 EAMQ· Boiss. — HACCE Boiss. — BRAGIOQVE Boiss. — LITIERAM Briss. Boiss., LITERAM Urs. — *b* 52 SINGILATIM aes.

LIII. *e* 9 errore bis et suo loco et inter *e* 10 et 11 exhibent Briss. Boiss. — VNDAI Urs., CVNDA Briss. Boiss. — DEMITITO Briss. utroque loco, priore Boiss.; DEMITTITO Urs. — ITEAM Briss. Boiss., TAM Urs. — POPVL Briss. Boiss., POPVLO Urs. — *b* 53 dubia litterarum EVM vestigia ante SENTENTIAM deprehendi in aere, quae in tabula non inveniuntur. — ·ERIT · IS · EI ego ·ERIT · IS · EI tabula. — Ceterum *b* extremam sic Ursinus representavit utrimque:

rep. v. 53.

... M · SENTENTIA ..... VERIT · IV ...

... REO · AP ...

agr. v. 61.

... SEVE · IVDICATO · QVAM · QVANTVM · NVMER ...

Elementa illa REO · AP in antica neque Bluhmius reperit neque investigavi ego desuntque item in tabula et nituntur solo Ursini testimonio, post cuius aetatem quominus tabulam hoc loco imminutam credamus, impedit posticae comparatio. Quare agrariae v. 62 extremum ibi ab Ursino omissum, in quo RE ROM .... AGRI fugientibus litteris scribitur, nec versui ab Ursino ad repetundarum partem adiecto absimilem proclivi errore a postica in anticam Ursinus videtur transtulisse; casuque omnino quamvis miro accidit, quod illae litterae egregie conveniunt huius loci supplemento necessario *de reo apsolvendo.*

LIV. *e* 10 SVPRACIO Briss. — PRONVNTIARIT Briss., PRONVNCIARIT Boiss. — IVD Urs. Briss., SVP Boiss. — *d* 2 V·(RANSDITO) enotavi ego, de sola secunda littera dubitans; tabula ductus incertiores habet, fere tamen eosdem. Idem *transdito* est v. 58. — DE·I in aere est.

LV. Monente Rudorffio *fecisse videri* formulam hoc quoque loco recepi. — *e* 11 OD Briss., ID Boiss., QVOD Urs. — ·EIS pro EIVS Boiss. — Spatium post ESTO notavit solus Urs. — Inter *e* 11 et *d* 3 litterae videntur excidisse viginti vel triginta; nam inter *e* 12 et *d* 4 desiderantur litterae fere sedecim, *d* 3 autem decem litteris sinistrorsum brevior est quam *d* 4 itemque *e* 11 dextrorsum paullo brevior videtur fuisse quam *e* 12. Denique in postica qui respondet v. 64 tot quot dixi litteras facile admittit. Ab hoc inde loco de reliquarum lacunarum quae inter E et D hiant ambitu iam satis constat. — *d* 3 in. L.ARI excepi ego neque aliter tabula.

LVI. *Sanctio legum*, Papinianus (Dig. 48, 19, 41) ait, *novissime certam poenam irrogat iis qui praeceptis legis non obtemperaverint;* qualem habemus in lege privata Tudertina: [*Siquis quid adversus hanc rogationem egerit feceri*]*t sciens dolo malo, ei multa esto sestertium decies.* Quam poenam Papinianus l. c. recte negat *ad eas species pertinere, quibus ipsa lege poena specialiter addita est.* Itaque huius repetundarum legis sanctio non pertinuit ad repetundas ipsas, sed ad alia omnia, exempli causa ad clausulam derogatoriam eam quam Festus (v. satura p. 314) affert: *neve per saturam abrogato aut derogato;* potuitque igitur cum magistratu, qui et in provincia contra hanc legem pecuniam cepisse et eam legem per saturam abrogare voluisse dicebatur, recte ex hac lege bis agi. — *e* 12 FI · L Briss., FL · L Boiss., P · L Urs. — CAVSSA Urs., CAVSA Briss. Boiss. — ERIT · AV Briss. Boiss., ERIT AVT Urs.

LVII. De toto argumento conferendus praesertim locus Cic. pro Rab. Post. 4, 8: *sunt lites aestimatae A. Gabinio nec praedes dati nec ex bonis populo universa pecunia exacta est.* Cf. ibidem 13, 37: *si aut praedes dedisset Gabinius aut tantum ex eius bonis, quanta summa litium fuisset, populus recepisset;* Plin. ep. 7, 33: (*senatus*) *damnato Massa censuerat, ut bona eius publice custodirentur.* Iudicii vere publici ordo, secundum quem damnatus nisi praedes dat in vincula conicitur (cf. Liv. 38, 58), in his repetundarum iudiciis quasi publicis numquam videtur obtinuisse. — Q· non *quaestor* est, sed *quaestori;* cf. legis Bantinae v. 11: [*praedes*] *ad q. urb. det aut bona eius poplice possideantur facito.* — *Bona facito possideantur,* id est *praetor facito ut quaestor possideat,* cf. Liv. 4, 15 de dictatore: *iubere quaestores vendere ea bona atque in publicum redigere.* 38, 60: *in bona L. Scipionis possessum publice quaestores praetor misit.* In sequentibus pecuniae exactionem iudici, non quaestori attribui propter v. 62, quamquam de lectione ibi non satis constat. — *e* 13 VM cod. Vat., EVM Urs., M Briss. Boiss. — EIS Briss. Urs., EI Boiss.

LVIII. *e* 14 SCRIPTVM Urs. Boiss., RIPTVM Briss. — TRANSPITO Briss. Boiss. — QVASTOR Briss., QVESTOR Boiss. — POBLICEIS Briss. Boiss. — LITIAVS Briss. Boiss. — *d* 6 in. {IACI aes.

LIX. *e* 15 LATVM Urs. Boiss., ABLATVM Briss. — EA traditur. — CAETERAS Boiss. — QVOS traditur. — CC .... Briss. Boiss. — *d* 7 QV⟩ in aere deprehendi; QV| tabula.

LX. Quod restitui venit ex l. Rubria 2, 13: *quei eam suo nomine petierit quoive eam d(arei) o(portebit).* Quod quaestor solvere iubetur sive praedes acceperit sive ex bonis venditis tantum redactum sit quanti lites aestimatae erunt, probabunt ius praediatorium qui norunt; praedum enim datio pro solutione est. — *e* 16 initio O Urs. om. — LITEM Urs. — EI pro EIEI Boiss. — CONCILIOQ· Boiss. — MAIORI (om. PA) Briss. Boiss.

LXI. *e* 17 in. IACE Boiss. — PROXSVMO Urs. Boiss., PROXVMO Briss.

LXII. Tributus fit cum pecunia danda vel accipienda in plures pro portione dividitur: ita tributum facit populus qui a fundorum dominis aliave certa ex causa pro portione pecuniam exigit; ita mercibus in mare eiectis ex lege Rhodia tributus fit; ita denique servi negotiatoris bona inter eos, qui eius negotiationis causa servo crediderunt, dominus pro rata tribuere ita compellitur, ut ei, quem in tributum non vocavit, tributoria teneatur, quod ad hanc speciem, ubi rei bona inter creditores ex causa repetundarum pro portione a populo distribuuntur, proxime accedit. — *e* 18

EX · EX · HACE Briss., EX · HACE Boiss., EX · HAC Urs., uterque EX altero omisso. — POSTVERIT Boiss. — PROXSVMEIS Urs. Boiss., PROXVMEIS Briss. — *d* 10 FAC⟨ in aere esse mihi certum visum est nec refragatur tabula.

LXIII. *Servare tributum* lex dicit ut dicunt iure consulti *idem servatur, in usu servatur.* — *e* 19 AESTIMATAE Briss., IMATAE Boiss. — QVOIVS · REGIS Urs. Briss., QVO · SVI · REGIS Boiss. — POPVLOVE Briss. solus. — LEGATI Briss. Boiss., LEGATEI Urs. — ADESSINT Briss. Boiss., quod est futuri antiqui in *so* tertia pluralis ut *faxint*; ADESSENT Urs. ex prava emendatione. — *d* 11 QVEI · I⟨ ego vidi; QVEI⟨ tabula.

LXIV. De servanda pecunia iis, qui ad tributum ipsum non adfuerint, compara quae in tributaria actione observat Paulus (Dig. 14, 5, 6): *haec actio — facit — aequalem condicionem quandoque agentium.* — *e* 20 ab EI PRIMO ad finem praeter reliquos habet Scaliger (v. supra p. 50). — EGERIT Briss. Boiss. — DEI pro DIS Boiss. — FRVDE Scal. Briss., FRAVDE Urs. Boiss. — *d* 12 ADFRIT ex aere enotavi.

LXV. *e* 21 ab EX · HACE ad FACITO praeter reliquos habet Scaliger. — PRAETOR · EX · HACE · LEGE Urs. et cod. Vat. m. 2; at num ita in aere vere fuerit, admodum dubium est, nam EX · H · L · (om. PRAETOR) cod. Vat. m. 1, VERO · REX · HACE · LEGE Briss., VERO · A · R · EX HACE · LEGE Boiss. — CAVSSA Scal. — FACITO QVOMODO PRODE hoc versu et sequentem totum et v. *e* 23 AM HABEBIT EIS FACIVNTO om. Briss. Boiss., decepti formula bis iisdem verbis repetita. — *d* 13 AIORE ego, IORE tabula. — FRIT et EORVM tabula, ERIT et FORVM priores; ego nihil notavi. — FLANO · ⟨ ego, ut extrema littera R fuerit, quae in tabula L videtur.

LXVI. *c* 1 ~~DIE~~ aes. — *d* 14 Q⟨ ego, Q⟨ tabula.

LXVII. Quod praedibus a repetundarum condemnato datis creditoribus repetundarum iam nec reus debet nec praedes, sed populus, causa videtur fuisse, propter quam caput de pecunia, quam populus solverit soluturusve sit, a praedibus populi nomine exigenda post capita demum de pecunia ex condemnati bonis creditoribus solvenda collocatur. Pecuniam, pro qua praedes dati sunt, qui praedes dedit solvere quidem potest, sed minime eam dare eum oportet. — Ex *e* 23 verba AB EIS PR versui *e* 24 adhaeserunt apud Briss. Boiss.

LXVIII. *e* 24 STVMAVERIT Briss. Boiss., ABSTVMAVERIT Urs.; at in tabula *c* hodiedum in aere superest AE⟨, quamquam tabula non habet nisi AE⟨. — REDACTE Briss. — QVIQVOM Urs.

LXIX. Quae praecedunt, praetorem maxime spectant; duo capita hoc et quod proxime sequitur quaestorem ea facere iubent, quae uti quaestor faciat praetorem curare lex antea iussit. — Peculatum in huiusmodi pecuniam privatam in publico depositam cadere ne mirere, nam ait Cicero de leg. 2, 9, 22 (cf. 16, 44): *sacrum sacrove commendatum qui cleperit rapsitque, parricida est.* — De solutione extraordinaria cf. Cic. pro Font. 3, 4 de quaestore urbano: *extra ordinemne pecunia est data? immo vero nummus nullus sine litteris multis commotus est.* — *e* 25 PEQVLATVM traditur. — P · R · Boiss. — QVI Urs. — DARET Briss. Boiss. — IVS · ERIT pro IVSERIT traditur. — QVAETOP Briss. — *d* 17 OPTINEBIT Urs. idque ego in re praesente probavi; OBTINEBIT tabula cum Bluhmio. — extr. Q notavit Bluhmius mihique etiam visa est in aere esse; in tabula deest.

LXX. *c* 5 NDIC VM in aere est. — *e* 26 in. RI OPORTEBIT Briss. Boiss., RI om. Urs. — Inter *e* 26 et *d* 18 quae desunt Klenzius supplevit ex lege Rubria 1, 50 sq. Incerta vestigia media, quae Bluhmio visa sunt esse ss, mihi apparuerunt ⟨...⟩; in tabula desunt.

LXXI. De iudicio dimittendo videndus Cicero pro Cluent. 27, 74: (tribunus plebis) *e publico iudicio ad privatum Staieni iudicium profectus est et illud pro potestate dimitti iussit* (coll. Val. Max. 8, 1, absol. 3). Senatu vocato iudicia dimitti solebant; vide senatus auctoritatem apud Cic. ad fam. 8, 8, 5: *cum de ea re ad senatum referretur a consulibus, qui eorum in CCC iudicibus essent, eos* (cod. *ses*) *adducere liceret.* Unde postea, cum Augustus legitimos dies senatu vocando instituit, hos omnes nefastos esse iussit (Dio 55, 3; cf. liber meus de chronol. Rom. p. 237). Similiter comitiis indictis iudicia solita esse dimitti docent quae sequuntur; *centurias intro vocari* Livius dixit 10, 13. — *e* 27 OVCITO Briss. solus. — QVOD QVIS Briss. solus. — *d* 19 ⟨ VERBA ego; ⟨V VERBA tabula.

LXXII. Legem per saturam latam ipsaque eius causa indicta comitia nulla esse cavit quidem denuo lex Caecilia Didia a. 655 (Cic. de domo 20, 53), sed iam ante idem obtinuisse docent verba orationis T. Annii Lusci in Ti. Gracchum (Fest. v. satura p. 314): *imperium quod plebes per saturam dederat id abrogatum est.* — Iam inde a verbis SEI · IS · PRAETOR septeni versus 72 med. — 79 med. et 79 med. — 85 fin. ita sibi respondent, ut infra utroque ordine composito lacunisque, quae sic remanent, indicatis demonstratur *); unde apparet capita quinque de con-

*) Iudex deinceps faciat pr (*desunt litterae paucae*) | Sei is praetor, quei ex hace lege quaeret, sei | (*desunt litt. c.* 18) | vel urbana provinc|ia obvenerit eo magistratu ioudiciove inperiove abierit abdicaverit | mortuosve erit aute quam ea omnia ioudica | (*desunt litt. c.* 156) | provinciam habebit is utei qu | (*desunt litt.* 19) | esse vo|let facito utei ea omnia | quod ex hace lege factum non erit faciant fiantque quae ex hace lege fieri oporteret sei | apud eum ea res acta esset deque ea re eiei | praetori quaestorique omnium rerum quod ex | hace lege factum non erit, siremps lex esto qua | (*desunt litt. c.* 195) | icium | fuit fueritve ex leg|e quam L. Calpurnius L. f. | tr. pl. rogav|it exve lege quam M. Iunius D. f. tr. pl. rogavit quei eorum eo | (*desunt litt. c.* 23) | natus est eritve quo | magis de ea re eius nomen hace lege deferatur quove magis de e|a re quom | (*desunt litterae c.* 181) | t ante quam ea res | (*desunt litterae c.* 5) | erit quom eis hace lege a|ctio nei | esto. De praevaricatione. Praetor quei ex hace lege quaeret, qua de re ei prae | (*desunt litt. c.* 36) | m rem io|udicandam adfuerint quei vivent eorum maiorei parti satis factom erit | nomen quod ex (*desunt litt. c.* 200) | De ceivitate danda | Seiq|uis eorum, quei ceivis Romanus non erit, ex hace lege alterei nomen | (*desunt litt. c.* 45) | em quoius e|x hace lege quaestio erit detoler|it et i|s eo iudicio hace lege condemnatus erit tu|m eis qu | (*desunt litt. c.* 196) | ceivis Romanus ex hace lege fiet nepotesque (*deest litt.* 1) i|u|m | eiei filio gnateis ceiveis Romanei iustei sunto | (*desunt litt. c.* 82) | m ferunto inque eam tribum censento militiaeque ei|s vocatio esto aera stipendiaque o|mnia merita sunto. Nei qui magistratus pr | (*desunt litt. c.* 168) | nihilum rogato. De provocatiou | (*desunt litt.* 10) | eque danda. Sei quis eorum quei | (*desunt litterae c.* 83) | tor praetor aedilisve non fuerint ad praetorem, quoius ex hace lege quaestio erit | (*desunt quaedam*) natus erit tum quei eius *nomen* detolerit quoius eorum opera ma | (*desunt complura*) | eius militiae munerisque poplici in su | (*desunt litt.* 12) itate.

tinuando per magistratus deinceps factos iudicio, de rebus ante iudicatis factisve, de praevaricatione accusatoris punienda, de civitate accusatori danda, denique capitis de provocatione eidem concedenda partem priorem, in lege bis scripta fuisse ita, ut dittographiae eius neque ratio neque causa appareat ulla. Nam quod observata ea primum putabam similia quidem neque tamen eadem utroque loco perscripta fuisse, fere ut accidit in duobus de iudicibus in proximum annum et deinceps legendis capitibus, nec tamen in his multo magis laceris reliquiis discrimen quod fuit hodie apparere, id fieri ita potuisse concedendum quidem est poteritque qui volet eo trahere minora quaedam inter utrumque ordinem discrimina, maxime in capitis de provocatione spatiis definiendis, sed tamen probabilitate ea opinio destituitur, praesertim cum dittographia ea non ibi finiat, ubi certum argumentum terminatur, sed in medio de provocatione danda loco. Quam ob rem cum praeterea praeter consuetudinem (cf. tamen v. 85. 87) ubi dittographia incipit v. 72 capitis rubrica desit, fortasse legis scalptor, quem neglegentem fuisse universa tabula loquitur, cum v. 79 verba IN · SV[A QVOIVSQVE · CEIV]ITATE incidisset, animadversa quam in v. 72 omiserat rubrica, sive neglegentia lapsus sive ita ab operis magistro iussus denuo eadem scribere aggressus est. Utut hoc est, in lege restituenda ex dittographia illa aliquantum profecimus. — *e* 28 ·TRA Boiss., TRA reliqui. — post FRAETVR spatium signat Urs. — QVI · EX pro QVEI · EX Urs. — QVAERET · SEI Urs., QVAERI · SE Briss. Boiss. — *d* 20 EO · MAGISTRATV supplevi ex v. 78; excidisse enim demonstrat sequens VE.

LXXIII. *e* 29 a QVOD EX usque ad NON ERIT affert Mabill. — QVD Urs. err. typ. — QVAE om. Boiss. — OPORTERE · SEI Urs., OPORTERES Briss., OPORTERET ex corr. Boiss.

LXXIV. LXXV. Locum hunc, quem fere intactum reliquerat Klenzius, in quibusdam recte deinde constituit Rudorffius (*Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 12, 139; cf. Zumptius de leg. rep. p. 13) neque tamen plane expedivit. Ante omnia attendendum est ad geminatum locum v. 81. 82, unde cum alia supplementa certa petuntur tum verba v. 82 *t ante quam ea res* ante *erit* v. 75 in. ita inserenda esse apparet, ut inter *res* et *erit* non desit nisi vocabulum quinque fere litterarum. Mihi videtur hoc loco primum hoc cautum esse, ne de eadem re bis agatur, deinde praescriptum, ne ad praeterita lex trahatur. Unde simul apparet, qui vel post hanc legem rogatam ex lege Iunia adeoque ex lege Calpurnia iudicium fieri potuerit, quod fieri potuisse indicat vocabulum *fuerit* ad *fuit* adiectum. Nimirum a quo pecuniae ante legem Iuniam latam captae repetebantur, eius nomen non desiit deferri posse ex lege Calpurnia, similiterque qui post latam Iuniam ante hanc legem rogatam idem commiserat, lege Iunia interrogandus fuit; eodemque redit quod supra scriptum est v. 59 de pecunia ante hanc legem rogatam capta litem simpli aestimandam esse. Neque ea simplex sane et facilis huius loci explicatio viros doctos fugisset, nisi iudicium ex legibus Calpurnia Iuniaque factum a iudicio quod ex hac lege fit iusto plus differre opinati essent. At cum illud privatum fuit sacramento in personam, tum hoc item mansit quodammodo recuperatorium et privatum, ut exempli causa qui et ante hanc legem et post eam pecunias cepisset, simul duabus legibus Iunia et hac nova interrogari et posset et deberet, ex lege Iunia scilicet simpli, ex hac dupli litibus aestimandis. Nam quod quis opponet ita repetundarum crimina ante hanc legem admissa poenae quidem subiacere legis antiquae, sed in iudicii forma ex lege nova pendere, in ea re sane idem tum obtinuit quod nunc similiter observamus, ut in iudicio ordinando longe facilius leges ad praeterita trahamus quam in poenis constituendis. — *e* 9 deprehendi ⊥ · CAL⟩ et ita fere tabula. — *e* 30 FVANIVS Briss., DVRNIVS Boiss., VANIVS Urs. — D · ante F · om. Boiss. — XVEI pro QVEI Boiss. — FORVM Briss. et cod. Vat. 6040 manu prima, ut ita in tabula fuisse videatur; EORVM Urs. Boiss. — *d* 22 NOMEN   HACE aes spatio interposito; EX abest etiam ubi eadem redeunt v. 81. Cf. ad v. 22. — DEIVRATVRVM · QVOVE · MAGISTRATVS · IS · DE in aere est; Klenzius emendavit ex v. 80, scriptorem pro *deferatur* male *deieratur*, pro *magis* male *mag . is* in exemplo legisse recte assecutus.

LXXV. Respicit lex quae leguntur v. 49 de iudicio: *ubi duae partes iudicum quei ader[unt]* cet. Rem confirmat Caelii (in epist. Cic. ad fam. 8, 8, 2) narratio M. Servilium accusasse C. Claudium praetorem a. 698, ut videtur repetundarum, eumque condemnasse litesque ei aestimasse; deinde condemnati filium *indicasse pecuniam ex bonis patris pervenisse ad Servilium praevaricationisque causa depositum HS. LXXXI, et misisse in consilium eosdem illos qui lites aestimarant iudices.* De duabus rebus diversis hi iudices in consilium iverunt, de ea re, quo ex bonis condemnati qui solvendo non esset pecunia pervenisset (quo pertinet praetoris sententia: *non redigam*), tum de praevaricatione accusatoris. Ceterum quamquam proprie nemo praevaricatur nisi in iudicio publico qui accusat (Dig. 47, 15, 1, 1), tamen praevaricationem olim latius obtinuisse neque a iudicio privato vel quasi publico plane alienam fuisse docet lex agraria v. 38. — *d* 23 PARTIS · SATIS aes.

LXXVI. Poenam accusatoris praevaricati sequuntur praemia veri bonique delatoris. Caput de civitate danda, quod post Klenzium tractavit Husehkius in Richteri annalibus 1845 p. 625 et in libro de Gaio p. 5, conferendum est cum iis quae narrat Cicero (pro Balb. 23. 24; vide supra p. 55) Tiburtes quosdam (scilicet ante legem Iuliam a. 664) damnatis quos accusarant senatoribus Romanis ad civitatem pervenisse, lege Servilia etiam hanc Latinis, id est foederatis, viam ad civitatem patuisse. Quod solis Latinis legem Serviliam dedisse recte intellexit Madvigius (opusc. 1, 273); a qua haec lex antiquior ita differt, ut inde civis fieri possit quicumque non civis reum condemnarit. Apparet igitur in hac quoque re viam ad civitatem labente republica magis magisque coartatam esse et ius olim peregrinis omnibus permissum post legem Serviliam non remansisse nisi Latinis. — *e* 32 ALTERI Briss. Boiss. — *d* 24 EO EO aes.

LXXVII. Cum accusatore liberos etiam nepotesque eius ex filio cives factos esse ex legis reliquiis satis apparet; uxores, quas admiserunt Klenzius Huschkiusque, equidem omisi, cum in privilegiis huiusmodi veteranorum praeter ipsos soli liberi posterique eorum civitate donentur et ad horum similitudinem haec accusatorum praemia rectius referantur quam ad privilegia eorum qui anniculi causam probarint vel magistratum in civitate Latina obtinuerint. — Deinde miro errore Huschkius proposuit [*du*]*m eiei filio gnatei s*(*unt*), et parum Latine et sententia inepta et invisa adhuc *sunt* vocabuli nota, quamquam *gnateis esse nati* postea ipse fere intellexit. — Tribum accusatoris lege eandem fuisse, in qua accusatus censeretur, de repetundarum iudicio praeterea non traditur; sed satis ex lege elucere videtur et defenditur eo, quod qui iudicio publico vincit, eius *trahere spolia* dicitur (Cic. pro Balb. 23, 54) itaque legum praemiis praetoriam sententiam et praetextam togam consecutos esse complures Balbumque hac ratione legis de ambitu praemio in tribum Crustuminam pervenisse Cicero (pro Balb. 25, 57) narrat. — De *censento*, quod valet *censentor*, dixit Madvigius opusc. 2, 241. — De vacandi vocabulo postquam nuper viri docti complures egerunt, praesertim Bergkius *Zeitschrift für Alterthumswiss.* 1848 p. 1127 et Fleckeisenus in Iahnii annalibus vol. 60 p. 255 et Buechelerus in mus. Rhen. nov. 13, 583,

iam fere decisum videtur antiquos *vocare* potius scripsisse quam *vacare.* Nam ut in lege hac aetatis Gracchanae v. 77. 78 scriptum est *militiae eis vocatio esto*, ita lege Caesaris municipali v. 93. 103 a militia liberatur cui *vocatio est rei militaris legibus;* denique in laudatione funebri aetatis Augustae (Orell. 4859) legitur *vocuamque [do]mum alterius fecunditati t[radidisti liberis replendam]* et in titulo Brixiano (Grut. 1007, 7 = Mur. 138, 3. 1098, 5 = Labus *marmi Bresc.* n. 1) sic in lapide est: *ob te[rtium?] magisterium pagi [e]t vocationem in perpetu[om]*. Contra *in vacuom vendendis* est in lege Malacitana c. 64, quae Domitiano imperante scripta est. Item apud auctores vetustiores huius scripturae vestigia boni libri subinde servaverunt, ut apud Plautum in Trin. 11 *vocivas auris* enotatur ex Ambrosiano, in Casinae prol. 29 *aures vocivae* ex Palatino. Similiter in Senecae ludo c. 11 quod est '*rerum iudicandarum vocationem dari*' recte tuetur Buechelerus, allatis praeterea exemplis aliis plus minusve dubiis, de quibus hoc loco non est quod agamus. Certis enim illis testimoniis expensis iam relinquendam video, de qua ante suspicatus eram, militiae vocationis cum vocandi vocabulo eam coniunctionem, ut qui a necessaria militiae vacet, ad voluntariam sit evocandos. Denique qui ubicumque in aere et marmore vocatio legatur, ibi litura opus esse sibi persuaserunt, quid in hoc genere audere ars permittat non satis expenderunt. — *e* 33 EI pro EIEI Boiss. — IVSTI Boiss. — SVNTO Briss. Boiss., SVNT Urs. — *d* 25 EA·TRIBVM aes, ut utrum EAM·TRIBVM scriptor voluerit an EA·TRIBV incertum sit — extr. litterae O vestigium ego reperi, quod in tabula non cernitur.

LXXVIII. ROGATO in hac formula praeter hunc locum legitur in lege Quinctia (apud Frontin. de aquis c. 129) bis, nam altero loco quod codex habet *rogatio*, omnino mutandum est in *rogato*. Praeterea ROGATVR scribitur in lege Antonia de Termessibus 2, 30, ROGATVM apud Probum 3, 15 secundum optimum Celtis exemplum et apud Ciceronem pro Caec. 33, 95 (cf. de domo 40, 106). — At *rogato* omnino retinendum est ut supra v. 77 *censento;* talia qui emendaverunt, obliti sunt, qua de re optime Madvigius monuit, saepe veteres Latinos in huiusmodi imperativis passivi notam abiecisse. Contra *rogatum* librariis videtur deberi, qui quid sit *rogato* non magis quam eorum qui nunc sunt grammaticorum plerique assequerentur; *rogatur* qui scripserunt, servata sententia antiqui imperativi insolentiam evitaverunt. — Caput quod sequitur pertinere ad Latinos constat; dictatores enim praetores aediles, quibus magistratus non Romanos significari Klenzius iam observavit, proprie Latinorum magistratus sunt, ea ex causa lege excepti, quod cum hoc loco praemia concedantur Latinis non civibus Romanis, hi civitatem iam assecuti sunt gesto magistratu curuli. At cum de civitate Latinis danda actum sit capite proximo, hoc referendum est ad eos Latinos qui cives Romani ex hac lege fieri noluerint. Sane beneficium illud cum invidia coniunctum (vide Cic. pro Balbo l. c.) invito obtrudi non debuit eoque reiecto qui reum condemnarit consentaneum est ad alia praemia ex eadem lege pervenisse, quae iam enumerantur. Inter quae primum locum merito obtinet provocatio, pro qua Zomptius maior de leg. rep. p. 24 vacationem reposuit temere; omnino enim huic loco recte intellecto aptissimum est ius lege Valeria tribusque Porciis constitutum, quo civis Romanus a magistratus virgis securibusque domi militiaeque defendebatur. Scilicet qui reum condemnarat, etsi civitatem Romanam accipere nollet, tamen exinde tanquam civis Romanus esset capite tergoque tutum eum esse lex iubet; quod ius militanti maxime utile fuisse intellegitur (cf. Sallust. Iug. 69) nec cuivis accusatori a lege tribuitur ut civitas ipsa, sed soli Latino a Romani iuris communione iam ea aetate multo propius remoto quam inde remoti erant peregrini reliqui. Eadem plane ratione eademque fere aetate M. Fulvius Flaccus cos. a. 629 legem introduxit '*de civitate danda et de provocatione ad populum eorum qui civitatem mutare noluissent*' (Val. Max. 9, 5, 1; cf. App. b. c. 1, 21); hoc ille tulit, ut socii cives Romani fierent, qui fieri nollent, iis tamen liceret provocare. Quod imperiti homines non intellectum corruperunt et pro *noluissent* codicis Bongarsiani unice probi perperam scripserunt edideruntque *voluissent*. Denique eodem pertinet lex Livia Drusi senioris eodem quo haec repetundarum anno lata, ὅπως μηδὲ ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινα Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι (Plut. C. Gracch. 9); nimirum Drusus ille cum C. Gracchum in populo captando omni genere illecebrarum quasi quadam licitatione vincere sibi proposuisset et ex C. Gracchi mente Latinis qui repetundarum reum condemnarant praemii loco provocationem dari videret, eandem lege lata Latinis omnibus concessit. — Magis incertum est quod sequitur de militia munereque publico administrando; nihil enim inde remanet nisi v. 79: *eius militiae munerisque poplici in su . . . . . . itate;* fortasse eiusmodi homini optio permissa est, utrum in legione tanquam civis Romanus merere an militia sociali fungi, item tributo indicto utrum inter cives Romanos an ex suae civitatis formula pecuniam conferre mallet. Denique quod superest ex v. 86: . . . *i petetur, de ea re eius [optio e]sto utrum velit vel in sua ceivitat[e] . . . .*, conferendum est cum senatus consulti de Asclepiade v. 2, sq. ubi ex Graeca versione Latina explentur: *[quae ei . . . ab altero persequerentur seive quid] ab eis . . . . [. . . . aliei persequerentur, eis . . . . ius potestasque esset seive in patrieis legibus sueis velint iudi]cio certare seive apud magistratu[s nostros Italicis iudicibus seive in civitate libera . . . .] . . . . ubei velint utei ibei iudicium de eis rebus fiat.* — *e* 34 ΣQVS Briss., Σ·QVAE Boiss. — QVEIS·EORVM Boiss. — *d* 26 inter TOR (sic ego cum Pigh. et Ursino; EOR tabula) et PRAETOR spatium in aere est; cf. v. 22.

LXXIX. *e* 35 . . . VTILITATE IVDEX DEINCEPS FACIAT . . . Urs., ... ATATE·IVDEX·DEINCEPS·FACIAT·PR . . . Briss., ITATE IVDEX DEINCEPS·FACIAT P R Briss. Verba IVDEX·DEINCEPS·FACIAT et spatium ante notatum et coniunctivi usus et ipsum argumentum rubricam esse evincunt. Cf. ad v. 72.

LXXX. *e* 36 . . L·ET Urs., VOLET Briss., OLET Boiss. — OMNIA Urs. Briss., NOMINA Boiss. — *d* 28 PRAETOR·QVAESTOR in aere scalptor posuit, litteras singulares rursus male solvens; locus emendatur ex v. 73.

LXXXI. *e* 16 EVIT aes. — *e* 37 ROGAC Briss., ROGAVIT Urs., ROGAT Boiss., cuius additamentum commenticium hinc incipiens supra relatum est p. 52. — *d* 29 MACIS tabula.

LXXXII. *e* 38 . . . CTIO·NEI . . Briss., TIONEI Boiss., quod tuetur locus similis v. 75: *hace lege actio nei esto.* Contra Ursinus male edidit sic:

SANCTIO

. . NEI . .

— *d* 30 ADFVER| et |·QVEI in aere legitur; ADFVERINT spatio excluditur. — MAIORIS·PARTI in aere legitur in media S fracto.

LXXXIII. *d* 17 ante SEIC/ spatium in aere est. — *d* 31 |·HACE legi; |·HACE tabula.

LXXXIV. *c* extr. incerta quaedam vestigia habet, quae mihi visa sunt VA . . O; videntur pertinere ad *tum eiei* — *d* 32 SVNT in aere est.

LXXXV. Explicat hunc locum Ascon. in Milon. p. 54 et ipse lacer: *Damnatum opera maxima [l. maxime] Ap. Claudii [Milonem] pronuntiatum est.* Addidit opportune Rodorffius duos alios locos hos senatus consulti apud Frontinum (de aquis c. 127): *poena HS. dena milia essent, ex quibus pars dimidia accusatori*

daretur, cuius opera maxime convictus esset; legis Mamil. c. 5: *eiusque pecuniae partem dimidiam ei dato, cuius unius opera maxime is condemnatus erit.* Cf. Dig. 29, 5, 25, 2. Itaque praemia accusatoria, si plures accusabant, principi tantum eorum dabantur eaque de re ibatur in suffragium. — Rubricam sustuli propter spatii angustias.

LXXXVI. *d* 34 ⊦I·PETETVR in aere esse notavi, collata lectione Ursiniana SI PETETVR et Bluhmiana AEPETETVR, quam tabula servat.

LXXXVIII. *d* 36 extr. OPORTEBIT vocabulum quamquam evanidum agnoscere mihi visus sum; OPOR tabula.

SENTENTIA Q. M. MINVCIORVM INTER GENVATES ET VITVRIOS

A. V. C. DCXXXVII.

199 Tabula ahenea alta 37½ centim., larga 47¼ centim. 'Tabula 'aenea venerandae vetustatis effossa in valle Porciferae ad iugi 'radices an. sal. M. D. VII mense Febr. Patres cois decreto 'publico posuerunt.' Ita, dum tabula in aedibus patrum communis servabatur, in ipsius margine legebatur subscriptum. Contra a. 1506 ad fluvium Saccum VI a Genua passuum milibus in valle Polceverana in vico qui hodie cum vicino Pedemontis coaluit Isosecco tabulam a Pedemontano quodam rustico Augustino repertam esse, venditam mox fabro ferrario alicui Genuati, deinde in templo S. Laurentii iuxta sacellum S. Io. Baptistae affixam esse narrat *Giustiniani* testis aequalis. Translata est deinde, quod docet inscriptio ante allata, in aedes patrum communis ibique parieti infixa; quibus hodie demolitis servatur in curia.

1 2 Q. M. Minucieis Q. f. Rufeis de controvorsieis inter | Genuateis et Veiturios inre praesente cognoverunt, et co-
3 ram inter eos controvosias composeiverunt, | et qua lege agrum possiderent et qua fineis fierent dixserunt.
4 Eos fineis facere terminosque statui iuserunt; | ubei ea facta essent, Romam coram venire iouserunt. Ro-
5 mae coram sententiam ex senati consulto dixerunt eidib(us) | Decemb(ribus) L. Caecilio Q. f. Q. Mucio Q. f. co(n)s(ulibus).

6 Qua ager privatus casteli Vituriorum est, quem agrum eos vendere heredemque | sequi licet, is ager vectigal(is) nei siet. §.

7 Langatium fineis agri privati. Ab rivo infimo, qui oritur ab fontei in Mannicelo ad flovium | Edem; ibi terminus stat. Inde flovio suso vorsum inflovium Lemurim. Inde flovio Lemuri susum usque ad rivom Comberane(am).
8 | Inde rivo Comberanea susum usque ad comvalem Caeptiemam; ibi termina duo stant circum viam
9 Postumiam. Ex eis terminis recta | regione inrivo Vendupale. Ex rivo Vindupale influvium Neviascam.
10 Inde dorsum fluio Neviasca in flovium Procoberam. Inde | flovio Procoberam deorsum usque ad rivom Vi-
11 netascam infumum; ibei terminus stat. Inde sursum rivo recto Vinelesca; | ibei terminus stat propter viam
12 Postumiam. Inde alter trans viam Postumiam terminus stat. Ex eo termino, quei stat | trans viam Postu-
13 miam, recta regione infontem in Manicelum. Inde deorsum rivo, quei oritur ab fonte enManicelo, | adterminum, quei stat ad flovium Edem.

14 Agri poplici quod Langenses posident, hisce finis videntur esse. Ubi comfluont | Edus et Procobera, ibei ter-
15 minus stat. Inde Ede flovio sursuorsum in montem Lemurino infumo; ibei terminus | stat. Inde sursum-
16 vorsum iugo recto monte Lemurino; ibei terminus stat. Inde susum iugo recto Lemurino; ibi terminus | stat inmonte pro cavo. Inde sursum iugo recto inmontem Lemurinum summum; ibi terminus stat. Inde sur-
17 sum iugo | recto incasteium, quei vocitatust Alianus; ibei terminus stat. Inde sursum iugo recto in montem
18 Ioventionem; ibi terminus | stat. Inde sursum iugo recto in montem Apeninum, quei vocatur Boplo; ibei
19 terminus stat. Inde Apeninum iugo recto | inmontem Tuledonem; ibei terminus stat. Inde deorsum iugo
20 recto inflovium Veraglascam inmontem Berigiemam | infumo; ibi terminus stat. Inde sursum iugo recto in-
21 montem Prenicum; ibi terminus stat. Inde dorsum iugo recto in | flovium Tulelascam; ibi terminus stat.
22 Inde sursum iugo recto Blustiemelo in montem Claxelum; ibi terminus stat. Inde | deorsum infontem Le-
23 briemelum; ibi terminus stat. Inde recto rivo Eniseca inflovium Porcoberam, ibi terminus stat. | Inde deorsum in floviom Porcoberam, ubei conflovont flovi Edus et Porcobera; ibi terminus stat. §.

24 Quem agrum poplicum | iudicamus esse, eum agrum castelanos Langenses Veiturios posidere fruique videtur
25 oportere. Pro eo agro vectigal Langenses | Veituris inpoplicum Genuam dent in anos singulos vic(toriatos)
26 n(ummos) CCCC. Sei Langenses eam pequniam non dabunt neque satis | facient arbitratuu Genuatium, quod
27 per Genuenses mora non fiat, quo setius eam pequniam acipiant: tum quod in eo agro | natum erit frumenti
28 partem vicensumam, vini partem sextam Langenses inpoplicum Genuam dare debento | in annos singulos.

29 Quei intra eos fineis agrum posedet Genuas aut Viturius, quei eorum posedeit k. Sextil(ibus) L. Caicilio | Q. Mucio co(n)s(ulibus), eos ita posidere colereque liceat. Eis, quei posidebunt, vectigal Langensibus pro por-
30 tione dent ita uti ceteri | Langenses, qui eorum in eo agro agrum posidebunt fruenturque. Praeter ea in eo
31 agro niquis posideto nisi de maiore parte | Langensium Veituriorum sententia, dum ne alium intro mitat nisi
32 Genuatem aut Veiturium colendi causa. Quei eorum demaiore parte | Langensium Veiturium sententia ita non parebit, is eum agrum nei habeto nive fruimino.

33 Quei | ager compascuos erit, in eo agro quo minus pecus pascere Genuates Veituriosque liceat ita utei incetero
34 agro | Genuati compascuo, niquis prohibeto, nive quis vim facito, neive prohibeto quo minus ex eo agro ligna
35 materiamque | sumant utanturque.

36 Vectigal anni primi k. Ianuaris secundis Veturis Langenses inpoplicum Genuam dare | debento. Quod aute k. Iannar(ias) primas Langenses fructi sunt eruntque, vectigal invitei dare nei debeuto. §.
37 | Prata quae fuerunt proxuma faenisicei L. Caecilio Q. Muucio co(n)s(ulibus) in agro poplico, quem Vituries
38 Langenses | posident et quem Odiates et quem Dectunines et quem Cavaturineis et quem Mentovines posi-
39 dent, ea prata, | invitis Langensibus et Odiatibus et Dectuninebus et Cavaturines et Mentovines, quem quisque
40 eorum agrum | posidebit, inviteis eis niquis sicet nive pascat nive fruatur. Sei Langueses aut Odiates aut
41 Dectunines aut Cavaturines | aut Mentovines malent in eo agro alia prata inmittere defendere sicare, id uti
42 facere liceat, dum ne ampliorem | modum pratorum habeant, quam proxuma aestate habuerunt fructique sunt. §.
43 Vituries quei controvorsias | Genuensium ob iniourias iudicati aut damnati sunt, seiquis invinculeis obeas res est, eos omneis | solvei mittei leiberareique Genueuses videtur oportere ante eidus Sextilis primas.
45 Seiquoi de ea re | iniquom videbitur esse, ad nos adeant primo quoque die et ab omnibus controversis i. thouo publ li.
46 | Leg(ati) Mogo Meticanio Meticoni f(ilius), Plaucus Peliani(o) Pelioni f(ilius).

Ritschl tab. XX ad archetypum, quod ipse quoque diligenter descripsi. Edidit primus Augustinus Giustiniani ad calcem lucubrationum Iacobi Bracellei (Paris. 1520. 4), quem librum rarum mihique non visum descripserunt Zaccaria (Calogerà *racc.* 35, 143) et Serra loco mox citando p. 92; ipse enim Bracelleus cum mortuus esse videatur ante tabulam inventam (Serra l. c.), Giustinianus autem et lucubrationes eius illas ediderit et ubi in chronicis vernaculis (*annali di Genoa* Gennae 1537 fol. f. 22. 23) tabulam Polceveranam Italice versam edidit, archetypum in chronicis Latinis a se descriptum esse testetur, princeps illa tabulae editio curata videtur esse ab eodem Giustiniano. Pendent ex hac proximae editiones, scilicet Iac. Lopidis Stunicae in itinerario Compluto Romam ex ed. Rom. a. 1521 expresso a Schotto in bibl. Hispan. p. 641 (cf. p. 585), qui quamquam tabulam vidit seque contulisse eam scribit, tamen aperte sumpsit ex Bracelleo; item editio facta a. 1525 in Valerio Probo Tacuini f. 71, Fabriciana a. 1549 in antiquitatibus p. 27, Ursini a. 1583 inter leges n. 18, Lipsii a. 1588 in auctario Smetiano p. 8, Gruteri a. 1603 p. 204 ('ex edito libello quem miserunt Pinellus ac Verderius'). Non multum praestat sumpta ex aereo exemplo, servato in bibliotheca Palatina Florentiae, editio Zaccariana (excursus 1, 27) et hanc imitata Orelliana n. 3121. Contra Hieronymus Serra (*discorso sopra un antico monumento trovato nella valle di Polcevera l' a.* 1506 in *memorie dell' academia imp. di Genova* vol. II. Genuae 1809. 4. p. 89—137) archetypum expressit diligentius, unde repetivit Rudorffius (Q. et M. Minuciorum sententia inter Genuates et Viturios dicta. Berolini 1842. 4. pp. 20) addito commentario solidae doctrinae bonaeque frugis pleno. Denique aere accurate incisa lammina prodiit in libro eruditorum causa Genuam congregatorum edito *descrizione di Genova* 1846. 8. vol. III. p. 1. — De fraudulenta huius sententiae Tarvisina imitatione hic disputare non attinet.

Anno quo sententia haec dicta est urbis DCXXXVII Genua extra Italiam adhuc fuit nec civium Romanorum iurisve Latini, sed quantum coniectura assequimur — in amicitia enim Romanorum iam bello Hannibalico oppidum fuisse apparet quidem ex Liv. 21, 32. 28, 46. 30, 1, sed certa testimonia de antiqua eius condicione deficiunt — simpliciter foederata. Floruit tamen mercatura et re navicularia agrumque etiam satis amplum videtur habuisse; castella certe cum Langensium Vituriorum tum Odiatium, Dectuninium, Cavaturinorum, Mentovinorum (v. 37—42) rei publicae Genuensium attributa esse et de castellanis illis ius dictum esse Genuae ex sententia intellegitur. Inter illos ipsos castellanos Langenses Viturios et cives Genuates cum lis exorta esset de agri finibus, de ea re videntur senatum adiisse ut eam controversiam dirimeret. Romam eos rem detulisse nec proconsulem adiisse ne mirere, is enim hac aetate nullus fuit Galliae Cisalpinae regebaturque ea regio una cum Italia a magistratibus urbanis. Senatus arbitros dedit Q. et M. Minucios Q. f. Rufos, quorum alteruter (non satis enim constat de consulis praenomine Marcusne fuerit an Quintus) consul postea fuit a. 644, uterque autem cum oriundi essent ab eo qui subegit Ligures Q. Minucio Rufo cos. a. 557, avito iure patroni Ligurum videntur fuisse ideoque ad hanc rem disceptandam selecti esse. Arbitri Genuam profecti cum in re praesente causam cognovissent et controversiam composuissent, agrum sic ut demonstrarant terminari iusserunt; terminatione perfecta et per legatos Romam ad se adlata sententiam dixerunt, quibus et controversiarum compositionem et ipsam terminationem comprehenderunt. Castellum Langensium Vituriorum Genuatibus cum esset attributum, a Genuatibus hi, ut Rudorffii verba p. 7 repetam, 'agrum habebant, ab iisdem iura petebant, eodem vectigalia dabant'. Nihilo tamen minus arbitri eum in agro Langensium Vituriorum privato tum in agro Genuatium publico tuentur ius castellanorum; nam ut certa portio agri publici Romani attribuebatur oppidis in potestate amicitiave Romanorum ita, ut populi Romani maneret vectigaliaque inde Romam persolverentur, possessio tamen in perpetuum apud municipes esset, ita similiter Genuae obtinuerit necesse est. Agrum itaque Langensium Vituriorum privatum arbitri terminant ex agri arcifinii legibus (cf. Rudorff in scriptoribus gromaticis 2, 255) Genuatesque vectigal pro eo petere vetant (v. 5—13); agrum Genuatium publicum quatenus castellani possident, item terminant (v. 13—23) vectigaliaque inde pendenda in perpetuum definiunt ita, ut secundum observationem Rudorffii ad formam fere censualem (Dig. 50, 15, 4, 1) distinguantur agri culti pascua prata. Agrorum cultorum (ad hos enim praeter ipsam rem ducit colendi verbum v. 29) vacuam possessionem castellanis cui volunt attribuere licet, ut tamen eorum qui nunc possident ne quem turbent (v. 28—32) neve hominem admittant nisi castellanum vel certe Genuatem. Genuatibus tamen inde frumenti vicesimam, vini sextam partem quotannis dare debent castellani, nisi pro fructibus in singulos annos certam summam CCCC victoriatorum kalendis Ianuariis anni proxime sequentis solvere maluit (v. 24—28. 35. 36), quod vectigal castelli nomine persolutum eius magistratus a possessoribus agri pro portione recipiunt (v. 29. 30). Qui minus solvit eici is potest vacuaque possessio ex decreto castellanorum alii attribui; sed ex communi lege agri vectigalis (Gai. 3, 145) quamdiu vectigal inde penditur, nec possessori conductorive neque heredi eius emptorive praedium castellani auferre poterunt. — Alia lex est agri compascui (v. 32—35); nam in agro compascuo castellanorum Genuati etiam licet pecus pascere materiamque caedere, ut in reliquo agro Genuati idem facere conceditur castellano. Idem obtinuisse in agro publico Romanorum notum est, scilicet ut in ea parte quae pascuis reservata erat Latini etiam foederatique similiter fere ac cives Romani admitterentur; qua de re mox ad legem agrariam disputabitur. — Prata denique possessoribus ita reservantur, ut pro his ne vectigal quidem Genuatibus solvatur; adicitur licere possessoribus prata mutare nec tamen am-

pliare. — Denique iubent arbitri liberari castellanos, qui propter has ipsas controversias in vinculis sunt (v. 42—44) et in futurum abstineri a controversiis. — Praeterea haec notare visum est.

vv. 1. 37. 46 in marginem paulum eminent.

v. 4 cf. Dig. 4, 8, 27, 4: *Sententia* (ab arbitro) *dicta non coram litigatoribus non valebit, nisi in compromissis hoc specialiter expressum sit.* — extr. EIDIS ego, EIDI O tabula.

7 *inde Ede flovio* coniecit Rudorffius, sed ex tabulae usu debuit esse potius *inde flovio Ede.*

8. 11. De via Postumia infra dicemus; facta est a. u. c. 606.

14. Nota *montem Lemurino infumo*, ut infra est v. 19 *montem Berigiemam infumo*, v. 23 *floviom*, contra huius aetatis consuetudinem. Cf. v. 46.

15 TERMINS aes.

16 PRO · CAVO cum puncto in aere deprehendi.

25. Victoriatus nummus huius aetatis, quorum quattuor aequant denarios tres, idem est ac drachma Massiliensis Liguriae totiusque regionis circumpadanae nummus vulgaris et ob eam ipsam causam his partibus occupatis ita receptus a Romanis, ut esset ibi nummus Romana forma signatus et ad Romanum denarium lege aptus neque tamen re diversus a Massiliensi. Quare arbitri Romani quamquam victoriatum posuerunt, intellegendae sunt drachmae Massilienses CCCC sive denarii Romanis CCC. Vide quae de hac re exposuit Borghesius (dec. numism. XVII, 4 p. 26) et post Borghesium ego in libro de re monetaris Romanorum p. 389 sq.

29 EVS aes.

30. 31 *de maiore parte Langensium-sententia* male scriptum est pro *de maioris partis L. s.* Indocta *s* finalis pronuntiatio scribam in errorem videtur induxisse.

32 *quei eorum-ita non parebit* significat *quem eorum-ita possedisse non parebit* eadem fere attractione de qua dixi ad l. Iul. municip. v. 159 neque adsentior Rudorffio emendanti *non possidebit.*

33 *pecuascere, pecuuascere, pecusascere* priores lacuna unius litterae male celata.

37 *faenisicei* sextus casus est ut supra v. 6 *ab fontei;* pro faenisicia olim faenisicem videntur dixisse.

42 *controvorsias ob iniourias iudicari* mirum est, videturque simplex accusativus explicandus ad similitudinem eorum quae sunt *servitutem servire, iusiurandum iurare* potius quam ad obsoletum illud *perduellionem iudicare* (Liv. 1, 26. 43, 16).

44 LEIBERI tabula. Debuit scribi aut *solvere mittere leiberareque* aut *a Genuensibus* librariusque haec videtur confudisse.

45 CONTROVERSISI · THONOPVBL LI aes neque quicquam deest, ut scalptorem quid esset in exemplo non assecutum esse appareat. Qui de honoribus oneribusve publicis hoc loco cogitaverunt, neque sententiam perspexerunt et in hac tabula scribendum fuisse *poplic-* praeterviderunt. Sententia requirit fere *controversis abstineant.*

Addo locorum hominumque oriundorum ex Ligurum lingua recensum nominum, quae in hac tabula reperiuntur.

Alianus castellus (sic enim tabula loquitur) 17.

Apeninus mons quei vocatur Boplo 18; ubi *Apeninus* pro appellativo videtur usurpari.

Berigiema mons 19.

Blustiemelus mons? 21.

Boplo mons 18.

Caeptiema convallis 8.

Cavaturini vicus 38. 39. 40. Incerta coniectura quidam retulerunt ad oppidum *Crecarina* trans Apenninum.

Claxelus mons 21.

Comberanea rivus 7. 8.

Dectunines vicus 38. 39. 40.

Edus (acc. *Edem* 7. 13, abl. *Ede* 14) fluvius 7. 13. 14. 23.

Eniseca rivus 22. Rudorffius p. 14 confert rivum nunc *la Secca* dictum, ad quem haec tabula reperta est.

Genua 25. 27. 35, *Genuas Genuates* (2. 26. 28. 31. 33. 34), *Genuenses* (26. 43. 44).

Ioventio mons 17. Serra p. 118 confert montem *Giovo delle Reste* in summo Apennino et rivum vicinum *la Gioventina.*

Langenses Veiturii (sic 24 bis. 31. 32; *Veturii Langenses* 35; *Viturii Langenses* 37; *Langenses* 13. 25. 27. 29. 30. 36. 39; *Languenses* 40; *Langates* 6; *Veiturii* 2. 31. 33; *Viturii* 5. 28. 42) castellum, hodie Langasco. Similiter Ligures Baebiani Corneliani modo sic, modo Baebiani, modo Corneliani dicuntur. Male Serra castrum Viturioram a Langensibus diversum fuisse credit, nominis vestigia p. 119 rimatus in monte qui dicitur *della Vittoria.*

Lebriemelus fons 22.

Lemurinus mons 14. 15. 16.

Lemuris fluvius 7. Rudorffius p. 14 confert huius agri fluvium hodie dictum *Lemme s. Lemo.*

Manicelus sive *Mannicelus* mons? 6. 12. Confert Serra p. 119 collem hodie dictum *Maniceno* fonte etiam insignem ad confluentes rivos Seccam et Sarduelam.

Mentovini vicus 38. 39. 40. Retulit Rudorffius p. 19 ad oppidum *Montogia* trans Apenninum.

Meticonus vel *-nius* hominis nomen proprium 46. Observanda ratio est quae intercedit inter nomina secunda sive gentilicia filiorum *Meticanio, Peliani(o)* — nisi haec antique scripta sunt pro *Meticanius, Pelianius* (cf. ad v. 14) — et patrum nomina *Meticonius, Pelionius.*

Meticanio hominis nomen gentilicium 46.

Mogo hominis nomen proprium 46.

Neviasca fluvius 9.

Odiates vicus 38. 39. 40. Incerta coniectura ad *Obieta* oppidum trans Apenninum refertur.

Pelionus vel *-nius* hominis nomen proprium 46.

Peliani(o) hominis nomen gentilicium 46.

Plaucus hominis nomen 46.

Prenicus mons 20. Rudorffius p. 14 confert rivum huius agri q. d. *fossato di Perneco.*

Porcobera 23. 24 bis, *Procobera* 9. 10. 14 fluvius idem, qui Plinio (h. n. 3, 5, 48) *Porcifera*, hodie *Polcevera* dicitur.

Tuledo mons 19.

Tulelasca fluvius 21.

Vendupalis sive *Vindupalis* rivus 9.

Veraglasca fluvius 19.

Vinelasca sive *Vinelesca* rivus 10.

Viturii v. *Langenses.*

LEX AGRARIA

A. V. C. DCXLIII.

200. Quo loco et quo tempore huius legis laciniae prodierint et quinam ediderint, supra p. 49 sq. expositum est ad legem repetundarum in eiusdem tabulae parte altera perscriptam; nec restant de ea re nisi quae huius legis agrariae propria sunt. Primum locum inter ea obtinet liber A. A. F. Rudorffii insertus praeterea ephemeridum quae inscribuntur *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* volumini decimo: *das Ackergesetz des Sp. Thorius wiederhergestellt und erläutert.* Berol. 1839. 8; quo quod de repetundarum lege egregio acumine Klenzius perspexerat neque tamen ad alteram tabulae faciem converterat morte immatura praeventus, vices eius suscipiens Rudorffius ad agrariam legem restituendam item adhibuit itaque verum vidisse Klenzium denuo confirmavit. Quod de hoc libro mox iudicium tulit Huschkius (in Richteri et Schneideri *kritische Jahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft* vol. 10 a. 1841 p. 579—620), novae recensionis instar est et bonae frugis plenae. Praeterea qui per hos annos de agrariis Romanorum motibus, de iure praediatorio aliisque huius legis argumentis egerunt, pro sua quisque parte ea proposuerunt, quibus hanc legem aut illustrarint aut certe voluerint; inter quos hoc loco unum nominabimus G. Zeissium (comm. de lege Thoria agraria. Vimar. 1841. 4 pp. 16), quamquam in lege interpretanda parum profecit, propterea quod aera Neapolitana ipsum denuo excussisse se profitetur.

Sequuntur exempla Mazochianum Ursinianumque lamminarum deperditarum (v. p. 50—52.)

Tabulae A exemplum Mazochianum.

2 CAVIT
3 DICIO EVM QVOIVM
4 DESEPVE QVEIS DE PA·RE·AD SE
5 EATQVE QVOVE POSSESSIO INVITO MOR
6 M NON ARALIENAVERIT EXTRA EVM
7 ER LOCVS EDIFICIVM PRIVATVS SIET QVOVE MA
8 RAQVE EVM AGRVM QVEM VETVS POSSESOR EX LEGE PLEREN
9 ASCET QVAEQVE EX EIS MINVS ANNVM GNATAE ERVNT POSTEAQVE
10 NAVIT ABALIENAVERITVE NEQVE HERES EIVS ABALIENAVIT ABALIENAV
11 ERET POSSESIONEM DEDIT ADSIGNAVIT REDDIDIT QVODQVE EIVS AGRI
12 VOI IS AGER VETERE PROVE VETERE POSSESORR DATVS ASSIGNATVSVE QVEIVE
13 IAS QVAE POST·H·L·ROG·PRIMAE ERVNT FACITO VTEI IS QVEI ITA VI EIECTVS I
14 VBLICANO PEQVNIA SCRIPTVRAM VECTIGALVE DET DAREVE DEBEAT NEIVE QVIS
15 PASCETVR POPVLO AVT PVBLCANO DARE DEBEAT AGER LOCVS PVBLICVS POPVL
16 VM PVORLICVM POPVLI ROMANEI DE SVA POSSESIONE VETVS POSSESOR PROVE VETERE POSSESO
17 GRVM LOCVM QVEI AGER LOCVS EX LEGE PLEBEIVE·S·C·QVOD·C·SEMPRONI TI·F·TR·PL·ROG·EXSCB
18 COLONIAM DEDVXSIT ITA VTEI S S·EST AGRVM LOCVM AEDIFICIVM DEDIT REDDIDIT ADSIGNA
19 RA SCREIPTVS EST QVOD EIVS AGREI LOCI POST H·L·ROG·PVBLICVM POPVLEI ROMANEI ERIT EXT
20 DEBETO EI QVEIQVOMQVE ID PVBLICVM FAVENDVM REDEMPTVM CONDVCTVMVE HABEBIT B
21 RVS VIEI LEGE PVBLICEIS PASTVM INPVLSVM ITINERIS CAVSA ERIT NEI QVID POPVLO NEIVE PVB
22 BLICO IN PRIVATVM COMMVTATVS ES DE EO AGRO SIREMPS LEX EXTO QVAN SET IS AGER·P MVCIO
23 ER TERRAM ITALIAM·L·MVCIO·L·CALPVRNIO CO MERINT EAS FACIVNTO PATEANT VACVEQ·SIR
24 IVE·S·C·EXVE TEOEDERE LICVIT·SED FRAVDE SVA FACERE LICETO·QVOD EX·H·L·ITA VTEI S S ET IN
25 ET IN EVM IVDICIVM IVDICEM RECVPERATOREM EX·H·L DARE OPORTERET SEI QVIS DE EA RE IVD
26 E PRO COLONIA MOINICIPIOQVE PROVR MOINICIPIEIS FAVENTVB·QVIEI IN TRIENTARVLE
27 VE OPORTERIT ID VTEI QVICQVID QVOIEIQVE ANTE·H·L·R·LICVIT ITA ET HABERE
28 ID DE EO ACRO LOCO AMBIGETVR COS·PR·QVEIQVOMQVE ERIT DE EA RE IVRIS
29 I CAVSA DECERNANT EIVS·H·L·H·R·QVOD IVDICIVM IVDEX RECVPERATO
30 G AGRO IOCO IDVS DEICITO NEIVE DECERNITO NEIVE IVDICIVM
31 EM FACITO QVO QVIS PRO AGRO MINVS ALITERVE SCRIPTVRAM V
32 VIRVS·L·QVEI CLASSIS·PRIMAE SIENT·XI·DATO INDE ALTERNOS DV
33 MVE PACTVM NON SIET SEI MAIOR PARS EORVM RECVPERATORV
34 RIT SEDVLOM VTEI IS QVEI IVDICATVS ERIT DARE OPORTA
35 POSSIDEBIT FAVETVR QVAM EX·H·L·LICEBIT EVM AGRVM QVEM
36 SI Q VAE LEX PLEBEVE S·C·EST QVAE MAS·QVEM EX·H·L
37 DECERNERE OPORTEBIT SED FRAVDE SVA NEI IVRATO NEIVE
38 PL·S·C·QVOD·M·RAEBIVS TR·PL·IIIVIR·COLONIE DEDVCEND
39 EXTRA EVM AGRVM LOCVM QVEI AGER LOCVS IN EA CEN
40 OPORTEBITVE QVOD EIVS AGRI LOCEI QVOIEIQVE EMPTVM EST
41 QVEI AERARIVM PROVINCIAM OPTINEBIT IN TABLEIS
42 REM QVOD PRAES·FACTVS EST POPVLO OBLIGATVS EST
43 VEI AGER LOCVS IN AFRICA EST QVEI ROMAE PVBLICE
44 TVS ERIT QVOD EIVS AGRI LOCEI EXTRA TERRA ITALIA EST
45 VE AGRVM LOCVM QVEIQVOMQVE HABEBIT POSSIDEBIT
46 ER LOCVS IN AFRICA EST QVOD EIVS AGRI
47 FACTVS CREATVS VE ERIT EIICI
48 ROFITEBITVR COGNITO
49 IQVE IPSE N
50 AG

Tabulae E exemplum Ursinianum.

2 ...IN · RIDVO · PROXSVMO · QVO...
3 ...M · ADSIGNATVM · SIET · IDQVE · QVOM...
4 ...CALPVRNI · COS · PACTA · SIET · QVOD · EIVS · POSTEA...
5 ...MERO · SCRIPTVS · EST · DATVS · ADSIGNATVSVE · EST · QVODVE EIVS...
6 ...O · EDICTO · VTEI · IS · QVEI · AB · BONORVM · EMPTORE · MAGISTRO · CVRATO...
7 ...CVM · NEIVE · EMPTVM · NEIVE · ADSIGNATVM · ESSE · NEIVE · FVISE · IVDICATO · Q...
8 ...QVEI · AGER · PVBLICE · NON · VENIEIT · DARE · REDDERE · COMMVTAREVE · LICETO · II · VIR · Q...
9 ...ET · NEIVE · VNIVS · HOMINIS · NOMINE · QVOI · EX · LEGE · RVBRIA · QVAE · FVIT · COLONO · EIVE · QVEI...
10 ...MERO · SCRIPTVS · EST · AGRVM · QVEI · IN · AFRICA · EST · DARE · OPORTEBIT · LICVITVE · AMPLIVS · IVG · CC · IN...
11 ...GENDAE IN · AFRICA · HOMINVM IN · COLONIAM · COLONIASVE · DEDVCI · OPORTVIT · LICVITVE · II · VIR · QVEI...
12 ...S · AGRI · EX · H · L · ADIVDICARI · LICEBIT · QVOD · ITA · COMPERIETVR · ID · EI · HEREDEIVE EIVS · ADSIGNATO · ESSE · IVDICATO...
13 ...EST · AB · EO · QVOIVS · EIVS · AGRI · LOCEI · HOMINIS · PRIVATI · VENDITIO · FVIT · TVM · QVOM · IS EVM · AGRVM · LOCVM · EMIT · QVEI...
14 ...NEQVE · HERES · EIVS · NEQVE · QVOI · IS · HERES · ERIT · ABALIENAVERIT · QVOD · EIVS · AGRI · LOCEI · ITA · PLANVM · FACTVM · ERIT · II · VIR · ITA...
15 ...AGER · LOCVS · QVEI · EI · EMPTVS · FVERIT · PVBLICE · VENIET · TANTVNDEM · MODVM · AGRI · LOCEI · DE · EO · AGRO · LOCO · QVEI · AGER · LOCVSQVE...
16 ...SCRIPTVM · EST · ESTO....QVOI · COLONO · EIVE · QVEI · IN COLONEI · NVMERO · SCRIPTVS · EST · AGER · LOCVS · IN · EA · CENTVRIA · SVPCISIVON...
17 ...VS · II · VIR · QVEI · EX · H · L · FACTVS · CREATVSVE · ERIT · REDDITO · QVOI · COLONO · EIVE · QVEI · IN · COLONEI · NVMERO · SCRIPTVS · EST · FVITVE...
18 ...TO · QVOI · EIQVE · ITA · REDDIDERIT · EI · ADSIGNATVM · FVISSE · IVDICATO · QVOI · AGRVM · DE · EO · AGRO · QVEI · IN · AFRICA · EST · QVEI · COLONO · C...
19 ...VS · PROCVRATORVE · EIVS · HEREDIVE QVOIVS · EORVM · DE · EO · AGRO · QVEI · AGER · IN · AFRICA · EST · PRO · EO · AGRO · II · VIR · REDDITO · QVOI · ITA · REDDIDERIT...
20 ...NIAM · POPVLO · EX · EID · MART · QVAE · POSTEA · QVAM · VECTIGALIA · CONSISTENT · QVAE · POST · H · L · R · PRIMVM · CONSISTENT · PRIMAE · ERVNT · IN...
21 ...NE · IN · H · L · S · E · IS · QVEI · PEQVNIAM · POPVLO · DARE · DEBEBIT · EI · QVEI · EO · NOMINE · AB · POPVLO · MERCASSITVR · OB · EAM · REM · PEQVNIAM · EI · NEI...
22 ...QVAE · PRO · AGREIS · LOCEIS · AEDIFICIEIS · QVAI · S · S · S · POPVLO · DEBETVR · DEBEBITVRVE · ALITER · EXSIGATVR · ATQVE · VTEIQVE · IN · H · L · S · EST...
23 ...QVAE · S · S · S · ARB · PR · QVEI · INTER · CEIVES · TVM · ROMAE · IOVS · DEICET · SATIS · SVPSIGNATO · PR · QVEI · INTER · CEIVES · ROMAE · IOVS · DEI...
24 ...T · AGRVM · LOCVM · QVO · PRO · AGRO · LOCO · SATIS · EX · H · L · ARB · PR · SVPSIGNATVM · NON · ERIT · PEQVNIA · PRAESENTI · VENDITO · QVAE...
25 ...EIS · LEIBEREIS · IN · AFRICA · SVNT · QVEI · EORVM · AMEICITIAM · POPVLI · ROMANEI · BELLO · POENICIO · PROXSVMO · MANSERVNT · QVEIVE · A...
26 ...OCVS · PERFVGEIS · DATVS · ADSIGNATVSVE · EST · CEIVIS · ROMANEI · EX · H · L · FACTVM · ERIT · QVO · PRO · AGRO · LOCO · AGER · LOCVS...
27 ...LEGE · LIVIA · FACTEI · CREATEIVE · SVNT · FVERVNTVE · EIS · HOMINIBVS · AGRVM · IN · AFRICA · DEDERVNT · ADSIGNAVERVNT...
28 ...R · E · E · V · II · VIR · QVEI · EX · H · L · FACTVS · CREATVSVE · ERIT · IS · FACITO · IN · DIEBVS · CCC · L · PROXSVMEIS · QVIBVS · H...
29 ...AMPSITANORVM · LEPTITANORVM · AQVILLITANORVM · VSALLITANORVM · TEVDALENSIVM · QVOM · IN · AMEICITIAM · P...
30 ...QVAE · EVM · AGRVM · LOCVM · QVEM · II · VIR · EX · H · L · STIPENDIARIEIS · DEDERIT · ADSIGNAVERIT · QVOD · EIVS · EX · H · L · IN · EO...
31 ...EVM · AGRVM · LOCVM · QVEM · X · VIREI · QVEI · EX · L · LIVIA · FACTEI · CREATEIVE · FVERVNT · VTICENSIBVS · RELIQVEI...
32 ...POSSIDEBIT · FRVETVRVE · PRO · EO · AGRO · LOCO · NEIVE · VECTIGAL · NEIVE · DECVMAS · NEI · SCRIPTVRAM · QVOD · POST...
33 ...M · AGRVM · LOCVM · CEIVIS · ROMANVS · EX · H · L · POSSIDEBIT · DARE · OPORTEBIT · PR · QVOIVS · ARB · PRO · AGRO · LOCO...
34 ...SIT · QVOMINVS · EX · H · L · PRAEDIVM · QVEI · QVOMQVE · VELIT · SVPSIGNET · PEQVNIAMVE · SOLVAT · PRAESQVE · QVE...
35 ...S · AGRI · AEDIFICI · LOCI · VECTIGALIBVSVE · PVBLICEIS · FRVENDEIS · LOCANDEIS · VENDVNDEIS · LEGEM · DEI...
36 ...IN · EO · AGRO · PASCITO · QVAE · VECTIGALIA · IN · AFRICA · PVBLICA · POPVLI · ROMANI · SVNT · QVAE...
37 ...PVBLICA · POPVLI · ROMANI · IN · AFRICA · SVNT · ERVNTVE · VECTIGALIA · FRVENDA · LOCABIT · VENDETVE...
38 ...{QVOD · IN · EIS · AGREIS · PEQVS...CETVR · SCRIPTVRAE · PECORIS · LEGE · DE
39 AGRO · ANTEQVAM · CARTAGO · CAPTA · EST · FVERVNT · EAE...
40 ...NEIVE · REDDITO · NEIVE · ADIVDICATO · QVEI · EAM · REM...
41 ...MODVS · AGRI · DE · EO · AGRO · QVEI · EIS · PVBLICE...
42 ...OE · EVM · AGRVM · LOCVM · POSSESSIONEM...
43 ...EA · RE · IN · IOVS · ADITVM · ERIT...
44 ...DARI · REDDI · ADSIGNARI...
45 ...S · FRVCTVS...

Legem hanc latam esse P. Cornelio Scipione Nasica L. Calpurnio Bestia consulibus a. u. c. 643 demonstravit Rudorffius (p. 43 sq.). Nam quae de Carthagine diruta provinciaque Africa ordinata ibi (v. 77. 81. 89) leguntur quaeque ad duorum Gracchorum rogationes agrarias spectant commemorationes consulum a. 621 L. Calpurnii P. Mucii (v. 1. 4. 13. 27. 28. 29. 33), legum Semproniarum C. Gracchi (v. 6. 22. 82), Rubriae de colonia Carthaginem deducenda (v. 59) ut mittamus, nominantur in lege censores a. 639 L. Caecilius Cn. Domitius (v. 28. 86. 88); Cn. Paperius cos. (v. 89), ubi intellegi consulem a. 641 propterea certum est, quod ad censorum a. 639 locationem quaedam addidit; M. Livius L. Calpurnius consules a. 642 (v. 29); denique consules a. 643 P. Cornelius L. *Calpurnius* (v. 95), nam huic loco qui intulit censorum a. 612 P. Cornelii L. Mummii nomina Kienius (*Bundesgenossenkrieg* p. 125) litteram superstitem postremam incaute neglexit. Lata est igitur lex post a. 642. E contrario censores quos supra posui a. 639 cum ita in lege nominentur, ut ante eam rogatam hos proximos censores fuisse appareat, lata sit necesse est antequam denuo censores crearentur, quod factum esse a. 645 ex tabulis Capitolinis constat. Quae cum ita sint, probabiliter Rudorffius ex verbis legis v. 95, ubi de a. 643 messe vindemiaque futura agitur, hoc ipso anno rogatam legem esse effecit; lataque ita est inter k. Ianuarias aestatemque eius anni, ut tribuni plebis (plebiscitum enim esse dubium non est) eam more suo statim post initum magistratum a. d. IV idus Decembres promulgarint, mox post kalendarias Ianuarias eam perrogarint.—Rogatorum nomina et in tabula perierunt neque aliunde suppleri possunt; nam qui unus ex auctoribus antiquis, qui quidem aetatem tulerint, legem hanc commemorat Appianus, nomen latoris non adscripsit. Sic enim ille in loco de legibus agrariis post Gracchos perlatis primario et fere unico b. c. 1, 27: Καὶ ἡ στάσις ἡ τοῦ δευτέρου Γράκχου ἐς τάδε ἔληγε. νόμος τε οὐ πολὺ ὕστερον ἐκυρώθη, τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε. καὶ εὐθὺς οἱ πλούσιοι παρὰ τῶν πενήτων ἐωνοῦντο, ἢ ταῖσδε ταῖς προφάσεσιν ἐβιάζοντο. καὶ περιῆν ἐς χεῖρον

ἔτι τοῖς πένησι, μέχρι Σπούριος Θόριος (Βόριος codices; emendavit Pighius ann. 3 p. 136) δημαρχῶν ἐσηγήσατο νόμον, τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς. ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία, διὰ τὰς διανομάς· ὄφελος δ' οὐδὲν ἐς πολυπληθίαν. Ἅπαξ δὲ τοῖς σοφίσμασι τοῖσδε τοῦ Γρακχείου νόμου παραλυθέντος, ἀρίστου καὶ ὠφελιμωτάτου, εἰ ἐδύνατο πραχθῆναι, γενομένου, καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος· καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει. ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον ὁμοῦ πολιτῶν τε καὶ στρατιωτῶν, καὶ γῆς προσόδου καὶ διανομῶν, καὶ νομῶν (sic Schweighaeuser; νόμων codices) πεντεκαίδεκα μάλιστα ἔτεσιν ἀπὸ τῆς Γράκχου νομοθεσίας, ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες. Quem locum postquam in alia scriptione (*Berichte der sächs. Gesellschaft, phil. Classe* 2, 89 sq.) data opera enarravi meamque interpretationem cum aliis tum ipsi Rudorffio probavi (*Rechtsgesch.* 1. §. 16), iam graviora et ad hanc legem recte intellegendam necessaria paucis complectar. Tres leges sunt, quas post C. Gracchum a. 633 caesum de agro publico latas esse Appianus tradit. Prima, quae possessoribus Gracchanis ut agrum venderent permisit, alibi non memoratur et a quo quove tempore rogata sit, ignoratur; videtur tamen lata vel ipso a. 633 vel paulo post. Altera lex sola est, cuius rogatorem Appianus nominarit, nec sine causa, haec enim non tantum obrogavit in quibusdam legi Semproniae de agris dividendis adsignandis, sed eam sustulit totam; agitque de eadem lege Cicero etiam duobus locis. Primum de orat. 2, 70, 284 sic scribit: *nihil magis ridetur quam quod est praeter expectationem, cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii maioris illius, qui in senatu, cum ageretur de agris publicis et de lege Thoria et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent: 'non est', inquit, 'Lucilii pecus illud, erratis' — defendere Lucilium videbatur — 'ego liberum puto esse; qua lubet pascitur'.* Appius 'maior ille' videtur esse pater fratrum Appii consulis a. 700 et Publii tribuni pl. a. 696, praetor ipse a. 665, consul 675, mortuus paulo post c. a. 678. Luciliana pascua eadem sunt, quae laudat Varro de re rust. 2, 1, 2: *C. Lucilii Hirri (Hipri codd.) — nobiles pecuariae in Bruttiis habentur,* inque iisdem Hirri Varroniani, ni fallor, pater cognominis, notus tribunus plebi a. 701*) armis se defendit proscriptus (Appian. b. c. 4, 43; cf. Drumann 3, 479, n. 24); Lucilius autem iste ab Appio irrisus non tribunus a. 701, sed pater eius mihi creditur fuisse. Haec igitur res in senatu acta videtur inter a. fere 650 et 670. Maioris momenti alter locus Ciceronis est Brut. 36, 136: *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit.* Ciceronis utrumque testimonium ad eam legem referre, quam secundo loco posuit Appianus, itaque apud hunc pro Borio, quod nomen praeterea inauditum est, Thorium reponere plerique non dubitaverunt; idque eo vel maxime confirmatur, quod de argumento legis Appianus et Cicero plane idem referunt, modo huius verba recte interpretemur. Errant nimirum, qui quae Ciceroni vitiosa lex et inutilis dicitur de ipsa Thoria accipiunt optimatibus admodum exoptata; neque legem de vectigalibus latam Latine dicere possumus legem vectigalem. Imo hoc Cicero dixit Sp. Thorium vectigal agro publico imposuisse eoque imposito a vitiosa et inutili lege Sempronia agrum publicum liberavisse, quod ipsum Appianus refert Thoria lege vectigal pro agris publicis aerario solvi debuisse sublatis divisionibus a Gracchis institutis privatorumque possessiones confirmatis. Quibus positis etiam de Thoriae legis anno decisum est. Nam quod ait Appianus plebem Romanam per annos fere quindecim post leges Sempronias iudiciorum de agro publico eventum expectasse, hoc omnino significat III viros agris dandis adsignandis iudicandis inde ab a. 621, quo eos institutos esse constat, per quindecim annos permansisse, id est sublatos esse eos anno fere 653 vel 636. Nam quod opinatur Huschkius (*osk. Sprachdenkm.* p. 61) III viros agris dandis adsignandis ad Sullam usque durasse, omnino reiciendum est; neque enim ullum eorum vestigium post a. 635 adhuc quisquam indagavit et divisionem tollere, qui dividerent relinquere ineptum est. Sustulit autem eos lex Thoria, quippe quae agros dividi adsignari vetaret eosque possessoribus relinqui iuberet; quare Thoria lex anno c. 635 lata sit necesse est. Neque obstat, quod viginti vel triginta annis post de ea lege in senatu actum est; nam cum ea agri publici in Italia statum in universum stabiliverit et licet in quibusdam ei postea derogaretur, nunquam tamen abrogata sit, mirum non est in pecuariorum criminatione vel Sullana aetate de lege Thoria disputatum esse. Denique haec quam tenemus anni 643 lex agraria a lege Thoria a. 635 vel 636 diversa sit necesse est; quod illius quae supersunt capita plane confirmant, cum de divisione agrorum tollenda vectigalique imponendo ne verbum quidem ullum ibi reperiatur. — Tertia lex agraria ab Appiano breviter indicata ea est, quae vectigal a Sp. Thorio impositum sustulit; quod ipsum cum legis a. 643 vel primarium argumentum sit (v. 19. 20), hanc ab Appiano intellegi vix potest dubitari, quamquam neque annum posuit, sed tantum non multum post a. 635 id factum esse dixit, nec rogatorem nominavit, sed tribunum alium eum appellare satis habuit. Novimus ex huius anni collegio tribunicio duos solos C. Memmium hominem popularem adversariumque eius C. Baebium (Sallust. Iug. 32. 33), quorum quominus hic legem rogarit, nihil impedit. Certe quicunque legem tulerunt, eos cum optimatibus stetisse et argumentum satis declarat et ipse annus, quo adhuc inconcussa stetit Gracchanis caedibus restituta nobilitatis potentia, quamquam mox per ipsum illum C. Memmium populares partes recreari coeperunt. Denique lex haec, quae agri publici in Italia vectigali sublato Africani agri partem venire iubet, partem cum aliis possessoribus confirmat, tum regibus Numidiae 'liberis regis Massinissae' (v. 81), qui factum sit, ut eo ipso anno lata sit, quo Iugurthae bellum indictum est, eam rem in incerto relinquere praestat quam levibus coniectationibus indulgere. Hoc apparet venditionibus agri publici in provinciis ex hac lege institutis rogatores eius damnum resarcire voluisse, quod vectigalibus agri publici in Italia sublatis aerarium subiturum esset.

Legis partes tres sunt, quarum prima est de agro Italico v. 1—44?, altera de Africano v. 45?—96, tertia de Corinthiaco v. 96—105. Eandem de reliquis etiam provinciis egisse Rudorffius suspicatus est; at de duabus tantum provinciis legem cavisse videri propter numerum II virum infra ad v. 52 observavi. — Perdifficilem huius legis enarrationem ita ordinare visum est, ut singulis partibus de generibus agrorum, de quibus ea pars agit, commentarioli anteponerentur, deinde reliqua explicatio una cum variis lectionibus scholiorum loco sequeretur. Antea vero capita legis quamquam inscriptionibus destituuntur, tamen quantum eius fieri potuit breviter indicabuntur.

I. De agro publico p. R. in Italia.

- v. 1. Praescriptio.
- v. 2-7. Qui ager a III viris post a. 621 relictus datus adsignatusve privatus factus sit fiatve;
- v. 8-10. et quo iure privatus sit possideaturque.
- v. 11-13. Ager viasiis vicanis a III viris datus adsignatus eadem qua ante condicione sit, id est iure publicus, usu privatus.

*) Lucilium hunc appellari, non Lucceium hodie constat. Cf. Nipperdey prolog. in Caes. p. 135.

v. 13. 14. Ager post a. 621 ante hanc legem rogatam occupatus agri colendi causa intra XXX iugera neque in loco excepto privatus sit.

v. 14. 15. In agro publico si qui compascendi privilegium habent, pecudes maiores X, minores ... pascant sine scriptura.

v. 15. 16. Ante idus Martias post h. l. rogatam primas colonis Gracchanis possessio confirmetur.

v. 16. 17. Ante eandem diem reliquis hominibus, quibus ager a III viris relictus datus adsignatusve est, possessio confirmetur.

v. 18. Quibus possessio ita confirmanda est, si eam vi clam precario amiserint, ante eandem diem restituantur.

v. 19. 20. Agri, qui ita privatus factus est fitve, vectigal populo ne debeatur.

v. 20-23. Ager pro vetere possessione coloniae deducendae causa possessori adempta eidem redditus privatus sit.

v. 23. 24. Ante idus Martias post h. l. r. primas agri pro vetere possessione adempta ita redditi possessio confirmetur vel amissa restituatur.

v. 24. 25. Praeter agrum ita privatum factum quod publici superest neque publicis usibus servit locarive solet, ne occupetur, sed libere pecuariis permittatur, multa in eum qui contra fecerit constituta.

v. 25. 26. Quot pecudes in eo agro unicuique pascere liceat sine scriptura.

v. 26. In viis callibusve publicis cuivis pascere liceat itineris causa sine scriptura.

v. 26. 27. Ager ex publico in privatum commutatus optima lege privatus sit.

v. 27. Ager ex privato in publicum commutatus publicus sit eodem iure quo qui a. 621 publicus fuit.

v. 27. 28. Ager patritus privatus ubi in publicum datus est, qui pro eo ager redditur privato, pro patrito sit.

v. 28. Viae publicae in suo statu ut maneant.

v. 29. Quod Latinis peregrinisque in agro publico p. R. a. 642 facere licuit neque hac lege civibus interdictum est, item illis deinceps facere liceat.

v. 29. 30. Iudicium de Latino reddatur ita ut redditur de cive Romano.

v. 31. 32. Agri iure populi, usu vel coloniarum municipiorumve vel, ut trientabula, privatorum, eodem quo ante h. l. r. iure sint.

v. 33. 34. Quinam ager a. 621 publicus postea ante h. l. rog. vel ex h. l. privatus factus sit, consules praetoresve ante idus Mart. primas iudicent.

v. 35. 36. De agro publico deinceps consules praetores censores iudicent.

v. 36-39. De ea pecunia, quae propter agrum publicum publicano ex h. l. debebitur, consules proconsules praetores propraetores iudicent: item iudicium quomodo ordinetur, quomodo indicetur iudicatumque solvatur.

v. 40. 41. Qui ut huic legi satisfiat in alias leges contrarias non iuraverit, ei ea res fraudi ne sit.

v. 41. 42. Qui ut huic legi satis fiat aliis legibus non obtemperaverit, ei ea res fraudi ne sit.

v. 43. 44. De colonia Sipontina?

II. De agro publico P. R. in Africa.

v. 45-50. Ager publicus p. R. in Africa exceptis quibusdam partibus pretio vero, vectigali praeterea sed iuris tantum testandi causa imposito, ad certam diem Romae a magistratibus vendatur; item in universum de satis dando pro pretio praedibus praediisque et de pecunia solvenda.

v. 50-52. De eodem agro possidendo?

v. 52-58. Agrum in Africa qui a populo Romano aut coloni habuerunt aut ex hac lege compararunt, eum domini apud II virum ex h. l. factum in Africa profiteantur.

v. 58-61. Iis colonis successoribusve eorum agrum quem iure acceperunt II vir confirmet, ut sit pleno iure privatus.

v. 61-64. Item iis emptoribus successoribusve eorum agrum quem iure emerunt II vir attribuat, ut sit privatus vectigalisque.

v. 65. 66. Si populus duobus eundem agrum vendidit, utri eorum II vir eum agrum non adiudicarit, pro eo tantundem reddat.

4) *ager post a. 621 datus adsignatus a triumviris coloniis civium Romanorum deducendis* (v. 3. 15. 16). Leges Semproniae agrariae licet ad colonias deducendas nequaquam pertinerent, sed ad aliud de quo mox agetur adsignationis genus, tamen post a. 621 coloniae quaedam civium Romanorum in Italia deductae sunt. Nam cum Ti. Gracchus ab huiuscemodi adsignatione omnino abstinuisset, de Gai fratris collegaeque eius in secundo tribunatu a. 632 M. Livii Drusi coloniis haec leguntur apud auctores. Plutarch. C. Gracch. 8: (C. Gracchus tr. pl. II a. u. c. 632) *αὖθις ἑτέροις νόμοις ἀπήρτησε τὸ πλῆθος, ἀποικίας μὲν εἰς Τάραντα καὶ Καπύην πέμπεσθαι γράφων.* c. 9 post alia: *Τὸν μὲν γὰρ* (C. Gracchum) *ἀποικίας δύο γράψαντα καὶ τοὺς χαριεστάτους τῶν πολιτῶν ἐξάγοντα δημοκοπεῖν ᾐτιῶντο* (optimates), *Λιβίῳ δὲ δώδεκα κατοικίζοντι καὶ τρισχιλίους εἰς ἑκάστην ἀποστέλλοντι τῶν ἀπόρων συνελαμβάνοντο.* c. 10 post alia: *καὶ γὰρ* (Drusus) *οἰκιστὰς ἑτέρους ἐξέπεμπε τῶν πόλεων καὶ διοικήσεσι χρημάτων οὐ προσῄει, τοῦ Γαΐου τὰ πλεῖστα καὶ μέγιστα τῶν τοιούτων αὐτῷ προστιθέντος.* App. b. c. 1, 23: (C. Gracchus) *ἀποικίας εἰσηγεῖτο πολλάς* (quarum deinde unam nominat Carthaginem). Post alia: *ἔδωκαν δ' αὐτῷ* (patres M. Druso) *καὶ φιλανθρωπεύσασθαι τὸν δῆμον δώδεκα ἀποικίαις· ᾧ δὴ καὶ μάλιστα ὁ δῆμος ἡσθεὶς τῶν Γράκχου νόμων κατεφρόνησεν.* Liv. ep. 60: (C. Gracchus) *continuato in alterum annum tribunatu legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis, quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit.* Vell. 2, 2 quod Ti. Gracchum creasse ait *triumviros agris dividendis coloniisque deducendis,* non accurate locutus est, recte vero in coloniarum recensu 1, 15 sic refert: *post annum* (id est anno 631) *Scylacium Minervium, Tarentum Neptunia.* De duabus igitur coloniis a. 632 (a quo anno Velleius ut solet aberravit solus) C. Gracchus populum rogavit Capuam et Tarentum, de duodecim M. Drusus; neque tamen nisi duas Tarentum Scylaciumque tum deductas esse Velleianus coloniarum elenchus perdocet. Campanam igitur mox sublatam esse a factione optimatium sequitur idque ipsa hac lege confirmatur; clausula enim legis Semproniae agrariae, qua ab assignatione quaedam agri publici portiones excipiebantur et maxime ager Campanus (v. infra II, 6), in hac lege cum alibi repetita tum ad ipsas has coloniarias adsignationes adiuncta aperte pertinet ad Capuam coloniam tollendam. Tarentina colonia quamquam relicta est, tamen mansit praeterea urbs Graeca (cf. Cic. pro Arch. 3, 5; Plin. h. n. 3, 11, 92; Zumpt comm. epigraph. 1, 392), quod ipsum contra Gracchi mentem ab adversariis eius ad coloniam illam imminuendam factum videtur esse. Minervia colonia ex Liviis quin fuerit nihil obstat; Liviae reliquae quomodo factum sit ne deducerentur ignoramus, non esse deductas constat ex Velleii silentio itemque inde apparet inter a. 621 et 643 alias colonias praeterea deductas esse in Italia nullas. — Iam ad has colonias pertinere mihi quidem certum est quae in lege sunt v. 3. 15. 16 *III virum a(gris) d(andis) a(dsignandis) ex lege plebeive sc(ito) sortito ceivi Romano dedisse adsignavisse.* Nam ab assignatione III virum Gracchanorum formula comprehensa *quod eius III vir dedit adsignavit* (v. 5) cum datio haec differat et sortitione et eo quod ex lege fit, utrumque hoc in coloniariam assignationem convenit; colonia enim deduci non potuit nisi lege de ea re ad populum lata (Marquardt *Handb.* 3, 1, 312) neque umquam colonis ager divisus est nisi sortito (Rudorff *Feldm.* 2, 366 sq.). Contra est in adsignatione vulgari; nam III virum

magistratus ordinarius lege quidem constitutus est ut debuit, neque tamen deinde de singulis adsignationibus II viri ad populum ferebant; item sortito agrum eos dedisse neque traditur neque facile admittetur. Civium fuisse colonias et Sempronias et Livias praeterea constat (cf. Madvigii opusc. 1, 290) omninoque post conditam Aquileiam Latina amplius nulla deducta est (cf. hist. meae Rom. 1, 392). Denique colonias in Italia legibus Semproniis Liviisque decretas qui deduxerint alibi non traditur, deduxisse ipsos III viros agrarios lex haec ostendit. — Privatum pleno iure fuisse quicquid III viri sic colonis adsignavissent, dubitari non potest neque de hoc agro hac lege novum aliquid ius stabilitur, sed confirmatur quod fuit; videturque omnino hoc caput maxime eius causa perscriptum esse, quod ad Capuam coloniam aliasque similes tollendas tacite pertinere videretur.

5) *ager post a.* 621 *a triumviris agris dandis adsignandis datus adsignatus* (v. 5). — Datio adsignatio legum agrariarum Semproniarum (nam Gaium fratrem in summa re nihil innovasse, sed legem quam et frater eius tulerat agrariam rettulisse firmat Livius ep. 60) qualis fuerit et quid inter eam et solitam coloniariam interfuerit cum supra iam tetigerimus, hoc loco paullo plenius explicandum est. — Primum ager ita datus adsignatus non factus est pleno iure privatus, sed ea condicione fuit, quam in parte huius legis Africana *agri privati vectigalisque* nomine significari postea videbimus, id est iure populi fuit, sed usu privatus tamdiu, quamdiu vectigal inde recte solveretur, et quamquam cum reliqua hereditate transferebatur, tamen vendi non potuit. Plut. C. Gracch. 9: (C. Gracchus) *χώραν διένειμε τοῖς πένησι προστάξας ἑκάστῳ τελεῖν ἀποφορὰν εἰς τὸ δημόσιον, Λίβιος δὲ — τὴν ἀποφορὰν ταύτην τῶν νεμομένων* (ἀφεῖλεν); Appianus b. c. 1, 27: *νόμος τε οὐ πολὺ ὕστερον* (post C. Gracchum interfectum a. u. 633) *ἐκυρώθη τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε.* Item Sp. Thorium vectigali agro publico imposito effecisse, ut desineret dari adsignari, hac ipsa autem a. 643 lege vectigal illud rursus sublatum esse supra (p. 77) exposuimus. — Deinde ita divisisse agrum publicum III viros Gracchanos, ut qui sortes accepissent non separatim in coloniae formam redigerentur, sed cum coloniarum municipiorumque reliquisque praeterea civium Romanorum communibus contribuerentur, ipsa res declarat; nam cum de coloniis neque Ti. Gracchus neque primo tribunatu, in quo legem agrariam fratris rettulit, Gaius populum rogarit, quid praeterea restat nisi quod posuimus quodque disertis verbis proponit Siculus Flaccus (p. 136 Lachm.) voluisse Gracchum *colonos dare municipiis ad supplendum civium numerum*? — Denique cum in adsignatione coloniaria certo numero civium ad id ipsum electorum ager detur adsignetur, in hac, quae ex legibus proprie agrariis pendet, ager dividitur viritim, id est cives numero non finito suam quisque partem agri capti accipiunt. Qua de re latius explicandum videtur esse; cum enim inde rei agrariae apud Romanos certa notitia vel maxime pendeat, hodie res est fere ignota, neque recte intellegetur nisi testimoniis de hac dividendi ratione ita coniunctis, ut lucem sibi invicem afferant. Sunt autem haec. — Festus ep. p. 373: *Viritanus ager dicitur, qui viritim populo distribuitur.* Sicul. Flacc. p. 154 Lachm.: *Dividuntur agri limitibus institutis per centurias, adsignantur viritim nominibus* (cf. lib. col. p. 238, 5. 18. 239, 2. 6. 12, ubi ager *in nominibus villarum et possessorum* vel simpliciter *in nominibus adsignatus* dicitur; contra apud Frontin. p. 54, 19 *hominibus* videtur retinendum). Varro de r. r. 1, 10: *Quattuor centuriae coniunctae, ut sint in utramque partem binae, appellantur in agris divisis viritim publice saltus* (cf. *territoria in saltibus adsignata* lib. col. p. 211, 4). Non recte igitur Rudorffio (*Feldm.* 2, 362. 363; cf. p. 351 n. 303 et Schwegleri hist. R. 2, 416 n. 5) visus est is ager viritim divisus esse, qui peditibus tribuatur in coloniaria assignatione. Imo ex illis locis, qui soli fere de agro viritano in universum agunt, duo apparent eius propria et inter se naturali ratione coniuncta: viritanum agrum esse eum, qui populo, id est aut omnibus pro portione civibus distribuatur aut certe quantum fieri potest plerisque numero non lege finito, sed rei natura et agri modo, eumque propterea opponi coloniario (quo pertinere agrum limitibus institutis per centurias divisum nemo ignorat); suam denique cum habere saltus mensuram. Potuit quidem ager colonis sorte attributus dici viritim inter colonos distributus itaque Frontonem certe locutum esse infra (p. 96) videbimus hoc dico ubicunque adsignationem viritim factam propria et consueta significatione scriptores ponunt, ibi intellegi agrum distributum esse aequaliter inter cives. Quod confirmabitur exemplis adsignationis viritanae apud scriptores relatis, quae subiunxi.

a. Adsignatio prima, ante quam ager privatus censebatur fuisse nullus, modo Romulo modo Numae modo Ser. Tullio tributa, quae ad omnes cives pertinuerit necesse est, facta dicitur viritim. Cic. de rep. 2, 14, 26: *(Numa) agros quos bello Romulus ceperat divisit viritim civibus.* Varro de r. r. 1, 10: *Bina iugera, quot a Romulo primum divisa dicebantur viritim, . . . heredium appellarunt.* Idem de vita p. R. l. 1 (apud Nonium v. viritim p. 43): *et extra urbem in regiones XXVI agros viritim liberis attribuit.* Contra Livius (1, 46), qui has assignationes priorum regum ignorat, Ser. Tullium ait *conciliata prius voluntate plebis agro capto ex hostibus viritim diviso* ad populum de regno tulisse. — Praeterea de his adsignationibus regiis conferenda sunt quae congessit diligentissimus Schweglerus (hist. Rom. 2, 456, n. 1).

b. Lege Cassia a. u. c. 268, quae prima agraria est (Liv. 2, 41), rogabatur *τὴν δημοσίαν γῆν κατ' ἄνδρα διανεμηθῆναι* (Dionys. 8, 72. 73).

c. Lege Maecilia a. u. c. 336 cautum est, *ut ager ex hostibus captus viritim divideretur* (Liv. 4, 48). Eiusdem rei diversa et corrupta relatio legitur ibidem c. 47: *senatus censuit coloniam Labicos deducendam; coloni ab urbe mille et quingenti missi bina iugera acceperant.* Quam coloniam, utpote neque civium maritimam neque, cum intra Latium condita sit, Latinam, nullam fuisse olim ostendi (hist. Rom. 1, 173. 321); iam apparet coloniariam adsignationem hic male confundi cum viritana, cui et pro re ingens hominum numerus et mensurae modus exiguus soli conveniunt.

d. Ad a. 359 Liv. 5, 24: *Coloniam in Volscos, quo tria milia civium Romanorum scriberentur, deducendam censuerant triumvirique ad id creati terna iugera et septunces viritim diviserant.* Hoc unico loco viritana adsignatio memoratur in colonia deducenda, sed nata ea ut Labicana ex solo Livii errore, quem praeterea arguit et mira nominis omissio et colonorum pro hac aetate numerus nimius et coniuncta cum hac adsignatio Veientana a. 361 septenorum iugerum ita facta, ut non patrum familiae tantum, sed omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur (Liv. 5, 30). Quam viritanam fuisse et per se patet et diserte testatur Diodorus 14, 102: *Ῥωμαῖοι τὴν τῶν Οὐηΐων χώραν κατεκληρούχησαν, κατ' ἄνδρα δόντες πλέθρα τέτταρα, ὡς δέ τινες, εἴκοσιν ὀκτώ.*

e. Colum. 1 praef. 14: *C. Fabricius et Curius Dentatus alter Pyrrho finibus Italiae pulso, domitis alter Sabinis accepta quae viritim dividebantur captivi agri septem iugera (coluerunt).* Victor vir. ill. 33: (M' Curius) *quaterna dena agri iugera viritim populo divisit.* Cf. Schwegler hist. Rom. 2, 418. De modo adsignationum illarum quamquam inter auctores non satis convenit, hoc constat illarum causa colonias deductas esse nullas.

f. C. Flaminius tr. pl. u. c. 522 *legem de agro Gallico et Piceno*

viritim dividendo tulit (Cic. Brut. 14, 57; Cato mai. 4, 11; Val. Max. 5, 4, 5). Cato apud Varr. de r. r. 1, 2, 7: *ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est ultra agrum Picentium.* Qua de lege notissima idem certum est.

g. Ad a. 581 Liv. 42, 4 (cf. 41, 16): *Cum agri Ligustini et Gallici quod bello captum erat aliquantum vacaret, senatus consultum factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem creavit A. Atilius praetor urbanus .... Diviserunt dena iugera in singulos, sociis nominis Latini terna.*

Quibus exemplis, ubi viritim divisi agri diserta mentio fit*), alia addi possunt eiusdem generis, ut certissimum adsignationis post victos Latinos factae a. 416 Liv. 8, 11: *Latinus ager Privernati addito agro et Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanae dividitur. Bina in Latino iugera ita, ut dodrantem ex Privernati complerent, data; terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adiectis.* Denique confusio illa inter coloniarium viritanumque agrum, cuius Livium duobus locis convicimus supra, fortasse latius etiam serpsit; certe quae apud eum 6, 16 de colonia Satricum deducta narrantur et aliis nominibus suspecta sunt (v. librum meum de re mon. Rom. p. 313) et propter duorum milium colonorum numerum iusto maiorem mensuramque binorum iugerum et semissium iusta minorem ad locos supra examinatos proxime accedunt. Hoc satis apparet viritanam adsignationem a coloniaria eo diversam fuisse, quod in hac certo numero hominum ager dabatur, in illa aut omnibus civibus aut certe tot hominibus, quot agri mensura mox instituenda admissura esset. Neque errabit opinor qui ad viritanam item adsignationem referet, si quando solis certae condicionis civibus nec novae coloniae colonis agri dantur, quod a. 553 de agro Samniti Apuloque veteranorum belli Hannibalici causa senatus decrevit (Liv. 31, 4. 49. 32, 1). Quomodo ager viritanus datus sit, ignoratur, nisi quod *in nominibus* eum adsignari vidimus nec de singulis portionibus omnium civium nomina in sortem coniecta esse consentaneum est; videntur potius qui agro dividendo praeerant saltibus dimensis edixisse, quot iugera, initio fere bina, deinde plerumque septena, cuivis civi destinarentur, deinde qui eum agrum accipere vellent nomina apud eos dedisse eoque ordine in agrum immissi esse nomine in formula agraria ad suam cuiusque portionem adscripto. — Iam ut redeamus ad leges Sempronias agrarias, quibus hominibus quaque ratione ex iis agri dandi essent nusquam quidem traditur; at id ipsum non obscure indicat adsignationem fuisse viritanam et ad omnes inde cives portionem aliquam agri publici pervenire debuisse. Quod ipsum quodammodo voluerat lex Licinia, nam cum agri publici possessores singulos intra certum modum cohiberet, si ad effectum lex perducta esset, ad agri publici communicationem alii deinceps aliique modoque sufficiente tandem aliquando omnes cives pervenissent. Denique legum omnium vere agrariarum hoc supra vidimus proprium fuisse, ut de agris viritim dandis adsignandis agerent, quamquam in eo differunt, quod Cassia lex aliaeque similes agrum ex publico in privatum mutabant, contra Licinia Semproniaeque usum tantum possessoribus concedebant cum vectigalis solutione coniunctum. Quam ob rem si ad viritanam non sorte, sed in nominibus factam adsignationem hanc legum Semproniarum agrariarum recte rettulimus, iam amplius non mirabimur tres viros agrarios Gracchanos fuisse annuos; nam creatus ad hoc magistratus, ut quicquid agri Italici praeter exceptas aliquas portiones populi Romani esset futurumve esset, id utendum adsignaret civibus eis, qui ex agro publico aut nihil aut minimum haberent, perpetua causa nequaquam destituebatur. Quo ordine III viri adsignarint, ignoramus, nisi quod veteri possessori ex agro publico eos nihil praeterea dedisse res ipsa docet; potuerunt aut agrum publicum omnem, excepto agro veteribus possessoribus relinquendo, inter cives omnes praeter veteres possessores, quibus iam satisfactum esset, aequaliter dividere aut, quod probabilius est, vacuefactas forte portiones agri publici iis, qui vel legis privilegio antecederent vel primi venissent, ita distribuere, ut ab alia civium parte ad aliam progrederentur. Hoc solum ex legis capite de occupatione post legem Semproniam rogatam facta (v. 13. 14) probabiliter efficitur III viros nulli civi plus XXX iugera attribuisse; unde omnibus tantum agri eos dedisse vel potius dare voluisse nequaquam sequitur. — In ipsa hac lege agraria cum Gracchanam adsignationem coloniariam in v. 3 deprehenderimus, ad alteram viritanam recte referemus quae leguntur v. sequente de agro loco publico in terra Italia, qui extra urbem Romam est (cf. p. 91), qui in urbe oppido vico est, quem III vir dedit adsignavit. Clausulam hanc Rudorffius Huschkiusque ad aedificia rettulerunt neque tamen qui factum sit, ut aedificium scriptor legis hoc loco non memorarit, cum tamen ubi lex generaliter loquitur v. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12 id posuerit, denique cur aedificiaria haec a reliqua adsignatione mirifico sane discrimine secernatur explanaverunt; contra ubi haec accipimus de agro adsignato extra urbem Romam intra territoria, existit inde ipsa viritana adsignatio Gracchana, cuius hoc proprium fuit, quod ager publicus ita adsignatus aliquo urbano vel certe vicano territorio comprehenderetur possessoresque tanquam novi municipes oppidanive vicanive eo contribuerentur. — Hunc agrum ante hanc legem publicum fuisse et ea demum privatum effici vectigalique liberari ex supra dictis sequitur.

6 *ager publicus neque excepto solo neque veteribus possessionibus comprehensus post a. 621 agri colendi causa intra iugera XXX occupatus* (v. 13. 14). — Occupationem agri publici quoniam lex in futurum tollit (v. 24. 25), male hunc locum ad futuram occupationem rettulit Rudorffius (p. 57), cum pertineat ad praeteritam neque tamen omnem; nam vetere possessore hunc ordine et iure inferiorem esse ex iis quae in lege supersunt apparet. Quare quin agatur de iis, qui intra a. 621 et 643 agrum publicum occuparint, dubium esse non potest. Aratoribus solis occupationem agri permissam esse eumque qui non arandi causa in agrum publicum venisset nunquam eum occupavisse visum notum est. De ratione quae intercedit inter hoc legis caput et Semproniam legem supra iam dictum est; non licuisse ex Sempronia agrum publicum occupare (qua de re olim erravi) sequitur ex hoc loco et v. 2 inter se collatis, videtur tamen occupatio horum novorum possessorum quodammodo in viritanae III virum Gracchanorum adsignationis vicem subiisse, ut ita qui occupassent agrum non maiorem, quam quantum III viri adsignare solebant, non solum in possessione retinerentur, sed agrum item habere inciperent iure privato. A quattuor praecedentibus causa haec propterea separatur, quod illae solae ad divisionem adsignationem relictionem III virum Gracchanorum pertinent.

7. *Ager, quem ex hac a. 643 lege venire dari reddire oportebit* (v. 12 cf. v. 32), qui fuerit ignoratur, nisi quod de colonia Sipontina haec intellegenda esse conieceris (cf. ad v. 43).

Ad Latinos quod attinet, qui civitatem non haberent, haberent commercium, uno legis capite, quod est de adsignatione colo-

*) Columellae locum 1, 3, 10: *post reges exactos Liciniana illa septem iugera, quae plebi tribunus viritim diviserat* non attuli, quoniam eum fluxisse mihi constat ex loco aut tum iam a librariis corrupto aut perverse scripto et a Columella propterea non satis intellecto Varronis de r. r. 1, 2, 9, ubi agitur de C. Licinio Crasso tr. pl. a. u. c. 609.

niaria (v. 3. 15), ipsis legis verbis *(ceivi Romano)* excluduntur. Contra ubi agitur de agro publico reddito pro privato adempto, de possessionibus veterum possessorum, de adsignatione viritana, de agris occupatis, in iis certe quae supersunt fragmentis vestigium nullum est, quod ad eos arcendos ducat; item caput separatum de agro publico pro vetere possessione adempta reddito pertinet cum ad civem Romanum tum ad socios nominisve Latini, quibus ex formula togatorum milites imperentur (v. 21). Praeterea quae in universum de agro caventur censui censendo et in commercio eum esse debere neque vectigal inde solutum iri, in Latinorum agros privatos non minus quam in agros civium Romanorum conveniunt. Nam ad censum quod attinet, de quo fortasse erunt qui dubitent, non solum quem agrum in civium Romanorum colonia aliove quo eius generis territorio situm Latinus compararat, nihilo minus is ager Romae censebatur tributumque inde populo Romano a Latino domino persolvebatur, sed etiam de Latini iuris oppidis Romae census agi poterat (Liv. 29, 15). Unde recte Festus (ep. p. 58) *censui censendo*, inquit, *agri proprie appellantur, qui et emi et venire iure civili possunt.* Denique ager hac lege privatus esse iubetur (v. 14. 23), non privatus ex iure Quiritium, licet in neutram partem hoc multum valeat. Coloniae igitur huius aetatis et praesertim Gracchanae Liviaeque quin civium fuerint, et lex haec dubitare non sinit neque ante eam restitutam peritiores de ea re dubitaverunt; contra ut in adsignatione agri Ligustini et Gallici a. 582 cives dena iugera, socii nominis Latini terna acceperunt, ita in Gracchana etiam in partem socios vocatos esse lex nisi comprobat, tamen commendat. Neque quod opulenti Latini inter legum Semproniarum praecipuos adversarios referuntur (App. b. c. 1, 36) quicquam in contrarium probat. Nam primum leges illae cum pauperioribus sive civibus sive Latinis agros locupletibus ereptos tribuerent, universam divitum factionem contra eam constitisse consentaneum est. Praeterea etsi Latinis etiam agri adsignabantur, multo ii minorem modum acceperunt quam cives. Denique non sine causa Latini veteres possessores magis etiam sibi videntur timuisse quam Romani. Nam veteri possessori cum relinqueretur quod intra modum possedisset ex iusta causa, id est ex edicto, quo ad possessionem vacuam occupandam magistratus quem vellet invitabat, fieri potuit, ut agrum, in quem cives Romani vocati essent, viciniores Latini contra edictum sibi sumpsissent, itaque cum ne iudicio triumvirum totum perderent non sine causa timerent.

II. *Ager publicus populi Romani* ex hac lege est

1 *ager coloniis municipiisve fruendus datus* (v. 31. 32), qui ex hac lege eodem iure iubetur esse, quo ante fuit. Ager concedi potuit aut Latinorum communibus, de quibus in lege cautum fuisse ex reliquiis constat, aut civium Romanorum oppidis, quae supplementis nituntur, probabilitate tamen iis commendatis. Ad Latinos quod attinet, comparari poterunt quae apud Ciceronem (de l. agr. 1, 4, 10. 2, 22, 58) leguntur de agris publicis populi Romani in Africa, de quibus regibus Numidiae foedere aut cautum fuit aut debuit esse; nam simili plane ratione in foederibus multis inter Romanos civitatesque Italicas ictis de aliqua parte agri publici populi Romani fruenda cautum fuisse verisimile est. Civium coloniis municipiisque qui ager publicus p. R. fruendus dabatur, ex eo genere maxime videtur fuisse, quod apud gromaticos dicitur subsicivorum, item relictorum rei publicae concessorum. Sicul. Flacc. p. 162: *Auctores divisionis adsignationis aliquando subseciva rebus publicis coloniarum concesserunt ..... quae quidam sibi donata vendiderunt, aliqui vectigalibus proximis adscripserunt, alii per singula lustra locare soliti per mancipes reditus percipiunt, alii in plures annos* (cf. p. 117, 21 sq.; Rudorff *Feldm.* 2, 392. 394). Nisi quod huius agri usum solum rebus publicis concedi, ius penes populum Romanorum remanere auctores illi etsi non negant, certe non dicunt. Quod si ager ille publicus fuit, vectigal inde nisi verum, tamen ut in trientabulis, quibuscum coniungitur, assium singulorum pro singulis iugeribus populo Romano solutum sit necesse est; neque enim aliter publici agri usus videtur alienari potuisse nisi vectigali publico imposito. — Ex lege apparet agros illos aut lege aut senatus consulto *(poplice deve senati sententia*, v. 31) communibus concessos esse; adimi iisdem eos potuisse ex iuris forma sequitur concessione in contrarium acta, id est senatus consulto data senatus consulto alio, lege permissa lege de ea re in contrarium lata, foedere denique stabilita non nisi consentientibus populis qui fecissent duobus.

2 *ager in trientabulis fruendus datus* (v. 31). Cum bello Hannibalico a. 544 privati populo pecuniam mutuam dedissent (Liv. 26, 36), prima pensio a. 550 (Liv. 29, 16), tertia a. 558 aere soluta est (Liv. 33, 42; Fest. v. tributorum p. 364); at pro secunda pensione cum pecunia deficeret, a. 554 agri publici, qui intra quinquagesimum ab urbe lapidem essent, aestimati a consulibus ita creditoribus dati sunt, ut *in iugera asses vectigal testandi causa publicum agrum esse* imponerentur; *trientabulumque is ager, quia pro tertia parte pecuniae datus erat, appellatus* (Liv. 31, 13). De quibus agris quamquam cautum erat *ut si quis cum solvere posset populus pecuniam habere quam agrum mallet, restitueret agrum populo* (Liv. l. c.), tamen eos cum populus ex lege contractus petere non posset, creditores vero agros quam pecuniam habere mallent, apud hos remansisse apparet. Hoc addo trientabulum non a triente tabulisque derivandum esse, sed simpliciter a trientando, ut a stando stabulum fit, a patiendo patibulum, a venando venabulum similiaque permulta verba non ita vetusta omnia. Trientabulorum illorum condicio plane ut agrorum municipiis concessorum ex hac lege ea iubetur esse quae ante fuit.

3 *ager publicus a III viris Gracchanis viasiis vicanis ita datus adsignatus, ut viarum cura possessoribus his quasi vectigalis loco iniungeretur* (v. 11. 12. 13). Qui ager item eodem quo fuit iure esse iubetur, id est ut heredem sequatur et recte vendi possit, publicus tamen maneat solusque ex universa Gracchana adsignatione non commutetur in agrum privatum. Quam ob causam factum est, ut primo capiti legis, ubi agitur de agris a III viris divisis adsignatis iam privatis effectis, exceptum hoc agrorum genus illico subiungatur. *Viasii vicani*, qui hoc solo loco reperiuntur, videntur fuisse, quibus ager publicus iuxta viam publicam attribuebatur ita, ut tamdiu ipsi heredesve eorum haberent, quamdiu via recte muniretur. Quare aut operae pro vectigali erant, quo pertinet Catonis illud (de r. r. 2) per ferias familia utendum esse ad viam publicam muniendam, aut certa summa vectigalis nomine a possessoribus viariis exigebatur, ex qua via muniretur, quo rettulerim titulum Nucerinum (C. I. N. 6280; *Bull. dell' Inst.* 1847 p. 175) de via restituta *reddito ordinario vectigali tutelae eius* aliumque Appiae viae (C. I. N. 6287), quo teste imperator Hadrianus eam refecit pecunia de suo adiecta *ad HS. $\overline{DLXIX}$ C, quae possessores agrorum contulerunt.* Eam adsignationem factam esse non lege lata, sed senatus consulto, haec lex ostendit habetque id rationem; pertinet enim ad agrum publicum utendum magis quam alienandum. Antiquissimam eam esse et *viasiorum* forma vetustissima indicat et Catonis locus supra citatus et maxime tot illa fora Appii, Claudii, Flaminii, Iulii, Popilii, Sempronii, aliorum, quae quamquam postea ad municipii ius pleraque ascenderunt, tamen origine viasiorum vicos fuisse apparet. At de viariorum possessionibus ante a. 621 datis cum causa nulla esset cur verba fierent in hac lege, extra

quam fuisse vidimus, quicquid ante eum annum de agro publico rogatum decretumve est, contra cum C. Gracchus viarum per totam Italiam munitor acerrimus (Appian. b. c. 1, 23; Plut. C. Gracch. 7) collegaeque eius eiusmodi agros sine dubio permultos attribuissent, alios complures inter reliquas adsignationes causa probata possessoribus denuo confirmassent, essetque omnino viarum publicarum munitio cum adsignatione agraria artissime coniuncta (Cic. ad fam. 8, 6, 5), omnino necessarium erat statuere de agris viariorum factis adsignatione Gracchana.

4. *Ager compascuus* (v. 14 cf. 25. 26), de quo rectius quam fecit Rudorffius fecique ego olim, Huschkius (p. 590) indicavit, is est, in quibus non qui velit, sed certi tantum homines, plerumque praediorum quorundam vicinorum domini, ius pascendi habeant. Frontin. de controv. p. 15 Lachm.: *Est et pascuorum proprietas pertinens ad fundos, sed in commune; propter quod ea compascua multis locis in Italia communia appellantur, quibusdam provinciis populi Romani indivisa* (sic enim legendum est). Scaevola Dig. 8, 5, 20, 1: *Plures ex municipibus, qui diversa praedia possidebant, saltum communem, ut ius compascendi haberent, mercati sunt idque etiam a successoribus eorum est observatum; sed nonnulli ex his qui hoc ius habebant praedia sua illa propria venum dederunt; quaero an in venditione etiam ius illud secutum sit praedia, cum eius voluntatis venditores fuerint, ut et hoc alienarent. Respondit id observandum, quod actum inter contrahentes sit; sed si voluntas contrahentium manifesta non sit, et hoc ius ad emptores transire.* Cf. S. C. de Genuat. v. 32. 35 ibique adnotata, item Sicul. p. 157, 9 et Hygin. p. 116, 25 sq. 201. 202 Lachm. Ceterum ager compascuus cuius sit iure dominii, nihil interest; potest esse privatus eorum ipsorum, qui pascendi ius habent, ut eo casu, de quo Scaevola respondit; potest esse coloniae municipiive; potest denique populi Romani esse, ut est hic de quo agitur ager ita publicus, ut certis hominibus eorumque heredibus emptoribusve solis in eo pascere liceat scriptura tamen populo pro pastione ea solvenda. De quo vectigali ita in lege videtur caveri, ut quot pecudes in eo agro, ubi pascit qui vult, immunes sine scriptura cuivis pascere licet, tot quibus ius compascendi est in compascuum agrum immunes inducere liceat, pro reliquis solitam scripturam populo soluturis. Immunes pascuntur pecudes maiores, id est boves equi muli asini, ad denas; pecudum minorum numerus periit, quem tamen non sine probabilitate quinquagenarium fuisse Rudorffius (p. 67) coniecit, eo quod Licinia lege pecudes maiores centenae, minores quingenae sine scriptura pascebantur (App. b. c. 1, 8). Compascuus ager recte cum viariorum componitur, nam iure populi est, usu privatus, neque nihil inde populo redit.

5. *Viae publicae* in suo statu ut maneant, lege cavetur (v. 28).

6. Ager publicus lege Sempronia agraria exceptus ne divideretur quamquam ipsa ea lege extra IIIviralem adsignationem positus fuit, tamen scriptori legis necessarium visum est exceptionem illam ad singula IIIviralis adsignationis genera (v. 1. 4. 6. 13. 22) referre et peraeque eam confirmare. Quod cum ipsis accurati sermonis legibus requiritur, ne regula sine sua exceptione ponatur, tum maxime eo consilio factum videri, ut lex Sempronia de colonia Capuam deducenda, qua agrariae illi derogatum est, rursus tacite tolleretur, supra iam observavimus. Ceterum quo spectent illae exceptiones, ex ipsa lege non apparet; aliunde notum est Gracchos excepisse praesertim agrum Campanum. Cicero (de lege agr. 2, 29, 81): *nec duo Gracchi,* inquit, *... nec L. Sulla ... agrum Campanum attingere ausus est;* similisque exceptio in legem Flaviam agrariam a. 694 ut insereretur Cicero suasit (ad Att. 1, 19, 4): *liberabam* (nimirum a divisione) *agrum eum, qui P. Mucio L. Calpurnio cos. publicus fuisset.* Praeterea de quo exceperint Gracchi, ignoratur; loca enim publica et sacra in urbe Roma, quae post restitutam tribuniciam potestatem attigisse neminem Cicero (de l. agr. 2, 14. 36) scribit, non tam hac legis Semproniae exceptione crediderim tuta fuisse, quam verbis v. 5 sine dubio item ex eadem lege Sempronia repetitis *quod eius extra urbem Romam est* (cf. Huschke p. 588). Omnino quod ager Campanus ita exceptus est, factum est ea propter, quod locari solebat certumque inde annuum vectigal aerario redibat neque eum eo alios agros nisi ob similem causam exceptos esse crediderim. — Quod ex lege C. Gracchi in hac rogatione repetitur exceptio haec, recte fit, quoniam recentior quaeque lex antiquiorem vincit; re tamen proficisci eam ex lege Ti. fratris dubium non est, cum Gaium eandem quam et frater tulerat legem agrariam tulisse auctores tradant (Liv. ep. 60).

7. Denique quod praeterea ex agro publico superest quodque maxima ex parte ex eo agri genere videtur fuisse, in quo falx et aratrum ire non posset, occupatione denuo vetita pecuariis publicanisque permittitur, ut ibi pascat qui velit, qui supra certum numerum eundem, quem supra in compascuo agro invenimus, pascat, scripturam per publicanum populo solvat (v. 24. 25. 26), denique in callibus viisve publicis quivis libere pascat neve quid cui pro eo pastu debeat (v. 26).

Latinis peregrinisve quod anno ante hanc legem rogatam proximo 642 ex lege foedereve in agro publico populi Romani facere licuit, ius ita servatur, si idem haec lex civi Romano facere permisit (v. 29). Id est leges foederave, quae legis rogandae tempore vigerent, ita confirmantur, ut si quid illis permissum est, quod haec lex civi Romano interdixit, idem Latino quoque interdicatur, contra si quid lex haec civi Romano dedit illis foederibus eorumve quibusdam non comprehensum, hoc ius minime cum Latinis communicetur.

I. Forma orationis haec est, ut in protasi agri a III viris relicti divisi adsignati genera quattuor deinceps enumerentur (v. 1—5), tum omnia simul colligantur (v. 6. 7), denique in apodosi v. 7—10 privati iuris esse iubeantur, praeterea summa exceptio et quasi ipsi rei inhaerens eius agri, quem ipse C. Gracchus dividi vetuerat, formula *extra eum agrum, qui* cet. comprehensa praescriptionis loco antecedat, reliquae vero exceptiones formulis *quod non siet, quod non in eo agro est,* cet. comprehensae postpositae subsequantur. Quem sententiarum ordinem perspexit Rudorffius, cuius pleraque supplementa retinui. — Post SCIVIT spatium nullum in aere est.

II. Hunc locum collato fere gemino v. 13 Rudorffius supplevit idemque de vetere possessore haec accipienda esse recte monuit. Eum tamen qui *pro vetere possessore* dicitur ab hoc loco abesse malui, cum item in gemino illo non inveniatur. — *b* 2 in. AGRVM priores nec quicquam ego notavi; GRVM tabula.

III. *b* 3 post QVO ante EIQVE punctum a Bluhmio positum in aere quaerens non deprehendi; tabula tamen habet. — extr. QVOD · VLTR ex aere excepi, QVOD · VLT tabula cum prioribus. Quare quod Rudorffius emendare et supplere ausus est QVEM · VETUS *possessor prove vetere possessore sibei sumpsit reliquitve* prorsus concidit, neque id praeterea recte excogitatum est; nam veteris possessoris ager omnino colono dari potuit alio pro eo commutato. Quemnam in agrum coloni Gracchani hoc loco deduci vetentur, non

assequor, quamquam vel idem vel similis ager videtur fuisse v. 21 commemoratus *quei trans Curione est*. Num fortasse verba spectaverunt ad urbem Graecam Tarentum a colonia iuxta stabilita defendendam (v. p. 87)?

IV. . . . . . . *dditus est* quo pertinuerit, hodie certa ratione stabiliri non potest. Quem Rudorffius (p. 53) huic loco intulit agrum veteri possessori contra ius ademptum, deinde a III viris causa denuo cognita redditum, equidem expuli; nam eiusmodi ager omnino ad primum genus pertinet veteribus possessoribus relictorum et confirmatorum. Quod posui, repetitur quidem quodammodo v. 27, videtur tamen hoc quoque loco ita ferri posse, ut hic de agris, quos III viri Gracchani commutarint, altero loco de commutatione in universum agatur. — *b* 4 MNVCIO aes. — EXT[RA ego cum prioribus; SX/RA tabula.

V. Primariam sententiam: *[quod eius quisq]ue agri locei publicei in terra Italia* verbis *habebit possidebitve* similibusve in enuntiato extremo inserendis explendam esse huius sermonis periti facile intellegent. — *b* 5 in. IS et ego in aere deprehendi et habet tabula; saepe tamen *u* sic ibi cernitur V. — ROMA et VRBEM aes.

VI. Nihil nisi clausulam generalem, qua quae procedunt denuo comprehendantur, in hoc loco inesse statui; certe quae supersunt magis propria et certa non indicant. — *b* 6 SCITO · · QVOD in tabula est; ego de puncto duplici nihil notavi. — a 1 VIET ego notavi; VIDT tabula cum Bluhmio.

VII. *a* 2 Rudorffius rettulit ad formulam quam supra toties habuimus de exceptis lege Sempronia agris, recte fortasse; tamen quae posui et breviora et accuratiora visa sunt.

VIII. Pro emptione venditione Rudorffius possessionem posuit. Deinde tributum legi intulit, de quo in ipsa lege perscriptum fuisse non crediderim. Cautio ne ager huiusmodi vectigal pendat, sequitur postea v. 19.

IX. *Possessio* quamquam alibi in lege ita legitur, ut ea ager possessus non ambigue significetur (cf. v. 92: *quem agrum possessionemve quoiusve agri possessionisve superficium*), tamen quod est hoc versu et sequente: *quoius eum agrum locum aedificium possessionem esse oportet* per appositionem potius explicandum est, ut dicitur *tr. mil. legionibus IIII primis, aliqua earum* et similia. Itaque *agrum, possessionem cuius esse* idem fere est ac *agri possessionem cuius esse*.

X. *b* 10 in. IIOVE · SENTENTIA · ego notavi, IIOVS · SENTENTIA · tabula, IOVS · SENTENTIA · Urs. Bluhmius; NEIVE, quod Sigonius Rudorffiusque dederunt, omnino reiciendum est. Quod dedi nisi exemplis tamen re defenditur; nam *sententia(m) dicere, sententia(m) ferre* idem est ac *sententia pronontiare* (v. 39; l. repet. v. 42) et ad iudicia pertinet. Non recte de senatoribus cogitavit Rudorffius, cum horum quidem sit sententiam dicere neque tamen sententiam ferre.

XI. Quamquam in hac lege III virum adsignare, non III viros Rudorffius monuit, hoc ab iis hoc loco restituendis me non deterruit. Nam quod observavit Rudorffius eo redit, quod uni homini III vir adsignat, pluribus adsignant III viri; quare ut infra v. 77 stipendiariis, v. 82 Uticensibus X viri adsignant, ita hoc loco recte viariis adsignare dicuntur III viri. Decemviri autem ex lege Livia male huc illati sunt. — *b* 11 QVO · I//NVS ex aere notavi; QVO · //NVS tabula. — *a* 6 in. VM notavi, M tabula. — AB · ALIENAVERIT · in aere est ut solet ibi hoc verbum scribi cum puncto interposito. — SVM · EVM · / in aere est.

XII. *b* 12 extr. OPORTEBITVE tabula, OPORTEBI/VEII ego. — *a* 7 extr. MAC ego vid.; MA tabula.

XIII. *b* 13 PLEBIVE ego ex aere enotavi reiecto PLEBEIVE, quod tamen tabula habet.

XIV. *[agri colendi cau]sa* debetur Rudorffio; cf. sententiae Genuatis v. 31 — *b* 14. · S · AGER ego, ·S · AGER tabula. — extr. QVAE tabula; QVAI priores, fracta scilicet littera extrema.

XV. Iunge sic: *quoi ceivi Romano III vir eius agri, quei ager — fuit, agrum dedit*. Possessionis datio haec v. 15—18, quae ante idus Martias primas perfici iubetur, non ea est quae fit prout res incidit, sed quicumque agrum, qui post a. 621 ex publico privatus vel quasi privatus factus est, suum esse vel perpetuae hereditariaeque possessionis ius sibi esse contendit, sive possidet sive possessionem rei amisit, apud eum, quem ex hac lege ius dicere oportet (id est apud consulem praetoremve, v. ad v. 33) profiteri iubetur causaque cognita in possessionem restituitur confirmaturve. Ager a III viro colono datus adsignatus praecedit agrum reliquum. — Idus Martias (cf. v. 17. 18. 70) in publicis populi Romani rationibus anni principium fuisse efficitur ex lege quam Caesar insulae Cretae cotoriis locandis dixit (Dig. 39, 4, 15): *Ne quis praeter redemptorem post idus Martias cotem ex insula Creta fodito neve eximito neve avehito*, eodemque pertinent Macrobii (sat. 1, 12, 7) verba antiquos mense Martio vectigalia locasse. Quamquam et Macrobius et qui haec opportune attulit Rudorffius p. 66 in eo erraverunt, quod ipsam locationem censoriam in idus Martias reiecerunt. Contra neque diem quo censores inirent neque diem quo locarent statos fuisse praeter ea quae attulit Beckerus (*Handb.* 2, 2, 241) lex haec confirmat locationem quandam censoriam a. d. XI k. Oct. factam esse memorans (v. 21); at quicumque magistratus quocumque die locabat, locabat ab idibus Martiis ad pridie idus. Quare quod anni aut 644 aut probabilius a. 643 idus Martiae in lege ponuntur, factum videtur non eo, quod eo anno censores creandos esse auctor legis prospiciebat, sed simpliciter nova possessionum ordinatio terminari iubetur ante quam publica anni proximi ratio inciperet putari. — *b* 15 in. S · DATO · tabula, · DATO · ego.

XVI. *b* 16 init. ECERNITOQVE Bluhmius et ego; CERNITOQVE tabula. — SECVNDO aes. — extr. spatium vacuum est in tabula, quo caput finitum indicatur. — *a* 11 FERE legi ego, ERE tabula. — Inter *a* 11 et *b* 17, item inter *a* 12 et *b* 18 supplementa ita institui, ne tertium agri ex hac lege privati genus in possessione ordinanda praeteriretur.

XVII. Qui sit, quem ex hac lege de eo agro ius dicere oporteat, exposui ad v. 33. — *b* 17 QVEI pro *quo* in aere est. — *a* 12 extr. ADSIGNATVSVE · QEIVEA ego, ADSIGNATVSVE · Q SIVE tabula. Excidisse quaedam apparet.

XVIII. In interdicto de vi initio duas has clausulas fuisse *cum ille qui deiectus est, possideret* et *quod nec vi nec clam nec precario possideret*, quarum prior postea supervacanea visa est, notum est ex Cicerone pro Caec. 31, 91 et pro Tull. 44. — *b* 18 initio · S · S · EST ego, ////S · EST tabula. — POSSESIONEM in aere est. — *a* 13 EACITO tabula.

XIX. Eius agri, qui adhuc vectigal debuit et ex hac lege debere desinit, vectigalia exigi vetantur *postquam vectigalia consistent, quae post hanc legem rogatam primum consistent*. Quod ad vectigalia hac lege Africae imposita Rudorffius (p. 67) rettulit, non recte; vectigalia enim consistunt, ubi dies venit, quo peti possunt itaque hoc ait lex proximam pensionem ab eiusmodi possessoribus solvi oportere, deinceps eos liberos futuros esse. Quod si supra recte posuimus annum publicarum rationum ab idibus Martiis coepisse, cum pensiones vectigalium annuae essent neque incipiente, sed transacto anno solvi solerent, dies, quo prima post hanc legem vectigalia consistunt, eaedem idus Martiae sunt post hanc legem rogatam primae, ante quas possessionem agri publici privatique ordinandam esse supra lex cavit. — *b* 19 extr. POST · H · L · ego, POST · H · // tabula. — *a* 14 PEQVNIA in

aere est. — VECPIGAL in aere est. — QVIS · T ego notavi; fuerit D vel P.

XX. *b* 20 LIGALIA notavi; IGALIA tabula. — *a* 15 extr. POPVL notavi; POPV/ tabula.

XXI. Quo pertineat clausula de agro trans Curionem sito, plane ignoratur. Huschkius p. 592 retentis Rudorffianis supplementis: *[Quei] ager locus publicus popul[i Romani in terra Italia P. Mucio L. Calpurnio cos. fuit, quem agrum censores] — oina quom agro quei trans Curione est locaverunt* Curium montem Aetoliae (Strab. 10, 2, 4 p. 451. 3, 6 p. 465 Cas.) indicari putat, trans quem ager publicus populi Romani qui fuerit, locari solitus sit una cum agro publico inferioris Italiae, in quo coloniae Gracchanae Scylacium Tarentumque constitutae fuerint. Quae quamquam docte et acute excogitata sunt, tamen rem non perficiunt. Neque enim video, cur situm coloniarum in Italia conditarum per has ambages lex demonstraverit, cum liceret colonias significare post a. 621 in terra Italia conditas; nec regiones mari Hadriatico diremptas una locatione locatas esse credo, neque placet omnino mira et perversa regionis locatae indicatio a coniunctis pro simplici nominis enuntiatione. Quare cum haec explicatio reicienda esse videatur neque alia melior mihi quidem suppetat, emendationem vero, qua pro Curione Rubiconem in legem intulerunt, verbo satis sit notavisse, ingenue fatendum est, nescire nos quid subsit. At hoc certe perspicere mihi videor primum non significari hoc loco agrum nescio quem cis Curionem situm simul cum eo qui trans Curionem est locari solitum, sed ipsius agri trans Curionem siti aliquam partem ad hoc legis caput pertinuisse; deinde ita eum agrum eo capite comprehendi, ut excipiatur (cf. v. 3), id est cum praeterea pro possessionibus Italicis coloniarum causa ademptis alii agri redderentur, tamen quae earum trans Curionem ademptae essent, sive quod ademptio ipsa non valebat, sive quamcunque aliam ob causam, ad eiusmodi restitutionem non pertinerent. Tangitur sine dubio colonia aliqua C. Gracchi M. ve Drusi Italica postea sublata. — Formula est κατάλογος, matricula; formula sive togatorum sive sociorum Latinique nominis (cf. Liv. 22, 57. 27, 10), id est Italicorum, similis est formulae, quam Plinius h. n. 3, 4, 37 memorat, oppidorum Latinorum Galliae Narbonensis formulaeque Thessalorum Liv. 39, 26, 2 neque raro apud Livium legitur *formula imperii, formula iuris* de recensu populorum oppidorumve, quae ab aliquo κοινῷ pendent (cf. 26, 24, 6 ibique adnot.). Supplementa *milites i. t. I. i. solent* profecta ex v. 50 certa sunt; eadem fere res accuratius etiam indicatur v. 29, ubi pro *ex formula togatorum* legitur, quod eodem redit, *ex lege plebeive scito exve foedere*. — *b* 21 XE · K · in aere est. — *a* 16 extr. POSSESOR ego, POSSESO tabula.

XXII. *b* 22 in. D · OPPIDVM priores; D non vidi abestque a tabula. — PRO · EO · AGRO · LOCVMVE in aere est.

XXIII. Inter OBVENERITV et MERIT non plus quam sex septemve litterae perierunt; supplevi tamen *[queive ab eo emit e]meritve*, excidisse QVEIVE · AB · EO scriptori ratus; nam vix licet cogitatione haec supplere ex iis quae praecedunt. — Testamentum, hereditas, deditio tria sunt adquisitionis mortis causa genera, ut scilicet hereditas intellegatur quae ab intestato venit, deditio id est datio tam legatum quam mortis causa donationem complectatur.

XXIV. De praetoris consulisve iuris dictione cf. ad v. 33. — Clausula, quae post *b* 24 interiit, videtur pertinuisse ad possessores vi eiectos, fere ut v. 19 de iisdem cavetur. Iam pergitur a privato agro ad ordinandum publicum. — *b* 24 in. EREDEMVE Urs. Sig., HEREDEMVE Bluhmius, REDEMVE tabula itaque ego, sed latebant quaedam sub margine. — T ante ADSIGNAVITVE ego notavi; deest in tabula. — ADITVN aes. — ERIT ego, ER// tabula. — *a* 19 SCRIPTVS Sig. Urs. Bluhmius neque ego v. l. notavi; SCREIPTVS tabula cum Mazochio. — H · L aes.

XXV. Ager publicus, de quo hic agitur, sunt pascua publica populi Romani, in quibus qui vult ita pascit, ut certum numerum pecudum sine scriptura impellat, pro reliquis publicano scripturam solvat; neque cuiquam in eo agro compascendi aliquod privilegium est neque ius occupandi neque defendendi, id est prati saepibus secludendi (cf. infra v. 32 et sent. de Gen. v. 41). Qui contra fecerit, in singula iugera quae occuparit vel secluserit, quinquagenis sestertiis multatur, *quotiens fecit*, id est ni fallor in singulos quibus contra fecerit dies. Universum agrum publicum pascua haec non comprehendunt, sed extra ea sunt cum loca publicis usibus destinata, viae templa aedificia publica alia, tum qui aratoribus locari solebat ager Campanus eiusdemque condicionis territoria; eaque ipsa verbis quae inter *a* 19 et b 25 interierunt significata fuerint necesse est. Rudorffius quae ibi supplevit: *extra eum ag[rum quei ager ex lege plebeive scito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit exceptum cavitumve est nei divideretur]* recte se habent, modo C. Gracchus exceperit ne III viri dividerent agrum locum aut publicis usibus destinatum aut arandi causa locatum, sed sola pascua publica et agrum occupatorium; quod fecisse eum probabile est. Malui tamen ea ponere, quae quamquam sic in lege ipsa certe non fuerunt, tamen quid intellegendum sit extra dubium ponunt. — *b* 25 OQVPATVM ego notavi; OOVPATVM tabula. — DEFENDITO ego notavi; DEFENDI // tabula. — SINGVLA · Ꝇ ego et ita Bluhmius quoque; in tabula extrema littera I est. — *a* 20 REDEMPTVVV(QVVDVCTVVVVE · notavi ego et fere ita est in tabula; cf. de hac litterae M figura quae scripsi in libro de dial. Ital. inf. p. 30.

XXVI. De numero pecudum lex remittit ad v. 14. Calles sunt qui nunc dicuntur *tratturi*. — *b* 26 init. M notavi ego, N in tabula est itaque Bluhmius. — NEIVE · SC Bluhmius neque v. l. notavi; in tabula SC deest. — Post SETO caput indicatur tribus punctis. — ITENERIS in tabula est; reliqui ITINERIS neque quicquam notavi. — INDV priores, IND tabula. — VIEIIOE in aere est. — VEIVE ego, AEIVE tabula.

XXVII. Quae sequuntur de loco ex privato in publicum exve publico in privatum commutato, iam aliquanto melius cohaerent in hac quam in Rudorffiana recensione. — OMNEIS cum *ei* pro *i* brevi ferri non potest; posui DOMNEIS, quod comparatis similibus huius legis *iugra, comperrit, tableis* satis defenditur. Praedium optimo iure privatum est avitum paternumque (Cic. de lege agr. 3, 2, 7, ubi quae praeterea adduutur oratoria magis quam vera sunt), quod ne liberis periret patris nequitia, praetor curabat (Paul. s. r. 3, 4 A, 7) potuitque solum apud aerarium subsignari. — *a* 22 INPRIVATVM ego, IN / PRIVATVM tabula. — QVANSEI est quasi.

XXVIII. Locum difficilem et a prioribus coniecturis varie temptatum ita expedire volui, ut *agri redimere* eadem ratione dictum esse ponerem, qua dicitur *pecuniae redimere*, in his praesertim negotiis, ubi pecunia in solutione magis erat quam in obligatione. Cavetur hoc loco, ut qui agrum patritum apud aerarium subsignatum populo cesserit proque eo alium acceperit, ea res ei ne fraudi sit, sed ager acceptus in locum cessi populo obligari possit; unde apparet agrum nullum nisi a patre relictum ita subsignari potuisse (cf. Cic. pro Flacc. 32, 80). — Litteras P · P · Rudorffius interpretatus est *pro patrito*, quod paulo ante plene scriptum est, Huschkius *pro praede*, nixus Probi nota 5, 22 ed. meae: P · P · L · V = *pro praede litis vindiciarum*. Mihi iam Rudorffiana opinio magis probatur; nam et sine exemplo est locutio pro praede subsignandi et quid ex iure praediatorio recte significet, me certe fugit. Contra *pro patrito subsignare* est *subsignare agrum qui non patritus est, sed pro patrito*, neque durius

hoc est quam quod supra legitur v. 16: *[ceteri possesori prove ve]tere dedit* et v. 69: *[curatorive ei]us pro curatorove eius heredive — reddito* (cf. v. 31). — II viri hoc loco memorati diversi videntur esse ab iis, qui adsignationes Africanas Corinthiacasque ex hac lege infra iubentur curare, non tantum propter regionum diversitatem quam ob eam causam quod viae curandae negotium ordinarium est, illos autem II viros inter magistratus extraordinarios referendos esse constat. Significantur puto II viri, qui a Dione (54, 26) dicuntur *οἱ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι*, item in lapidibus Campanis satis antiquis infra referendis duoviri, qui de consilii sententia vias fecerint vel refecerint, denique in lege Iulia municipali v. 50 *II vir(ei) vieis extra propiusve urbem Romam passus M purgandeis*. Nam quod legis Iuliae verba vulgo ita accipiuntur, tanquam II viris his viarum curatio intra pomerium et primum ab urbe lapidem comprehensarum committatur, opinio ea et re subabsurda est et factis contraria, cum horum II virum lapides in Campania inventi sint, nec verbis satis apta: ita enim dicendi erant *viis extra urbem Romam propius passus M purgandis*. Quid in his verbis vere insit, docet contraria locutio l. Iul. mun. v. 20: *viae in urbem Romam propiusve urbem Romam p(assus) M ubei continente habitabitur*. Pertinent haec ad vias cum intra urbem Romam tum extra urbem ad primum usque miliarium; II viri vero curant vias extra urbem extrave (eam territorii partem quae) propius urbem Romam passus M (est). — Ceterum quod earum tantum viarum, quae a. 621 fuerunt, II viri curam agere iubentur, vix recte Huschkius p. 590 ita interpretatus est vias postea factas viasiis vicanis ex hac lege committi; viasii enim ante Gracchos iam fuerunt neque certe propter eos viae carere potuerunt magistratus cura, qui praestationes lege debitas exigeret. Videntur potius quae ad vias postea factas spectant inter *a* 23 et *b* 29 interiisse. — *b* 28 in. ITIO · CENS ego in aere deprehendi; O · RECENS Bluhmius, DIOCENS tabula, ... CENS Sig. Urs. — FACI ego, FACI tabula. — *a* 23 EVERINT et EACIVNTO in aere est.

XXIX. *b* 29 in. ITA · VTEI tabula; at ITA Bluhmius quidem habet (A solum Urs., om. Sig.), ego vero in aere quaerens adscripsi ITA ibi non legi. — extr. POPVLI · A ego legi; in tabula A deest. — *a* 24 EOEDERE, ERAVDE, EACERE aes.

XXX. Locum hunc Rudorffius non satis perspexit; Huschkius p. 595 quinam enuntiationum ordo esset indagavit, sententiam tamen posuit meo iudicio perversam, ut qui a consule frustra petivisset, a proconsule iudicium acciperet. Quod dedi nisi certum tamen probabile est; nam haec de agro publico iurisdictio ad Latinos quoque peregrinosque aliqua ratione convertenda fuit neque facile aliter de iis potuit caveri nisi ita ut posui idem de iis obtinere, quod ex hac lege obtinet de civibus Romanis. — *b* 30 QVIS · QVOI ego. — PROVE priores neque v. l. notavi; ROVE tabula. — QVODEA in aere est. — extr. IVDI priores, IVD tabula. — *a* 25 I · X · H · L tabula.

XXXI. Initio capitis ante *b* 31 loca templis concessa excidisse videntur. — De agro publico proprietate populi Romani, usu municipiorum coloniarumque supra p. 90 dictum est. Oppida in Italia, quibus agro publico populi Romani uti frui licet, eo ordine enumerantur, ut primum ponantur coloniae verae, deinde municipia vera, tertio loco quae pro municipio prove colonia iure habentur; versu extremo verba *pro colonia moinicipiove prove moinicipieis frui* sic accipe, quasi scriptum esset frui pro colonia prove moinicipio prove eo oppido, quod pro moenicipio est, ut similia supra vidimus ad v. 28. *Pro colonia frui* dicitur ut *pro tribu sciscere*; scilicet ius ad commune pertinet, iuris executio ad singulos cives. *Civium nominisve Latini*, quod in fine additur, pertinet et ad colonias, quas et civium et Latini iuris fuisse notum est, et ad municipia, quae non civium solum, sed Latini item iuris esse potuisse hic denuo confirmatur, et ad tertium illud genus quasi coloniarum et quasi municipiorum. Quid autem iure publico Romano inter coloniam et pro colonia oppidum, inter municipium et pro municipio oppidum interfuerit, certa ratione explicari nequit. — *b* 31 in. NICIPIEIS · SEIVE · QVAE in aere est; pro NICIPIEIS Bluhmius legit FCIRIBIT, coniecit Rudorffius FVERIT; hoc in tabula legitur quamquam evanidis et incertis litteris. — COLC legi ego; COL tabula. — I · NOMINISVE tabula; NOMINISVE reliqui. — *a* 26 VE addidi.

XXXII. cf. v. 12. — *b* 32 post ANTE mihi apparuit litterae N vestigium. — *a* 27 in. SVE notavi et ita tabula. — extr. post HABERE C/ ego, S/ tabula.

XXXIII. Sequitur locus de iuris dictione. Ea ex hac lege duplex est, aut *consulis praetoris quicumque erit* (v. 33. 34) aut *consulis praetoris censoris quicumque erit* (v. 35); denique praeter consulem praetoremque ad proconsulem quoque et propraetorem de eo agro in ius adiri potuisse ex v. 37 apparet. Quarum prior ad generalem illam possessionis ante idus Martias post h. l. rogatam primas ordinationem spectat; nam et v. 24, ubi hanc intellegendam esse constat, similiter de *praetore consulere* scriptum est et v. 17 ex verbis *quem ex h. l. de eo agro ius dicere oportet* hoc apparet alio legis capite, id est hoc de quo agimus, de iurisdictione ea accuratius perscriptum fuisse. Secundum autem iurisdictionis genus omnino, quod iam Rudorffius pervidit, ad agrum publicum in universum pertinet litesque complectitur de eo utendo fruendo inter populum publicanumve et privatos oriundas; idque quamquam quodammodo ordinarium est, tamen quantum ab ordinaria iuris dictione privata differat, vel ex magistratibus in lege nominatis intellegitur. Nam ut consulem, proconsulem, propraetorem hac aetate in Italia extra urbem ius dicere potuisse inter privatos concedamus, censoris certe nullo tempore ulla fuit iurisdictio neque sine causa is magistratus hoc loco ita offendit Huschkius (p. 597), ut PR · CENS corruptum censeret et reponeret PR · COS. At longe aliter res se habet. Ius privatum et iurisdictio praetoria ibi tantum locum habent, ubi privati disceptant; inter populum sive publicanum et privatum si quid ambigitur, ea non iusta lis est, sed ad administrandam rem publicam magis redit decernuntque de ea re quibus in re publica summum imperium est consules praetores proconsules propraetores censores ceteri, ut censores in urbe sola, proconsules propraetores extra urbem tantum, consules praetores et in urbe et extra urbem de ea re iudicent, neque quae de iurisdictione privata legibus ordinata sunt ad hoc controversiarum genus ullo modo perveniunt. Haec est iuris dictio, quam Ti. Gracchus III viris suis tradidit, itaque non sine causa cum his a. 625 erepta esset, ad consules rediit (Appian. b. c. 1, 19), quibus rursus ut adimeretur decemvirisque agrariis permitteretur Rullus rogavit (Cic. de l. agr. 1, 3, 9. 2, 15, 39. 21, 56). Eodem pertinet formula v. 35: *uti eis e re publica fideve sua [videbitur esse]*, ad administrationis licentiam magis quam ad iudicationis severitatem accommodata et infra quoque (v. 78) in legis parte Africana plane similiter ibi posita, ubi ex aequitate magis quam ex iure res pendet. Cui ne quis opponat, quod lites inter populum et privatum dirimuntur ad exemplum iudicii privati recuperatoresque et similia in illis quoque inveniuntur fuisse; hoc enim in omnem omnium populorum iurisdictionem administrativam convenit, quod qui in re publica dominatur specie privato aliquatenus exaequari se velit, re tamen ne dominium illud hoc velut iudicio infringatur diligenter provideat. Denique ad hanc quasi ordinariam de agro publico iurisdictionem efformatae sunt extraordinariae et una investigatione ante idus Martias primas

perficiendae diiudicationes, nisi quod censores, qui eo anno nulli erant, recte praetereuntur. — Tangitur autem hoc loco de agro publico iuris dictio illa Gracchana nobilitati vel maxime invisa, quae ut tollatur rerumque actus qui fuit restituatur iam diligenter cavetur. — *a* 28 litteras MQVE E servavit Mazochius solus.

XXXIV. Supplementa mea sunt, ipsa re satis defensa. Intercessio enim collegarum tribunorumve cum re iudicium esset neque tamen iudicii formam nomenque haberet, sanctione, ne quis de agro publico iudicaret nisi consul praetorve, intercessionem illam non comprehendi eamque hac lege non tolli utiliter addebatur; idque ipsum indicat v. 36. — *a* 29 in. EI ego, I tabula. — OD · IVDICIVM · IVDEX servavit Mazochius.

XXXV. Vadimonium omisi spatio deficiente. — *b* 35 QVEI · QVO/ notavi ego; QVEI · QVO tabula. — 30 in. Þ · AGRO Bluhmius neque variam lectionem notavi. — NEIVE · DECERNITO · NEIVE · IVDICIVM Maz., NEIVE · DE . . . . IVE · IVDI . . . . hodie superest. Spatium, quod hodie cernitur inter DE et IVE, septendecim fere litterarum capax, novem illis litteris CERNITO · NE non expletur totum; fractamque iam Mazochiana aetate tabulam hoc loco fuisse docet hiatus huic respondens in repetundarum legis v. 28. Olim in tabula videtur fuisse NEIVE · DE *eo agro de*CERNITO · NEIVE · IVDICIVM.

XXXVI. *a* 31 in. ŀM notavi, M tabula. — In PRO · ⊥ versus hodie finit.

XXXVII. De iudicio petenti publicano dando vide ad v. 33. Addo cum de pascuis probabile sit ibi iudicatum esse, ubi contra legem commissum esset, iudicia illa non urbana fuisse, sed extra urbem in Italia perfici debuisse; unde explicatur, cur censor hoc loco omissus sit, contra proconsul propraetorque diserte nominentur. Locum de recuperatoribus dandis tractavi supplevique in *Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 15, 523. — *a* 32 observa L, non ⊥ hoc solo loco in aere cerni pro nota numerali. — Hodie finit in FR.

XXXVIII. *Quae res soluta non siet* rel. exceptiones esse formulae iudicii recuperatorii inserendas facile apparet. Recensentur solutionis, rei in iudicium deductae, rei non per praevaricationem iudicatae exceptiones, admodum ese quidem dignae ad quas iure consulti diligentius quam adhuc factum est animum advertant. — *b* 38 PRAEVARICATIONVS\ notavi ego; S in tabula deest. — *a* 33 hodie finit in NON.

XXXIX. *b* 39 \ · ID · SENTENTIA ego notavi; SENTENTIA Bluhmius, /NTENTIA tabula. — COMMPERRIT in aere est. — SEDVLOM/ in aere est; SEDVLOM VTEI *rel.* Mazochius; *se* (= sine) *dulo* (= dolo) *malo* scribendum esse olim docui in Richteri annalibus 1842 p. 764; Rudorffius *sedulo m. n.* (?) edidit, Huschkius id *sedulo mora nulla* interpretatus est. — OPORTA Mazochius.

XL. Iuramentum in leges hoc loco significari Rudorffius vidit. — *b* 40 \ERE ego, SERE tabula. — FRVIE in aere est. — *a* 35 POSSIDER/ hodie solum superest. — FAVETVR Maz.

XLI. Ante SI spatium novi capitis iudicium servat Mazochius. In aere non superest nisi litterae V ex QVAE vestigium. — MAS Maz.

XLIII. Huius versus et sequentium quae supersunt fragmenta ita lacera et exigua sunt, ut a supplementis fere abstinere tutius visum sit, quamquam et Rudorffius plura addidit et iusto audacior Huschkius perpetuum sermonem per hanc quoque partem ubique fere legi restituit; cum enim supplementa omnia non tam quae perierint certa ratione referant, sed commentarii vicem praebeant, hoc loco, ubi ne ordinem quidem sententiarum nisi vates hariolusve divinet, ipsa continuitate ne legentem obruant cavendum est. Ad rem quod attinet, v. 43 transire legem ad agrum publicum populi Romani in provincia Africa plerumque creditur neque dubium est inde ab hoc loco absoluta adsignatione Gracchana ad aliud argumentum in lege pergi; at de Africa non videtur agi nisi inde a v. 45 quique intermedii sunt versus duo 43. 44 alio potius spectant. Nam cum supra (v. 12. 32) provisum sit de agro in Italia ex hac lege vendendo dando reddendo, ea datio adhuc nusquam apparuit neque commode ullo loco inter adsignationem Gracchanam ordinandam inseritur. Contra in extrema parte Italica eiusmodi quid facile potest perscriptum fuisse; eoque refero quae hoc versu leguntur de colonia a M. Baebio tr. pl. deducta. Nequaquam enim mihi probatur quae probata est Huschkio et Rudorffio Pighiana coniectura (ann. 3, p. 64) legem quae hoc loco nominatur a M. Baebio tr. pl. III viro coloniae deducendae latam eam esse, ex qua Gracchanis temporibus Carthaginem colonia deducta sit. Nam primum collegam eius nominis Gracchi nullum novimus neque omnino quicquam accepimus de eius nominis qui ea aetate floruerit homine. Deinde quae in hac ipsa lege infra (v. 59) nominatur 'lex Rubria quae fuit', et ipsa creditur, et haec quidem iure, esse ea, ex qua colonia Iunonia deducta sit; unde excluditur Baebia, exploso scilicet Huschkii artificio, qui colonos primum deductos esse Carthaginem lege Rubria, Baebia vero alios additos esse invenerit, cum praesertim legem Rubriam postea abrogatam esse, Baebiam adhuc valere lex a. 643 non obscure indicet. Longe alio ducit Livius, qui ad a. u. c. 560 (34, 45): *Sipontum,* inquit, *in agrum qui Arpanorum fuerat coloniam civium Romanorum triumviri D. Iunius Brutus M. Baebius Tamphilus M. Helvius deduxerunt;* neque quicquam obstat, quominus deducta sit ex lege lata a M. Baebio tribuno plebis. Nam et Baebius, qui a. 562 praetor creatus est (Liv. 35, 10), recte a. 560 tribunatum administrare potuit; similiterque eodem fere tempore Q. Aelius Tubero tribunus plebis et de colonia Thurios deducenda legem tulit et III vir eam deduxit (Liv. 34, 53. 35, 9). Contrarium quidem hoc fuit legi Liciniae et alteri Aebutiae, *quae,* ut Cicero ait (de lege agr. 2, 8, 21) *non modo eum qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius cognatos affines excipit, ne eis ea potestas curatiove mandetur;* at quin hae leges septimo demum saeculo latae sint, ambigi non potest, antea vero tantum abest, ut idem de eadem re populum rogare et eam deinde iussu populi curare non potuerit, ut qui de curatione aliqua extraordinaria populum rogasset, ad eam rem perficiendam ipse vel praecipue populi suffragiis destinaretur. Videtur igitur v. 43 spectare ad coloniam Sipontum a. 560 deductam auctamque deinde a. 568 (Liv. 39, 23); quamquam quid de ea lex haec statuerit, non divino. — *b* 43 *initio* ⊦VS ego, VS tabula. — A/RO tabula. — a 38 COLONIE Maz.

XLIV. Iudicium videtur intellegi id, de quo v. 33. 34 cautum est.

II. DE AGRO PVBLICO P. R. IN AFRICA.

Genera agrorum quae in hac legis parte memorantur, sunt ni fallor tria, quae coniuncta omnia et suo ordine composita inveniuntur v. 79 sq., agri privati iure Quiritium, agri privati iure peregrino, agri publici populi Romani. Videamus de singulis.

I. *Ager privatus ex iure Quiritium* est ager colonicus agiturque de eo huius legis v. 45. 55. 59—61. 66—69. 79. 89. Pertinere eum ad coloniam C. Graccho auctore a. u. c. 631 Carthaginem deductam vel inde sequitur, quod ante C. Caesarem aliam nullam in Africam provinciam deductam esse constat; iuvabitque hoc loco repraesentare quae apud auctores de colonia ea inveniuntur. Plutarch. C. Gracch. 10: Ῥουβρίου τῶν συναρχόντων (scilicet C. Graccho tribuno pl.) ἑνὸς οἰκίζεσθαι Καρχηδόνα γράψαντος ἀνῃρημένην ὑπὸ Σκηπίωνος, κλήρῳ λαχὼν ὁ Γάϊος ἐξέπλευσεν εἰς Λιβύην ἐπὶ τὸν κατοικισμόν. — — c. 11. Ἐν δὲ τῇ Λιβύῃ περὶ τὸν τῆς Καρχηδόνος κατοικισμόν, ἣν ὁ Γάϊος Ἰουνωνίαν, ὅπερ ἐστὶν Ἡραίαν, ὠνόμασε, πολλὰ κωλύματα γενέσθαι παρὰ τοῦ δαιμονίου λέγουσιν. Ἥ τε γὰρ πρώτη σημαία, πνεύματος ἀφαρπάζοντος αὐτήν, τοῦ δὲ φέροντος ἐγκρατῶς ἀντεχομένου, συνετρίβη, καὶ τὰ ἱερὰ τοῖς βωμοῖς ἐπικείμενα διεσκέδασεν ἀνέμου θύελλα καὶ διέρριψεν ὑπὲρ τοὺς ὅρους τῆς γεγενημένης ὑπογραφῆς, αὐτοὺς δὲ τοὺς ὅρους ἀνέσπασαν ἐπελθόντες λύκοι καὶ μακρὰν ᾤχοντο φέροντες. Οὐ μὴν ἀλλὰ πάντα συντάξας καὶ διακοσμήσας ὁ Γάϊος ἡμέραις ἑβδομήκοντα ταῖς πάσαις ἐπανῆλθεν — — c. 14 καὶ τὸν Ὀπίμιον καταστήσαντες ὕπατον τῶν νόμων πολλοὺς διέγραφον καὶ τὴν Καρχηδόνος ἐκίνουν διάταξιν — — Ἧι δ' οὖν ἔμελλον ἡμέρᾳ τοὺς νόμους λύσειν οἱ περὶ τὸν Ὀπίμιον (tumultu orto comitia nulla fuerunt et paulo post Gaius interfectus est). — Appianus b. c. 1, 24: ὁ δὲ (C. Gracchus) ἐς Λιβύην, ἅμα Φουλβίῳ Φλάκκῳ, κἀκείνῳ μεθ' ὑπατείαν διὰ τάδε δημαρχεῖν ἑλομένῳ, διέπλευσεν· ἐψηφισμένης κατὰ δόξαν εὐκαρπίας ἐς Λιβύην ἀποικίας, καὶ τούσδε αὐτῆς οἰκιστὰς ἐπίτηδες ᾑρημένων, ἵνα μικρὸν ἀποδημούντων ἀναπαύσαιτο ἡ βουλὴ τῆς δημοκοπίας. οἱ δὲ τῇ ἀποικίᾳ τὴν πόλιν διέγραφον ἔνθα ποτὲ ἦν ἡ Καρχηδονίων· οὐδὲν φροντίσαντες, ὅτι Σκιπίων αὐτήν, ὅτε κατέσκαπτεν, ἐπηράσατο ἐς αἰεὶ μηλόβοτον εἶναι. διέγραφον δ' ἐς ἑξακισχιλίους, ἀντὶ ἐλαττόνων τῶν ὄντων ἐν τῷ νόμῳ, ὡς καὶ τῷδε τὸν δῆμον ὑπαξόμενοι. ἐπανελθόντες τε ἐς Ῥώμην, συνεκάλουν ἐξ ὅλης Ἰταλίας τοὺς ἑξακισχιλίους. Ἐπιστειλάντων δὲ τῶν ἐν Λιβύῃ τὴν πόλιν ἔτι διαγραφόντων, ὅτι λύκοι τοὺς ὅρους Γράκχου τε καὶ Φουλβίου διέρριψαν ἀνασπάσαντες, καὶ τῶν μάντεων τὴν ἀποικίαν ἡγουμένων ἀπαίσιον· ἡ μὲν βουλὴ προέγραφεν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ τὸν νόμον ἔμελλε τὸν περὶ τῆσδε τῆς ἀποικίας λύσειν. Ὁ δὲ Γράκχος καὶ ὁ Φούλβιος, ἐπεὶ καὶ τοῖσδε ἐξέπιπτον, μεμηνόσιν ἐοικότες, ἐψεῦσθαι τὴν βουλὴν ἔφασκον περὶ τῶν λύκων. Idem Pun. 136: Γαΐου Γράκχου δημαρχοῦντος ἐν Ῥώμῃ — ἔδοξε κληρούχους ἐς Λιβύην πέμπειν ἑξακισχιλίους· διαγραφομένων δ' ἀμφὶ τὴν Καρχηδόνα τῶν θεμελίων, λύκοι τὰ θεμέλια ἀθρόα διέσπασαν καὶ συνέχεαν. καὶ τότε μὲν ἀνέσχεν ἡ βουλὴ τοῦ συνοικισμοῦ. Vell. 1, 15: *Post annum* (id est anno 631) — *Carthago in Africa prima — extra Italiam colonia condita est.* 2, 6 (C. Gracchus) *novis coloniis replebat provincias.* 2, 7 [15] (C. Gracchus) *extra Italiam colonias posuit — — Prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est.* Fronto ad Verum imp. initio: *Gracchus — Carthaginem viritim dividebat.* Solin. 27: (Carthago) *a C. Graccho colonis Italicis data et Iunonia dicta.* Liv. ep. 60: *C. Gracchus — continuato in alterum annum tribunatu legibus agrariis latis effecit ut complures coloniae in Italia deducerentur et una in solo dirutae Carthaginis, quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit.* Eutrop. 4, 21: *L.* (sic codd.) *Caecilio Metello et T. Quinctio Flaminino cos. Carthago in Africa iussu senatus reparata est annis duobus et viginti postquam a Scipione fuerat eversa. Deducti eo sunt cives Romani.* Oros. 5, 11: *L.* (sic codd.) *Caecilio Metello et T. Quinctio Flaminino cos.* (a. 631) *Carthago in Africa restitui iussa vigesimo et secundo demum anno quam fuerat eversa, deductis civium Romanorum familiis quae eam incolerent, restituta et repleta est magno ante prodigio praecedente. Nam cum mensores ad limitandum Carthaginiensium agrum missi stipites terminorum indices fixos nocte a lupis revulsos morsicus corrososque repperissent, aliquamdiu haesitatum est, utrum Romanae paci expediret Carthaginem reformari. — — Minucius tribunus plebis cum maxima ex parte decessoris sui Gracchi statuta convulsisset legesque abrogasset, C. Gracchus — Capitolium ascendit.* Hausit ex eodem auctore, quem excerpsit Eutropius, ex Livio quippe, notabilisque est utriusque in falso praenomine consensus. Obseq. 33: *L. Opimio Q. Fabio Maximo cos.* (a. 633) *grex luporum limites, qui in agrorum divisione per C. Gracchum depositi erant, dissipavit.* Flor. 2, 3: *C. Gracchus — obrogare auso legibus suis Minucio tribuno — Capitolium invasit.* Vict. 65: *Minucio Rufo tribuno plebis legibus suis obrogante in Capitolium venit.* Sallust. Iug. 42: *nobilitas .... Gaium (Gracchum) .... triumvirum coloniis deducundis ... necaverat.* Ex oratione C. Gracchi *de lege Minucia* quaedam citat Festus (v. osi sunt p. 201 Müll.). Rubrius*) igitur tr. pl. a. 631 (Vell., Eutrop., Oros.) legem tulit de colonis certo numero deducendis Carthaginem III virisque ad eam rem creandis; qua perlata creati sunt C. Gracchus, M. Fulvius Flaccus tertiusque, qui ignoratur et deducti a. 632 colonorum civium Romanorum ad sex milia, quamquam lex minorem numerum sanxerat. At cum oppidum illud conditum esset in eo loco, ubi quondam Carthago fuerat, quem ne quis ibi habitaret P. Scipio imperator carmine sollemni iure devoverat, accederentque praeterea dira omina, a. 633 Minucius Rufus tr. pl. legem de nova colonia tollenda promulgavit itaque sublata est, sive quod post Gracchi caedem Minucius legem perrogavit, sive quod lex Rubria ut contra auspicia lata abrogata est senatus consulto (cf. Ascon. in Cornel. p. 68). Quibuscum quae ex lege agraria a. 643 supersunt ita conveniunt, ut pleraque de colonia ea Iunonia aliunde ignota inde accedant. Legis Rubriae mentio fit v. 59 neque dubium est quicquid de colonis in Africam deductis in lege agraria caveatur ad eandem legem pertinere; nam quod altera lege, quam Baebiam (v. 43) esse volunt, colonorum numerum auctum esse Rudorffius Huschkiusque sibi persuaserunt, Appiani certe testimonio contrarium est, qui supra legitimum numerum colonos a C. Graccho adscriptos esse refert idque ipsum legis huius cautela v. 59. 60 aperte innuit. Peius etiam Zumptius (comm. epigr. 1, 218) lege Rubria sublata agros colonis datos confirmatos esse coniecit lege Baebia; hoc enim eo excluditur, quod M. Baebius III vir fuit coloniae deducendae. Formula legis *in coloniam coloniasve deduci* (v. 61) fortasse eo pertinet, quod lege Rubria complures in Africa coloniae constitui iubebantur, licet in sola Carthagine III viri illi substiterint adeoque ne eam quidem perficere potuerint. Certe praeter hunc legis locum eodem ducit praeter Vellei, testis in eiusmodi quaestione non satis idonei, colonias transmarinas Gracchanas (cf. Marquardt *Handb.* 3, 1, 127 n. 2178) Sallustii proprietatum in verbis, ut Gellius ait, retinentissimi locus, ubi Ti. Gracchum tribunum, Gaium III virum coloniis deducundis interfectum narrat; nam coloniis Italis deducendis num Gaius ipse a. adhuc 633 triumvir fuerit, admodum dubium est (v. supra

*) Rubrii tr. pl. a. 631 praenomen et cognomen ignorantur; nam qui idem plerisque creditur Q. Rubrius Varro a. 666 a senatu hostis cum C. Mario iudicatus (Cic. Brut. 45, 168) mihi videtur postea vixisse et illius potius filius fuisse.

p. 87) neque videtur Sallustius cogitavisse nisi de coloniis Africanis. Quot iugera lege Rubria colonis data sint, auctores non tradiderunt; lex (v. 59. 60) CC iugera data esse refert, sed ita, ut duo genera colonorum distinguere videatur, qui diversum agri modum acceperint. Cf. Liv. 35, 9 de colonia deducta Copiam a. 562: *dari potuere tricena iugera in pedites, sexagena in equites — — ricena iugera pedites, quadragena equites acceperunt;* Liv. 35, 40 de colonia deducta Vibonem a. 563: *quina dena iugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equitibus;* Liv. 37, 57 de colonia deducta Bononiam a. 565: *equitibus septuagena iugera, ceteris colonis quinquagena sunt data.* Adde huc legem Appuleiam, ex qua a. 654 colonis centena agri iugera in Africa dividi debuerunt (Vict. vir. ill. 73). Iam non sine causa suspicabere colonorum lege Rubria duo genera fuisse, quorum alterum magis honoratum CC iugera acceperit, alterum modum minorem; neque modus ille in agro transmarino nimius videtur esse, cum in ipsa Italia multo ante ad septuagena iugera, lege Caesariana autem et triumvirali in Italia fere ducena, extra Italiam ad quadringena (Rudorff *Feldm.* 2, 353) adsignata reperiantur*). Praeter centurias ex subsicivis quoque quaedam data adsignata esse v. 66 significat neque est, cur miremur in primam hanc adsignationem venisse partem subsecivorum, quae in posteriorem saepe venerint (Rudorff *Feldm.* 2, 392). — Ad coloniam pertinent quoque quae de viis leguntur v. 89: *[quae viae in eo] agro ante quam Cartago capta est fuerunt, eae omnes publicae sunto;* consentit Siculus Flaccus p. 157 Lachm. (cf. Hygin. p. 120): *[semper] auctores divisionis adsignationisque leges quasdam colonis describunt, ut qui agri delubris sepulchrisve publicisque solis itineris viae actus ambitus ductusque aquarum**) utilitatibus servierint ad id usque tempus, quo agri divisiones fierent, in eadem condicione essent qua ante fuerant.* Ceterum Isidorus (orig. 15, 16, 6): *primi,* inquit, *Poeni dicuntur lapidibus vias stravisse.* — Item quod lex addit *limitesque inter centurias ....,* quamquam reliqua desunt, tamen aperte spectat eo, ut limites coloniae Iunoniae in viarum publicarum numero maneant. Quod lege Augusti obtinuit, decimanum latum esse oportere pedes XL, kardinem p. XX, limitem a decimano et kardine quintum quemque sive quintarios p. XII, ceteros sive subruncivos p. VIII (Gromat. p. 194. 212), idem fere iam in lege Rubria videtur fuisse; nam quod postea in provinciis obtinuit, ut subruncivi limites linearii tantum sine latitudine itaque non in viarum numero essent (Hygin. p. 168), id ad hanc aetatem minime rettulerim. Colonos Carthaginem deductos esse cives Romanos Eutropius Orosiusque Livio auctore tradunt; quod si inter colonos admissi sunt Latini nominis homines, quod fortasse Appianus innuit (nam legis v. 50, quem Zumptius comm. epigr. 1, 218 huc revocavit, agi de agro privato vectigalique facile intellegitur), una cum agro civitatem acceperint necesse est; ut similiter lex Appuleia, cum C. Marium colonias complures deducere iuberet, eidem in singulas ternos cives Romanos facere permisit (Cic. pro Balbo 21, 48). Agrum Africanum ex lege Rubria civium Romanorum factum privatum fuisse ex iure Quiritium certissimum est, quamquam Rudorffius (p. 121) de dominio provinciali cogitavit. Nam agrum in provincia situm fieri potuisse dominorum ex iure Quiritium idem Rudorffius rectissime docuit (*Feldm.* 2, 373) estque haec condicio agri, quae postea *ius Italicum* appellatur; hac vero aetate quicquid civis Romani iure fuit, eius fuit ex iure Quiritium nec nisi multo posteriore iureconsulti invenerunt agrum a populo Romano civi Romano ita dari posse, ut eius esset iure peregrino. — Haec fere sunt, quae de ipsa lege Rubria ex his reliquiis eruuntur; restat ut investigemus, quid post caesum C. Gracchum de ea lege adsignationeque Africana factum sit. Primum abrogatam esse legem Rubriam lex haec aperte testatur; hoc enim significare uno, ubi eam memorat, loco verba subiuncta *quae fuit* optime perspexit Rudorffius (p. 100). Comparari potest formula senatus consulti (Cic. apud Ascon. in Cornel. p. 68): *quae lex lata esse videatur, ea non videri populum teneri;* neque audiendus Huschkius (p. 603), contrariam huic et plane perversam sententiam in hoc adiuncto nescio quo modo investigans. Ob eam ipsam causam semper scribitur *colonus queive in colonorum numero est* (v. 45. 55. 59. 60. 66. 68) vel adeo *est fuitve* (v. 67 cf. v. 68); nam ut qui proprie non est dediticius, sed dediticius esse fingitur, dicitur *dediticiorum numero,* item *maritorum numero* (aes Malacit. c. 56), qui iura mariti habet neque maritus est, ita deducti lege Rubria, quae nulla est, cum vere coloni non sint, tamen in colonorum numero putantur esse. Idem significare quod in hac lege tam *adsignatum esse* (v. 55. 62. 91. 93) reperitur quam *adsignatum esse fuisseve* (v. 44. 57. 61) vel *adsignatum fuisse* (v. 60. 68. 91), vix crediderim; nam similiter etiam decemviri ex lege Livia creati modo scribuntur *facti esse fuisseve* (v. 77), modo *facti fuisse* (v. 81) neque aliud videtur subesse nisi quod scriptor legis, cum *adsignatum esse, factum esse* proprie de eo accipi intellegeret, qui in eodem statu ad praesens usque tempus mansisset, addidit *fuisseve,* ut et agros comprehenderet olim adsignatos neque tamen amplius eius, cui adsignati essent, et magistratus olim factos, sed qui ante hanc legem rogatam magistratu abiissent. Ceterum praeter haec exempla ex una lege desumpta mihi aliud nullum praesto est copulatorum perfectorum temporis praesentis praeteritique ac ne is quidem, qui de hoc loco omnium optime disputavit, Madvigius (opusc. 2, 218 sq.) ad haec nostra animum advertit. — At quamquam lege Rubria populum non teneri senatui visum est, tamen agros ex ea datos adsignatos colonis adimi non placuit. Urbem enim solam Scipio devovit, ut in ruinis in aeternum maneret et ea ne resurgeret, optimates laborabant; itaque aedificiis destinata loca auferre necesse fuit, qua de re ipsa alicubi in lege hac cautum fuisse recte Huschkius iudicavit. Contra de agro publico in provincia Africa populi liberum arbitrium et esse et fuisse semper nemo negabat neque senatus magnopere intererat agro publico, quem Gracchus in Africa diviserat, rursus potiri; quare satius visum est iura lege Rubria privatis quaesita non conturbare neque eiusmodi odia concitare. Mansit igitur ager datus adsignatus, quem lex Rubria dari adsignari iusserat, sed ex colonico qui fuit sublato oppido quodammodo viritani similis factus est; de quo discrimine supra p. 88. 89 expositum est. — Hunc agrum qui accepit, apud II virum ex edicto eius eum profiteri oportet vel ipsum vel procuratorem heredem emptoremve; de qua professione pauca tantum et lacera in lege remanserunt (v. ad v. 52). Qui non professus sit, ei agrum adsignatum non esse neque fuisse II vir iubetur iudicare (v. 57); contra quem colonum intra numerum lege Rubria permissum (quo arcentur coloni ultra eum a C. Graccho adscripti) modum agri quantum ex lege Rubria dare licuit neque maiorem accepisse II viro planum factum est, ei II vir agrum (datum) adsignatum esse (fuisseve) indicat (v. 57. 60. 61. 62. 68).

*) Rudorffius (p. 110) quod in lege cautum esse credidit, ne cui colono plus adsignatum esse iudicaretur, quam accepisset, cui ex lege Rubria maximus agri modus destinaretur, non probo; ita enim non satis cavisset legis huius scriptor de eo, qui agrum maiorem quam ex lege sibi debitum, maximo tamen minorem accepisset; neque obliviscendum est colonis agrum dari sortito (v. 3; Rudorff *Feldm.* 2, 366).

**) Codex hic repetit *quae publicis,* quod eieci.

Adiudicandi vocabulo in hac re lex numquam utitur, nam quae loca contra attulit Rudorffius (p. 111) v. 62 et 69 (cf. v. 90), prioris sententia ambigua est, in altero vero agitur de agro privato vectigalique adiudicando; potuitque omnino de agro ex lege Rubria dato adsignato ex hac lege iudicari, adiudicari non potuit. Denique licet II viro, ubi ager colono datus nihilo minus pro publico Romae veniit, emptori quidem agrum, qui coloni fuit, adiudicare, colono autem emptorive eius tantundem modum agri reddere (v. 66—69; cf. v. 79. 91). Ager ita pro colonico commutatus redditusve eodem iure fit coloni quo vere colonicus eius fuerat; cf. Hygin. p. 117: *divisi et adsignati agri sunt qui — per centurias certo modo adscripto aut dati sunt aut redditi quive veteribus possessoribus redditi commutatique pro suis sunt.*

II. *Ager privatus ex iure peregrino* est ager populorum liberorum et amicorum populi Romani septem Uticensium, Hadrumetinorum (huius enim nominis certa coniectura a Rudorffio v. 79 restituti prima littera postea in ipso aere reperta est), Tampsitanorum, Leptitanorum, Aquillitanorum, Usalitanorum, Teudalensium, denique perfugarum (v. 75. 76. 79. 80. 85). Quos solos in Africa incipiente bello Punico tertio in amicitia populi Romani fuisse et aes indicat et luculenter confirmat Appianus (Pun. 94), de commeatu Romanos Carthaginem obsidentes valde sibi timuisse narrans *ἐκ μόνης ἔχοντας Ἀδρυμήτου καὶ Λέπτεως καὶ Θάψου* (codd. Σοξοῦ) *καὶ Ἰτύκης καὶ Ἀχόλλης* (codd. Χόλλης)· *τὰ γὰρ δὴ λοιπὰ Λιβύης ἦν ἔτι πάντα ὑπὸ Ἀσδρούβα.* Oppida illa septem nota sunt omnia Utica, quae vel ante coeptum bellum in fidem venit (Polyb. 36, 1. Liv. 49. Appian Pun. 75); Hadrumetum; Thapsus, quae in lege Tampsus dicitur; Leptis minor; Achulla, quae ita suum nomen nummis (Eckhel 4, 132) inscripsit, cum Graecis recentioribusque Latinis Acholla fere dicatur, Latinis antiquioribus (bell. Afric. c. 33. 43. 67; Liv. 33, 48) Acilla, ut in lege hac Aquilla; Usalis, quae Uzalis Plinio (5, 4, 29), Usilla Ptolemaeo (4, 3, 10) et in tabula Peutingeriana, Usula in itinerario (p. 59 Wess.) appellatur; quae omnia maritima sunt et iusto ordine ab occidente in orientem enumerantur, nisi quod Leptis et Thapsus invertuntur. Una mediterranea et loco longe distante prope Hipponem Diarrhytum sita Theudalis est (Plin. 5, 4, 23. Ptolem. 4, 3, 31). Ceterum Utica lege Iulia Caesaris Latini iuris municipium factum videtur esse (Caes. b. c. 2, 36; bell. Afr. 87; hist. mea Rom. 3, 535) civitatemque deinde ab Augusto abstulit (Dio 49, 16), unde Plinio dicitur civium Romanorum oppidum. Idem Usalim Latinum, Hadrumetum Thapsum Leptim minorem Achollam oppida libera, Theudalim alio loco oppidum immune fuisse scribit, liberasque et immunes Leptim et Achollam fuisse praeterea auctor belli Africani (c. 7. 33) confirmat. Unde apparet praeter duo ad melius ius evecta oppida quinque reliqua ad Vespasianum usque in suo statu mansisse. — Eodem cum populis liberis loco perfugae sunt, id est, ut bene monuit Rudorffius (p. 103), Himilco Phamaeas, qui cum praefectus equitum Carthaginiensium (Liv. ep. 50; *ἵππαρχος τῶν Λιβύων*, App. Pun. 100 cf. 97; Zonar. 9, 27) esset, ad Scipionem cum Afrorum duobus milibus et ducentis transiit Romamque cum eodem profectus a senatu lautis donis exceptus est maioribus promissis, si ad finem belli Romanis fortem et fidelem operam navasset (App. l. c. c. 109). Quae mox persoluta sunt; nam perfugis agros datos adsignatos esse lex refert (v. 76) videnturque hi suam rem publicam habuisse ad exemplum populorum liberorum. — Quod ad condicionem eorum agrorum attinet, qui intra fines populorum liberorum tum fuerunt, cum proxime ante hanc legem rogatam in amicitiam populi Romani venerunt (ita enim diserte cautum est v. 80) quive perfugis dati adsignati sunt, meliore eos iure fuisse quam agros publicos populi Romani, qui populis amicis utendi concessi essent, vel locus ostendit, quo in ordine agrorum v. 89. 90 collocantur, et discrimen factum inter agrum qui Uticensium fuit cum in amicitiam populi Romani venerunt cumque quem populus postea Uticensibus permisit (v. 81). Omnino huc pertinet nota formula (cf. Marquardt *Handb.* 1, 3, 251. 252) libertatis a populo Romano civitatibus subditis concessae, qua urbs agri legesque suae restitui solent; ut est in lege Antonia de Termessibus liberis amicis sociisque populi Romani 1, 12 sq.: *quei agrei quae loca aedificia publica preivatave Thermensium — intra fineis eorum sunt fueruntve L. Marcio Sex. Iulio cos. — — quodque earum rerum ieis consulibus iei habuerunt possederunt usei fructeique sunt, quae de ieis rebus locata non sunt — — — — ea omnia Thermeses — habeant possideant* cet. Idque ipsum Carthaginiensibus, cum Uticensium exemplum secuti se suaque omnia Romanis dedissent, promissum est: *δίδωσιν αὐτοῖς ἡ σύγκλητος τήν τ' ἐλευθερίαν καὶ τοὺς νόμους, ἔτι δὲ τὴν χώραν ἅπασαν καὶ τὴν τῶν ἄλλων ὑπαρχόντων κτῆσιν καὶ κοινῇ καὶ κατ' ἰδίαν* (Polyb. 36, 2. cf. Diodor. p. 627; Appian. Pun. 76). Solum igitur in civitate libera non populi Romani fuit, sed ipsius civitatis eamque ipsam ob causam ab illo locari non potuit. Recte igitur, ubi de vectigalibus in hac lege cavetur, excipitur qui ager populorum liberorum, perfugarum fuit (v. 85). Easdem civitates immunes quoque fuisse quamquam ex ipsa libertate colligi non potest (v. Marquardt *Handb.* 3, 1, 253), tamen efficitur ex testimonio scriptoris belli Africani quod supra rettulimus de Lepti et Acholla.

III. *Ager publicus populi Romani* est quicquid praeter duo genera supra exposita intra fines provinciae comprehenditur, eoque populus aut ipse utitur, ut fit in viis similibusque, aut vectigal inde redigit, quam ob rem cum illud genus recte neglegatur, ager publicus populi Romani item dici potest *vectigalis*. Sunt tamen huius ipsius vectigalis agri condiciones admodum diversae, quas restat explicare.

1. *Ager privatus vectigalisque* (v. 49. 66) is est, quem ex hac lege quaestor praetorve populi Romani Romae ita vendidit, ut eum emptori et vendere et ad heredem transmittere liceret, maneret tamen populi vectigalque inde aerario penderetur. De quo genere agri, qui alibi (Hygin. p. 115. 125. 152) *quaestorius* dicitur, ita Rudorffius exposuit (*Feldm.* 2, p. 285—288. 315—318), ut ad eum remittere malim quam eum compilare. Ad hanc legem quod attinet, eiusmodi ager in hac legis parte Africana numquam dicitur *datus adsignatus*, quamquam non solum de colonico sed etiam de peregrino (v. 76) stipendiarioque (v. 77. 80) locutio ea usurpatur, sed plerumque *emptus* (v. 45. 47. 57. 65) opponiturque *adsignato* (v. 57; cf. Cic. de l. agr. 3, 3, 12). Idem dicitur *ex hac lege civis Romani factus* (v. 76) vel *ex hac lege privatus factus* (v. 80); plenissime denique condicio eius enuntiatur his verbis: *emptus esto et privatus vectigalisque ita, uti in hac lege scriptum est, esto* (v. 66. cf. v. 49). Quae quomodo explicanda sint, ex superioribus apparet. *Adiudicari* hunc agrum a II viro emptori supra iam vidimus (v. 69; cf. v. 62. 90), quamquam reperitur praeterea, ubi emptio cum adsignatione coniungitur, eum *emptum iudicari* (v. 57). Ad heredem eum agrum transire vendique posse intellegitur ex v. 49. 63—66 quamvis laceris reliquiis, ubi praecipue notanda formula emendi ab eo, *cuius eius agri hominis privati venditio fuerit* (v. 63). De ipsa emptione alibi disputabitur veramque eam fere fuisse ostendetur; vectigal contra non videtur impositum esse nisi testandi causa agrum populi manere. Sic in trientabulis, quae a. 554 pro pecunia populo credita in solutum dabantur aestimata, *in iugera asses testandi*

causa publicum agrum esse impositi sunt (Liv. 31, 13) idemque obtinuisse in omni agro quaestorio verisimile est propterea, quod auctores gromatici quaestorios agros cum agris vectigalibus subiectis ita componunt, ut ab his tamen distinguant (Hygin. p. 115 sq. 125. 131) eosdemque oblitteratis legibus a venditoribus impositis fere in occupatoriorum condicionem abiisse tradunt (Hygin. p. 116. Siculus p. 154). Nam vectigal certum et verum, quale de agris proprie vectigalibus solvitur, quomodo ubivis oblitterari potuerit, difficile intellegitur, quod contra est ut in occupatoriis vectigali vero, sed incerto obnoxiis, ita in quaestoriis, si quidem eorum vectigal certum quidem, sed non verum fuit. Denique lex haec vix agri privati vectigalisque vectigal admittit nisi imaginarium et iuris tantum testandi gratia impositum; neque enim verbum ullum reperitur quomodo cuive vectigal solvatur, quid denique fiat vectigali non soluto, adeoque quibusdam locis (v. 80—82. 83) ager privatus vectigalisque vere vectigali ita opponitur, ut ad similitudinem vere privati illum proxime accessisse perspicuum sit. — Quod si igitur agri quaestorii haec condicio fuit, ut a privato iure magis quam re differret, quaeritur, cur maluerint Romani subinde agrum ita vendere quam antiquo more dividere et adsignare. Et possunt quidem eius rei plures causae probabiles cogitari, ut est illa, ad agrum dividendum et adsignandum lege opus fuisse videri, ad vendendum eum suffecisse senatus consultum (cf. Cic. de l. agr. 2, 14, 35); maxime tamen eiusmodi venditionem in publicis negotiis ibi locum habuisse crediderim, ubi privati ad fiduciam decurrebant, neque in trientabulis solis, sed in agris venditis plerisque subesse aliquod debitum a populo Romano adversus privatos ita contractum, ut fructus agri pro usuris procederent, ipse ager apud creditorem tanquam pignoris loco esset. Universum tamen ius fiduciarium ad publicum hoc negotium rettulerim minime neque umquam debito publico ad certum tempus non soluto ager creditori permissu populi nomine a creditore distractus est, vel ex lege commissoria pleno iure eius factus; sed quamquam in publicis istis venditionibus pretium ab emptore solutum crediti fere loco videtur fuisse, tamen secundum legem contractus, quam in huiusmodi negotiis variam fuisse non est cur dubitemus, modo creditori ius pecuniae petendae adimi potuit, modo debitori ius pecuniae solvendae agrique recipiendi, ut similibus pactis debita publica a privatis hodie solent differre.

2. *Ager publicus stipendiariis datus adsignatus* bis commemoratur in lege v. 77. 80 praetereaque apud scriptores de eo haec inveniuntur. Cic. in Verr. 3, 6, 12: *inter Siciliam ceterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Poenorum quasi victoriae praemium ac poena belli, aut censoria locatio constituta est, ut Asiae lege Sempronia.* Alibi apud eundem (pro Balbo 9, 24. 18, 41) socii opponuntur stipendiariis his, Gaditani foederati *Afris Sardis Hispanis agro stipendioque multatis.* Appian. Pun. 135: δέκα δὲ σφῶν αὐτῶν ἡ βουλὴ τοὺς ἀρίστους ἔπεμπε διαθησομένους Λιβύην μετὰ Σκιπίωνος ἐς τὸ Ῥωμαίων συμφέρον (cf. Cic. de lege agr. 2, 19, 51: *Karthaginem — P. Africanus — de consilii sententia consecravit*). Postquam quid de Karthagine ipsa decreverint exposuit, ita pergit: ὅσαι δὲ πόλεις συμμεμαχήκεσαν τοῖς πολεμίοις ἐπιμόνως ἔδοξε καθελεῖν ἁπάσας· καὶ ὅσαι Ῥωμαίοις βεβοηθήκεσαν, χώραν ἔδωκαν ἑκάστῃ τῆς δορικτήτου καὶ πρῶτον μάλιστα Ἰτυκαίοις τὴν μέχρι Καρχηδόνος αὐτῆς καὶ Ἱππῶνος ἐπὶ θάτερα· τοῖς δὲ λοιποῖς φόρον ὥρισαν ἐπὶ τῇ γῇ καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασιν ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ ὁμοίως καὶ στρατηγὸν ἐτήσιον αὐτοῖς ἐκ Ῥώμης ἐπιπέμπειν ἔκριναν. Οἱ μὲν δὴ ταῦτα προστάξαντες ἀνέπλεον ἐς Ῥώμην· ὁ δὲ Σκιπίων ἐποίει τὰ δόξαντα. Cum his Appiani verbis qui contulerit quod legimus in lege X viros ex lege Livia factos Uticensibus agrum publicum populi Romani adsignavisse (v. 81) eosdemque X viros hominibus stipendiariis agrum dedisse adsignavisse (v. 77), non negabit ad primam, quae post captam Carthaginem a. 608 facta sit, provinciae Africae constitutionem et ordinationem haec respicere eamque igitur ex lege Livia descendere aliunde ignota; mirumque est Rudorffium (p. 104), quamquam similitudinem senserit, tamen maluisse manere in opinione antiquiorum legem Liviam ad M. Drusum tr. pl. a. 632 referentium, quem de agro Africano quicquam rogasse nec traditum est neque omnino verisimile, quam explicationem illam de qua diximus amplecti tanto rerum consensu commendatam. Nam quod X viros Appianus ex senatus consulto factos esse narrat, cum lex eos ex lege Livia creatos scribat, haec quidem facile inter se conciliantur. Ut enim antiquo more de pace ordinanda tractatus ad populum non spectabat, sed iure ad imperatorem, re ad senatum, qui eius rei causa imperatori decem hominum senatorii ordinis consilium adiungere solitus esset (v. Marquardt *Handb.* 3, 1, 243; Appian. Hisp. 99), ita ea de qua agimus aetate fieri potuit, ut haec quoque res aliquatenus ad populum reiceretur. Similiter post primum Punicum bellum cum pacem tribus de ea interrogatae improbassent, ὁ δῆμος ἐξαπέστειλεν ἄνδρας δέκα τοὺς ἐπισκεψομένους ὑπὲρ τῶν πραγμάτων (Polyb. 1, 63); deinde post bellum Hannibalicum cum plebs scivisset ut senatus decerneret de pace pacemque eam P. Scipio daret, ex hac rogatione senatus decrevit, ut P. Scipio ex decem legatorum sententia pacem faceret; denique post bellum Mithridaticum postremum P. Servilius Rullus ad populum tulit de X viris per populum creandis, quibus quamquam ius multo amplius maiorque honor destinabatur, tamen primum praecipuumque negotium dabatur hoc, ut quae more maiorum imperator exercitus Asiatici cum consilio decem hominum a senatu constituto ordinaturus fuisset, iam decemviri ex lege Servilia creati ordinarent. Eamque ipsam ob causam et hunc numerum omnino insolitum Servilio placuisse existimo et cavisse eum, ne per XXXV tribus, sed per minorem partem populi X viri crearentur; iure enim legatorum creatio senatus erat, ut sacerdotum nominatio collegiorum, neutraque palam populo videbatur posse concedi. Quam ob rem X viros ad Scipionem missos legatorum consiliique loco nec magistratus fuisse et a senatu, non a populo nominatos esse minime ambigendum est; neque tamen quicquam impedit, quo minus ea creatio sub certis fortasse condicionibus senatui permissa sit aliquo plebiscito. De auctore legis non constat; certe de C. Livio Druso cos. a. 607 cogitari non debet, cum lex illa neque ante captam Carthaginem ferri potuerit neque consularis, sed tribunicia potius fuisse videatur. — De iure et condicione agri stipendiariis hominibus attributi Rudorffius (Thor. p. 94; *Feldm.* 2, 316) varie neque plane recte videtur indicasse. Est autem ager stipendiarius proprie provincia, qua civitates liberas accurato et iusto sermone non comprehendi et aliunde notum est (Marquardt *Handb.* 3, 1, 265) et de ipsa provincia Africa testatur Appianus loco supra relato. Iam ut civitatis liberae hoc proprium esse vidimus, ut agrum suum habeat, ita e contrario *in provinciali solo*, Gaius ait (2, 7), *dominium populi Romani est, nos autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur* (cf. Frontinus p. 36). Quod ipsum de Africano agro et Cicero scribit, narrans agro stipendioque Afros multatos esse, et lex haec confirmat; recensetur enim ager stipendiarius in numero publicorum (v. 80) ipsaque formula, qua praeceptum de commutando temperatur v. 78, ut ita fiat, uti II viro e re publica esse videatur, eo spectat, quod horum agrorum possessores perpetuitatem ususfructus non iure videantur tueri, sed sola aequitate.

Quare quamquam stipendio non soluto plerumque id ab iis peti solet, non ager auferri (Rudorff. *Feldm.* 2, 317), tamen quo iure vel non soluto vel etiam recte soluto stipendio quominus suum recipiat eoque alia ratione uti incipiat populus impediatur, non perspicio omninoque horum agrorum possessores eadem fere condicione fuisse mihi persuadeo, qua fuerunt qui in Italia agrum publicum permittente vel sinente populo occupassent. Denique quod in lege non inveniuntur civitates stipendiariae, sed homines stipendiarii (v. 77. 78. 80), factum est non sine causa. Nam cum civitatibus, quae primo quoque tempore ad Romanos descivissent, cum libertate ager restitueretur, eae autem, quae vi expugnatae essent, diruerentur, tertium genus earum civitatium, quae primo cum Carthaginiensibus stetissent, postea Romanis se dedissent (cf. Zonar. 9, 27: *ἐπὶ τοὺς τῶν Καρχηδονίων συμμάχους ἐστράτευσαν καὶ πολλοὺς μὲν αὐτῶν βίᾳ, πολλοὺς δὲ ὁμολογίᾳ παραστήσαντο.* App. Pun. 126), oppida quidem incolumia retinuit, sed soli ius iustumque civitatis statum perdidit. Similiter de Campanis Livius (26, 16): *quibusdam delendam censentibus urbem praevalidam propinquam inimicam — — urbs servata est — — ager omnis et tecta publica populi Romani facta — — placuit corpus nullum civitatis nec senatus nec plebis concilium nec magistratus esse.* — In formas publicas agrum stipendiarum relatum esse (v. 78) praeter legem gromatici tradunt (Rudorff *Feldm.* 2, 420).

3. *Agri publici regibus civitatibusve sociis et amicis permissi* duo genera in lege inveniuntur, ager, quem Scipio liberis regis Massinissae dedit habereve fruive iussit (v. 81) agerque, quem X viri ex lege Livia facti Uticensibus reliquerunt adsignaverunt (v. 81), ibidemque praeterea agrum aliis civitatibus liberis concessum hiatus ingens qui sequitur potest hausisse. Et de hoc quidem agro supra iam attulimus Appiani testimonium; ad illum referendum est, quod ex Plinio h. n. 5, 4, 25 et Cicerone de lege agr. 1, 4, 10. 2, 22, 58 efficitur, P. Africanum minorem inter populum Romanum regesque Numidiae fines rexisse cumque agros quosdam in ora maritima populo Romano adiudicasset, eos mox permissu, ut videtur, Scipionis reges nihilo minus occupasse et deinde variis modis efficere temptavisse, ut de eorum possessione foedere sibi caveretur. Quo non facto licuit quidem populo Romano si vellet reges expellere agrosque quolibet tempore reciperare; hac tamen lege nihil eiusmodi secutus est, sed mansit per eam ager publicus populi Romani Numidiae regibus populisque liberis concessus ea qua fuerat neque meliore neque deteriore condicione. Quod de liberis regis Massinissae lex loquitur neque reges qui tum erant nominat, utrum tangat sic controversias eius temporis de regum Numidiae successione, quae ipso quo lex lata est anno bellum Iugurthinum excitarunt, an quod magis credo verba repetat arbitrii inter filios Massinissae a Scipione lati, certa ratione non videtur posse definiri.

4. *Ager publicus populi Romani, ubi oppidum Carthago quondam fuit* (v. 81), hoc proprium habuit, quod P. Scipio eum de consilii sententia ad aeternam hominum memoriam consecravit (Cic. de l. agr. 1, 2, 5. 2, 19, 51) hac lege, ne unquam ibi habitaretur, sed in ruinis maneret in sempiternum. Appianus Pun. 135: (X viri ex lege Livia facti) *Καρχηδόνος μὲν εἴ τι περίλοιπον ἔτι ἦν, ἔκριναν κατασκάψαι Σκιπίωνα καὶ οἰκεῖν αὐτὴν ἀπεῖπον ἅπασι· καὶ ἐπηράσαντο, μάλιστα περὶ τῆς Βύρσης, εἴ τις οἰκήσειεν αὐτὴν ἢ τὰ καλούμενα Μέγαρα· ἐπιβαίνειν δ' οὐκ ἀπεῖπον.* Idem b. c. 1, 24 Gracchum collegasque coloniam eo deduxisse scribit *οὐδὲν φροντίσαντας, ὅτι Σκιπίων αὐτήν, ὅτε κατέσκαπτεν, ἐπηράσατο ἐς αἰεὶ μηλόβοτον εἶναι.* Zonar. 9, 30: (Karthago) *πᾶσα ἄρδην ἀνάστατος γίγνεται καὶ ἐπάρατον ἐψηφίσθη τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαί τινα.* Cum qua rerum gestarum memoria devotionis urbis Carthaginis carmen servatum a Macrobio sat. 3, 9 aegre conciliatur; nam ut mittamus in carmine devoveri quidem et consecrari urbem agrosque, neque tamen quod maximum est perpetuae vastitatis clausulam in eo inesse, item urbes, quas Macrobius ita devotas esse narrat, deletas quidem esse, sed tali habitandi colendique detestatione vix alligatas esse videri omnes, ut haec inquam mittamus, quomodo devotionis carmen illud, quod ante urbem expugnatam recitari debuisse apparet, conciliabitur cum testimoniis auctorum multo graviorum, qui post captam demum et incensam Carthaginem de consilii sententia Scipionem ea lege oppidi solum consecrasse rettulerunt? Sed utut est, hoc constat Carthaginem quae fuerit sive vulgari ea sive singulari quadam lege consecrationis (cf. Cic. l. c.) ab Africano aeternae solitudini destinatam esse; et re vera urbem in ruinis per saeculum fere iacuisse exulesque ibi et latrones latitasse apparet ex notissima de C. Mario narratione (Plutarch. Mar. 40. Vell. 2, 19). In hoc tamen vel erravisse videtur Appianus vel parum proprie locutus esse, quod altero loco deletum oppidum in pascuis populi Romani numerat; nam si pascere ibi licuisset, inopportune interdictum est de habitando et sine iusta causa observatum licuisse tamen ad locum accedere. Denique omnino devotionis illius gravitas et religio hoc flagitat, ut eo loco damnatae in perpetuum memoriae ne quis deinceps in humanos usus abutatur neve in hisce ruinis neque habitet nec pascat quisquam nec falcem aratrumve inducat. Quod ipsum ex hac lege apparet. Hic enim ager si cum reliquis pascuis a censoribus locatus esset, minime ita, ut factum est v. 81, excipi debuit; sed recte exceptus est, si quidem ruinae illae sic iacebant, ut neque populo neque privato cuiquam deinceps prodessent.

5. *Viae publicae*, quae Carthaginis coloniaeve Gracchanae fuerunt, publicae populi Romani manent (v. 89).

6. *Ager* denique *publicus populi Romani a censoribus locari solitus* est is, qui neque civitatium liberarum est (II) neque stipendariis relictus (III, 2), sed Carthaginis ipsius fuit reliquarumve civitatium vi captarum alicuius, excepto eum Carthaginiensi intramurano (III, 4) tum eo qui post captam eam aut colonis datus (1) aut venditus (III, 1) aut sociis concessus (III, 3) aut publicis usibus destinatus est (III, 5). Quibus exceptionibus et maxime stipendiaria attributione quamquam maior pars agri publici in provincia Africa continebatur, tamen superfuisse ibi aliquantum agri, quod censores locarent, non obscure indicat Cicero et loco supra allato, ubi stipendiarium censoriumque agrum conferens *plerosque Poenorum* stipendium dare solere refert, et iis locis, ubi Karthaginem P. Servilii lege vendi queritur (de lege agr. 1, 2, 5; 2, 19, 51); nam quamquam invidiose quae de agro intramurano vera sunt ad totum venditionem futuram Cicero trahit, certe non tam de intramurano perparvo Rullus cogitavit, sed praedia Africana a censoribus adhuc locari solita vendere sibi videtur proposuisse (cf. Cic. Verr. 3, 11, 27). Multoque minus de ea re dubitare sinit haec lex, quae a v. 78 fere ad 96 de censorio agro Africano agit. Nihilo tamen minus multa horum non satis hodie intelleguntur, ob eam maxime causam, quod lex censoria consularisque, quae ante hanc legem rogatam postrema dicta fuit a. 639 et 641, ita pro fundamento est huic nostrae, ut ad eam omnia referat. Ne hoc quidem satis apparet, quo modo qui eo agro utuntur fruuntur eum acceperint; nam quod in Italia plerumque evenit, ut sola occupatione patientiaque populi id perageretur, in provincia aliter actum videtur esse, cum in lege eiusmodi ager dicatur modo *ex senatus consulto datus adsignatus* (v. 93), quamquam hoc fortasse ad horum agrorum partem solam spectat, modo *publice adsignatus* (v. 91), modo etiam *datus redditus ad-*

signatus (v. 82. 94). Videntur igitur aratores et pecuarii non sinente, sed permittente populo vel potius senatu arare coepisse pecusve induxisse. Similiter Cicero (Verr. 3, 6, 13): *perpaucae,* inquit, *Siciliae civitates sunt superiore bello**) *a maioribus nostris subactae, quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus; is ager a censoribus locari solet.* Redditum agrum intellege non iure, sed precario; qua de re multi varie erraverunt. Cuinam eiusmodi ager dari reddi adsignari potuerit, ex lege non apparet, nisi quod praeter cives Romanos alios quoque admissos esse ex v. 83 (cf. v. 94) efficitur; videtur non Latinis solum, sed etiam peregrinis omnibus populi Romani dicioni subiectis in his idem ius fuisse, adeoque saepissime iis ipsis, qui sublatae civitatis cives fuerunt, aliquam eius partem precario restitutam esse ipsum reddendi vocabulum declarat. Aratores pecuariique ex hac lege agrum profiteri iubentur ut coloni colonicum (v. 90); quo facto cui permittitur eum retinere, videtur is esse, *[quocum tran]sactum est, ut bona quae habuisset agrumque publice sibi adsignatum haberet* (v. 91). Dicuntur eiusmodi praedia *agri possessionesve agrice possessiouisce superficia* (v. 92. 93) quique ea habent, dicuntur *habere possidere frui* (v. 82. 92) vel simpliciter *possidere* (v. 83. 88) vel *habere* (v. 91). Apparet his hominibus neque ipsos agros tribui neque certum aliquod in iis ius multumque interesse inter hos et colonos agrive privati vectigalisque emptores, quorum illi domini ex iure Quiritium sunt, hi ita domini, ut nudum ius Quiritium solum apud populum remanserit. Contra illos agros licuit sane populo ad exemplum occupatoriorum quandocumque et quomodocumque placuisset possessori auferre; idque ex hac lege non solum fieri potuit, sed etiam debuit, cum et ager qui ex ea veniret nisi ex hoc locari solito sumi non potuerit et ipsa illa transactio cum quibusdam possessoribus ita facta, ut bona haberent quae habuissent, non obscure indicet alios possessiones quas habuissent ex hac lege perdidisse. Accedunt tamen tantae severitatis duo temperamenta, alterum, quod vel ex iure venit, possessor post ablatam possessionem vectigal inde ne solvat (v. 92), alterum, quocum ex hac lege transactum ita est, ut possessiones partemve earum habeat, is ne ex eadem lege eo agro rursus privetur, sed aut retineat eum ipsum aut pro eo tantundem de publico commutatum accipiat (v. 91 cf. v. 82. 94). Haec tamen clausula non perpetua fuisse, sed ad solam ex hac lege venditionem pertinuisse videtur, ut lege deinceps de ea re lata et hunc agrum possessoribus auferre liceret. Quamobrem in hoc agrorum genere privatis ius stetit intra meram possessionem nec sine causa et de vendendo et de transmittendo ad heredem in hac legis parte ne verbum quidem reperitur. Unde quantum intersit inter hunc agrum et privatum vectigalemque vel adeo stipendiarium licet facile perspiciatur, tamen qui a censore conduxit ut deterioris iuris quam dominus ita melioris est quam qui agrum conduxit iure privato; nam qui a populo agrum conduxerit, eum possidere, qui a privato, detinere tantum, et aliunde notissimum est et legis huius termini satis confirmant. Agrum eiusmodi qui habet eum conductoris loco sit, pensionem solvat necesse est; quae pensiones in lege varie significantur. Modo inveniuntur *vectigal decumae scriptura pecoris* vel *pro pecore* (v. 82. 86) vel *vectigal decumae scriptura* simpliciter (v. 82. 83); modo bipertito *vectigalia publica populi Romani* et *scriptura pecoris* sibi opponuntur (v. 87. 88) eodemque videtur pertinere locus mancus v. 92, ubi *scriptura pecoris* hodie sola superest; modo denique *vectigalia in Africa publica populi Romani* (v. 86) vel *agri aedificii loci vectigalia publica* (v. 85) ita memorantur, ut ibi vectigalibus non decumas solum sed etiam scripturam comprehendi vix liceat dubitare. Omnino maxima agri censorii pars non nomine tantum in 'censorum pascuis' videtur fuisse — nam *in tabulis censoriis,* ait Plinius h. n. 18, 3, 11 (cf. Cic. de lege agr. 1, 1, 3), *pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet* — sed re etiam ad scripturarium agrum (cf. Fest. s. v. p. 333 Müll.) pertinuisse; sunt enim in lege quidam loci, maxime v. 86, qui scriptorem de pecuariis magis quam de aratoribus cogitasse prodant. Denique eundem agrum alteri arandi, alteri pascendi causa dari potuisse v. 88 indicio est, quod quomodo fieri potuerit, pabuli hiberni venditio apud Catonem (de r. r. 149) ostendit. Quidnam scripturae nomine pecuarius solverit, quibus legibus paverit, quae multae denique contra legem pascentibus propositae fuerint, plebiscitum non proponit, sed ad censoriam de ea re legem remittit (v. 85. 86.) Aratores decumas solvere debuisse ex superiobus apparet. Aedificii vectigal, quod v. 85 memoratur, idem videtur esse atque agri possessionisve superficio impositum (v. 92); neque tamen de solario cogitarim, sed hoc significari videtur licuisse pecuario tugurium, aratori villam in possessione ita sibi facere, ut aliquid propterea ad scripturam decumasve accederet. De reliquis publicis Africae, portoriis maxime, lex haec, quae tota agraria est, non egit. — Eadem iis, qui decumas scripturamve debent, prospexit duplici ratione. Primum decumis scripturave in futurum tempus liberantur hac lege iidem, quos liberavit lex Sempronia (v. 82). Quam esse legem de provincia Asia a censoribus locanda latam a C. Graccho (cf. Cic. Verr. 3, 6, 12; hist. meae Rom. 2, 109) pervidit Rudorffius (p. 126); quosnam vero haec exceperit, demonstrat locus saepe male neglectus scholiastae Bobiensis ad Cic. pro Planc. 13, 31 p. 259 Orell.: *Cum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur affecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia et remissionis tantum fieret de summa pecuniae, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione vexati;* de qua controversia cf. Drumanum 3, 210. Apparet C. Gracchum lege hac remittendi arbitrium senatui eripuisse, quod quanti fuerit Polybius ostendit (6, 17), et hac quoque innovatione equites a senatu separasse senatoriamque potentiam infregisse. Eodem spectat Cic. de prov. cons. 5, 12: *qui frui publico non potuit per hostem, tegitur ipsa lege censoria*; notissimaque regula iuris privati propter omnem vim maiorem, quam cui resisti possit, hostium, fluminis, graculorum, sturnorum similiumque conductori pensionem totam partemve eius remitti oportere (Dig. 19, 2, 15, 2. 25, 6.) aut ex lege Sempronia fluxit aut, quod magis est, ex privato iure eam in publicum C. Gracchus transtulit. Omnino enim ita haec res comparata est, ut et conductorum agri et publicani liberatio simul fere procedat neque ab hoc peti possit, ubi illis pensiones remittuntur; nisi quod damni magnitudo aliter sane aestimatur in singulis fundis saltibusve locatis atque in conductione vectigalium provinciae universae potestque damnum quod in aratore pecuariove magnum est remissionemque ei affert, in publicano modicum videri neque tanti, ut ob id ipsi de locationis summa aliquid remittatur. — Deinde lex cavet, ne qui postea fundum saltumve in Africa possidebunt, pro iis plus dent durioribusve

*) *Sunt bello* vulgo legitur; *superiori bello* codex Lagomarsinianus 42 omnium praestantissimus. Quod scripsimus et recte dicitur (nam de Sicilia duo tantum bella gessit populus Romanus, quamquam cum Karthaginiensibus pugnavit ter) et necessarium est; Leontinum enim agrum bello posteriore sive Hannibalico populi Romani factum non censores vendiderunt Romae, sed praetores quaestoresque in provincia lege Hieronica (Cic. Verr. 3. 46, 110 sq.). Cf. Marquardt *Handb.* 3, 2, 142.

legibus eos obtineant, quam proxima vectigalium venditione censoria a. 639 constitutum sit (v. 85—88), nisi quod quae postea consul a. 641 vectigalia Africana vendidit, hac, ut par est, lege iubentur possideri (v. 89); publicani tamen quominus carius emant quam tum factum est non vetatur (v. 86. 87). Quod dignum est ad quod diligenter attendamus. Habet locatio publica vi ac natura sua aliquid diversum a locatione privata; ut enim haec intra contractum stare solet, ita illa vel inter iura in re abire vel in ipsum denique dominium, propterea quod non ut privatus ita res publica facile colonum expellit neque huic tam expedit quam expedit privato pretio vel carissimo sua locavisse. Quod ipsum de Romanorum agro vectigali accidit. Colonum publicum vel ex antiquissimo iure fuisse possessoris loco supra vidimus; eundem hac lege novum ius et privata locatione meliorem condicionem videmus adipisci, cum idem quod a. 639 constitutum est agri Africani vectigal in perpetuum manere iubetur, ut ab agro emphyteuticario vectigalis hic hoc iam nomine non differat vectigali certo et perpetuo effecto. Quamquam multum adhuc interesse inter utrumque et huius legis possessorem nequaquam pro emphyteuta habendum esse vix est quod moueamus; potest enim illi ager auferri, ut publice aut vendatur aut alii colono iisdem legibus attribuatur neque iure illi licet possessionem vendere vel ad heredem transferre. — Vectigalia horum agrorum, aratorum decimae scripturaque pecuariorum, populo ita solvuntur, ut publicano eorum fructus locetur vel vendatur (sic enim in lege fere est *vectigalia fruenda locare vendere* v. 85. 86. 87. 88. 89); unde in hac lege modo dicuntur *dari populo aut publicano* (v. 20. 26. 83) modo *publicano* simpliciter (v. 85). Romae censoria locatione, non in Africa fructus illos veniisse praeter alios Cicero docet loco supra allato Verr. 3, 6, 12, et agitur in lege quoque de censorum a. 639 agri Africani locatione venditione (v. 85. 86. 88), cuius tanquam accessorium videtur fuisse locatio consularis a. 641 (v. 89); similiter constitutione Sullana, quae censores nullos esse voluit, consules eorumve loco praetores censoria negotia procurabant (Cic. Verr. l. 1, 50, 130; cf. hist. meae Rom. 2, 356). Quam ob rem quod in lege dicitur locare vendere *magistratus prove magistratu quive pro eo inperio iudicio [curationeve erit]* (v. 87), de ipsa censoria consularive venditione videtur accipiendum esse, ut magistratus sit censor, reliquis significetur consul praetorve censoris vice fungens. Iudicium autem intellegitur cum locatione publica coniunctum; censoris enim quive in locum eius subibat omnino erat lites dirimere, quae de ea locatione inter populum publicanumque incidissent (cf. ad v. 33).

XLV. Ab hoc inde loco quin agatur de agro Africano dubitare non sinit loci de agro Corinthiorum comparatio, ubi lex v. 96. 97 similiter orditur ab agro quem publice venire oporteat metiundo et v. 100 plane respondet huic nostro 46; ut quamquam de metiundo lex Africana propter certas causas non cavisse videtur, tamen ab agro publice vendendo omnino proficiscatur idque caput eius et summa recte credatur fuisse. Videamus igitur hoc loco de universa hac emptione venditione, quis venditor fuerit, quis emptor, ubi instituta sit, quid venierit, quando, quo pretio; nam quo iure res emptoris fiat, supra iam exposuimus (III, 1). Primum populum vendere perspicuum est; *publice* enim agrum venire, *populo*que emptorem obligari passim in lege dicitur eodemque ducit mancipis praediorum praedum commemoratio v. 46—48. 73—74. 83—84 a privatis venditionibus alienorum. Vendit populi nomine 'magistratus Romanus' (v. 47), quem II virum ex hac lege factum Huschkius habuit, equidem crediderim fuisse quaestorem urbanum adiuncto urbano praetore. Venditur enim Romae (v. 48. 75. 83), cum II vir quantum video non in urbe negotium gerat, sed in Africa res procuret; deinde ubi de ipsa emptione rebusque cum ea coniunctis agitur, nusquam II vir nominatur, contra et legitur v. 92: *agrum — q(uaestor) pr(aetor)ve pu[blice vendidit]* et praediatoria exactio propter eiusmodi emptiones ex hac lege permittitur praetori urbano (v. 73. 83) et nomina mancipis praedum praediorum perscribit urbanus quaestor (v. 46 cf. v. 100.). Vendere autem quaestorem magis quam praetorem ea re significatur, quod prior ille nominatur, praetereaque agri publici venditionem proprie quaestoris fuisse satis apparet ex ipso nomine *agri quaestorii* (cf. Rudorff *Feldmesser* 2, 286; Becker *Handbuch* 2, 2, 348). Urbanus autem quaestor vendit, non militaris, scilicet agrum ex longo tempore populo Romano adquisitum. Praetoris urbani id solum in hac re negotium videtur fuisse, ut populo satis cavendum curaret, ubi satis cautum non esset, pecunia praesenti venderet (v. 73. 74). — Sequitur de emptore, quem civem Romanum esse oportere lex passim significat (v. 58? 76. 78. 83. 94?); commemorantur praeterea in iis qui supersunt laciniis semel *socii nominisve Latini* (v. 50), neque tamen in his emptionibus num quid iis permissum fuerit, certa ratione apparet. — Ad emptionis locum et tempus quod attinet, Romae agros veniisse ad aerarium iam diximus. Venditiones eiusmodi alias hanc legem praecessisse, alias ex ea demum proficisci varii legis loci inter se collati satis ostendunt; nam v. 75 verbis: *ager — quei Romae publice venieit venieritve*, item v. 70 et 72 de pecunia pro agris venditis populo solvenda verbis *adsignatum est eritve — debetur debebiturve* utrumque genus comprehenditur. Perfecto tempore idem effertur v. 45: *emptum est;* v. 47: *emit;* v. 58. 65. 67. 91: *venieit,* quamquam ad tempus ante rogatam legem an ad quidvis aliud haec referre oporteat potest dubitari. Futurum ponitur v. 80: *quei ager ex h. l. privatus factus erit;* v. 83 (cf. v. 73): *quei Romae publice venierit.* Venditio quatenus futura est et fit ex hac lege, semel unaque auctione perfecta sit necesse est, cum agrorum venditorum pretia omnia exigantur eadem die (v. 70); nisi quod qui agri propter pecuniam non solutam emptoribus auferuntur, iterum veneunt die posteriore (v. 74). — Qua die vel ante quam diem ex hac lege venditio fiat, ignoratur. — Pretium verum esse vel inde constat, quod praedibus praediisque populo cavetur, cautione ab imaginaria venditione sane aliena, et pretia agrorum per publicanum aliave ratione exiguntur. Reperitur quidem praeterea venditio aliqua nummo uno v. 66 (nam v. 49 male eam intrusam esse hodie constat), sed haec tum fit, cum pro ablato agro iure vendito iusto emptori tantundem agri publici a populo redditur, unde eam quam lex instituit agri Africani venditionem veram esse omnino confirmatur. Mancipibus qui licitatione vicerunt pretia in tabulis publicis debitorum nomine adsignantur vel discribuntur, id est sua cuique portio adscribitur (v. 70 cf. v. 46. 100). De solutione lex cavit diligenter. Primum ad certam post venditionem diem mancipi permittitur pretium solvere. Quod si non fecit, per quattuor menses proximos solvere quidem iam non licet, sed licet praedibus praediisque populo cavere; quomodo vero satis dandum fuerit quaeque praedia subsignari potuerint, his versibus 45. 46 olim cavebatur, ad quos ablegat de ea re versus 73. Denique si emptor neque solvit neque satis fecit, ager ei aufertur venditurque pecunia praesenti (v. 73. 74). Primo itaque et tertio casu negotium transactum est pecuniaque in aerarium redacta. Qui populo caverunt, ab iis per publicanum pecunia exigitur hoc ordine. Debita omnia publicano ita venduntur, ut certam pecuniam, quam propter exactionis pericula et impendia debitorum summa minorem esse debuisse facile intellegitur, certa die, quae videntur esse idus Martiae post hanc legem rogatam secundae, aerario inferat, item ex certa die, sive eadem fuit (ut exempli causa in supplementis

posui v. 71) sive diversa, ab emptoribus debita aerario sibique cessa exigat. Et haec causa fuit, cur post diem solutionis praeteritam emptori iam liceret satisdare, solvere non liceret, quod praeterea in iure non facile invenietur; denique ob id ipsum qui emptor publicano attributus est, etsi post attributionem populo solvit, nihilo minus publicano manet obligatus, ut tamen pecuniam hoc nomine populo solutam tanquam indebitam ab aerario repeti potuisse aequitas iuris dubitare non sinat. Intererat enim et publicani et populi accurate definire quaenam nomina emerentur venderenturque neque a quoquam debitore publicanum repelli posse exceptione pecuniae ante solutae. Quare lex et solutioni ad ipsum aerarium perficiendae diem certam praestituit et si quid peccatum esset a quaestore, sive quod pecuniam male scripsit deberi, quae soluta iam esset, sive post illum diem pecuniam accepit, publicano nihilo minus emptorem satis facere pecuniamque ante solutam ab aerario repetere iussit. Denique ad emptores, qui publicano non satis fecissent, spectat caput v. 83. 84, quamquam loco alieno positum; nam verba *pro agro loco, quei Romae publice venierit,* nullo modo ad vectigalium, sed ad solam agri publici venditionem referri constat neque ita certo et iusto ordine capita legis composita sunt, ut ex loco quo quid legatur multum efficias. His v. 83. 84 quod cautum fuit, lacunae magnopere obscurarunt; videtur tamen aliqua ratione posse reperiri, modo hoc teneas quod alibi demonstravi (*Stadtrechte von Salpensa und Malaca* p. 471; cf. quae infra notabuntur ad legem Puteolanam) iure praediatorio pecunia debita non soluta non mancipem teneri, quamquam re principaliter debuit, sed praedes eius, nisi forte manceps 'idem praes' est; item praedem ita teneri, ut praedia quae habet ei obligationi subdat et subsignet. Videntur igitur mancipi primum aliquot dies mensesve rursus dati esse, quibus ut ante populo, ita nunc publicano solveret. Si non solverit, lex cavet, ut et ter tantam pecuniam populo debeat et pro triplicata ea pecunia tanquam 'idem praes' praedia sua invitus in publicum det, praetereaque pro aucto hoc debito solita subsignatione praedibus eorumque praediis denuo caveatur. Nam ita in lege est: *Praetor — [praedia empto]ris ter tanti invito eo quei dabit accipito facitoque quei ex h(ace) l(ege) praedia dederit utei ei satis supsig[netur].* Convenit id plane capiti LX aeris Malacitani: *praedes — dato — si d(e) e(a) r(e) is praedibus minus cautum esse videbitur, praedia subsignato,* dudum ita explicato (*Stadtr.* p. 477), ut si qualibet ex causa praedes non sufficiant, debitor principalis ipse praedis loco praedia subsignet. Quae sequuntur: *[neive quis quid fax]sit, quo minus ex h(ace) l(ege) praedium quei quomque velit supsignet pequniamve solvat praesque quei quomque ex h(ace) l(ege) fieri volet, fiat* non obscure indicant iure praediatorio licuisse cuivis ut solvere ita praedem fieri pro debitore etiam invito, quod magna ex parte in iure communi solutionis fideiussionisque non minus obtinet; videnturque, ubi emptor solvendo esset, commoda quaedam ad eum qui praes factus pro eo pecuniam dedisset inde redundasse, fere ut duplum venit in actionem depensi, unde lex qui volent ad eiusmodi intercessionem quodammodo invitat. — Quid factum sit, si emptor praedia non haberet, quae pro triplicata pecunia daret, denique pecunia haec publicano neque ab emptore neque ab alio ullo solveretur, lex non proponit, non ab aliam causam ni fallor, quam quod ei rei ius praediatorium satis iam in universum prospexerat praedibus praediisque vendendis. Nam quod ex hac lege a populo publicanus mercatur, non praedes praediaque sunt, sed ipsa nomina exigenda, ut tanquam in nomine cesso publicano pecunia non debeatur, sed recte solvatur, populo debeatur, neque tamen recte solvatur. Unde cum populo debitum maneat, non creditori privato deberi incipiat, recte et praedes qui fuerunt manent obligati et qui postea ad obligationem accedunt, non sponsorum locum, sed item praedum obtinent; erravitque Zimmermannus (de notione et historia cautionis praedibus praediisque. Berol. 1857. p. 36), contraria ratione publicanum praedum praediorumque obligationes mercatum esse opinatus. Imo quamquam ubi alio modo publicano satisfactum non esset, praedes praediaque ut ei satisfieret tandem aliquando sane venierunt, tamen ex ipsis nominibus cessis publicano in praedes praediaque ius nullum fuit; simplicissimeque ita rem processisse animo informabimus, ut ubi ad venditionem illam res pervenisset, pro debiti summa aerarium praedes praediaque publicano vel eidem qui nomina mercatus esset vel cuivis alii venderet et ex pecunia ita redacta publicano, cui nomen frustra cessum esset, satisfaceret. — Pro COLONEI *b* 45 Rudorffius reposuit COLONO, sine iusta causa.

XLVI. Miro errore Zimmermannus (l. c. p. 8) hinc effecit regulam iuris in universum mancipes praedes praedia soluta esse oportere, cum frustulis rem sibi esse plane oblitus. Supplementa mea proficiscuntur ex v. 100; quamquam diversam sententiam hic subesse posse non infitior.

XLVII. *b* 47 {E MAG · tabula; E priores non habent neque notavi ego. — PEQVNIA AES; NEIVE · PEQVNIAM Huschkius (p. 606) voluit.

XLVIII. *b* 48 EDIVM priores; in tabula praecedit litterae A vestigium. — *a* 43 VEI Maz., QVEI Sig. Urs.

XLIX. *b* 49 EEIVS tabula; *III* · EIVS ego; EIVS Urs.; ETVS Bluhme, unde HS · N · I · EMPTVS effecit Rudorffius. — Post VECTIGALISQVE litteram I Bluhmius tabulaque exhibent; mihi V potius visa est. — *a* 44 TERRA ITALIA Maz., TERRAM ITALIAM Sig. Urs.

L. *b* 50 OGATORVM priores, GATORVM tabula. — De supplemento v. ad v. 21.

LI. De procuratore v. ad v. 67. — *c* 1 ALO · QVEI · AC Briss. Boiss.; om. Urs.; *curA*TO coniecit Rudorffius.

LII. Hoc loco primum certa mentio fit II virum ex hac lege creandorum, qui deinde saepe occurrunt; ut iam huius magistratus natura in examen veniat. Primum binarius numerus insolitus est neque in legibus agrariis et coloniariis praeterea reperitur (cf. Cic. de lege agr. 2, 7, 17: *toties legibus agrariis curatores constituti sunt triumviri quinqueviri decemviri*). Non minus novum est, quod, ubicunque II viri mentio fit, singulari numero effertur, quod fit vel in his locis, ubi opponuntur plures, ut v. 80 (*II vir stipendiarieis dederit;* cf. ad v. 11), ut non videantur eadem negotia ambo alterve procurasse, sed alteri utri diversa negotia ex lege iniuncta esse. Quibus cum si componimus quod supra iam ad v. 28 demonstratum est, in ea parte legis, quae de Italia agit, II viros hos nusquam commemorari, item quae de agro provinciali Romae ex hac lege fieri oporteret, non II viris, sed ordinariis magistratibus iniungi, contra et in Africa et Corinthi II virum negotia administrare, sponte sequitur duos viros ex hac lege factos esse, quorum alter in Africam, alter in Graeciam proficisceretur ibique in re praesenti de agro publico populi Romani statueret. Extra ordinem neque plus semel hos II viros creatos esse sequitur cum ex v. 78 tum ex natura negotii cui praeficiuntur. Potestas eorum eadem videtur fuisse ac reliquorum curatorum agrariorum, id est videntur fuisse *II viri agris dandis adsignandis iudicandis,* agrumque, qui publicus fuit, ad privatos transtulisse vel ipsum vel usum eius et de ea re, utrum publicus an privatus ager esset, iudicavisse (v. 57. 59-64. 68). Quod praeterea ius edicendi habuerunt (v. 52. 53. 56. 57), quod qui agrum privatum publicumve tenebant, cum omnem secundum suum causam apud eos profiteri iubentur (v. 53. 56. 57) aliaque similia a communi magistratuum iure non recedunt. — *c* 2

QVO Urs., OV Briss. Boiss. — *a* 47 EICI Maz., om. Sig. Urs.; emendavit Huschke p. 581.

LIII. *Cognitores* hic videntur nominari iidem, qui ex aere Malacitano c. 63. 64 innotuerunt (cf. comm. meum p. 477), qui quo quis iure praedium teneat publice testantur falsoque testimonio dicto populo obligantur. — *b* 53 punctum ante numerum in aere superest. — ERIT · ITA Bluhme et tabula; ERIT · ... ego dubitans; ERIT om. rel. Sig. Urs. — *e* 3 QVOM Urs., QVON Briss. (ubi pro M fracto typotheta videtur dedisse N), QVOM · L Boiss. — *a* 48 ROFITEBITVR Maz. Sig., PROFITEBITVR Urs.

LIV. *b* 54 supplevit Rudorffius ex v. 63; idem quod *emptum* pro *emptor* reposuit, recipere nolui, cum in lege fuisse ita fere possit *modo demum emptor siet ab eo.* — *e* 4 CALPVRNI Urs., C · CALPVRNI Briss. Boiss., male, nam de consule a. 574 vix potest cogitari. Ceterum ad quemnam de tribus L. Calpurniis, qui consules fuerunt a. 621. 642. 643, qui omnes alibi in hac lege nominantur, hic locus trahendus sit, ignoramus. — POST Boiss., POSI Briss., POSTEA Urs. — *a* 49 IQVE · IPSE · N Maz.

LV. Rudorffio (p. 108) visum est hoc loco cautum esse de restituendo in integrum eo, qui cum praefectus milesve in provincia esset aliamve ob causam publicam abesset, intra diem apud II virum professus non esset; Huschkius (p. 607) ut pro iisdem hominibus procurator profiteretur hoc loco permissum esse magis credidit. At hoc si voluisset legis scriptor, universe credo comprehendisset rei publicae causa qui abessent; praeterea cum professiones in Africa provincia fierent, excipiendi erant non qui in provincia, sed qui rei publicae causa extra Africam mererent. Equidem huc rettulerim potius Marciani verba (Dig. 49, 16, 9 cf. 1, 16, 6. 18, 1, 62): *milites prohibentur praedia comparare in his provinciis, in quibus militant, praeterquam si paterna eorum fiscus distrahat;* quod quamquam ab auctoribus aevi multo posterioris traditur, tamen cur iam huius legis aetate non obtinuerit non perspicio. Certe senatorii ordinis homines cum potestate aut legatione in provinciam profecti mancipium ibi emere nisi in demortui locum legibus etiam repetundarum vetabantur (Cic. Verr. 4, 5, 9; cf. Plut. apophth. Cat. mai. 27.) — *e* 5 ADSIGNATVS Briss. Boiss., ADSIGNATVSVE Urs. contra consuetudinem legis, maxime in hac parte Africana. — EIV Briss. Boiss., EIVS Urs. — *a* 50 AG solus Maz. habet.

LVI. Agitur hoc loco de eo, qui, cum apud II virum agrum profiteatur oportet, ante factam professionem bonorum venditionem subierit, videnturque eius loco vocari bonorum emptor magister curator quive ab eorum quo emerit. Nam curatorem, qui *b* 56 nominatur, non cum Rudorffio (p. 108) et Huschkio (p. 608) de curatore furiosi acceperim, sed de eodem, qui eo ipso versu statim post nominatur, curatore bonorum; de tutore enim pupilli et curatore furiosi iam civili iure satis cautum erat, contra, cum professio permittatur ei qui a curatore bonorum emit, idem ipsi curatori lege permissum sit necesse est. Recte vero idem Huschkius monuit specialiter de bonorum emptore similibusque personis propterea cautum esse, quod *bonorum emptorum res pleno iure (non) fiunt, sed in bonis efficiuntur, ex iure Quiritium autem ita demum adquiruntur, si usu ceperunt* (Gai. 3, 90). Magister is est, quem bonis vendendis creditores praeposuerunt, neque mirum, eum bonorum emptori postponi, cum huius ius perpetuum sit, illius transitorium. Curator, cui aeque ac magistro bona vendere liceat, apud aetatis imperatoriae prudentes non raro invenitur, eo a magistro differens, quod hic bona debitoris vendit publica auctione, ille privatim curat ut singulae res distrahantur quibus commodum est (Dig. 27, 10, 5, 9 42, 7). Quod quamquam plerumque ea demum aetate institutum esse creditur (Keller *Civilprocess* p. 366, alii), tamen etiam libera re publica licuit fortasse creditoribus, modo consentirent omnes, ut bonorum venditione supersederent et per curatorem bona distraherent. Denique quod profiteri iubetur, qui a bonorum emptore magistro curatore emerit, de emptore et curatore recte se habet; sed paullo incautius magister hic quoque adscriptus est, quoniam qui ab eo emit ipse bonorum emptor est. Neque enim Rudorffio (p. 109) credo magistro etiam distrahendorum bonorum ius fuisse; quod ex Dig. 42, 7, 2, 1 minime sequitur totumque inter magistrum et curatorem discrimen tollit. — *b* 56 TEI tabula et ego, EI Urs., EI Bluhmius. — VTE| tabula, VT priores. — *e* 6 O · EDICTO Briss. Urs., O · EDICITO Boiss. et cod. Vat., in quo tamen altera I deleta est. — EMPTORE Urs., EMTORE Briss. Boiss.

LVII. *b* 57 {IT ego, {T tabula prioresque. — *e* 7 A NEIVE EMPTVM usque ad finem v. om. Boiss., ab hoc NEIVE ad idem vocabulum v. 59 aberrans. — FVISE Urs., FVISSE Briss.

LVIII. *b* 58 DO · EI tabula; littera quae fuit ante O mihi ‹, cod. Vaticani scriptori P, Bluhmio L visa est — *e* 8 om. Boiss., v. ad v. 57. — QVEI Urs., VE Briss. — VENIEIT Urs., VENIET Briss. — COMMVTAREVE Urs., COMMVTAREQVE Briss. — Spatium vacuum post LICETO punctis positis signavit Briss.

LIX. *b* 59 INITIO in aere est. — ITAQVE · H| ego, ITAQVE · I| tabula. — *e* 9 ET om. Boiss., v. ad v. 57. — EIVE Urs., EIVS Briss. Boiss.

LX. *b* 60 HOMINVS tabula, HOMINV| ego, HOMINIS priores. — MODV tabula, MOD priores. — *e* 10 OPORTEBIT traditur; OPORTVIT emendavit Huschkius p. 609. — CC · M cod. Vatic.

LXI. Agitur hoc capite v. 61 — 63. *II vir — numer* ... de agro colonis dato adsignato a II viris iudicatione confirmando, sequente v. 63—65 ...*oque eius — non venieit* de agro privato vectigalique emptoribus eorumve iustis successoribus item confirmando; sequuntur deinde commutationes ordine inverso primum emptorum v. 65—66 *[aut sei is] ager — esto*, deinde colonorum v. 66—70. Neque tamen singula ausus sum resarcire. — *b* 61 ISEVE ego, SEVE tabula. — *e* 11 CENDAE Briss. Boiss., GENDAE Urs.

LXII. *b* 62 ita tabula; ... AGRI · RE · ROM ... Bluhmius dicitur legisse; mihi sub margine haec latuerunt. In anticam hinc REO · AP videtur transtulisse Urs., v. ad l. repet. v. 53. — *d* 1 ATVS · AB ego, ATVS AB Bluhmius et tabula. — *e* 12 H · L Urs., II · L Briss. Boiss. — ADIOVDICARI Briss. Boiss., ADIVDICARI Urs. — ADSIGNATO traditur; emendavi ad v. 55. 66. — IVDICATO Urs. Briss., ADIOVDICATO Briss. ex interpolatione.

LXIII. *d* 2 extr. ... ego, MEI tabula et Bluhmius, ME Urs. — *e* 13 HOMINVS Briss., HOMINIS Urs. Boiss. — QVEI Urs. Boiss., QVI Briss.

LXIV. *Planum facere* est probare, ut ait Lucretius 1, 934: *planum facere atque probare;* Cic. Verr. act. 1, 14, 40; l. 5, 64, 165, qui loci in vocabulariis reperiuntur. Ex antiquo iure formulam esse haec praesertim lex (cf. v. 72) ostendit. — *d* 3 IT tabula, .T ego, T reliqui. — EMPTVM ESSE · Q tabula spatio interposito. — Inter *d* 3 et *e* 14 litterae desiderantur a viginti ad triginta; v. ad l. repet. v. 55. — *e* 14 ab ITA ante PLANVM usque ad AGRI · LOCEI v. 65 om. Boiss.

LXV. Locus a v. 65 ad v. 69 eo pertinet, ut ubi bis eundem agrum populus duobus dederit, alteri, quia II viro non obtinuerit, satisfiat commutatione. De singulis quid sentiam, supplementa adsumpto capitum indice satis ostendent, scilicet agi primum de concurrentibus duabus emptionibus, deinde de concursu inter coloniariam adsignationem et ex hac lege venditionem. Duo capita simillima v. 66. 67 et 67. 68 quomodo differant, anceps

quaestio est; equidem eo nisus, quod in priore coloni emptor desideratur, cum emptoris emptor v. 69 adsit, ita ut feci restitui. — *d* 4 VENIEI tabula neque aliter ego, ut liceat legere et VENIET et VENIEIT. — *e* 15 usque ad AGRI · LOCEI incl. om. Boiss. — QVEI Urs., QVI Briss. — VENIEIT Briss., VENIET Urs. — LO Briss. LOC Boiss., LOCVSQVE Urs.

LXVI. *d* 5 extr. III ego et ita fere tabula. — *e* 16 post ESTO punctis positis caput aliud incipere significat Urs. — SVPSICIVOV Briss., SVMP SI OV Boiss., SVPSICIVON cod. Vat. m. 1, SVPCISIVON Urs., SVBCISIVON cod. Vat. m. 2. *Supcisivum*, quod in verborum ordinem recepit Rudorffius, ex mero Ursini errore ortum esse apparet.

LXVII. *e* 17 IIVIR Urs. Boiss., HVIR Briss. — EX · II Boiss. — L Urs., LEGE Briss. Boiss. — post REDDITO spatium vacuum Briss. et cod. Vat.

LXVIII. *d* 7 in. SEVE ego, EVE tabula prioresque. — extr. AGRO ·· ego. — *e* 18 QVOI · EIQVE puncto interposito Urs. Briss. Boiss. — FIISSE · IOVDICATO Boiss. — post IVDICATO sp. vac. cod. Vat. — QVOS · AGRVM cod. Vat. — AGER om. Urs. cum cod. Vat. — extr. E Briss. Boiss. cod. Vat., C Urs. errore typographi credo.

LXIX. *emptorive eius* dedi, ut supra v. 23 legitur *ab emptore eius*. Rudorffius quod scripsit *heredive eius* aut omnino ferri nequit aut certe sic mox reponendum est cum Huschkio *heredisve quoius eorum*, quod tamen et ipsum non probarim; neque me quidem valde offendit paullo incautior verborum structura, quamquam sane melius scripsisset librarius: *ei emptorive eius procuratoreve heredive quoius eorum*. — *d* 8 in. S · ADIVDICAVERIT ego cum Urs., S om. tabula Bluhmiusque. — COMPERIE⁻ ego, COMPERIE tabula et reliqui. — *e* 19 PROCVRATOREVE Briss. Boiss., PROCVRATORVE Urs.; *procuratorive* coniecit Rudorffius; sed pro curatore dicitur ut pro consule et similia. Cf. supra v. 51: *[eiusve] rei procurandae causa erit*. Procuratoris vocabulum hac aetate nondum invaluerat. — IIVIR Urs. Boiss., IIVIR Briss., cod. Vat.

LXX. Supplementa Rudorffiana, Huschkiana, Zimmermanniana (de praed. p. 42 sq.) quoniam non visa sunt satis facere, mea adscripsi, et ipsa quidem incerta, sed quae probabilitatis specie non prorsus careant. De summa re supra dictum est. In enuntiato *[quod eius p]equniae adsignatum discriptum adsignatumve in tabuleis publiceis est* quod Rudorffius (p. 121 n. 43) *adsignatum* ad syngrapham inter debitorem populumque faciendam, *discriptum adsignatumve in tabuleis publiceis* ad nomen tabulis publicis inscribendum rettulit, neque iuris Romani regulis, quod syngraphas illas plane ignorat, nec legis verbis satis convenit. Mihi quidem *adsignatum* bis videtur scriptum esse errore. — *e* 20 POST · EA Briss. solus. — VECTIGALIA · CONSISTENT Urs., VECTIGALIA · CONSITENT Briss. Boiss. — QVAE Urs. Boiss., QVE Briss. — CONSISTENT Urs. Briss., CONSTITENT Boiss. — IN Urs., om. Briss. Boiss.

LXXI *uteique* Lachmannus ad Lucretium 4, 638 demonstravit non poni nisi praecedente pronomine relativo; quare *atque*, quod v. 72 extr. in aere superest, quin v. 71 bis recte Rudorffius suppleverit minime dubitandum est. — Neglegenter librarius *nei — ei — ei nei* ita posuit, ut alterutro loco verba abundent; turbavit scilicet praelongum enuntiatum. — *d* 10 PROPIOREM in aere est. — *e* 21 IE Briss. Boiss., quod potest fuisse VE, cum in tabula saepe sit *u* hac forma V; NE Urs. — PECVNIAM Boiss. solus. — EI · QVEI boni auctores, IS · QVEI Boiss. — NOM · NE Briss. solus.

LXXII. *d* 11 in. VVM tabula, IVM ego. — *e* 22 habet praeter reliquos Mabillon. — AEDIFICEIS Mab. solus. — QVAI · S · S · S · Urs. solus. — DEBETVR Briss. Boiss. Urs., DEBERETVR Mab. — EXSIGATVR Briss. Boiss. Urs., EX · SIGRATVR Mab. solus. — IN · II · L Mab.

LXXIII. V. ad v. 45. Puto cautionem praedibus praediisque satis significari verbis legis de praediis subsignandis; nam ad id totam rem rediisse suo loco ostendi. Videtur tamen solo vocabulo *praedia* hiatus inter *d* 12 et *e* 23 non satis expleri, ut fortasse aliquid de praede praeterea scriba addiderit; cf. v. 74. — *d* 12 LXX pro CXX male Urs. — *e* 23 usque ad SVPSIGNATO habet praeter reliquos Mabillon. — QVAE Urs. Boiss. Mab., VAE Briss. — D · R Boiss. solus. — INTE Briss. Mab., INTER Boiss. Urs. ex emendatione. — IOVS Urs. Mab., IDVS Boiss., IVS Briss. — DICET Boiss. solus. — ante PR spatium vacuum exhibent Briss. Urs. — CEIVEIS Boiss. solus. — DEI Urs., DE Briss., DIC Boiss.

LXXIV. *Praedia in publico obligari* offendit, cum in similibus semper legatur casus quartus, ut apud Catonem (Fest. v. quadrantal p. 258): *praedia in publi[cum] dare;* apud Varronem (6, 74): *praedem in publicum esse;* in aere Malacitano c. 60: *praedes in commune municipum dari*. Fortasse formula antiquior *in publico(m) obligari* a posterioris aetatis scribis perperam retenta est. — *d* 13 OBLIGAIVM in aere est. — *e* 24 in. T Urs., E Briss. Boiss. — PR · boni auctores, P · R · P · Boiss. solus. — SVBSIGNATVM Briss. — PRESENTI Briss. — ante QVE spatium Urs. Briss. — QVE Briss. Boiss., QVAE Urs.

LXXV. *d* 14 in. A · AGER ego, AGER tabula, A · AGER priores. — VENIEII in aere est. — extr. AGR ego, AGR tabula. — *e* 25 usque ad MANSERVNT habet praeter reliquos Scaliger. — EIS Briss. EIS Urs. Boiss., POPVLEIS Scal. — LIBEREIS Briss. Boiss. Scal., LEIBEREIS Urs. — QVEI ante IN inserit Scal. — EORVM Urs. Scal., S · ORVM Briss., SVORVM Boiss. — IN post EORVM solus inserit Scal., aperte ex correctione. — POPVLEI Scal. solus. — POENICIO Scal. POLNICIO Briss. Boiss., POINICIO Urs. — PROXVMO Scal. solus. — extr. A solus habet Urs.

LXXVI. *e* 26 LOCVS Boiss. solus. — PERFVGIS Briss. Boiss., PERFVGEIS Urs. — DATVS Urs., om. Briss. Boiss. — ASSIGNAI · VSVE · ESI · CIVIS Briss. solus. — extr. LOC Briss. Boiss., LOCVS Urs. — *c* 1 MANO deprehendi ego; ANO tabula.

LXXVII. *d* 16 extr. QVAN in aere est, non QVAM. — *e* 27 CREATIVE Briss. solus. — ADSIGNAVERV Briss. Boiss., ADSIGNAVERVNT Urs. — *c* 2 in. . · QVOS ego, QVOS tabula.

LXXVIII. *d* 17 IS · (i. e. *iis*) STIPENDIARIEI in aere est; *id stipendiarieis* emendari iussit Rudorff. — *e* 28 Q · E · E · V Briss. Boiss., R · E · E · V Urs.; spatium deinde vacuum adnotant omnes. — IIVIR et seq. ad finem versus praeter reliquos habet Mab. — FACTVS Mab. — CCↁ Boiss., CC · I Briss. CCI Mab., CCC · ↁ cod. Vat. m. 1., CCC · L Urs.

LXXIX. *d* 18 LEIBERL · RVM in aere est. — extr. I observavi ego, apud priores ipsaque in tabula deest. — *e* 29 usque ad AMEICITIAM praeter ceteros habet Mabillon. — TAMPSITANORVM Mab. solus, AMPSITANORVM reliqui. — AQVILLITANORVM Urs. Mab., AQVILITANORVM Briss. Boiss. — VSALITANORVM Briss. Boiss. Mab., VSALLITANORVM Urs. — TEVDALENSIVM Urs. Mab., TEVBALENSIVM Briss. Boiss. — extr. P · R Boiss.

LXXX. *d* 19 EXPRA in aere est, pro EXTRAQVE. — *e* 30 · QVE Briss., IQVE Boiss., QVAE Urs. — II · VIR · EX Urs., II · VIREI · EX Briss., II · VIREI · QVEI · EX Boiss. — ADSIGNAVERITVE Briss. Boiss. — EIVS om. Boiss. — post H · L spatium Boiss., puncta Briss. — EO Urs. Briss. Boiss.

LXXXI. *d* 20 IVSII in aere est. — CHAF////VIT · QV ego deprehendi et ita fere tabula, nisi quod quarta littera ibi est E, post hiatum sequens T. — *e* 31 in. E Briss. Boiss., om. Urs.; in Cod. Vat. QVE deletum est. — EX · H · L · LIVIA cod. Vat. m. 1, Briss. Boiss. itaque in aere videtur fuisse; EX · L · LIVIA Urs. — FACTEI ·

CREATEIVE · Urs. Boiss., FACTI · CREATIVE Briss. — VTI · CENSIBVS Briss., VTEI · CENSIBVS Boiss. — RELIQVEI Urs., AELIQVE Briss. Boiss. — *c* 6 CE · ERVM in aere deprehendi; CE ·ТERVM tabula.

LXXXII. *e* 32 NEIVE (WEIVE Briss. Boiss.) VECTIGAL · NEIVE · DECVMAS · NEI (NE Briss.) · SCRIPTVRAM in aere fuit. — *c* 7 in fine v. spatium vacuum remansit.

LXXXIII. *c* 8 E · H · L pro EX · H · L eo excusatur, quod spatium scriptorem defecisse apertum est.

LXXXIV. *d* 23 IIVITO in aere est. — *e* 34 PRAESQVE · QVB Urs. Briss., PRAES · QVAE Boiss.

LXXXV. *d* 24 LEIBER ORVM scriba omisso loco in quo corruptum aes est. — AEDIEICIO tabula; ego hoc vitium non notavi neque quisquam priorum. — *e* 35 distinguitur *lex agri aedifici loci*, id est quam possessori censores dixerunt, ab lege *vectigalibus publiceis fruendeis locandeis vendundeis* dicta, id est quam censores dixerunt publicano. Quare ne corrige cum Rudorffio *agris aedificis locis*. — in. (S om.) AGREI · AEDIFICIEI · LOCEI Boiss. solus. — PVBICEIS Briss. err. typ. — DEIX Briss. Boiss., DEI Urs. — *c* 10 ·ERVNT ego notavi, EAVNT tabula. — in fine versus spatium vacuum remansit.

LXXXVI. *d* 25 DEBEO · PEQVSQVE in aere est. — *e* 36 post PASCITO spat. vac. Urs., puncta Briss. — QVAE Urs. Boiss., QVE Briss. — PVBLICA om. Boiss. — ROMANEI Boiss. solus. — QVA Briss. Boiss., QVAS Urs.

LXXXVII. *d* 26 in. ꟾVS ego notavi itaque Urs. et Pigh., IS Bluhmius, S tabula. — post E · H · L · N · R spatium vacuum est in aere. — *e* 37 ƆVBLICA Briss. — ROMANEI Boiss. solus.

LXXXVIII. *d* 27 extr. LOCAVERVN⁊ ego notavi, LOCAVERVN(tabula. — *e* 38 M · DEIXERINT · NEIVE · QVOI Briss., DEIXERVNT · NEIVE · QVOI Boiss., QVOD (rel. om.) Urs. — IWCETVR Briss. Boiss. itaque cod. Vat., in quo IVV deletum est et in margine adscriptum 'f. pascetur'; ... CETVR Urs. — LEGE traditur.

LXXXIX. *d* 28 LOCANDEIS · DEIXIT et mox · L · in aere omissa sunt. — post N · R · spat. vac. in aere est. — extr. QVEI priores neque ego quicquam notavi; QVE tabula. — *e* 39 ad *e* 38 eodem versu adiunxit Urs. — *c* 14 CENTVRIA in aere est.

XC. *d* 29 AGRI, non AGREI in aere esse ego notavi; AGRII tabula videtur exhibere. — *e* 40 ADIOVDICATO Boiss. solus. — Inter *e* 40 et *c* 10 spatium non admittit nisi duas tresve litteras, v. l. rep. v. 76; quare non potuit inseri *ita esse*. — *c* 10 in. ⱽINDICIO deprehendi ego, IVDICIO sive NDICIO tabula. — IS · INDICIO in aere est.

XCI. *d* 30 SACTVM Bluhmius et tabula, FACTVM Pighius, ᶠACTVM ego de primo elemento dubitans, ACTVM Urs. — *e* 41 AGREI Boiss. solus. — DE Urs., D · L Briss. Boiss.

XCII. *d* 31 in. Ƨ ante FRVITVRVE ego deprehendi deprehenditque idem Pighius; tabula A potius monstrat quam S. — extr. FV Urs. Bluhmius neque quicquam ego notavi; IV tabula, errore puto. — *e* 42 in. S Briss., Ƨ Boiss., OS Urs. et ita cod. Vat., sed m. 2. — LOCVM Boiss. solus. — POSSESSIONE Briss. Boiss., POSSESSIONEM Urs. — Inter *e* 42 et *c* 17 interierunt litterae a duodecim ad quindecim; v. l. rep. v. 79 huic respondentem. — *c* 17 in. ᶠVM notavi ego, VM tabula. — SCRIPIVRAM in aere est. — NƎIVE in aere est.

XCIII. *d* 32 LX tabula; EX priores et ego. — *e* 43 EA Urs., A Briss. Boiss. — IN · IOVS Urs., INIOVS Briss., MIOIVS Boiss. — *c* 18 ⱽVTEI ego in aere deprehendi, VTEI tabula. — II · L in aere est.

XCIV. *Comportandi* maxime vocabulo usus Rudorffius (p. 129) probabiliter coniecit hic agi de frumento decumano certis locis in horrea deponendo; ita bell. Afric. 36 in oppidum Thysdrum *tritici modium milia CCC comportata fuisse a negotiatoribus Italicis aratoribusque* narratur. Eodemque traxerim, quae deinde leguntur v. 95 de fructibus vino oleove post h. l. perceptis; cf. bell. Afric. c. 97: *Leptitanos ..., tricies centenis milibus pondo olei in annos singulos multat*. Neque obstat, quod vectigalia Africana a censoribus locabantur; potuerunt enim ita locari, ut praeter pecuniam certa quantitas frumenti vini oleive populo Romano solveretur. — *d* 33 in. ꟾOS ego itaque Urs. Pigh., ꟾOS Bluhmius tabulaque. — *e* 44 ADSIGNAS Briss. Boiss., ADSIGNARI Urs.

XCV. *d* 35 DRIT pro ERIT in aere est. — ꟾM · LOCVM deprehendi ego, M · LOCVM tabula. — *c* 21 extr. Aᶜ in aere deprehendi, A tabula.

III. DE AGRO PVBLICO P. R. CORINTHIORVM QVI FVIT.

Quae de agro olim Corinthiorum in lege supersunt, tam pauca sunt, ut quod sit ignotum inde nihil fere discatur; neque propterea in eo loco diu morabimur. Sublata Corinthiorum re publica excisaque adeo urbe a. u. c. 608 agrum eorum qui fuerat populi Romani factum esse nemo ignorat; cuius deinde maxima pars una cum cura ludorum Isthmiacorum (Paus. 2, 2, 2) Sicyoniis cessit (Strab. 8, 6, 23 p. 381 Cas.) neque tamen, ni fallor, iure sed precario, fere ut Uticensibus Carthaginiensis agri magnam partem permissam esse vidimus. Praeterea quae Corinthiaci agri hac aetate iuris condicio fuerit, nusquam relatum est, videtur tamen in universum ad agrum Africanum proxime accessisse et praeter portiones quasdam exceptas a censoribus solita ratione locatus esse; unde Pausanias (7, 16, 9) Achaiae provinciae vectigal tum impositum esse refert. Iam hac lege II virum alter (vide supra ad v. 52) eo mittitur, ut eum metiundum curet terminosque ibi statuat, venditioque deinde ut agri Africani ita Achaici ex hac lege instituitur; quae tamen aut perfecta non est aut certe agri publici minorem tantum partem absumpsit, quoniam postea et Rullus ad populum tulit, ut ager Corinthius veniret (Cic. de l. agr. 1, 2, 5. 2, 19, 51), et Caesar coloniam eo deduxit.

XCVII. *d* 36 H · L priores et ego, H · LL · tabula.

XCVIII. Quod hoc loco inter mensorem et populum locatio admittitur, minime contradicit regulae edicti inter mensorem et privatum locationem conductionem non esse (Dig. 11, 6, 1 pr. cf. 10, 1, 4, 1); nam illa locatio ex iure publico venit, ad quod praetoris edictum non pertinet.

XCIX. *d* 38 ERIT priores et ego; LIIT tabula. — extr. Q in tabula vix cernitur.

C. *d* 39 MANCVP · VS Pigh. recte fortasse, MANCVPVꟾ tabula, MANCVPV Urs. et ego, MANCVP Bluhmius.

CIII. *d* 42 ᶦVENIERIT N tabula, ᶦ · VENIERITⱽIV ego notavi similiterque Klenzius. — IEII tabula; ᶰᵉᶦᶦ ego notavi.

EPISTVLA PRAETORIS AD TIBVRTES.

SAECVLI VT VIDETVR SEPTIMI MEDII.

201. Tabulam aheneam hanc Tibure repertam esse in fundamentis fodiendis aedis cathedralis S. Laurentii, ubi olim templum Herculis creditur fuisse, ex *Nicodemi* libro ed. a. 1585 refert Marzi p. 38 Graev. Medio saec. XVI et tabulam hanc et protomen marmoream, quam L. Cornelii volunt (aere incisam eam in Fabri imag. ill. 1606 n. 48 cf. p. 28 et in iconographia Viscontii loco infra citando), repertas esse inter parietinas antiquas operis reticulati *'cavandosi una cantina non lunge dalla chiesa de S. Lorenzo vicino al luogo detto le Forme'* refert *Antonius del Rè* cum in parte operis edita (*dell' antichità Tiburtine* cap. V Rom. 1611 p. 108) tum in iis quae ex schedis eius protulerunt Cabral et del Rè (*ville di Tivoli* Rom. 1779 p. 34). Emit deinde tabulam hanc centum scutatis, ut testatur idem Antonius, Ursinus, apud quem a. 1583 fuisse constat ipsius Ursini testimonio. Eandem ab Ursino cum reliqua antiquarum rerum supellectile testamento legatam esse cardinali Farnesio Antonius tradit; nec tamen quisquam eam vidit inter Farnesiana ignorareque se ubi extet scripserunt Kircherus (1671) Vulpiusque (1745). Repperit denuo in aedibus Barberinis *Ficoronius* (*le singolarità di Roma moderna.* 1744 p. 54) ibidemque eam vidisse se a. 1790 auctor est *E. Q. Viscontius.* Quomodo vero acciderit, ut a. 1749 Maffeius, qui hanc tabulam male falsam putavit, eam ipsam rettulerit inter spuria musei Veronensis (M. V. p. 175), non assequor; Veronae certe nec genuinam tabulam neque exemplum eius recens quisquam quod sciam praeterea conspexit. Post Viscontium evanuit hodieque aut periit aut certe latet.

1 L · CORNELIVS · CN · F · PR · SEN · CONS · A · D · III · NONAS · MAIAS · SVB · AEDE · KASTORVS
2 SCR · ADF · A · MANLIVS · A · F · SEX · IVLIVS · L · POSTVMIVS · S · F ·
3 QVOD · TEIBVRTES · V · F · QVIBVSQVE · DE · REBVS · VOS · PVRGAVISTIS · EA · SENATVS
4 ANIMVM · ADVORTIT · ITA · VTEI · AEQVOM · FVIT · NOSQVE · EA · ITA · AVDIVERAMVS
5 VT · VOS · DEIXSISTIS · VOBEIS · NONTIATA · ESSE · EA · NOS · ANIMVM · NOSTRVM
6 NON · IN · DOVCEBAMVS · ITA · FACTA · ESSE · PROPTER · EA · QVOD · SCIBAMVS
7 EA · VOS · MERITO · NOSTRO · FACERE · NON · POTVISSE · NEQVE · VOS · DIGNOS · ESSE
8 QVEI · EA · FACERETIS · NEQVE · ID · VOBEIS · NEQVE · REI · POPLICAE · VOSTRAE
9 OITILE · ESSE · FACERE · ET · POSTQVAM · VOSTRA · VERBA · SENATVS · AVDIVIT
10 TANTO · MAGIS · ANIMVM · NOSTRVM · INDOVCIMVS · ITA · VTEI · ANTE
11 ARBITRABAMVR · DE · EIEIS · REBVS · AF · VOBEIS · PECCATVM · NON · ESSE
12 QVONQVE · DE · EIEIS · REBVS · SENATVEI · PVRGATI · ESTIS · CREDIMVS · VOSQVE
13 ANIMVM · VOSTRVM · INDOVCERE · OPORTET · ITEM · VOS · POPVLO
14 ROMANO · PVRGATOS · FORE

1 L. Cornelius Cn. f. pr(aetor) sen(atum) cons(uluit) a. d. III nonas Maias sub aede
2 Kastorus. | Scr(ibendo) adf(uerunt) A. Manlius A. f., Sex Iulius . . . . ., L. Postumius S(p.) f.
3 | Quod Teibartes v(erba) f(ecistis) quibusque de rebus vos purgavistis, ea senatus
4 5 | animum advortit ita utei aequom fuit. Nosque ea ita audiveramus, | ut vos deix-
6 sistis vobeis nontiata esse. Ea nos animum nostrum | non in doucebamus ita facta
7 esse propter ea quod scibamus | ea vos merito nostro facere non potuisse, neque
8 vos dignos esse | quei ea faceretis neque id vobeis neque rei poplicae vostrae
9 10 | oitile esse facere. Et postquam vostra verba senatus audivit, | tanto magis
11 animum nostrum indoucimus, ita utei ante | arbitrabamur, de eieis rebus af vobeis peccatum non esse.
12 13 | Quonque de eieis rebus senatuei purgati estis, credimus vosque | animum vostrum
14 indoucere oportet, item vos populo | Romano purgatos fore.

Ed. primus Fulvius Ursinus (1583) post Antonii Augustini librum de legibus n. 22 (cf. Augustini ad Ursinum de hac tabula litteras datas 10. Sept. [1583], opp. 7, 262). Inde pendent Lipsius p. 6 et Grut. 499, 12, in cuius ed. 2 adhibitae sunt schedae Ursinianae. Referunt praeterea qui de antiquitatibus Tiburtinis scripserunt Marcus Antonius Nicodemus in hist. Tiburtina ed. a. 1585 (cuius libri unicum exemplum hodie notum servatur Romae in bibliotheca Sapientiae teste Viola *stor. di Tivoli* 1, 40); Io. Mar. Zappi Nicodemi aequalis, cuius schedas adhibuit idem Viola; Franc. Marzi *storia Tiburtina* ed. primum a. 1661, quam non novi nisi Latine versam apud Graevium thes. t. VIII p. 4 p. 38; Kircherus Lat. vet. 1671 p. 137 ex Marzio; Vulpius vet. Lat. 10, 61 ex Kirchero adhibitis Zappii schedis; Visconti *Icon. Rom.* (Paris. 1819) I, p. 89; Viola *stor. di Tivoli* (Rom. 1819) 1, 114 ex Nicodemo. Ritschelius tab. XLVIII G quod principium lapide expressum dedit, repetivit ex Piranesii lap. Capit., ubi inter ornamenta alia pictum est id non ex lapide, sed prout libuit scalptori; quod etiam in Coranis aliisque eundem sibi permisisse animadverti. Non extat igitur hodie ulla tabulae vera imago.

Tabulam hanc cum post sextum saeculum tum ante Caesarem scriptam esse sermo docet. Multa enim insunt edicto de Bacchanalibus ipsisque legibus repetundarum et agraria recentiora, ut sunt abiecta littera *d* in casu sexto et consonantes perpetuo geminatae; contra Caesaris aetate vix scribi potuerunt *indoucere* et *oitile* neque tum amplius in eiusmodi tabulis abstinebant cognominibus, quae publice adhibita primum reperimus in senatus consulto a. 676. Sed accuratius aetatem definire vix licet; nec mentio L. Cornelii praetoris fortasse urbani neque argumentum

Tiburtium a suspicionibus nescio quibus apud senatum sese vindicantium certa aetatis iudicia praebent. Quod Ritschelius (mus. Rhen. nov. 9, 160; tria monum. p. 4. 7) ad L. Cornelium Cn. f. Lentulum, consul qui fuerit mox a. u. c. 598, epistulam rettulit, iusto liberalius mihi videtur indicasse de aetate. Probabilius Viscontius a. 664 vel 665 per bellum sociale scriptam eam esse iudicavit, ut a defectionis cogitationibus sese defenderint Tiburtes. Potest fortasse referri etiam ad a. 676 et ad suspicionem Sertorianae coniurationis; quo anno L. Cornelium Sisennam praetorem urbanum et inter peregrinos fuisse docet senatus consultum de Asclepiade factum. Ceterum tabula haec ut Bacchanalium senatus consultum non est: *'non è SC.'*, iam Augustinus inquit in epistula ad Fulvium (opp. 7, 262), *'non editto, non parole di pretore dette in Tivoli* — — QVOD · TEIBVRTES · V · F *son terribili parole'*. Scilicet epistula est post senatus consultum de ea re factum a praetore scripta ad Tiburtes ita, ut ipsa senatus verba cum solita praescriptione retinuerit neque nisi orationem converterit ex tertia persona in secundam. — V. l. dabo Nicodemi apud Violam, Ursini, schedarum Ursinianarum Gruteri, Viscontii, Ritschelii.

1 CO . . . . D · III Ritschelius lacuna ni fallor scalptoris arbitrio admissa. — CON Visc. — IIII pro III Nicod. — MAI Ritschel. — KASTORIS Nicod.

2 . . ‹ pro SEX Ritschel. simili lacuna. — IVLIVS . . . . L. Nicod., IVLIVS L. Urs.; reliqui continuant. — SF · pro S · tab. Ritschel. sola, aperte ex interpolatione.

3 TIBVRTES Nic. — QVIBVSVE Nic.

4 EQVOM Nic.

5 VT SVOS Nic. Mirum est *ut* pro *utei* hac aetate. — VOBIS Nic.

6 IN · DOVCEBAMVS cum puncto Urs. Visc.

8 EA om. Visc. — NOSTRAE Urs. sched. apud Grut.

10 INDVCIMVS Nic.

11 IEIS Visc. — VOBIS Nic. Visc.

12 SENATVEI Urs. schedae apud Grut., Visc., SENATVI Urs. Nic.

13 NOSTRVM Nic. — INDVCERE Nic.

LEX CORNELIA DE XX. QVAESTORIBVS.

A. V. C. DCLXXIII.

202. Tabula haec abenea clavis olim parieti adfixa reperta est Romae in ruinis aedis Saturni ad Tarpeii montis radices una cum lege Antonia de Termessibus *sched. ms. Borghini, quas vidi Florentiae.* Illata est in museum Farnesianum, quod fuit Romae in aedibus Capranicensibus haud procul a Rotunda, deinde transiit in Borbonicum Neapolim.

L. Cornelius L. f. dictator . . . .
. . . . . . *populum ioure rogavit populusque ioure scivit in* . . . . *a(nte) d(iem)* . . . . *Tribus* . . . . . . principium fuit; pro tribu . . . . *preimus scivit.*

(desunt paginae quattuordecim).

VIII de XX q.

I, 1 . . . . *ad* | q(uaestorem) urb(anum),
2 quei aerarium provinciam optinebit, eam | mercedem deferto; quaestorque, quei
3 aerarium provinciam | optinebit, eam pequniam ei scribae scribeis que heredive
4 5 | eius solvito id que ei sine fraude sua facere liceto, quod | sine malo pequlatu
6 fiat, olleisque hominibus eam | pequniam capere liceto.
7 8 | Co(n)s(ules) quei nunc sunt, iei ante k. Decembreis primas de eis, quei | cives Romanei sunt, viatorem unum legunto, quei in | ea decuria viator appareat, quam
10 decuriam viatorum | ex noneis Decembribus primeis quaestoribus ad aerarium
11 12 | apparere oportet oportebit. Eidemque co(n)s(ules) ante k. Decembr(eis) | primas
13 de eis, quei cives Romanei sunt, praeconem unum | legunto, quei in ea decuria
14 praeco appareat, quam | decuriam praeconum ex noneis Decembribus primeis
15 16 | quaestoribus ad aerarium apparere oportet oportebit. | Deinde eidem consul(es)
17 ante k. Decembreis primas viatorem | unum legunto, quei in ea decuria viator
18 19 appareat, quam | decuriam viatorum ex noneis Decembribus secundeis | quae-
20 storibus ad aerarium apparere oportet oportebit. | Eidemque co(n)s(ules) ante
21 k. Decembreis primas praeconem | unum legunto, quei in ea decuria praeco
22 23 appareat, quam | decuriam praeconum ex noneis Decembribus secundeis | quae-
24 storibus ad aerarium apparere oportet oportebit. | Deinde eidem co(n)s(ules)
25 ante k. Decembreis primas viatorem | unum legunto, quei in ea decuria viator
26 27 appareat, | quam decuriam viatorum ex noneis Decembribus tertieis | quaesto-
28 ribus ad aerarium apparere oportet oportebit. | Eidemque co(n)s(ules) ante k.
29 Decembreis primas praeconem | unum legunto, quei in ea decuria praeco ap-
30 31 pareat, quam | decuriam praeconum ex noneis Decembribus tertieis | quaesto-
32 ribus ad aerarium apparere oportet oportebit. | Eosque viatores eosque prae-
33 cones omneis, quos eo | ordine dignos arbitrabuntur, legunto. Quam in quisque
34 35 | decuriam ita viator lectus erit, is in ea decuria viator | esto item utei ceterei
36 eius decuriae viatores erunt. | Quamque in quisque decuriam ita praeco lectus

I, 37 38 erit, | is in ea decuria praeco esto ita utei ceterei eius decuriae | praecones
39 erunt. Sirempsque eis viatoribus deque | eis viatoribus q(uaestori) omnium rerum
40 41 iuus lexque esto, quasei | sei ei viatores in eam decuriam in tribus viatoribus | an-
II, 1 tea lectei sublectei essent, quam in quisque decuriam || eorum ex hac lege
2 viator lectus erit. Sirempsque eis | praeconibus deque eis praeconibus quaestori
3 4 omnium | rerum iuus lexque esto, quasei sei ei praecones in eam | decuriam
5 in tribus praeconibus antea lectei sublectei | essent, quam in quisque decuriam
6 eorum ex hac lege | praeco lectus erit.

7 8 | Quos quomque quaestores ex lege plebeive scito viatores | legere sublegere opor-
9 tebit, ei quaestores eo iure ea lege | viatores IIII leguuto subleguuto, quo iure
10 qua lege q(uaestores), | quei nunc sunt, viatores III legerunt sublegerunt. Quosque
11 12 | quomque quaestores ex lege plebei ve scito praecones legere | sublegere opor-
13 tebit, ei quaestores eo iure ea lege praecones | IIII leguuto subleguuto, quo iure
14 qua lege quaestores, quei | nunc sunt, praecones III legerunt sublegerunt, dum ni-
15 16 quem | in eis viatoribus praeconibus legundeis sublegundeis in eius | viatoris prae-
17 conis locum viatorem praeconem legant | sublegant, quoius in locum per leges
18 plebeive scita viatorem | praeconem legei sub legi non licebit. Ita que de eis
19 20 quattuor | viatoribus quaestor queiquomque erit viatores sumito | habeto, utei
21 ante hanc legem rogatam de tribus viatoribus | viatores habere sumere solitei
22 sunt. Itaque de eis quattuor | praeconibus quaestor queiquomque erit prae-
23 cones sumito | habeto, utei ante hanc legem rogatam de tribus praeconibus
24 25 | praecones habere sumere solitei sunt. Itemque eis viatoribus | praeconibus,
26 quei ex hac lege lectei erunt, vicarium dare | subdere ius esto licetoque, utei
27 cetereis viatoribus praeconibus, | qua in quisque decuria est, vicarium dare sub-
28 dere iuus erit | licebitque. Itemque quaestor(es) ab eis vicarios accipiunto,
29 30 | utei aacetereis viatoribus praeconibus vicarios accipei | oportebit.

31 32 | Viatores praecones quei ex hac lege lectei sublectei erunt, | eis viatoribus prae-
33 conibus magistratus pro ve mag(istratu) | mercedis item tantundem dato, quantum
34 35 ei viator(ei) | praeconei darei oporteret, sei is viator de tribus | viatoribus isque
36 praeco de tribus praeconibus esset, | quei ante hanc legem rogatam utei lege-
37 rentur | institutei sunt.

38 39 | Quas in decurias viatorum praeconum consul ex hac | lege viatores praecones le-
40 gerit, quorum viatorum | praeconum nomina in eis decurieis ad aedem Saturni
41 | in pariete intra caulas proxume ante hanc legem || *scripta erunt, eorum via-
torum praeconum ad quaestorem urbanum, quei aerarium provinciam optinebit, eam
mercedem deferto.*

(desunt paginae duae quattuorve.)

Ritschl tab. XXIX ad archetypon. Ediderunt Sigonius a. 1560 (de antiquo iure civ. Rom. p. 183. 212) primus, deinde Ursinus a. 1583 (leges et SCta n. 16. 17), Smetius f. 97. 98, qui vidit, Grut. 628 ex Smetio, Mur. 581 ex Sigonio, Goettling cum in programmate Ienensi *(nova editio legis de scribis viatoribus et praeconibus)* a. 1844 tum in *funfzehn Urkunden* p. 7, qui vidit. Vide quae de hac lege disputavi in Zimmermanni *Zeitschr. für Alterthumswiss.* 1846 p. 105 sq.

Tabulam hanc octavam esse de XX quaestoribus in margine adnotatum est; ad quam notam a plerisque neglectam qui primus animum advertit Antonius Augustinus (v. epistolam eius ad Ursinum 11. Nov. 1575, opp. 7, 259 et librum de legibus p. 12), idem recte adhibuit Taciti locum ann. 11, 22: *Lege Sullae viginti* (quaestores) *creati supplendo senatui, cui iudicia tradiderat.* Pars igitur haec est legis Corneliae de XX quaestoribus deinceps creandis latae a Sulla dictatore anno fere 673; neque re denuo perpensa obstare visum est, quod praescriptionis prima pars deperdita per quattuordecim paginas perscripta, calculis subductis ad eam quae superest tabulam, videtur habuisse litteras c. CL, cum quae certa ratione supplentur admisso solo rogatore Sulla centenarium tantummodo numerum aequent. Nam quid non fuerit in praescriptione ea cum omnino difficile sit dici, non improbabiliter vel adiectio aliqua ad dictatoris titulum vel *de senatus sententia* formula ibi perscriptae fuisse credentur vel denique spatia vacua relicta. Legis argumento quod Tacitus proponit omnino convenit, quod in tabula hac, quam legis olim paene ultimam fuisse inscriptionis ratio ostendit, cavetur de augendo officialium quaestoriorum numero; convenit praeterea aetati Sullanae orthographiae ratio, quae medium fere locum obtinet inter vetustatem Gracchanam et Caesaris leges a vocalibus geminis similibusque aliis plane abstinentes. Neque quicquam contra haec prolatum est praeter meros errores, quos hodie denuo refutare supervacaneum est. — Tributis, non centuriatis comitiis legem hanc perlatam esse docet simillima legis Quinctiae (apud Frontinum de aquis 129) praescriptio: *T. Quinctius Crispinus cos. . . . . populum iure rogavit populusque iure scivit in foro pro rostris aedis divi Iulii pr. [k.] Iulias. Tribus Sergia principium fuit; pro tribu Sex. . . . . . L. f. Varro [primus scivit]*, ubi constat significari comitia tributa, nam *principium* proprium fuit comitiorum tributorum (de curiatis enim hic non agitur) ut *praerogativa* centuriatorum, neque praeterea de centuriatis cogitare sinit locus quo lex lata est intra pomerium. Neque obstat, quod rogavit magistratus curulis; nam dictatori quoque consulique praetorique ius fuit tribus vocandi cum ad magistratus creandos tum legis ferendae causa, id quod non obscure indicat Appianus b. c. 3, 30. Itaque haec lex magis videtur esse quam plebiscitum; nam hac aetate lex dicitur sive populi iussus, quicquid patriciis quibuscumque comitiis perrogatur (cf. Cic. Phil. 1, 10, 26), contra plebiscitum, quod tribunus plebi tulit ad XXXV tribus. Unde Festus p. 293: *scita plebei*, inquit, *appellantur ea quae plebs suo suffragio sine patribus iussit plebeio magistratu rogante* legiturque propterea in Quinctiae exordio non plebis nomen, sed populi. Denique *lex est,* ait Gaius (1, 3), *quod populus iubet atque constituit, plebi scitum est quod plebs iubet atque constituit.* Cornelia igitur de XX quaestoribus, Quinctia de aquis, aliae eiusdem

generis dictatoriae consulares praetoriae sunt quidem proprie leges, sed eae comitiis tributis perlatae. — Quae ex hac lege supersunt, continent loci de scribis quaestoriis partem extremam 1, 1—6 totumque fere locum de viatoribus et praeconibus quaestoriis. Apparitores hi ad solos urbanos magistratus pertinuerunt, cum extra urbem in eorum locum cederent officia militaria; quare cum quaestores urbani et ante Sullam et post bini fierent, simul quidem auctus est cum quaestorum tum apparitorum quaestoriorum numerus, nec tamen propter illam mutationem haec introducta. Leguntur apparitores ante hanc legem terni, post eam quaterni a quaestoribus (urbanis nimirum) iis, quos lex de ea re antea lata legere iussit (2, 7); extraordinariam tamen adlectionem lex permittit consulibus eius anni (673), quo lata est. Unde simul apparet anno eo non in proximum annum solum apparitores lectos esse, sed in proximum triennium; nam consules a. 673 ante k. Dec. iubentur adlegere singulos viatores, item singulos praecones in tres annos quaestorios proximos, incipientes non. Dec. a. 673. 674. 675. Quam ob rem aut non omnium annorum quaestores legerunt, sed quarti cuiusque anni ita, ut lecti in proximum triennium apparerent, quam opinionem in mus. Rhen. novi vol. 6 p. 7 secutus sum, aut, quod haud scio an probabilius sit, legerunt quaestores singulis annis trium proximorum collegiorum tertias partes. Hac ratione exempli causa trium annorum 674. 675. 676., qui inceperunt a nonis Dec. anni proxime praecedentis, apparitorum collegia constituta sunt sic:

a non. Dec. 673 ad prid. non. Dec. 674.	III lecti a q. a. 671;	III lecti a q. a. 672;	III lecti a q. a. 673 addito uno a cos. a. 673 lecto.
a non. Dec. 674 ad prid. non. Dec. 675.	III lecti a q. a. 672;	III lecti a q. a. 673, addito uno a cos. a. 673 lecto;	IV lecti a q. a. 674.
a non. Dec. 675 ad prid. non. Dec. 676.	III lecti a q. a. 673 addito uno a cos. a. 673 lecto;	IV lecti a q. a. 674;	IV lecti a q. a. 675

Quae opinio eo maxime commendatur, quod hoc legendi modo admisso decuriae novenorum fere vel duodenorum hominum esse inveniuntur, non ternorum quaternorumve. — Praeterea quamquam apparitores ex hac lege constat iure fuisse annuos, tamen eosdem quodammodo perpetuos fuisse aliunde certum est, neque haec perpetuitas abhorret a tali lectione, qualem lex instituit vel potius retinet. Nam primum quaestores numquam sibi legunt, sed successoribus suis; ipsi utantur necesse est apparitorum decuriis constitutis a tribus proxime praecedentibus quaestorum urbanorum collegiis. Ipsa igitur res eo ducebat, ut plerumque qui quaestoribus ipsis adfuissent adessentque ab iisdem in futurum retinerentur. Deinde quod improbandi ius habebant hominesque inutiles reiciendi, ipsi perpetuitati minime contrarium est; videturque praeterea eiusmodi repudiatio ad exemplum censoriae notationis nisi causa cognita et quasi quodam iudicio instituto peracta non esse. *Nuper*, Cicero (pro Cluent. 45, 126) ait, *hominem tenuem scribam aedilicium D. Matrinium cum defendissem apud M. Iunium Q. Publicium praetores et M. Plaetorium C. Flaminium aediles curules, persuasi ut scribam iurati legerent eum, quem iidem isti censores aerarium reliquisse subscripserunt.* Denique qui non probabantur, iis tamen licuit vicarium dare, quem et ipsum aut certis ex causis reicere aut accipere quaestorem oportebat; unde facile apparet, quomodo factum sit ut huiusmodi officia venderentur.

I, 1 cf. senatus consultum apud Frontinum de aquis c. 100: *uti quibus apparitoribus ex hoc senatus consulto curatoribus aquarum uti liceret, eos diebus decem proximis, quibus senatus consultum factum esset, ad aerarium deferrent; quique ita delati essent, iis praetores aerarii mercedem cibaria — annua darent et attribuerent iisque eas pecunias sine fraude sua capere liceret.*

10. Nonis Decembribus quaestores magistratum iniisse indeque annum quaestorium incepisse hodie constat.

35 ITEM in aere est, sed videtur scribendum esse ITA ex 1, 37.

II, 10 QVOSQVE reliqui; QVOSQV in tabula est eetypo puto deficiente.

33 VIATOR tabula et Goettl., VIATOREI Urs.

41 CAVIAS in aere est; *caulas* optime emendavit Lachmannus ad Lucret. 6, 492, citans Charis. p. 211 P. inter exempla praepositionum *intra caulas*; Macrob. sat. 1, 9, 16: *(invocamus Ianum) Patulcium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur* (cf. Serv. ad Aen. 7, 610); gloss. Philox.: περίβολοι, *menia* —, *caulae*. Caulae proprie saepta sunt, sive oves his includuntur sive aedificium aliquod, ut in sacris aedibus fieri solet, moenibus circumsaeptum est (cf. Serv. ad Aen. 9, 60; Fest. ep. v. caulae p. 46). Ceterum hic apparet et hanc de quaestoribus legem et apparitorum quaestoriorum laterculos fixos esse ad aedem Saturni sive ad aerarium, quod convenit cum eo loco, quo aes inventum esse dicitur. Omnino leges populi Romani nullo certo loco proponebantur, sed prout res incidit, leges de iurisdictione in comitio ubi ius dicebatur, leges de quaestura ad aerarium et similiter aliae alibi; de qua re exposui in annalibus inst. arch. 1858 p. 194.

S. C. DE ASCLEPIADE POLYSTRATO MENISCO IN AMICORVM FORMVLAM REFERENDIS.

A. V. C. DCLXXVI.

203. Tabula ahenea reperta Romae in parietinis *Ursin. apud Victorium*. Habuit Fulvius Ursinus *teste ipso*, quo mortuo venit in museum Farnesianum, inde in regium Neapolitanum, ubi hodie adservatur.

Co(n)s(ulibus) Q. Lutatio Q. f. Catulo et M. Aemilio Q. f. M. n. Lepido, pr(aetore) urbano et inter peregrinos L. Cornelio .. f. Sisenna, mense Maio.
Q. Lutatius Q. f. Catulus cos. senatum consuluit a. d. XI k. Iun. in comitio.
Scribundo adfuerunt L. Faberius L. f. Ser(gia), C. ...... L. f. Pop(lilia), Q. Petillius T. f. Ser(gia).

Quod Q. Lutatius Q. f. Catulus cos. verba fecit Asclepiadem Philini f. Clazomenium, Polystratum Polyarci f. Carystium, Meniscum Irenaei, Meniscus Thargelii qui fuit, filium Milesium magistros in navibus adfuisse bello Italico coepto, eos operam fortem et fidelem rei publicae nostrae navasse, eos se ex senatus consulto domos dimissos velle, sei ei videretur utei pro rebus bene gestis ab eis fortiterque factis in rem publicam nostram adlectio eorum fieret: de ea re ita censuerunt.

Asclepiadem Philini f. Clazomenium, Polystratum Polyarci filium Carystium, Meniscum Irenaei, qui fuit ante Meniscus Thargelii, filium Milesium, viros bonos et ameicos appellari. Senatum populumque Romanum existumare operam eorum bonam et fortem et fidelem rei publicae nostrae fuisse; quam ob rem senatum censere, utei iei leiberei postereique eorum in patrieis sueis omnium rerum leiberei et immunes sint. Sei qua tributa ex boneis eorum exacta sunt, postquam rei publicae nostrae caussa profectei sunt, utei ea eis reddantur restituantur, seique quei agrei aedificia bona eorum venierunt, postquam domo rei publicae nostrae caussa profectei sunt, utei ea omnia eis in integrum restituantur; seique quae dies exit, ex quo domo rei publicae nostrae caussa profectei sunt, neiquid ea res eis noceat neive quid eis ob eam caussam mi-
Lat. 1 *nus debeatur neive quid minus eis persequei exigere liceat, quaeque hereditates* eis
2 leiberisve eorum *obvenerunt, utei eas habeant possideant fruanturque; quaeque* | *ei leiberei posterei uxoresve eorum ab altero persequentur seive quid* ab eis leibereis postereis uxoribusve *eorum aliei persequentur, utei eis leibereis [postereis] uxoribusve*
3 | *eorum ius potestasque sit, seive domi legibus sueis velint iudicio* certare seive apud
4 magistratus *nostros Italicis iudicibus seive in civitate libera* | *aliqua earum, quae semper in amicitia p(opuli) R(omani) manserunt*, ubei velint utei ibei iudicium de eis rebus
5 fiat. Sei qua *iudicia de eis absentibus postquam domo profectei sunt* | *facta sunt, ea utei in integrum restituantur* et de integro iudicium ex s(enatus) c(onsulto) fiat. Sei
6 quas pecunias *civitates eorum publice debeant, in eas pecunias nei* | *quid dare debeant. Magistratus* nostri queiquomque Asiam Euboeam locabunt vectigalve Asiae *Eu-*
7 *boeae imponent curent, ne quid ei dare debeant.* | *Uteique Q. Lutatius M.* Aemilius co(n)s(ules) a(lter) a(mbove) s(ei) e(is) v(ideretur) eos in ameicorum formulam
8 referundos curarent, eisque *tabulam aheneam amicitiae in Capitolio ponere* | *sacrificiumque* facere liceret, munusque eis exformula locum lautiaque q(uaestorem) urb(anum) eis locare mittereque *iuberent. Seique de rebus sueis legatos ad senatum* |
9 mittere legateive veneire vellent, uti eis leibereis postereisque eorum legatos venire mittereque liceret. § Uteique *Q. Lutatius M. Aemilius co(n)s(ules) alter ambo-*
10 *ve*, | sei v(ideatur) e(is), litteras ad magistratus nostros, quei Asiam Macedoniam
11 provincias optinent, et ad magistratus eorum mittant *senatum velle et* | aequom censere ea ita fierei, § i(ta) u(tei) e(is) e r(e) p(ublica) f(ideve) s(ua) v(ideatur).

C(ensuere).

Gr. 1 Ἐπὶ ὑπάτων Κοΐντου Λυτατίου Κοΐντου υἱοῦ Κάτλου καὶ Μάρκου Αἰμι[λίου Κοΐντου υἱοῦ]
2 | Μάρκου υἱωνοῦ Λ[ε]π[ί]δου, στρατηγοῦ δὲ κατὰ πόλιν καὶ ἐπὶ τῶν ξένων Λευκίου Κορ-
3 νηλίο[υ .... υἱοῦ] | Σισέννα, μηνὸς Μαΐου.
4 Κόϊντος Λυτάτιος Κοΐντου υἱὸς Κάτλος ὕπατος συγκλήτῳ συνεβουλ(εύσατο) | πρὸ [ἡ]μερῶν ἕνδεκα καλανδῶν Ἰουνίων ἐν κομετίῳ.
5 Γραφομένῳ παρῆσαν Λεύκιος Φαβέριος Λευκίου υἱὸς Σεργία, Γάϊο[ς .... Λευ]|κίου υἱὸς Ποπλι[λ]ία, Κόϊντος Πετίλλιος Τίτου υἱὸς Σεργία.
6 Περὶ ὧν Κόϊντος Λυτάτιος Κοΐντου υἱὸς Κάτ[λ]ος ὕπατος λόγους ἐποιήσατο, Ἀ[σκληπιάδην | Φιλίνου υἱὸν Κλαζομένιον, Πολύστρατον Πολυάρκου υἱὸν Καρύστιον, Με[ν]ίσκον Εἰρηναίου τὸν
7 γε[γο]νότα Μενίσκον Θαργηλίου υἱὸν Μιλή[σιον ναυάρχους] | ἐν τοῖς πλοίοις παραγεγονέναι τοῦ πολέμου τοῦ Ἰταλικοῦ ἐ[ξ]αρχομένου, τούτους ἐργασίαν ἔπανδρον καὶ πιστὴν τοῖς δημο-
8 σίοις πράγμασιν τοῖς ἡμετέρ[οις παρεσχηκέ]|ναι, τούτους ἑαυτὸν κατὰ τὸ τ[ῆ]ς συγκλήτου δόγμα εἰς τὰς πατρίδας ἀπολῦσαι βούλεσθαι, ἐὰν αὐτ[ῇ] φαίνηται, ὅπως ὑπὲρ τῶν καλῶς
9 πεπραγμένων ὑπ' αὐ[τῶν καὶ ἀνδρα]|γα[θη]μάτων εἰς τὰ δημόσια πράγματα τὰ ἡμέτερα καταλογὴ αὐτῶν γένηται· περὶ τούτου τοῦ πράγματος οὕτως ἔδοξεν.
10 Ἀσκληπιάδην Φιλίνου υἱὸν Κλαζ[ομένιον], | Πολύστρατον Πολυάρκου υἱὸν Καρύστιον, Μενίσκον Εἰρηναίου υἱὸν Μιλήσιον τὸν γεγονότα Μενίσκον ἄνωθεν δὲ Θαργηλίου ἄνδρας καλοὺς καὶ
11 ἀγαθοὺς καὶ φ[ίλους π[ρο]σ]|αγορεῦσαι· τὴ[ν σ]ύ[γ]κλητον καὶ τὸν δῆμον τὸν Ῥωμαίων διαλαμβάνειν τὴν τούτων ἐργασίαν καλ[ὴν] καὶ ἔπανδρον καὶ πιστὴν τοῖς δημοσίοις πράγμασιν
12 τοῖς ἡμετ[έ]ρο[ις γεγ]ονέναι, | δι' ἣ[ν] αἰτίαν τὴν σύνκλ[η]τον κρίνειν, ὅπως οὗτοι τέκνα ἔκγονοί τε αὐτῶν ἐν ταῖς ἑαυτῶν πατρίσιν ἀλειτούργητοι πάντων τῶν πραγμάτων [κ]αὶ ἀνείσφοροι
13 ὦσιν· εἴ τινες εἰσφ[οραὶ] ἐκ τῶν | ὑπαρχόντων αὐτῶν εἰσπεπραγμέναι εἰσὶν μετὰ τὸ τούτους τῶν δημοσίων πραγμάτων τῶν ἡμετέρων χάρ[ιν] ὁρμῆσαι, ὅπως αὗται αὐτοῖς ἀποδ[ο]θῶσιν
14 ἀποκατασταθῶσιν· εἴ τέ τινε[ς] | ἀγροὶ οἰκίαι ὑπάρχοντα αὐτῶν πέπρανται μετὰ τὸ ἐκ τῆς πατρίδος τῶν δημοσίων πραγμάτων τῶν ἡμετ[έ]ρων χάριν ὁρμῆσαι, ὅπως ταῦτα πάντα αὐ-
15 τοῖς εἰς ἀκέραιον ἀποκαστα|θ[ῇ]· εἴ τέ τις προθεσμία παρε[λ]ήλυθεν, ἀφ' οὗ ἐκ τῆς πατρίδος τῶν δημοσίων πραγμάτων τῶν ἡμετέρων χάριν ὥρμησα[ν], μή τι τοῦτο τὸ πρᾶγμα αὐτοῖς

16 βλαβερὸν γένηται | μηδέ τι αὐτοῖς διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἔλασσον ὀ[φ]είληται μηδέ τι ἔλασσον αὐτοῖς μεταπορεύεσθαι πράσσειν ἐξ[ῇ]. § ἵνα τε κληρονομίαι αὐτοῖς ἢ τοῖς τέκνοις αὐτῶν
17 | παραγένοιντο, ὅπως ταύτας ἔχωσιν διακατέχω[σ]ιν καρπεύωνταί τε· § ὅσα τε ἂν αὐτοὶ τέκνα
18 ἔκγονο[ι] γυναῖκε[ς] τε αὐτῶν παρ' ἑτέρου μεταπορεύωνται, ἐάν τέ τι πα[ρ'] αὐτῶν τέκνων ἐκγόνων γυναικῶν τε αὐτῶν ἕτεροι μεταπορεύωνται, ὅπως τούτων τέκνων [ἐκγόνων] γυναικῶν
19 τε αὐτῶν ἐξουσία καὶ αἵρεσις [ᾖ], ἐάν τε ἐν ταῖς πα|τρίσιν κατὰ τοὺς ἰδίους νόμους βούλωνται κρίνεσθαι, ἢ ἐπὶ τῶν ἡμετέρων ἀρχόντων ἐπὶ Ἰταλικῶν κριτῶν, ἐάν τε ἐπὶ πόλεως
20 ἐλευθέρας τῶν διὰ τέλους | ἐν τῇ φιλίᾳ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων μεμενηκυιῶν, οὗ ἂν προαιρῶνται, ὅπως ἐκεῖ τὸ κρ[ι]τήριον περὶ τούτων τῶν πραγμάτων γίνηται· εἴ τινα κριτήρια
21 | περὶ αὐτῶν ἀπόντων μετὰ τὸ ἐκ τῆς πατρίδος ὁρμῆσαι γεγονότα ἐστίν, ταῦτα ὅπως εἰς
22 ἀκέ[ρ]αι[ον] ἀποκατασταθῇ καὶ ἐξ ἀκεραίου κριτήριον κατὰ | τὸ τῆς συνκλήτου δόγμα γένηται· § εἴ τι[ν]α χρήματα αἱ πόλεις αὐτῶν δημοσίᾳ ὀφείλουσιν, μή τι εἰς ταῦτα τὰ χρήματα δοῦναι
23 ὀφείλωσιν· | ἄρχοντες ἡμέτεροι, οἵτινες ἄν ποτε Ἀσίαν Εὔβοιαν μισθῶσιν ἢ προσόδους Ἀσίᾳ
24 Εὐβοίᾳ ἐ[π]ιτιθῶσ[ι]ν, φυλάξωνται μή τι οὗτοι δοῦναι ὀφείλωσιν· | ὅπως τε Κόϊντος [Λ]υτάτιος, Μάρκος Αἰμίλιος ὕπατοι ὁ ἕτερος ἢ ἀμφότεροι, ἐὰν α[ὐ]τ[οῖς φ]αίνηται, τούτους εἰς
25 τὸ τῶν φί[λ]ων διάταγμα ἀνενεχθ[ῆ]|ναι φροντίσωσιν· τούτοις τε πίνα[κα] χαλκοῦν φιλίας
26 ἐν τῷ Καπετωλίῳ ἀναθεῖναι θυσίαν τε ποιῆσαι ἐξ[ῇ], ξένιά τε αὐτοῖς κατὰ τὸ διάτα|γμα τόπον παροχήν τε τὸν ταμίαν τὸν κατὰ πόλιν τούτοις μισθῶσαι ἀποστ[εῖ]λαί τε κελεύσωσιν· §
27 ἐάν τε περὶ τῶν ἰδίων πραγμάτων | πρεσβευτὰς πρὸς τὴν σύγκλητον ἀποστέλλειν αὐτοί τε
28 παραγίνεσθαι προαιρῶνται, ὅπως αὐτοῖς τέκνοις ἐκγόνοις τε αὐτῶν | πρεσβευταῖς παραγίνεσθαι καὶ ἀποστέ[λ]λειν τε ἐξῇ· § ὅπως τε Κόϊντος Λυτάτιος, Μάρκος Αἰμίλιος ὕπατοι ὁ ἕτερος ἢ
29 ἀμφότεροι, | ἐὰν αὐτοῖς φαίνηται, γράμματα πρὸς τοὺς ἄρχοντας τοὺς ἡμετέρους, οἵτινες Ἀσίαν
30 Μακεδονίαν ἐπαρχείας [δ]ιακατέχουσιν, | καὶ πρὸς τοὺς ἄρχοντας αὐτῶν ἀποστείλωσιν τὴν
31 σύνκ[λ]ητον θέ[λ]ειν καὶ δίκαιον ἡγεῖσθαι ταῦτα οὕτω γίνεσθαι, | οὕτως ὡς ἂν αὐτοῖς ἐκ τῶν δημοσίων πραγμάτων πίστεώς τε τῆς ἰδίας φα[ί]νηται. §

Ἔδοξεν.

32 | Ἀσκληπιάδου τοῦ Φιλίνου Κλαζομενίο[υ].
33 Πολυστράτου τοῦ Πολυάρκου | Καρυστίου.
Μενίσκου τοῦ Εἰρηναί[ου Μ]ιλησίου.

Ritschl tab. XXX ad archetypon, quod ipse quoque contuli. Ed. Petrus Victorius ante epp. Ciceronis ad Atticum (Florent. 1571. 8) ab Ursino acceptum, extatque etiam in eiusdem Victorii sylloge inscriptionum ms. Monacensi (cod. Lat. 743) p. 105. Ex Victorio pendet Sigonius, qui Graecis omissis Latine versum edidit in libri de iure provinciarum editione repetita a. 1574, cum in principe ed. a. 1567 non adsit. Dederunt deinde Ursinus inter leges n. 24; Lipsius auct. p. 9 (hic Graecis omissis); Gruterus p. 503. 504 omnino ex Ursino; Goettling *funfzehn Urkunden* p. 50; Franz C. I. Gr. n. 5879.

Foederum inter populum Romanum et exteros populos hominesve factorum tabulas in Capitolio fixas esse cum haec testatur v. 25: τούτοις τε πίνακα χαλκοῦν φιλίας ἐν τῷ Καπετωλίῳ ἀναθεῖναι ἐξῇ tum accuratius etiam similis Astypalaeensis (C. I. Gr. n. 2485), ubi cum in ipso foedere adscriptum est alterum exemplum in agro Romano in Capitolio ad aedem Iovis, alterum in Astypalaeensi in aede Minervae et Aesculapii ad aram Romae propositum iri, tum in senatus consulto de foedere renovando adiectum ut Ποπλιος ὕπατος χάλκωμα συμμαχίας [ἐν] Καπετωλίῳ καθηλῶσαι φροντίσῃ. Eodem pertinent foedera Carthaginiensia quae aetate Polybii legebantur ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν Καπετώλιον ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ (Polyb. 3, 26), quod ταμιεῖον mihi est *aedis thesaurorum in Capitolio* (Orell. Henz. n. 5407); item leges de civitate Romana, quas ad Domitianum usque constat fixas esse in Capitolio diversis locis proxime aedem Iovis (*Bullett.* 1845 p. 121); denique quae Suetonius narrat de Vespasiano (c. 8): *restitutionem Capitolii aggressus — aerearum tabularum tria milia quae simul conflagraverant restituenda suscepit undique investigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur paene ab exordio urbis senatus consulta plebi scita de societate et foedere ac privilegio* (qualia sunt leges de civitate Romana quas honestarum missionum nomine appellare consuevimus) *cui cumque concessis.* De usu hoc legum et senatus consultorum de societate et foedere custodiendorum ad aedem Fidei prope Iovis optimi maximi Capitolinam data opera exposui in annal. inst. arch. 1858 p. 198 sq. Illarum foederis tabularum ex tribus milibus quae fuerunt hodie restant duae, plebi scitum de Termessibus a. 682 rogatum et senatus consultum hoc a. 676 de Asclepiade Polystrato Menisco in amicorum formulam referendis. Ceterum de argumento omnia nota sunt; simile senatus consultum, ut unum exemplum ponam, factum est de Onesimo Pythonis f. Macedone in sociorum formulam referendo Liv. 44, 16; neque raro inveniuntur, quibus a Romani beneficium contigerit ἐν τοῖς κατ' ἄνδρα φίλοις ἀναγραφῆναι (v. decretum C. Caesaris apud Iosephum ant. 14, 10, 2). — Graecam interpretationem Romae et factam et incisam esse indoles sermonis scalptorisque errores peritum quemvis statim docebunt; sequitur Sullana iam aetate senatus consulta Graecis destinata edita esse lingua utraque. Quocum recte componemus primum exterarum gentium sine interprete in senatu auditum esse Molonem, cum legatus a Rhodiis Sulla dictatore Romam venisset (Val. Max. 2, 2, 3. Cic. Brut. 90, 312). — In lectione constituenda meum exemplum fere secutus sum, a quo tabula vix recedit in gravioribus; singula elementa imperitus aerarius quomodo deformarit et saepe perverterit, hoc loco accurate repraesentare non potui nec ut potuissem voluissem. Haec fere notanda videntur esse.

Lat. 1 priorum habet unus Goettlingius; litterarum trium primarum EIS et quattuor extremarum EEOR non remanent nisi vestigia.

2 in. AA a tabula abest.

2 extr. POSTERIS, quod in Graecae partis v. 18 deest, item defuisse in Latina conficitur litterarum quae perierunt numero aestimato.

3 LAKCICIO ego nec multum differt tabula; videtur fuisse IVDICIO. — extr. litterae S vestigium ego non vidi.

5 in. A prima littera a tabula abest.

8 FIS pro EIS ego. — MITTERL̲ABI ego notavi; tabula post MITTER exhibet ductus incertos.

9 in. ᴇʟʟʟᴇ///// ego, ᴀᴀᴀᴀ/////// tabula. — τις pro τις aes.

10 extr. lacuna cum capax sit litterarum c. 35, admisi spatium non scriptum post *mittant*, quale habemus v. 11 post *fierei*.

Graec. 1. 2. 3. 32. 33 distinguuntur litteris maioribus.

1 sq. similiter in senatus consulto de foedere Astypalaeensi renovando nec tamen ibi initio, sed v. 15 sq., adscribuntur consules et praetores urbanus et peregrinus: ἐπὶ ὑπάτ[ω]ν Ποπλ[ίου Ῥοτιλίου] Ποπλίου υἱοῦ καὶ [Γνα]ίου Μαλλίου Γναίου υἱοῦ, [στρατηγοῦ δὲ κατὰ πόλιν] Λευκίου .... αυίου Λευκίου υἱοῦ, [ἐπὶ τῶν ξένων] .... Ποπλίου υἱοῦ, [μηνὸ]..... Hoc a. 676 M. Lepidus et urbanam (κατὰ πόλιν) et peregrinam (ἐπὶ τῶν ξένων) iurisdictionem administrasse videtur (cf. Huebnerus de s. p. q. R. actis p. 18). Duo haec exempla, quae sola supersunt anni publice significandi in monumentis liberae rei publicae, docent praeter consules collegas etiam eorum praetores duarum urbanarum provinciarum apud Romanos ἐπωνύμους fuisse, licet in fastis brevitatis causa consules soli nominabantur. — extr. ΑΝϐ tabula.

2 ΛΙΠΕΔΟΥ aes. — ΚΟΡΙΗΛΙ tabula. In aeris parte quae periit scribi potuerunt litterae c. 15, sed videtur pars extrema versus huius sine litteris fuisse.

3 extr. spatium quod deest item capax fuit litterarum c. 14; sed ex parte inscriptum non fuisse consentaneum est, cum v. sequens emineat in marginem et incipiat a littera maiore.

4 ΠΜΕΡΩΝ aes. — Ἐν κομιτίῳ item factum senatus consultum est relatum a Iosepho antiq. Iud. 13, 9. Scilicet convenit senatus in curiam Hostiliam in ipso comitio aedificata; quam curiam significari, cum senatus convenisse dicatur in comitium, eo probabilius est, quod in nullo eorum consultorum quae supersunt senatus legitur convenisse in curiam. — Σεργία est. Ut hic tribus sexto casu Latino, ita similiter scribitur in SCto modo citato apud Iosephum. — extr. ΓΑΙ tabula.

5 ΠΟΠΛΙΑΙΑ et ΚΑΤΑΟΣ aes.

6 Πολυάρκης, ἄρκεος (C. I. Gr. 158 §. 9) cum ex usu Latino fiat Polyarces, Polyarci (Schneider *lat. Gramm.* 2, 163 sq.), inde interpres in Graecum sermonem intulit barbarum Πολυάρκου. — ΜΕ ΟΣΚΟΝ aes. — ΓΕΤΩΝΟΤΑ ego notavi, ΓΕΓΟΝΟΤΑ tabula. — Meniscum natura Thargelii, adoptione Irenaei filium fuisse significatur et hic et v. 10, commode tamen neutro loco.

7 Ε/ΑΡΧΟΜΕΝΟΥ in aere est uno elemento a rubigine intercepto.

8 ΤΠΣ aes. — ΑΥΤΩ aes. Monuit Goettlingius αὐτῇ scribendum esse; commutavit scilicet aerarius Ω et ΗΙ.

9 ΓΑΟΡΜΑΤΩΝ aes. — Καταλογῇ videtur receptio in formulam sociorum significari. — Post ΚΑΤΑΛΟΓΗ in tabula sequuntur litterae duae corruptae; mihi nihil ibi scriptum fuisse visum est.

10 Cf. SCti de Astypalaea versus 3 sq. suppletos hic ex parte ad SCti a Iosepho relati formulas: [πρὸς τὸν δῆμον τῶν Ἀστυπαλαιέων φιλίαν καὶ συμμαχίαν] ἀνανεώσασθαι, ἄνδρα καλὸν καὶ ἀγαθὸν [πεμφθέντα ὑπὸ δήμου] καλοῦ καὶ ἀγαθοῦ καὶ φίλου προσαγ[αγεῖν φίλον καὶ ὅλως] φιλανθρώπως ἀποκριθῆναι. — extr. ΡΟ litterarum vestigia ego non enotavi.

11 ΤΗΜΟΥΗΚΛΗΤΟΝ aes. — ΚΑΛΥΗ aes. — ΗΜΕΤΡϹ aes.

12 ΗΗ aes. — ϹΥΝΚΛΠΤΟΝ aes. — ΑΔΕΠΟΥΡΓΗΤΟΙ tabula, non ego. — ΤΩΝϹΑΙ ego. — ΑΝΕΙϹΦΟΡΟΙ, quod emendavit Franzius pro ΑΝΕΚΦΟΡΟΙ priorum, in ipso aere legitur, ubi Κ et ΙϹ vix discernuntur.

13 ΧΑΡΗΙ aes. — ΤΟϹΑΥΤΑΙ pro ΟΠΩϹ ΑΥΤΑΙ priores, etiam Goettl. — ΑΥΤΙΚ pro ΑΥΤΟΙϹ tabula, non ego. — ΑΠΟΔΙΘΩϹΙΝ ego, ΑΠΟΔΙΘΩϹΙΑ tabula. — in fine mihi visum est ΤΙΝΕΙϹΤ/// vel ΤΙΝΕΚΤ///, sed litteris incertis, idemque est in tabula.

14 ΗΜΕΤΟΡΩΝ aes. — extr. ΑΠΟΚΑΙΑΤΑ tabula, non ego.

15 ΘΙΟ pro ΘΗΙ aes. — ΠΑΡΕΑΗΛΥΘΕΝ ego. — ΩΡΜΗϹΑΗ (non ΟΡΜΗϹΑΙ) aes.

16 ΟϹΕΙΛΗΤΑΙ aes. — ΕΛΑϹϹΟΡ et ΜΕΠΑ tabula, non ego. — ΕΞΗ aes. — ΚΛΗΡΟΝΟΜΙΑ tabula, non ego.

17 ΔΙΑΚΑΤΕΧΩΟΙΝ aes. — ΚΑΡΠΕΥΩΝΤΑΟ tabula. — ΕΚΓΟΝϹΙ aes. — ΓΥΝΑΙΚΕΙ ego.

18 ἐκγόνων et ῇ addidi.

19 Italici iudices dicuntur, non Romani, quia quae magistratus Romanus in provincia ordinabat iudicia patria cum civibus Romanis tum etiam Latini iuris hominibus reddebantur. Conferendi sunt infra referendi negotiatorum Italicorum, id est et Romanorum et Latinorum et reliquorum sociorum foederis Italici tituli.

20 ΚΡΗΤΗΡΙΟΝ aes.

21 ΑΚϹΟΑΙΟΝ aes.

22 ΤΙΝΑ ego, ΤΝΑ tabula. — ΟΚΕΙΛΩϹΙΝ ante ΜΗ tabula.

23 ΕΝΙΤΙΘΩϹΝ ego, ΕΠϹΤΙΘΩϹΝ tabula.

24 ΑΥΤΑΤΙΟϹ aes. — ΑΟΤϹΓΥΑΙΝΗΤΑΙ ego, ΑΥΟΤΟΡ ΥΑΙΝΗΤΑΙ tabula. — ΦΙΔΩΝ aes. — ΑΝΕΝΕΧΘΑΙ in aere legi dubitans.

25 ΠΙΝΑ aes. — ΚΑΠΕΤΩΛΙΩΓ tabula, non ego. — ΕΞΠΙ aes. — Praeter ea quae supra monuimus cf. SCti de Astypalaeensibus v. 9 sq.: ἔτι [Πόπλιος Ῥοτίλ]ος ὕπατος τὸν ταμίαν κατὰ τὸ διάταγμα [ξένια αὐτῷ παρέχειν κ]ελεύσῃ θυσίαν τε ἐν Καπετωλίῳ, ἐὰν θέλῃ, ποιῆσ[αι αὐτῷ ἐξῇ κατὰ] τὸν νόμον [τόν τε] Ῥόβριον καὶ τὸν Ἀκίλιον, item S. C. de Prienensibus C. I. Gr. 2905. Ceterum res nota est de huiusmodi sacrificiis amicorum exterorum in Capitolio; vide e. c. Liv. 43, 6: *Alabandenses — donum ut in Capitolio ponere et sacrificare liceret, petebant.*

26 ΑΠΟϹΤΟΤΑΑΙ aes. — ΚΕΛΕΥΩϹΙΝ priores.

27 ΕΚΓΟΝΟΙϹΤΕΑΥΤΩΝ ego dubius; ΕΚΓΟΝΟΙϹΑΝΕΑΥΤΩΝ tabula; ΕΚΓΟΝΟΙϹΤΟΙϹΑΥΤΩΝ priores.

28 ΠΡΕϹΒΕΥΤΑϹ priores. — ΑΠΟϹΤΕΑΛΕΙΝ ego.

29 Provincia Achaia cum tum nulla esset Graecis Macedoniae attributis, recte hic Euboeae causa commemoratur proconsul Macedoniae. — ΑΙΑΚΑΤΕΧΟΥϹΙΝ ego, ΑΙΑΚΑΤΗΧΡ//Α/ tabula.

30 ϹΥΝΚΛΗΤΟΝ ΘΕΛΕΙΝ aes.

31 ΦΑΝΗΤΑΙ (sic) ego. — Eadem formula redit iisdem verbis in SC. Astypalaeensi v. 8. 9.

32 sq. nomina haec eorum, ad quos privilegium pertinebat, neque in Latino exemplo ponuntur et aliquanto puriore sermone efferuntur (abest enim barbarum υἱοῦ), unde videntur postea, fortasse cum decretum in aes incidebatur, adiecta esse ab alio scriba. Composuit Goettlingius formulas privilegiorum de civitate Romana, in quibus homines qui civitate donantur non in lege nominantur, sed infra legem subscribuntur; at tertio casu eorum nomina efferuntur, non ut haec secundo, suntque illa magis ipsius legis pars, ad quam ibi ablegamur, haec decreti quasi quidam index in tanta legum copia, quanta in Capitolio olim fuit, sane necessarius.

33 ΑΛΕΝΙϹΚΟΥ tabula.

LEX ANTONIA DE TERMESSIBVS.

C. A. V. C. DCLXXXIII.

204. Tabula ahenea reperta Romae ad Tarpei radices in Saturni ruinis; eam nunc habet Camillus Capranicus *ms. Borghini*. Romae in aedibus nobilium de Capranica *Mur.* Inter Farnesiana Neapolim migravit, ubi hodie custoditur.

inscr. 1. C. Antonius M. f., Cn. Corne*lius ..f., Q. Marcius ..f., L. Hostilius ..*
f., C. Popilius ..f., M. Valerius ..f., C. Antius ..f., Q. Caecilius ..f.,
inscr. 2. *L. V ....f.* | C. Fundanius C. f. tr(ibunei) pl(ebei) de s(enatus)
s(ententia) plebem *ioure rogaverunt plebesque ioure scivit in ......*
a(nte) d(iem) .... Tribus ..... principium fuit; pro tribu ......
inscr. 3. ..... | preimus scivit.

1 de Termesi(bus) Pisid(is) mai(oribus).

I, 1 2 Quei Thermeses maiores Peisidae fuerunt queique | eorum legibus Thermesium maio-
3 4 rum Pisidarum | ante k. April. quae fuerunt L. Gellio Cn. Lentulo cos. | Ther-
5 meses maiores Pisidae factei sunt, queique | ab leis prognati sunt erunt: iei
6 7 omnes | postereique eorum Thermeses maiores Peisidae | leiberi amicei socieique
8 9 populi Romani sunto | eique legibus sueis ita utunto itaque ieis | omnibus sueis
10 legibus Thermensis maioribus | Pisideis utei liceto, quod advorsus hanc legem
11 | non fiat.
12 13 | Quei agrei quae loca aedificia publica preivatave | Thermensium maiorum Pisidarum
14 15 intra fineis | eorum sunt fueruntve L. Marcio Sex. Iulio cos., | quaeque insulae
16 17 eorum sunt fueruntve ieis | consolibus quei supra scriptei sunt, quodque | earum
18 rerum ieis consulibus iei habuerunt | possederunt us[ei fructeique] sunt, quae
19 20 de ieis rebus | locata non s[unt, utei antea habeant possideant. Q]uaeque | de
21 ieis rebu[s agreis loceis aedificieis locata su]nt ne ne | locentur [sancitum est
22 sanctione, q]uae facta | est e[x] l[ege rogata L. *Gellio* Cn. Lentulo cos., e]a om-
23 24 nia | Ther[meses maiores Pisidae habean]t possideant. | Ieisque [rebus loceis
25 agreis aedificieis utantur fr]uantur | ita, utei ant[e Mitridatis bellum, quod p]rei-
26 mum | fuit, habueru[nt possederunt usei fruct]eique sunt.
27 28 | Quae Thermensorum m[aioru]m Pisidarum publica | preivatave praeter loca agros
29 30 aedificia sunt | fueruntve ante bellum Mitridatis, quod preimum | factum est, quod-
31 32 que earum rerum iei antea | habuerunt possederunt usei fructeive sunt, | quod
33 eius ipsei sua voluntate ab se non abalienarunt, | ea omnia Termensium maiorum
34 35 Pisidarum utei sunt | fuerunt, ita sunto itemque ieis ea omnia | habere possidere
uutei frueique liceto.
36 II, 1 | Quos Thermenses maiores Pisidae leiberos servosve || bello Mitridatis ameiserunt,
2 3 magistratus pr[ove] | magistratu quoia de ea re iuris dictio erit, qu[oque] | de ea
4 re in ious aditum erit, ita de ea re ious | deicunto iudicia recuperationes danto,
5 utei ie[i] | eos recuperare possint.
6 7 | Neiquis magistratus prove magistratu legatus ne[ive] | quis alius meilites in oppidum
8 9 Thermesum maiorum | Pisidarum agrumve Thermensium maiorum | Pisidarum
10 hiemandi caussa introducito, neive | facito, quo quis eo meilites introducat quove
11 12 ibei | meilites hiement, nisei senatus nominatim, utei Thermesum | maiorum Pi-
13 sidarum in hibernacula meilites | deducantur, decreverit. Neive quis magistratus
14 15 | prove magistratu legatus neive quis alius facito | neive inperato, quo quid
16 magis iei dent praebeant | ab ieisve auferatur, nisei quod eos ex lege Porcia
17 | dare praebere oportet oportebit.
18 19 | Quae leges quodque ious quaeque consuetudo L. Marcio | Sex. Iulio cos. inter ci-
20 veis Romanos et Termenses | maiores Pisidas fuit: eaedem leges eidemque ious
21 22 | eademque consuetudo inter ceives Romanos et | Termenses maiores Pisidas
23 esto. Quodque quibusque | in rebus loceis agreis aedificieis oppideis iouris
24 25 | Termensium maiorum Pisidarum ieis consulibus | quei supra scriptei sunt fuit,
26 quod eius praeter | loca agros aedificia ipsei sua voluntate ab se non | abalie-
27 28 narunt, idem in eisdem rebus loceis agreis | aedificieis oppideis Termensium maio-
29 30 rum Pisidarum | ious esto. Et quo minus ea quae in hoc capite scripta | sunt
ita sint fiant, eius hac lege nihilum rogatur.
31 32 | Quam legem portorieis terrestribus maritumeisque | Termenses maiores Phisidae
33 34 capiundeis intra suos | fineis deixserint, ea lex ieis portorieis capiundeis | esto,
35 dum neiquid portori ab leis capiatur, quei publica | populi Romani vectigalia re-
36 dempta habebunt. Quos | per eorum fineis publicanei ex eo vectigali transporta-
bunt || *fructus, eorum portorium Thermenses maiores Pisidae ne petunto neve capiunto.*

Desunt paginae circiter decem.

Ritschl tab. XXXI ad archetypum. Integram solus vidit qui in schedis Ambrosianis eam descriptam reliquit (inde Mur. 582, 1), scilicet ni fallor Mariangelus Accursius, quamquam in apographo Accursianorum ad me delato frustra quaesivi hanc. Praeterea ediderunt Manutius orthogr. 1566 p. 407 primus; Sigonius de ant. iure prov. ed. 1567 p. 64 aperte ex Manutio; Ursin. leg. n. 15; Smetius f. 15. 16 q. v. cum Petro Wastelio; Grut. p. 500. 501 ex Smetio; Goettling *funfzehn Urk.* p. 12 sq. Multis verbis explicavit eam Dirksen *Versuche zur Kritik und Auslegung* (1823 p. 136—202).

Termessus maior (sic enim recte dici nummi apud Eckhelium 3, 27 lapidesque C. I. Gr. 4366 *i* 3. 4. 5 ostendunt) Pisidiae oppidum fuit, cuius de confirmanda autonomia concessa pridem a Cn. Manlio imp. a. u. c. 565 (Polyb. 22, 18 = Liv. 38, 15) nummisque etiam marmoribusque testata haec lex lata est. Quod factum esse apparet post consules a. 663 L. Marcium Sex. Iulium (I, 14. II, 18) finitumque bellum Mithridaticum primum a. 666—670 coeptumque secundum a. 680 (I, 25, 29. cf. II, 1) adeoque post k. Apriles anni 682 L. Gellio Cn. Lentulo cos. (I, 3. 22). Nec multo post lex haec videtur lata esse. Quamquam enim de Termessium inter bella Mithridatica vicissitudinibus aliunde nihil accepimus (mero enim errore quae de Telmisso Lyciae Appianus Mithr. 24 narrat ad Termessum Pisidiae rettulit Goettlingius), tamen concussus his temporibus oppidi status non video quo tempore commode ordinari potuerit ad normam quae obtinuisset ante belli Mithridatici prima initia, id est anno 663, nisi paulo post, nondum finito bello Mithridatico secundo. Simili ratione post primum bellum Mithridaticum a. u. c. 674 Chiis senatus consulto confirmatum est *ὅπως νόμοις τε καὶ ἔθεσιν καὶ δικαίοις [χρῶν]ται, [ἃ] ἔσχον ὅτε τῇ Ῥωμαίων [φι]λίᾳ προςῆ[λ]θον* (C. I. Gr. 2222, cf. App. Mithr. 61). Quam ob rem legem de ea re quae citatur in hac (I, 22), latam esse a. 682, hanc alteram de eadem re anno proximo mihi persuasi. Accedunt ad eam opinionem confirmandam argumenta alia. Primum inter k. Apriles a. 682, quo die qui cives Termessenses fuissent ad hoc privilegium admittuntur, et diem latae legis non maius spatium intercessisse consentaneum est, quam quo impediretur, ne propter expectationem legis mox ferendae homines a Termesso alieni in eam civitatem adscripti ad commoda illa pervenirent. Deinde C. Antonius M. f., qui inter legis rogatores primum locum obtinet, cum a. 688 praetor, a. 691 consul fuerit, secundum legis annalis intervalla sollemnia recte fungi potuit tribunatu plebis a. 683. Contra qui monuerunt tribunis plebis a Sulla ius ferendarum legum ademptum esse neque nisi a. 684 restitutum lege Pompeia, non animadverterunt', quod alio loco observavi (*Zeitschrift für Altherthumswissenschaft* 1846 p. 107) secundum Appianum (b. c. 1, 59) tribunis plebis etiam per Sullam licuisse leges ad populum ferre, modo ferrent de senatus sententia.

Inscriptionem supplevi ex lapide eiusdem collegii tribunicii, de quo infra disputabitur. Spatium enim formulis v. 2 indicatum cum requirat v. 1 minimum septem rogatorum nomina facileque novem admittat, totum collegium tribunicium praescribere visum est. — I CORNEL Mur. fortasse ex aere.

Indicem qui primus animadvertit edidit que, Goettlingius non recte ibi pro I posuit L, quam elementi formam dudum ante exolevisse constat neque hic locum habet *lex*, sed significanda erat prima tabula, ut octava significatur in lege de XX quaestoribus simul cum hac reperta.

I, 2 MAIOREM tabula.

5 ante IEIS in tabula aes corruptum est ideoque non inscriptum.

18 VS............SVNT vidi ego; similiter tabula. — I, 18—27, item II, 1. 2. 4. 6 quae ex solis schedis Ambrosianis habemus, distinxi uncinis quadratis.

19 LOCATA NON S ego, sed dubius de litteris tribus extremis; neque fere aliter tabula. Lectionem confirmat Mur. — Pro *habeant possideant* requiritur *habento possidento*, ut postea I, 23 sq. pro *habeant possideant — utantur fruantur* debuit esse similiter *habento possidento — utunto fruonto*. Scriptor legis ipse lapsus est.

20 ///NACNE ego legi et ita fere tabula, SVN AC NE Mur.

22 EST · E/ L/// legi ego et ita fere tabula. — CALLIO Mur. ut supra I, 3 similiter peccavit.

23 ⁻ POSSIDEANT ego; ⁻ om. tabula.

31 extr. /A post SVNT tabula, non ego.

II, 3 extr. QYOIVE Mur., quod sic ferri nequit; suntque omnino in exemplo Muratoriano complura male scripta sive auctoris culpa sive Muratorii sive, ut fit, utriusque coniuncta.

16 EDS in aere est. — De lege Porcia cf. Liv. 32, 27 de Catone maiore Sardiniam administrante: *sumptus, quos in cultum praetorum socii facere soliti erant circumcisi aut sublati*; Plut. Cat. mai. 6.

25 Exceptio *praeter loca agros aedificia* eo pertinet, quod fundus territorio Termessium comprehensus, cuiuscunque est, nihilo minus iuris Termessium manet; quod secus est in re mobili.

29 ET fortasse delendum.

LEX RVBRIA DE CIVITATE GALLIAE CISALPINAE.

C. A. V. C. DCCV.

205. Tabula ahenea clavis olim, ut foramina ostendunt, parieti affixa rep. d. 24. Apr. 1760 inter parietinas Veleiae oppidi, in vico terrae Placentinae, cui Macinesso nomen est, paucis passibus (*braccia* 15) ab eo loco, quo reperta est obligatio praediorum Veleias, ad ingressum, ut refert Lama, basilicae sub fori maeniano occidentali (*sotto il loggiato occidentale del foro*). Illata deinde est cum reliquis rebus antiquis Veleiae eruderatis in bibliothecam, deinde a. 1801 in museum Parmense, unde cum Napoleonis iussu a. 1803 ablata esset, eodem rediit a. 1816.

IIII ....

[XVIIII] *Quom ex h(ac) l(ege) operis novi nuntiationem II vir IIII vir praefectusve eius*

I. *municipei remeisserit, quod de ea re iudicium datum iudicareve* || iussum iudicatumve erit, id ratum ne esto: quodque quis|que quomq(ue) d(e) e(a) r(e) decernet interdicetve seive sponsionem | fierei [iudicaveritve] iubebit iudiciumve quod d(e) e(a) r(e) dabit, is | in id decretum interdictum sponsionem iudicium exceptio|nem

I, 6 addito addive iubeto: ‘q(ua) d(e) r(e) operis novi nuntiationem | II vir IIII vir
‘praefectusve eius municipei non remeisserit’.
7 8 | Qua de re quisque et aquo inGallia cis alpeina damnei infectei | exformula resti-
9 XX pularei satisve accipere volet, et ab eo quei | ibei i(ure) d(eicundo) p(*raerit*)
postulaverit, idque non k(alumniae) k(aussa) se facere iuraverit: tum is quo
10 | d(e) e(a) r(e) inius aditum erit eum quei inius eductus erit d(e) e(a) r(e) ex-
11 12 formu|la repromittere et, sei satis darei debebit, satis dare iubeto de|cernito.
13 Quei eorum ita non repromeisserit aut non satis dede|rit, sciquid interim damni
14 datum factum ve ex ea re aut ob e(am) r(em) eo|ve nomine erit, quam ob rem
15 utei damnei infectei repromissio | satisve datio fierei *[iubeatur]* postulatum erit, tum
16 mag(istratus) prove mag(istratu) II vir | IIII vir praefec(tus)ve, quoquomque d(e)
17 e(a) r(e) inius aditum erit, d(e) e(a) r(e) ita ius | deicito iudicia dato iudica-
18 reque iubeto cogito, proinde atque sei | d(e) e(a) r(e), quom ita postulatum esset,
19 damnei infectei ex formula | recte repromissum satisve datum esset. D(e) e(*a*)
20 r(*e*) quod ita iudicium | datum iudicareve iussum iudicatumve erit, ius ratumque
21 22 esto, | dum inea verba, sei damnei infectei repromissum non erit, iudi|cium det
23 itaque iudicare iubeat: ‘I(udex) e(sto). S(ei), antequam id iudicium | q(ua) d(e)
24 ‘r(e) a(gitur) factum est, Q. Licinius damni infectei eo nomine q(ua) d(e) | r(e)
25 ‘a(gitur) eam stipulationem, quam is quei Romae inter peregrei|nos ius deicet
26 ‘inalbo propositam habet, L. Seio repromeississet, | tum quicquid eum Q. Li-
27 ‘cinium ex ea stipulatione L. Seio d(are) f(acere) opor|*t*eret ex f(ide) b(ona)
‘d(um) *t*(axat) HS , e(ius) i(udex) Q. Licinium L. Seio, sei ex decreto
28 ‘II vir(ei) | IIII vir(ei) praefec(tei) ve Mutinensis, quod eius is II vir IIII vir
29 ‘praefec(tus)|ve ex lege Rubria seive id pl(ebei) ve sc(itum) est decreverit, Q.
30 ‘Licinius eo | nomine qua d(e) r(e) a(gitur) L. Seio damnei infectei repromittere
31 ‘no|luit, c(ondemnato); s(ei) n(on) p(arret), a(bsolvito)’; aut sei damnei infectei
32 satis datum non erit, | inea verba iudicium det: ‘I(udex) e(sto). S(ei), ante-
33 ‘quam id iudicium q(ua) d(e) r(e) a(gitur) | *f*actum est, Q. Licinius damnei in-
34 ‘fectei eo nomine q(ua) d(e) r(e) a(gitur) ea | stipulatione, quam is quei Romae
35 ‘inter peregrinos ius deicet | in albo propositam habet, L. Seio satis dedisset,
36 ‘tum q(uic)q(uid) eum | Q. Licinium ex ea stipulatione L. Seio d(are) f(acere)
37 ‘oporteret ex f(ide) b(ona) d(um) t(axat) *HS* , | e(ius) i(udex) Q. Li-
38 ‘cinium L. Seio, sei ex decreto II vir(ei) IIII vir(ei) praef(ectei)ve Muti|nensis,
39 ‘quod eius is II vir IIII vir praefect(us)*ve* ex lege Rubria sei|ve id pl(ebei)ve
40 ‘sc(itum) est decreverit, Q. Licinius eo nomine q(ua) d(e) r(e) a(gitur) | L. Seio
‘damnei infectei satis dare noluit, c(ondemnato); s(ei) non) p(arret), a(bsolvito)’;
41 dum II vir | IIII vir i(ure) d(eicundo) praefec(tus)ve d(e) e(a) r(e) ius ita deicat
42 curetve, utei ea no|mina et municipium colonia locus inco indicio, quod ex
43 44 ieis | quae proxsume s(cripta) s(unt) accipietur, includ*a*ntur concipiantur, | quae
45 includei concipei s(ine) d(olo) m(alo) oportere [*ei vi*]deb[*a*]tu[*r*], nequid | ei quei
46 d(*e*) e(a) r(*e*) aget petetve captionei ob e(am) r(em) aut eo nomine esse | possit;
47 neive ea nomina qu*ae* inearum qua formula, quae *s*(upra) | *s*(criptae) *s*(unt),
48 *scripta sunt*, aut Mutinam ineo iudicio includei concipei curet, nise | iei, quos
49 inter id iudicium accipietur leisve contestabitur, | ieis nominibus fuerint, quae in
50 earum qua formula s(cripta) *s*(*unt*), | et nisei sei Mutinae ea res agetur. Neive
51 quis mag(istratus) prove mag(istratu) | neive quis pro quo imperio potestateve
52 erit intercedito nei|ve quid aliud facito, quo minus de ea re ita iudicium detur
II, 1 || iudiceturque.
2 | A quoquomq(ue) pecunia certa credita signata forma p(ublica) p(opulei) R(omanei)
3 XXI inearum quo o(ppido) m(unicipio) c(olonia) p(raefectura) | f(oro) v(eico) c(on-
ciliabulo) c(astello) t(erritorio)ve, quae sunt eruntve inGallia cisalpeina, petetur,
4 quae res non | pluris HS XV erit, sei is eam pecuniam iniure apud eum, quei
5 ibei i(ure) d(eicundo) p(raerit), ei quei | eam petet, aut ei quoius nomine ab eo
6 petetur d(are) o(portere) debereve se confessus | erit, neque id quod confessus erit
7 solvet satisve faciet aut se sponsione | iudicioque utei[ve] oportebit non defendet,
8 seive is ibei d(e) e(a) r(e) iniure non | responderit neque d(e) e(a) r(e) spon-
9 sionem faciet neque iudicio utei oportebit | se defendet: tum de eo, aquo ea
10 pecunia peteita erit, deque eo, quoi eam | pecuniam d(arei) o(portebit), s(iremps)
res lex ius caussaque o(mnibus) o(mnium) r(erum) esto, atque utei esset esseve
11 | oporteret, sei is, quei ita confessus erit aut d(e) e(a) r(e) non responderit aut
12 13 se | sponsione iudicioque utei oportebit non defenderit, eius pecuniae iei, | quei
eam suo nomine petierit quoive eam d(arei) o(portebit), ex iudicieis dateis iu-
14 15 di|careve recte iusseis iure lege damnatus esset fuisset. Quoique quomque | II vir
IIII vir praefec(tus)ve ibei i(ure) d(eicundo) p(raerit), is eum, quei ita quid
16 confessus erit | neque id solvet satisve faciet, eumve quei se sponsione iudiciove
17 18 utei[ve] | oportebit non defenderit aut iniure non responderit neque id solvet | sa-
tisve faciet, t(antae) p(ecuniae), quanta ea pecunia erit de qua tum inter eos

II, 19 am|bigetur, dum t(axat) *HS* XV, s(ine) f(raude) s(ua) duci iubeto; queique eorum
20 quem ad quem | ea res pertinebit duxserit, id ei fraudi poenaeve ne esto; quod-
21 que ita fac|tum actum iussum erit, id ius ratumque esto. Quo minus ineum,
22 quei ita | vadimonium Romam exdecreto eius, quei ibei i(ure) d(eicundo) p(raerit),
23 non promeisserit | aut vindicem locupletem ita non dederit, ob e(am) r(em) iu-
24 dicium recup(eratiouem) is, quei | ibei i(ure) d(eicundo) pr(aerit), ex h(ac) l(ege)
det iudicareique d(e) e(a) r(e) ibei curet, ex h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).

25 | A quo quid praeter pecuniam certam creditam signatam forma p(ublica) p(opulei)
26 XXII R(omanei) | ineorum quo o(ppido) m(unicipio) c(olonia) p(raefectura) *f*(oro)
v(eico) c(onciliabulo) c(astello) t(erritorio)ve, quae sunt eruntve inGallia cis
27 Alpeis, | petetur quodve quom eo agetur, quae res non pluris HS $\overline{XV}$ erit et
28 sei | ea res erit, de qua re omnei pecunia ibei ius deicei iudiciave darei ex h(ac)
29 l(ege) [d(are)] o(portebit), | sei is eam rem, quae ita ab eo petetur deve ea re
30 cum eo agetur, ei, quei eam *rem* | petet deve ea re aget, aut iei, quoius nomine
31 ab eo petetur quomve eo age|tur, iniure apud eum, quei ibei i(ure) d(eicundo)
32 p(raerit), d(are) *f*(acere) p(raestare) restituereve oportere aut | se debere, eiusve
33 eam rem esse aut se eam habere, eamve rem de | qua arguetur se fecisse, obli-
34 gatumve se eius rei noxsiaeve esse confes|sus erit deixseritve, neque d(e) e(a)
35 r(e) satis utei oportebit faciet aut, sei | sponsionem fierei oportebit, sponsionem
36 non faciet, *aut* non restituet | neque se iudicio utei oportebit defendet; aut sei
37 d(e) e(a) r(e) iniure | nihil responderit neque d(e) e(a) r(e) se iudicio utei opor-
38 tebit defendet: | tum de eo, aquo ea res ita petetur quomve eo d(e) e(a) r(e)
39 ita agetur, deque | eo, quoi eam rem d(arei) f(ierei) p(raestarei) restitui satisve
40 d(e) e(a) r(e) fierei oportebit, | s(iremps) l(ex) r(es) i(us) c(aussa)q(ue) o(mni-
bus) o(mnium) r(erum) e(sto), atque utei esset esseve oporteret, sei is quei ita
41 | quid earum rerum confessus erit aut d(e) e(a) r(e) non responderit neq(ue)
42 | se iudicio utei oportebit defenderit, de ieis rebus Romae apud pr(aetorem)
43 | eumve quei de ieis rebus Romae i(ure) d(eicundo) p(rae) esset, iniure con-
44 fessus esset | aut ibei d(e) e(a) r(e) nihil respondisset aut iudicio se non de-
45 fendisset; | pr(aetor)q(ue) isve quei d(e) e(is) r(ebus) Romae i(ure) d(eicundo)
46 p(raerit) ineum et inheredem eius d(e) e(is) r(ebus) om|nibus ita ius deicito
47 decernito eosque duci bona eorum possideri | proscreibeive veneireque iubeto, ac
48 sei is heresve eius d(e) e(a) r(e) in | iure apud eum pr(aetorem) eumve quei
49 Romae i(ure) d(eicundo) *praesset*, confessus es|set aut d(e) e(a) r(e) nihil respon-
50 disse*t* neque se iudicio utei oportuis|set defendisset; dum nequis d(e) e(a) r(e)
51 nisei pr(aetor) isve quei Romae i(ure) d(eicundo) p(raerit) | eorum quoius bona
52 possiderei proscreibei veneire duceique | eum iubeat.

53 | Queiquomque ineorum quo o(ppido) m(unicipio) c(olonia) p(raefectura) f(oro) v(eico)
54 XXIII c(onciliabulo) c(astello) t(erritorio) ve, quae inGal|lia cisalpeina sunt erunt, i(ure)
55 d(eicundo) p(raerit), is inter eos, quei de fami|lia erceiscunda deividunda iudi-
56 cium sibei darei reddei ve | ineorum quo o(ppido) m(unicipio) c(olonia) p(rae-
fectura) f(oro) v(eico) c(onciliabulo) c(astello) t(erritorio) ve quae s(upra) s(cripta)
57 58 s(unt) postu|laverint, ita ius deicito decernito iudicia dato iudicare | iubeto, utei
ineo o(ppido) m(unicipio) c(olonia) p(raefectura) f(oro) v(eico) c(onciliabulo)
c(astello) t(erritorio) ve, inquo is, quoius || *de boneis agetur, domicilium habuerit,*
iudicium fiat ....

Frustula minora.

IVI
CVRATO · ET
S · EA · LEX · ITA
SCREIPTA · IN

IV
TVM
ITA · A
QVAE
II..CI

Ritschl tab. XXXII ad aes. Ediderunt Carlius (antich. Ital. I. p. 137 cf. p. XXIX) a. 1788 primus; deinde actor Placentinus Iosephus Poggius in scheda singulari ed. a. 1790 citata a Marinio, a me non visa; post hos Marinius Arv. p. 108 sq. (cf. p. 568) a. 1795 ad ectypon a. 1784 a Petro de Lama sibi transmissum et cum archetypo a se collatum (cf. de Lama p. 8 v. 1) ipseque Lama libro hoc: *Tavola legislativa della Gallia cisalpina restituita alla sua vera lezione* (Parmae 1820. 4). Idem Lama solus p. 47 ad minores tabularum aheneaurm reliquias attendit easque quas supra subiecimus duas secundum elementorum formam et magnitudinem linearumque distributionem aerisque naturam legi Rubriae vindicavit. Inspexit denique Gust. Ern. Heimbach et cap. XXI ex aere rettulit obss. iur. Rom. (Lips. 1834. 8) p. 31. Ex editis libris repetitorum exemplorum turbam vulgarem praetermisi. Lopezii exemplum Welckero quondam dono datum editumque iam ante quam hanc syllogen parandum susciperet a Ritschelio (legis Rubriae pars superstes. Ad fidem aeris Parmensis. Berolini 1851. 4. pp. 15) ita accurate factum est, ut ei soli insistere et potuerimus et debuerimus. Variam lectionem tamen adscripsi ita ut puncta similesque graphicas potius quam litterarum diversitates ex instituto meo praetermitterem, praeterea quas litteras tum aerugine adhuc obductas non satis perspici Carlius significavit, non indicarem. Commentationes iure consultorum praesertim de hac ta-

bula extant permultae, ut Hugonis (*civil. Magazin* vol. 2 ed. 1 a. 1797 ed. 3 a. 1812 p. 431—496), Dirkseni (obss. ad selecta Galliae cisalpinae capita Berol. 1812. 4. pp. 59), Puchtae (*kleine civilist. Schriften* p. 71—73. 518—544), Savignyi (*vermischte Schriften* 3, 319—326. 377—400), Huschkii (de actionum formulis quae in lege Rubria exstant commentatio. Vratislariae 1832. 4. pp. 43 = Gaius p. 203—242). Accedunt observationes Huschkii Ritschelii meaeque in mus. Rhen. novo 8, 448, denique commentarius meus '*über den Inhalt des rubrischen Gesetzes*' in Bekkeri et Mutheri *Jahrbuch des deutschen Rechts* 2, 319—334. Inter hos Puchtae nominis legis inventio debetur, Huschkio et notarum iuris certa interpretatio et formularum scita explicatio.

Gallia cisalpina postquam Romanorum facta est, condiderunt ibi cum Latini iuris oppida primum Ariminum a. u. c. 486, deinde Cremonam Placentiam Bononiam Aquileiam, tum civium Romanorum colonias Senam gallicam a. u. c. 465, Mutinam u. c. 536 (Polyb. 3, 40), iterum u. c. 571, Potentiam Parmam Pisaurum Lunam Eporediam. Bello sociali deinde a. 665 cum Cispadani omnes tum Transpadaui qui eorum Latini iuris fuerant civitatem adepti sunt, Transpadani reliqui lege Pompeia ius coloniarum Latinarum acceperunt. C. Caesar denique hos quoque civitate donavit a. 705 (Dio Cass. 41, 36). Regebatur Gallia per multum tempus a consulibus iisdemve magistratibus, quibus urbs Roma et terra Italia parebat, quamquam ager Gallicus ab hac diversus erat neque Gallicae civitates in formula togatorum sive Italicorum censebantur. Statum Galliae mutavit Sulla, quo auctore cum fines Italiae ab Aesi ad Rubiconem prolati esse videntur tum reliqua Gallia cisalpina in provinciae formam redacta. Provincia mansit etiam postquam oppida eius omnia civitate donata sunt fuitque adhuc a. 711, cum in prima III virum r. p. c. divisione provinciarum obtigit Antonio (Dio 46, 55). Sublata est provinciae forma post pugnam Philippensem a. demum 712: *τήν τε Κελτικὴν τὴν ἐντὸς Ἄλπεων ἐδόκει, Καίσαρος ἀξιοῦντος, αὐτόνομον ἀφιέναι γνώμῃ τοῦ προτέρου Καίσαρος* (Appian. b. c. 5, 3 cf. 22. Dio 48, 12. Drumann 1, 387), quamquam de ea re iam antea cogitarant (Appian. b. c. 3, 30: *ἦσαν δ' οἳ καὶ τὸ ἔθνος ὅλως ἐλευθεροῦν ἡγεμονίας ἠξίουν· οὕτως ἐδεδοίκεσαν ἀγχοῦ τὴν Κελτικὴν οὖσαν*). Unde apparet legem hanc de Gallia cisalpina nullo modo ferri potuisse post a. 712, quo esse ea desiit iure, quamquam in sermone quotidiano appellatio illa non exolevit (cf. e. c. Fest. v. Rhegium p. 270). Magis dubitari potest, post quem annum certa ratione lex collocetur; apparet tamen ex lege cum Mutinam, quae praeter Senam gallicam Italiae postea attributam vetustissimum in Gallia cisalpina civium Romanorum oppidum fuit, tum alia complura civium oppida per Galliam fuisse neque, id quod maximum est, ullum ibi Latinum oppidum tum superfuisse. Civibus enim Romanis Mutinensibus reliquisque cum has leges scriptas esse nemo ambigat, si fuissent ea aetate in Gallia municipia Latina, adscribendae erant omnino in formula sollemni O·M·C·P·F·V·C·C·T·VE notae C·R, ut adscriptae reperiuntur in lege Iulia municipali v. 83. 103. Sequitur legem rogatam esse inter annos 705 et 712, quocum optime convenit scriptura legis Iuliae ita similis, ut in iis solis, quae simul obtinuisse constat, ut *apud—aput*, *xs—x*, *quom—cum*, huius legis scriptor inde discedat; convenit locutio *praetor isve quei de ieis rebus Romae iure deicundo praest*, quam in censore et quaestore similiter redire in lege Iulia et pertinere ad commutationem quam Caesar sibi proposuisset magistratuum urbanorum infra videbimus. Iam cum obstet, quominus ipsum Caesarem legem tulisse putemus, quod Puchta primus observavit neque quisquam hodie non admittit, nomen legis Rubriae, ipso anno 705 statim post legem de civitate Latinis Transpadanis danda perrogatam, dum Caesar bellis distinetur, iussu eius tribunus plebis nescio qui Rubrius (diversus sane ab antiquioribus eiusdem nominis tribunis, de quibus supra egimus p. 66. 96) iuris dictionem magistratuum municipalium per universam provinciam lege lata confirmasse videtur et ordinasse. Cum enim antiquo iure civibus Romanis ius non dixissent nisi magistratus urbani, succrevit paullatim in civium Romanorum oppidis municipalis aliqua iuris dictio, in qua describeoda finibusque inter eam et urbanam regendis lex haec versatur tota. Scripta est secundum ordinem edicti perpetui, qua de re dixi in commentario supra citato. Tres tabulas deesse ante hanc quam tenemus indicat numerus IIII inter huius tabulae utramque paginam interpositus; cautum fuit ibi cum de iurisdictione universa tum de singulis iudiciis, quo referuntur quae ex tabula quarta cognoscimus magistratus municipales certis de rebus omni pecunia, de reliquis usque ad litis summam HS XV milium ius dixisse (II, 3. 27), praeterea eum qui de re maiore ad se in ius eductus esset, vadimonium Romam promittere eos iussisse, negantem recuperatoribus suppositis condemnasse (II, 22). Capite XVIIII in parte extrema, quae sola superest, magistratui municipali permittitur operis novi nuntiationem remittere certis condicionibus, quae perierunt. Capite XX magistratui municipali damni infecti tractatio conceditur neque tamen ea, qua praetor uti solebat quamque posteriore tempore municipalibus magistratibus delegare solebat, per missionem cautione contra ius negata, sed per actionem contra eum qui cauturum vel satisdaturum se negasset. Capita XXI. XXII agunt de confessis iisque qui iure pro confessis habentur, id est qui in iure rogati aut tacuerunt aut non recte responderunt; de ipsa re iudicata perscriptum fuerit oportet in parte legis deperdita. Certam pecuniam confessum creditori addicit magistratus municipalis, aliud quid confessum praetor urbanus. Caput denique XXIII pertinuit ad familiae erciscundae iudicium, videturque ibi cautum esse, ut ibi perficeretur ubi defunctus domicilium habuisset. Reliqua perierunt.

I, 2 INTERDICETVE aes.

3 IVDICAVERITVE aes; quod iam mihi videtur insiticium magis quam corruptum. Plerumque scribitur pro eo *iudicarei*.

5 ADDIVF Marini.

6 II virum IIII virum sine copula, praefectum cum copula ideo scriptum esse Huschkius Gai. p. 238 n. 114 monuit, quod secundum oppidi condicionem aut II vir praeesset aut IIII vir, praefectus vero aequabiliter sive pro II viro sive pro IIII viro crearetur. — PRAEFETVSVE Carli.

8 *stipularei*, non *restipularei* hic scribendum fuisse monet Huschke Gai. p. 222.

9 I·D· omisso P· aes.

11 DARE Carli.

13 SI Marini. — FACTVM]ERITTVM Carli.

15 *iubeatur* addidi; *fieret—erut* coniecit Ritschelius.

16 QVODQVOMQVE Carli.

17 Iunge *iudicia dato euque iudicia iudicare iubeto cogito;* itaque passim in hac lege *iudicium iudicat,* id est iudex. — IVDICAFEIQVE Carli.

18 DAMN/ aes; DAMNEI Carli; DAMNI Ritschelius propter spatii rationes.

19 D// tabula cum Marinio; D·E·R Carli.

20 IVS]/VS Marini Lama.

22 I·F· Carli Marini Lama. — ANTF tabula, ANTE reliqui.

23 DAMNEI Carli.

24 K·A· Carli Lama itaque Ritschelii ed. prior.

27 OPORTIRET aes. — D·T Marini itaque Ritschelius in ed. 2; ante D·F legebatur — Pro summa taxationis utpote II viri arbitratu definienda spatium relictum est non scriptum. Locum expedivit Huschkius.

28 IS ex I, 38 addidit Huschkius Gai. p. 238.

29 PL·VE·SC· tabula cum hoc loco tum infra I, 39; quod ortum videtur esse ex locutionibus duabus: *ex lege plebeive scito* et *ex lege seive id plebei scitum est* incuriose confusis. Emendare tamen non sum ausus, ne scriptorem corrigerem.

32 I·F· Carli Marini.

33 EACTVM aes; FACTVM Carli Marini.

36 D·F pro D·T· Carli Marini. — HS cum spatio vacuo aes hoc loco omisit.

37 LICINIVS aes.

38 PRAEFECT· in aere est omisso VE; PRAEFEC Marini, PRAEFECVE Carli.

40 N·R·A· Carli.

41 CVRETQVE emendat Ritschelius.

43 ACCIPIENTVR INCLVDENTVR aes; emendavit Marezoll ad tab. Heracl. p. 71.

44 OPORTERET·DEBEBITVE in aere est; clausula *sine dolo malo* opinandi verbum requirere visum est itaque iam posui, quod sententiae conveniret, verba ipsa non praestans. Ritschelius DEBEBITVE deleri iussit voluique ego quondam OPORTET OPORTEBIT.

46.47 QVA·INTARVM·QVA·FORMVLA·QVAE·S|S·S aes. Expedivit Ritschelius.

47 MVTINA aes. Emendavit Marezoll ad tab. Heracl. p. 38. — NISE in aere est, NISEI Carli Marini.

48 IeisVE Carli.

49 S·S·EST aes; melius visum est EST delere quam cum Ritschelio reponere SVNT.

II, 7 VTEIVE aes hic et II, 16, sed ad normam quam praebent II, 8. 12. 34. 36. 37. 42. 49 haec quoque recte exegit Ritschelius.

13 IVDICIEIS in aere est; IVDICEIS Carli Lama. — DATIS Carli.

14 FVISSET suspectum Ritschelio; neque sane habet quo recte referatur. Sed non uno loco legum scriptores formularum suarum ambagibus ipsos deceptos esse apparet. — QVOIQVE aes.

15 VBEI aes.

16 VE omissum post EVM addidit Ritschelius. — IVDICIOQVE, quod emendat Ritschelius, non probo. — VTEIVE aes, v. ad II, 7.

19 HS omittit aes in spatio vacuo duarum fere litterarum; ut compendium quod in exemplo fuit scriptor non videatur intellexisse.

20 QVOQVE Carli.

22 PROMISSERIT Carli.

23 Cf. legem Antoniam de Thermensibus II, 4: *iudicia recuperationes danto.*

26 E· pro *foro* aes, F· Carli. — CISALPEIN Carli.

28 D·O aes, quod Dirksenius explicavit *debebit oportebit*, v. ad I, 44. Ritschelius D deleri iussit, recte.

29 *deve qua cum eo agetur* scribendum erat; cf. II, 38. — REM omittit aes.

30 R· pro RE Carli. — AGEI aes, AGET Carli et Marinius dubitans tamen. — QVONQVE Marinius solus.

31 D·E·P aes.

33 NOXIAEVE Carli.

34 DIXERITQVE Carli; *que* pro *ve* flagitat Ritschelius.

35 *aut* addidi.

38 *quomve quo* scribendum erat; cf. II, 29.

39 D·E·R·] D·F·R· Lama.

43 I·D·P·ESSET aes.

45 PR·Q·] PRO Carli Marini.

D·F·R·OM Lama.

48 EVM post APVD delet Ritschelius. — I·D·P·PRAESSE aes.

49 RESPONDISSE aes; RESPONDISSET Carli.

55 LIAEERCEISCVNDA aes, LIAEERCISCVNDA Marini, LIAherceisCVNDA Carli.

56.57 POSTVL|AVERINT Carli.

LEX IVLIA MVNICIPALIS.

A. V. C. DCCIX.

206. Trium tabularum ahenearum Heracleensium duae repertae sunt in agro Pisticcino (qui est vicus provinciae Basilicatae) in loco qui dicitur Luce milibus IV paulo plus ortum brumalem versus a Pisticcio distante in alveo fluvii Salandrellae s. Cavone mense Februario et Martio a. 1732 et inlatae a. 1748 in museum Caroli Guevarae ducis Bovinensis (qua de re vide Martorellii epistulam scriptam d. 11. Febr. 1749 Gori symb. 2, 2, p. 109), deinde a. 1754 in regium Neapolitanum. Tertiam, quae paullo post ibidem sine dubio prodiit, habuit Ficoronius et in Angliam transmisit ibique emit Fairfax Brian eoque mortuo suam fecit Philippus Carteret Webb, qui edito interea Mazochii libro precibus regis Caroli III ipsaque rei opportunitate motus suam tabulam cum reliquis rursus coniungi passus est (cf. Carteret Webb *an account of a copper table discovered near Heraclea.* Lond. 1760. 4. pp. 10). Ab altera parte tria illa aera Graece inscripta sunt, quas tabulas Latinis multo antiquiores vide C. I. Gr. vol. III. n. 5774. 5775; duo eorum in parte aversa Latinam hanc legem exhibent, Britannicum (v. 1—76) et Neapolitanum alterum (v. 75—163), tertii postica scripta non est. Heracleae olim tabulas propositas fuisse cum locus docet, quo repertae sunt, a Pisticcio sive Heraclea antiqua VIII fere milibus distans, tum Graecae inscriptionis argumentum.

. . . .

1 Quem h(ac) l(ege) ad co(n)s(ulem) profiterei oportebit, sei is, quom eum profiterei opor-
2 tebit, Romae non erit, tum quei eius | negotia curabit, is eadem omnia, quae eum,
3 quoius negotia curabit, sei Romae esset, h(ac) l(ege) profiterei | oporteret, item is-
demque diebus ad co(n)s(ulem) profitemino.

4 | Quem h(ac) l(ege) ad co(n)s(ulem) profiterei oportebit, sei is pup(illus) seive ea pu(pilla)
5 erit, tum quei eius pup(illi) pu(pillae) ve tutor erit, item eadem|que omnia in iisdem
diebus ad co(n)s(ulem) profitemino, ita utei *et* quae quibusque diebus eum eamve,
6 sei pup(illus) pu(pilla) ve non | esset, h(ac) l(ege) profiterei oporteret.

7 | Sei co(n)s(ul), *ad* quem h(ac) l(ege) professiones fierei oportebit, Romae non erit, tum is
8 quem profiterei oportebit, quod eum profiterei | oportebit, ad pr(aetorem) urb(anum) aut,
9 sei is Romae non erit, adeum pr(aetorem), quei inter peregrinos ius deicet, profitemino,
ita utei | eum ad co(n)s(ulem), sei tum Romae esset, h(ac) l(ege) profiterei oporteret.

10 | Sei ex eis co(n)s(ulibus) et pr(aetoribus), ad quos h(ac) l(ege) professiones fierei opor-
11 tebit, nemo eorum Romae erit, tum is quem profiterei oportebit, | *quod* eum profiterei
oportebit, ad tr(ibunum) pl(ebei) profitemino ita utei eum ad co(n)sulem pr(aetorem)-
12 *que* urb(anum) eumque quei inter peregri|nos ius deicet, sei tum Romae esset, h(ac)
l(ege) profiterei oporteret.

13 | Quod quemquem h(ac) l(ege) profiterei oportebit, is, apud quem ea professio fiet, eius
14 quei profitebitur nomen et ea quae pro|fessus erit et quo die professus sit intabulas
15 publicas referunda curato, eademque omnia quae uteique intabulas | rettulerit ita in-
tabulam in album referunda *curato*, idque aput *forum* et, quom frumentum populo da-
16 bitur, ibei ubei frumen|tum populo dabitur cottidie maiorem partem diei propositum
habeto, u(nde) d(e) p(lano) r(ecte) l(egi) p(ossit).

17 | Queiquomque frumentum populo dabit damdumve curabit, nei quoi eorum, quorum no-
18 mina h(ac) l(ege) ad co(n)s(ulem) pr(aetorem) tr(ibunum) pl(ebis) inta|bula inalbo
proposita erunt, frumentum dato neve dare iubeto neve sinito. Quei ad versus ea
19 eorum quoi frumentum | dederit, is in tr(itici) m(odios) I HS ↀ populo dare damnas
esto eiusque pecuniae quei volet petitio esto.

20 | Quae viae in urbem Rom(am) propiusve u(rbem) R(omam) p(assus) M ubei continente
21 habitabitur, sunt erunt, quoius ante aedificium earum quae | via erit, is eam viam
arbitratu eius aed(ilis), quoi ea pars urbis h(ac) l(ege) ob venerit, tueatur isque ae-
22 d(ilis) curato, uti quorum | ante aedificium erit quamque viam h(ac) l(ege) quemque
23 tueri oportebit, ei omnes eam viam arbitratu eius tueantur neve eo | loco *aqua* con-
sistat, quominus commode populus ea via utatur.

24 | Aed(iles) cur(ules) aed(iles) pl(ebei), quei nunc sunt, queiquomque post h(anc) l(egem)
r(ogatam) factei createi erunt eumve mag(istratum) inierint, iei indiebus V proxu-
25 meis, | quibus eo mag(istratu) designatei erunt eumve mag(istratum) inierint, inter se
26 paranto aut sortiunto, qua inpartei urbis quisque | eorum vias publicas in urbem
Romam propiusve u(rbem) R(omam) p(assus) *M* reficiundas sternendas curet eiusque
27 rei procurationem | habeat. Quae pars quoique aed(ilei) ita h(ac) l(ege) ob venerit,
28 eius aed(ilis) ineis loceis quae inea partei erunt, viarum reficien|darum tuemdarum
procuratio esto, utei h(ac) l(ege) oportebit.

29 | Quae via *inter* aedem sacram et aedificium locum ve publicum et inter aedificium privatum
30 est erit, eius | viae partem dimidiam is aed(ilis), quoi ea pars urbis ob venerit, inqua
31 parte ea aedis sacra erit seive aedificium | publicum seive locus publicus, tuemdam
locato.

32 | Quemquomque ante suum aedificium viam publicam h(ac) l(ege) tueri oportebit, quei
33 eorum eam viam arbitratu eius aed(ilis), | quoius oportuerit, non tuebitur, eam viam
34 aed(ilis), quoius arbitratu eam tuerei oportuerit, tuemdam locato. | Isque aed(ilis) diebus
ne minus X antequam locet aput forum ante tribunale suom propositum habeto, quam
35 | viam tuemdam et quo die locaturus sit *et* quorum ante aedificium ea via sit. Eisque,
36 quorum ante aedificium | ea via erit, procuratoribusve eorum domum denuntietur facito
37 se eam viam locaturum et quodie locaturus | sit. Eamque locationem palam in foro
per q(uaestorem) urb(anum) eumve quei aerario praerit facito. Quanta pecunia eam
38 | viam locaverit, tantae pecuniae eum eosque, quorum ante aedificium ea via erit
39 proportioni, quantum | quoiusque ante aedificium viae inlongitudine et inlatitudine
40 erit, q(uaestor) urb(anus) queive aerario praerit intabulas | publicas pecuniae factae
referundum curato. Ei, quei eam viam tuemdam redemerit, tantae pecuniae eum
41 eosve ad tribuito sine d(olo) m(alo). Sei is quei ad tributus erit eam pecuniam diebus
42 XXX proxumeis, quibus ipse aut pro|curator eius sciet adtributionem factam esse,
43 ei, *quoi* ad tributus erit, non solverit neque satis fecerit, is | quantae pecuniae ad tri-
butus erit, tantam pecuniam et eius dimidium ei, quoi ad tributus erit, dare debeto.
44 | Inque eam rem is quo quomque de ea re aditum erit iudicem iudiciumve ita dato
45 utei depecunia credita | *iudicem* iudiciumve dari oporteret.

46 | Quam viam h(ac) l(ege) tuemdam locari oportebit, aed(ilis), quem eam viam tuendam
47 locare oportebit, is eam viam per | q(uaestorem) urb(anum) queive aerario praerit

48 tuemdam locato, utei eam viam arbitratu eius, quei eam viam locandam | curaverit,
tueatur. Quamtam pecuniam ita quaeque via locata erit, t(antam) p(ecuniam) q(uae-
49 stor) urb(anus) queive aerario praerit | redemptorei, quoi elege locationis dari opor-
tebit, heredeive eius damdam ad tribuendam curato.
50 | Quominus aed(iles) et IIII vir(ei) vieis in urbem purgandeis, II vir(ei) vieis extra pro-
51 piusve urbem Rom(am) passus *M* | purgandeis, queiquomque erunt, vias publicas pur-
52 gandas curent eiusque rei potestatem habeant | ita utei legibus pl(ebei) ve sc(itis)
s(enatus) *ve* c(onsultis) oportet oportebit, eum h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).
53 | Quoius ante aedificium semita inloco erit, is eam semitam, eo aedificio perpetuo lapi-
54 dibus perpetueis | integreis continentem, constratam recte habeto arbitratu eius aed(ilis)
55 quoius inea parte h(ac) l(ege) viarum | procurat*io* erit.
56 | Quae viae in u(rbem) R(omam) sunt erunt intra ea loca ubi continenti habitabitur, ne-
57 quis inieis vieis post k(alendas) Ianuar(ias) | primas plostrum interdiu post solem
58 ortum neve ante horam X diei ducito agito, nisi quod aedium | sacrarum deorum in-
59 mortalium caussa aedificandarum operisve publice faciumdei causa advehei porta|ri
oportebit, aut quod ex urbe ex ve ieis loceis earum rerum, quae publice demoliendae
60 loca*tae* erunt, publi|ce ex portarei oportebit, et quarum rerum caussa plostra h(ac)
61 l(ege) certeis hominibus certeis de causeis agere | ducere licebit.
62 | Quibus diebus virgines Vestales, *regem* sacrorum, flamines plostreis in urbe sacrorum
63 publicorum p(opuli) R(omani) caussa | vehi oportebit, quaeque plostra triumphi caussa,
64 quodie quisque triumph*abit*, ducei oportebit, quaeque | plostra ludorum, quei Romae
aut urbei Romae *p(ropius) p(assus) M* publice feient, inve pompam ludeis circiensi-
65 bus ducei agei opus | erit, qu*o* minus earum rerum caussa eisque diebus plostra inter-
diu in urbe ducantur agantur, e(ius) h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).
66 | Quae plostra noctu in urbem inducta erunt, quominus ea plostra inania aut stercoris
67 ex portandei caussa | post solem ortum h(oris) X diei bubus iumenteis ve iuncta in
u(rbe) R(oma) et ab u(rbe) R(oma) p(assus) M esse liceat, e(ius) h(ac) l(ege) n(i-
hil) r(ogatur).
68 | Quae loca publica porticusve *p*ublicae in u(rbe) R(oma) p(ropius)ve u(rbei) R(omae)
69 p(assus) M sunt erunt, quorum locorum quoiusque porticus | aedilium *e*orumve ma-
g(istratuom), quei vieis loceisque publiceis u(rbis) R(omae) p(ropius)ve u(rbei) R(o-
70 mae) p(assus) M purgandeis praerunt, legibus | procuratio est erit, neiquis in ieis
71 loceis inve ieis porticibus quid in aedificatum inmolitumve habeto, | neve ea loca por-
ticumve quam possideto, neve eorum quod saeptum clausumve habeto, quominus eis
72 | loceis porticibusque populus utatur pateantve, nisi quibus uteique leg(ibus) pl(ebei)
ve sc(itis) s(enatus) ve c(onsultis) concessum permissumve e*st*.
73 | Quibus loceis ex lege locationis, quam censor aliusve quis mag(istratus) publiceis vecti-
74 galibus ultrove tributeis | fruendeis tuendeis ve dixit dixerit, eis, quei ea fruenda tuen-
75 dave conducta habebunt, ut utei fruei liceat | *a*ut utei ea ab eis custodiantur, cautum
76 est, ei quominus ieis loceis utantur fruantur ita, utei quoique eorum | *ex lege loc*ationis
ieis *sine d(olo) m(alo)* utei fruei licebit, ex h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).
77 | Quos ludos quisque Romae p(ropius)ve u(rbei) R(omae) p(assus) M faciet, quominus ei
78 eorum ludorum caussa scaenam pulpitum ceteraque, | quae ad eos ludos opus erunt,
79 inloco publico ponere statuere eisque diebus, quibus eos faciet, loco publico utei |
liceat, e(ius) h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).
80 | Quei scribae librarei magistratibus apparebunt, ei quominus loceis publiceis, ubei is, *quei*
81 quisque eorum apparebunt, | luserit, apparendi caussa utantur, e(ius) h(ac) l(ege)
n(ihil) r(ogatur).
82 | Quae loca serveis publiceis ab cens(oribus) habitaudei utendei caussa ad tributa sunt,
ei quominus eis loceis utantur, e(ius) h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).
83 | Queiquomque inmunicipieis coloneis praefectureis foreis conciliabuleis c(ivium) R(oma-
84 norum) II vir(ei) IIII vir(ei) erunt aliove | quo nomine mag(istratum) potestatemve
85 su*f*ragio eorum, quei quoiusque municipi coloniae praefecturae | for*i* conciliabuli erunt,
habebunt, neiquis eorum quem in eo municipio colonia praefectura *f*oro conci- lia-
86 |bulo in senatum decuriones conscriptosve legito neve sublegito neve coptato neve
87 recitandos curato | nisi indemortuei damnateive locum eiusve quei confessus erit se
88 senatorem decurionem conscreiptumve | ibei h(ac) l(ege) esse non licere.
89 | Quei minor annos XXX natus est erit, nei quis eorum post k. Ianuar(ias) secundas in
90 municipio colonia praefe|ctura II vir(atum) IIII vir(atum) neve quem alium mag(i-
91 stratum) petito neve capito neve gerito, nisei quei eorum stipendia | equo in legione
III aut pedestria in legione VI fecerit, quae stipendia in castreis inve provincia maio-
92 rem | partem sui quoiusque anni fecerit aut bina semestria, quae ei pro singuleis
anneis procedere oporteat, *dum taxat quod ei legibus pl(ebei)ve sc(iteis) procedere*
93 *oportebit;* | aut ei vocatio rei militaris legibus pl(ebei)ve sc(itis) exve foidere erit, quo-
94 circa eum inveitum merere non | oporteat. Neve quis, quei praeconium dissignationem
95 libitinamve faciet, dum eorum quid faciet, inmuni|cipio colonia praefectura II vir(atum)
IIII vir(atum) aliumve quem mag(istratum) petito neve capito neve gerito neve habeto,

96 | neve ibei senator neve decurio neve conscriptus esto neve sententiam dicito. Quei
97 eorum exeis, quei s(upra) s(criptei) s(unt), | adversus ea fecerit, is HS ↀↀ p(opulo)
d(are) d(amnas) e(sto) eiusque pecuniae quei volet petitio esto.
98 | Queiquomque inmunicipio colonia praefectura post k. Quinct(iles) prim(as) comitia II
99 vir(eis) *IIII* vir(eis) aleive quoi mag(istratui) | rogando sub rogandove habebit, is ne-
100 quem, quei minor anneis *XXX* natus est erit, II vir(um) *IIII* vir(um) queive ibei | alium
mag(istratum) habeat renuntiato neve renuntiarei iubeto, nisi quei stipendia equo in-
101 legione III aut sti|pendia pedestria in legione VI fecerit, quae stipendia incastreis
102 inve provincia maiorem partem sui | quoiusque anni fecerit aut bina semestria, quae
103 ei pro singuleis annueis procedere oporteat, cum eo | quod ei legibus pl(ebei) ve sc(iteis)
procedere oportebit; aut ei vocatio rei militaris legibus pl(ebei) ve sc(iteis) ex ve
104 foedere | erit, quo circa eum invitum merere non oporteat. Neve eum, quei praeco-
105 nium dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid | faciet, II vir(um) IIII vir(um)
106 queive ibei mag(istratus) sit renuntiato neve inseuatum neve inde curionum con-
scriptorumes numero legito sub legito coptato neve sententiam rogato neve dicere neve
107 | ferre iubeto sc(iens) d(olo) m(alo). Quei ad versus ea fecerit, is HS ↀↀ p(opulo)
d(are) d(amnas) esto eiusque pecuniae quei volet petitio esto.
108 | Quae municipia coloniae praefecturae fora conciliabula c(ivium) R(omanorum) sunt erunt,
109 neiquis ineorum quo municipio | colonia praefectura *foro* conciliabulo *in* senatu de-
110 curionibus conscreipteisque esto neve quoi ibi ineo ordine | sententiam deicere ferre
111 liceto, quei furtei quod ipse fecit fecerit condemnatus pactusve est erit; | queive iudicio
fiduciae, pro socio, tutelae, mandatei, iniuriarum deve d(olo) m(alo) condemnatus est
112 erit; queive lege | Plaetoria ob eamve rem, quod adversus eam legem fecit fecerit
113 condemnatus est erit; queive depugnandei | caussa auctoratus est erit fuit fuerit; queive
iniure *bonam copiam abiuravit* ab iuraverit bonamve copiam iuravit iuraverit; queive
114 | sponsoribus creditoribusve sueis renuntiavit renuntiaverit se soldum solvere non posse
115 aut cum eis | pactus est erit se soldum solvere non posse; prove quo datum depensum
116 est erit; quoiusve bona ex edicto | eius quei i(ure) d(eicundo) praefuit praefuerit — prae-
117 terquam sei quoius, quom pupillus esset reive publicae caussa abesset | neque d(olo)
m(alo) fecit fecerit quo magis r(ei) p(ublicae) c(aussa) a(besset), *bona possessa proscrip-
118 *tave sunt erunt* — possessa proscriptave sunt erunt; queive iudicio publico Romae | con-
demnatus est erit, quo circa eum inItalia esse non liceat, neque iniutegrum restitutus
119 est erit; queive ineo | municipio colonia praefectura foro conciliabulo, quoius erit, iudicio
120 publico condemnatus est erit; quemve | k(aluminae) praevaricationis caussa accussasse
121 fecisseve quod iudicatum est erit; quoive aput exercitum ignominiae | caussa ordo
ademptus est erit; quemve imperator ingnominiae caussa ab exercitu decedere iussit iusse-
122 rit; | queive ob caput c(ivis) R(omanei) referundam pecuniam praemium aliudve quid cepit
123 ceperit; queive corpore quaestum | fecit fecerit; queive lanistaturam artemve ludicram
124 fecit fecerit; queive lenocinium faciet. Quei | adversus ea inmunicipio colonia prae-
125 fectura foro conciliabulo *in senatu* decurionibus conscripteisve *fuerit* | sententiamve di-
xerit, is HS ↀↀ p(opulo) d(are) d(amnas) esto eiusque pecuniae quei volet petitio esto.
126 | Quoi h(ac) l(ege) inmunicipio colonia praefectura foro conciliabulo senatorem decurionem
127 conscriptum esse | inque eo ordine sententiam dicere ferre non licebit, neiquis, quei
128 ineo municipio colonia praefectura | foro conciliabulo senatum decuriones conscriptos
129 habebit, eum insenatum decuriones conscriptos | ire iubeto sc(iens) d(olo) m(alo),
neve eum ibei sententiam rogato neive dicere neive ferre iubeto sc(iens) d(olo) m(alo).
130 Neve quis, quei | ineo municipio colonia praefectura foro conciliabulo sufragio eorum
131 maxumam potestatem habebit, | eorum quem ibei insenatum decuriones conscriptos ire
132 neve ineo numero esse neve sententiam ibei dicere | ferreve siuito sc(iens) d(olo) m(alo).
Neve quis eius rationem comitieis conciliove *habeto et si creatus erit, eum adversus*
133 *hanc legem ieis comitieis conciliove* creatum esse renuntiato. Neve quis, | quei ibei ma-
g(istratum) potestatemve habebit, eum cum senatu decurionibus conscripteis *ludos*
134 spectare neive in convivio | publico esse sinito sc(iens) d(olo) m(alo).
135 | Quibus h(ac) l(ege) inmunicipio colonia praefectura foro conciliabulo in senatu decurio-
136 nibus conscripteis esse | non licebit, niquis eorum inmunicipio colonia praefectura
137 foro conciliabulo II vir(atum) IIII vir(atum) aliamve | quam potestatem, exquo honore
138 in eum ordinem perveniat, petito neve capito. Neve quis eorum ludeis | cumve gla-
diatores ibei pugnabunt inloco senatorio decurionum conscriptorum sedeto neve spectato.
139 | Neve convivium publicum is inito. Neive quis, quem adversus ea creatum renun-
140 tiatum erit, ibei II vir IIII vir | esto neve ibei m(agistratum) potestatemve habeto.
Quei adversus ea fecerit, is HS ↀↀ p(opulo) d(are) d(amnas) esto eiusque pecuniae
141 quei | volet petitio esto.
142 | Quae municipia coloniae praefecturae c(ivium) R(omanorum) in Italia sunt erunt, quei
143 ineis municipieis coloneis | praefectureis maximum mag(istratum) maximamve pote-
144 statem ibei habebit tum, cum censor aliusve | quis mag(istratus) Romae populi cen-
145 sum aget, is diebus LX proxumeis, quibus sciet Romae censum populi | agi, omnium
municipium colonorum suorum queique eius praefecturae erunt, q(uei) c(ives) R(o-

146 manei) erunt, censum | agito eorumque nomina praenomina patres aut patronos tribus
147 cognomina et quot annos | quisque eorum habet et rationem pecuniae ex formula
148 census, quae Romae ab eo, qui tum censum | populi acturus erit, pro posita erit, ab-
149 ieis iurateis accipito eaque omnia intabulas publicas sui | municipi referunda curato.
150 Eosque libros per legatos, quos maior pars decurionum conscriptorum | adeam rem legarei mittei censuerint tum, cum ea res consuleretur, adeos, quei Romae censum
151 agent, | mittito. Curatoque utei, quom amplius dies LX reliquei erunt antequam diem
152 ei, queiquomque Romae | censum aget, finem populi censendi faciant, eos adeant li-
153 brosque eius municipi coloniae praefecturae | edant. Isque censor seive quis alius
154 mag(istratus) censum populi aget, diebus V proxumeis, quibus legatei eius | municipi coloniae praefecturae adierint, eos libros census, quei abieis legateis dabuntur, acci-
155 pito | s(ine) d(olo) m(alo) exque ieis libreis quae ibei scripta erunt intabulas publicas
156 referunda curato easque tabulas | eodem loco, ubei ceterae tabulae publicae erunt, in quibus census populi perscriptus erit, condendas curato.
157 | Qui pluribus inmunicipieis coloneis praefectureis domicilium habebit et is Romae census
158 erit, quo magis | inmunicipio colonia praefectura h(ac) l(ege) censeatur, e(ius) h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).
159 | Quei lege pl(ebei) ve sc(ito) permissus est *f*uit, utei leges in municipio fundano munici-
160 pibusve eius municipi daret, | sei quid is post h(anc) l(egem) r(ogatam) inco anno proxumo, quo h(anc) l(egem) populus iuserit, adeas leges *addiderit commutaverit con-*
161 *rexerit,* municipis fundanos | item teneto, utei oporteret, sei eae res abeo tum, quom
162 primum leges eis municipibus lege pl(ebei) ve sc(ito) dedit, | adeas leges additae com-
163 mutatae conrectae essent. Neve quis intercedito neve quid facito, quo minus | ea rata sint quove minus municipis fundanos teneant eisque optemperetur.

Ritschl tab. XXXIII. XXXIV ad archetypon. Ediderunt aes Britannicum Maittaire (antiquae inscriptiones duae. Lond. 1736; inde Conradi parerg. 1738 p. 362) in tabula incisum, quem librum non vidi; Maffei *oss. lett.* 3 (1738) p. 265 sq., M. V. 435; Mur. 582, cui misit Ficoronius, qui in Anglia vidit ipse; item Ph. Carteret Webb (vide supra p. 119) a. 1760 aliquot versus ex aere tum suo in tabula dedit incisos. Protulit mox aes Neapolitanum optime incisum adiuncto Britannico A. S. Mazochius (comm. in aeneas tabulas Heracleenses p. I. II. Neap. 1754. 1755. fol.). Denuo descripsit utrumque Goettling *fünfzehn röm. Urkunden* 1845 p. 59. Commentati de lege sunt praeter Conradium et Mazochium Pettiugal (*the Latin inscription on the copper table discovered near Heraclea.* Lond. 1760. 4 pp. 9), qui pauca eaque futilia attulit; Hugo *civilist. Magazin* vol. 3 (1812) p. 340 sq.; Marezoll (fragmentum legis Romanae in aversa tabulae Heracleensis parte. Gott. 1816. 8. pp. 158); Dirksen (obss. ad tab. Heracl. partem alteram. Berol. 1817. *Civilist. Abhandlungen* 1820. 2, 145 sq.); omnium optime vero Savigny (*vermischte Schriften* 3, 279—412).

Legem hanc latam esse apparet post a. 684, quo primum fieri potuit ruente iam dominatione Sullana, ut notarentur quibus ob caput civis Romani relatum praemia contigissent (v. 122), contra ante a. 710, quo quaternis aedilibus bini additi sunt (Dio 43, 51), qua de re monuit Goettlingius (*fünfzehn Urk.* p. 62), item ante a. 711, quo Quinctilis mensis (v. 98) Iulius appellatus est (Censorin. 22, 16). Ipsô a. 709 latam esse eam a C. Iulio Caesare cos. tum IV dictamque Iuliam municipalem docuit praeclaro commentario supra citato Savignyus. Cuius rei certissimum argumentum praebent Ciceronis verba ad v. 94 allata; conveniuntque optime cum iis quae in hac lege caventur et rei municipalis per orbem Romanum ordinatio per eos annos suscepta et professiones frumentariae cum recensu plebis urbanae a. 708 coniunctae, item census forma mutata quaeque ex lege elucent magistratuum urbanorum futurae commutationes (v. 144: *cum censor aliusve quis magistratus Romae populi censum aget;* v. 40 et passim: *quaestor urbanus queice aerario praerit*). Scripta fuit initio anni cum Caesar in Hispania bello retinebatur, neque tamen perlata est antequam Caesar Romam rediret mense eius anni Septembri; ipsum enim Caesarem legem tulisse inde constat, quod Iulia dicitur in lapide Patavino statim afferendo. Videtur igitur populus eam iussisse (v. 160) anno 709 exeunte. Quo pertinet praeterea, quod qui a magistratu hac lege prohibentur, creari vetentur post k. Quinctiles primas (v. 98), gerere post k. Ianuarias secundas (v. 89); nisi enim lata lex esset inter k. Quinctiles et k. Ianuarias, nominari debuerunt k. Ianuariae non secundae, sed primae. Obstare dicit Goettlingius (*fünfzehn Urk.* p. 61), quod Caesar Suetonio (Caes. 76) auctore tertio et quarto consulatu comitia nulla habuerit; at ibi Suetonium non loqui nisi de comitiis magistratibus creandis recte opposuit Zumptius (comm. epigr. 1, 85). Nomen legis docet inscriptio Patavina edita cum ab aliis multis tum a Furlanetto *lap. Pat.* p. 88 mihique etiam visa:

M IVNIVS
SABINVS
IIII · VIR · AEDILI
CIAE · POTESTAT ·
E LEGE · IVLIA ·
MVNICIPALI ·
PATRONVS
COLLEGI · CEN
TONARIORVM
FRONTEM · TEMPLI
VERVIS · ET · HERMIS
MARMOREIS · PE
CVNIA · SVA ORNA
VIT · ET · TVITION ·
DEDIT · HS · ∞∞

N · CCXXXXII

nec diversam esse, quam simpliciter 'municipalem' iuris auctores appellare solent, recte docuit Savignyus (l. c. p. 355 sq.). Qui factum sit, ut municipalis haec lex etiam urbis Romae statum diligenter ordinaret, alii aliter explicaverunt; Zumptius minor (comm. epigr. 1, 82 sq.) eo confugit, ut municipalem esse negaret, sed pertinuisse eam ad praefecturam morum a C. Caesare a. 708 susceptam et ad rem censoriam diligentius regendam. Quod nullo modo probandum est. Primum de lege Iulia mu-

16*

nicipali constat, lex Iulia censoria teste caret. Deinde quae ex lege supersunt, ita demum spectant ad officium censorium quatenus eodem potest referri universa rei publicae Romanae administratio per omnes partes cum censione artissimo vinculo coniuncta; exempli causa ut viarum cura ad censores quodammodo pertinuerit, qui inde efficitur ut aedilium de ea re officium recte ordinari nobis persuadeamus censoria lege? Id tamen idem iure statuit legem hanc male inter saturas referri; nam municipalis et est et dicitur. Mihi ideo videtur Caesar sic rogasse ut palam fieret urbem Romam imperii locum obtinere desiisse et inter imperii Romani municipia factum esse primum; eodemque refero, quod ex hac lege nemini, nisi qui duo plurave domicilia habet, licet Romae censeri (v. 157). Tenebantur autem hac lege communia civium Romanorum cum in Italia tum extra Italiam, nisi ubi certis ex causis excepta sunt haec, ut in censione (v. 142), quam in provinciis aliter ordinaturum fuisse Caesarem sic apparet.

Initio desunt capita complura, quorum aliunde tria non amplius certa ratione indicari possunt, scilicet quod Ulpianus (Dig. 50, 9, 3) refert lege municipali caveri *ut ordo non aliter habeatur quam duabus partibus adhibitis* (cf. tamen v. 149), deinde quod in Gordiani rescripto (Cod. Iust. 7, 9, 1) memoratur de servis municipii per ordinem manumittendis, denique, quod ex inscriptione Patavina supra allata apparet, hac lege cautum esse, ubi non ad tempus populus II viros vel IIII viros creasset, interregni evitandi causa praefectos nescio quo modo factos in eorum locum succedere. Nam qui *praefectus pro IIII viro* dici solet, eum saepe etiam *IIII virum* simpliciter dictum esse docui inscr. Neap. p. 480 videnturque eiusmodi praefecti fuisse quicunque II viri IIII virive appellantur ex lege aliqua sive Cornelia sive Petronia sive denique Iulia (cf. *Stadtrechte von Salpensa* p. 447.)

In varia lectione afferenda consulto non indicavi litteras neglegenter potius et imperfecte sculptas quam commutatas a scriptore incurioso sane nec fortasse Latini sermonis satis gnaro; Heracleae enim, non Romae exaratas esse has tabulas docet pars adversa Heracleensium antiquioribus decretis inscripta. Recepi tamen quicquid grammaticorum interesse posse putavi; cui sic satis factum non erit, reliqua reperiet in tabula. Utrum ipsa Caesaris aetate aera haec inscripta sint an postea demum, quod sane indicare videntur corruptelae *iis* v. 5 et *suum* v. 32, maxime antiquiora quaedam, ut dativus *quoi* et millenaria nota ∞, passim deformata, equidem certo definire non ausim.

v. 1—19 videntur pertinere ad eos qui post recensum plebis urbanae frumentationum causa a. 708 institutum professione facta in numerum eorum qui frumentum publicum acciperent per subsortitionem perventuri erant. Cf. Suet. Caes. 41: *recensum populi — egit atque ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit; ac ne qui novi coetus recensionis causa moveri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex iis qui recensi non essent subsortitio a praetore fieret.* Quae fieri sane non potuit nisi post professionem et *ἀπογραφὴν*. Cavit lex ne professi ante subsortitionem (qua facta nomina sortitorum ex albo illo sublata esse consentaneum est) frumentum publicum acciperent; quare corruperunt legem, non emendarunt, qui fortiores quam prudentiores v. 18 pro *proposita erunt* scribi iusserunt *proposita non erunt.*

2 EAFDEM aes.

3 OPORTEBIT aes.

4 *pupilla* in aere sic notatur VS.

5 OMNIA IN IISDEM erratum videtur, neque enim IN ferri potest nec geminata vocalis. — EI pro ET aes. — DIIBVS aes.

6 EST aes.

7 ATQVE aes.

11 *ad tribunum plebis.* Huic enim non licet abesse ab urbe. — ET QVOD EVM EVM pro QVOD EVM aes; VTEI ET QVOD coniecit Marezoll ad h. l. — VTET aes. — QVE om. aes.

13 QVE aes.

15 ETA aes. — CVRATO om. aes. — EORVM aes.

17 DABVNT aes. — QVE pro QVOI aes, in quo dativus hic saepissime reperitur corruptus. — A pro AD recte fortasse emendatur, cf. v. 147.

18 QVEI pro QVOI aes. — Lege *modios singulos sestertium quinquagena milia.*

21 VIAE ERVNT aes. — Pro *tueatur* omnino emendandum est *tueto.*

23 AD aes; emendavit Conradi.

24 Verba *quei nunc sunt* neque copula neque sententia cohaerent cum proxime sequentibus videnturque post legem perscriptam demum minus caute adiecta.

v. 25 *qua in partei*, scilicet in tribubus Palatina Suburana Esquilina Collina.

26 ROMA aes. — ⱶ pro Ф aes.

29 VIAM·PER aes.

32 pro SVVM malim SVOM.

511 As, semis, triens, quadrans, sextans normae semuncialis signati Copiae, quae antea Thurii et Sybaris fuerat. Cf. *R. M. W.* p. 316. 321. 331. 353.	COΓIA; praeterea adsunt magistratuum nomina, ut C·L·AID in quadrante. Pro C·L·AID, quae lectio Friedlaendero debetur, plerumque male traditur L·CAIO (Mionnet 1, 172, 689; Pembroke cat. p. 94; L·CAIO vel OLO Riccio *mon. di città* p. 78). De reliquis similibus inscriptionibus non satis constat; ita in asse deprehendit Avellinius L·L M/Q L·L, Carellius L·L·M·DE (v. ed. Lips. p. 93); in semisse C·Q Mionnetus (1, 172, 695); in triente L·C·C Magnan (Mionnet S. 1, 324, 573 ex Magnano; cf. Arigoni 1, 1...); in sextante Q·L·C Mionnet (1, 173, 700); Q·P·C Magnan (inde Mionnet S. 1, 324, 574), L·Q·C Riccio l. c. p. 78.	561—665.	Ritschl tab. VII 84 (as ad nummum mus. Berol.), n. 85 (quadrans ad nummum eiusdem musei).
512 As, semis, triens, quadrans, sextans, fortasse etiam uncia normae semuncialis signati Valentiae, quae antea Vibo et Hipponium fuerat. Cf. *R. M. W.* p. 316. 321. 331. 353.	VALENTIA L semper inscribitur. Magistratus in his nulli.	565—665.	Ritschl tab. VII 86 (as ad nummum musei Berol.).

Addi potuerunt nummi quidam oppidorum extra Italiam liberae iam rei publicae tempore Latine loquentium, ut in Sicilia Agrigenti Hispanorumque aerei, in Gallia Narbonensi Nemausi et Cabillonis argentei et aerei aliorumque oppidorum complurium aerei. At et difficile est fines regere inter nummos hos liberae rei publicae tempore signatos similesque sub primis imperatoribus percussos, et pertinent fere omnes ad extremos rei publicae liberae annos, ubi monumenta pleniora et quorum aetas certo definiri possit abundant, et vix quicquam repperitur in his nummis inscriptum, unde grammatici proficiant; quam ob rem hoc genus nummorum in sylloge hac silentio duximus esse praetereundum. Solae Hispaniae, quae omnium provinciarum primae linguam Romanam adsciverunt, etsi ante septimum urbis saeculum nummum Latine inscriptum nullum percusserunt et longe plerique etiam autonomorum Hispanorum qui dicuntur ad extremam rei publicae liberae primamve imperatorum aetatem referendi sunt, tamen in nummis aereis (nam argentei Latine inscripti extant nulli) quaedam habent grammaticis non omittenda. Ita notatu dignum est in nummis plerumque quidem oppidi nomen inscribi primo casu, exempli causa *Ulia, Carbula, Carteia, Carisa (Carissa, Carisi), Bailo, Obulco, Saetabi, Sacili, Callet, Osset*, sed in quibusdam iisque satis antiquis reperiri ethnicum neutro genere item primo casu perscriptum, veluti *Oripense* vel *Orippense* (Lorichs *recherches num. concernant les médailles celtibériennes.* Paris. 1852. tab. 60, 1. 2), *Iloiturgense* (Eckhel 1, 23 scriptum sic ILOITVR / ESNEG, ubi tamen Lorichs l. c. tab. 53, 1 legit ILDITVR pro ILOITVR) vel *Iliturgense*, *Samusiense* (Lorichs l. c. tab. 65, 5 cf. 4), *Ilipense* (Lorichs l. c. tab. 53, 2. 3. 76, 9, ubi in secundo nummo est ILIPENSE), *Saguntinu* (Lorichs l. c. 63, 3, quod male solvit Eckhel 1, 56 in *Saguntum invictum*). In quibus an non recte Eckhelius (1, 22. 23) suppleverit *municipium* dubitari potest, cum praesertim et municipiis civium Romanorum ius pecuniae cudendae ante imperatores defuerit et oppida supra memorata liberae rei publicae aetate municipii ius vix videantur impetrasse; praestat fortasse supplere *aes*. Praeter hos speciem vetustatis prae se ferunt inter alios nummus Lorichsianus tab. 43, 5, in quo ab una parte legitur CARTEIA, ab altera ·CES / L·RAI / L·AGRI a censoribus fortasse percussus; et tab. 57, 4, in quo ab una parte scribitur OBVLCO additis notis CX, ab altera L·AIMIL / M·IVNI ; et tab. 71, 1. 2. 3, in quo praeter Celtibericam inscriptionem magistratus hi inscribuntur Latine CN VOC·ST F (id est *Statii filius*) CN FVL CN F. At cum et ipsorum nummorum exigua copia apud nos sit et libri editi praeter Lorichsianum imagines eorum non satis accuratas proponant, ab his quoque abstinere satius visum est.

C. NVMMI GRAECI CVM LATINE SCRIPTIS NOMINIBVS MAGISTRATVVM ROMANORVM.

Quattuor genera nummorum sub hoc titulo recensenda sunt, stateres aurei Graeci, tetradrachma Macedonica, cistophori Asiatici, denique aerei quidam nummi Siculi et si qui similes in Hispania vel in aliis locis repperiuntur.

Primum genus hunc solum nummum comprehendit adhuc unicum.

513 Stater aureus pondere Philippei.	T·QVINCTI; Victoria stans palmamque et coronam manibus tenens. In antica est caput viri barbati nudum sine inscriptione.	u. c. 556—560.	Mionnet *Suppl.* 3, 260, ubi datur incisus; Cohen *méd. cons.* p. 260 n. 6 tab. 35. Quinct. 3. Cf. *das röm. Münzw.* p. 377. 406. 689.

Quem nummum inter vere Romanos qui rettulerit eum fortasse non errare loco citato significavi; magis tamen a Graeca aliqua civitate percussum eum putarim.

In tetradrachmis Macedonicis inscriptiones Latinae cum solitis Graecis ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ et Θ (quae nota Thessalonicae ea cusa esse significat) coniunctae innotuerunt hae breviter hic repetitae, ut in libro meo citato p. 375 exhibentur. De aetate nummorum vide ibi p. 692 n. 87.

514 CÆ·PR et AESILLAS·Q ante u. c. 672.

515 SI et AESILLAS·Q

516 SVVRA LEG PRO Q u. c. 665/7.

517 LEG*)

518 D

*) In nummo huius generis, qui in cat. Borrelliano p. 27 dicitur habere ΜΑΚΕΕΔΟΝΩΝ et LEEG, vocalem non scribae consilio, sed percussione iterata bis apparere certiorem me fecit qui nummum vidit Pinderus.

Cistophoros cum nominibus proconsulum Romanorum nuper composuit Pinderus (*über die Cistophoren*) in actis acad. Berol. a. 1855, p. 533 sq., quem sequor. Omisi tamen cistophorum Trallianum, in quo dicitur esse TVLLI PRO COS, nam cum plane similis iisdemque et oppidi et oppidani magistratus nominibus inscriptus certissimaeque lectionis extet C. Pulchri, fortasse TVLLI illud male lectum est pro PVLCI(HER); cf. Pinder p. 567 n. 172. Certe inscriptio illa etsi vera, tamen imperfecta est; nam simplex gentile nomen usus Romanorum sic non admittit. Finem feci in cistophoro Q. Scipionis; nam qui sequuntur inde a M. Antonio magis pertinent ad aetatem imperatorum.

	Magistratus Romani nomen.	Oppidum monetarium.	Anni provincialis erae, quae incipit auctumno u. c. Varr. 620.	Anni urbis conditae.	Auctores.
519	AM — Q Monogramma hoc, quod magistratus esse perspexit Pinderus, elementa continet AAMPT, quae quid significent ignoratur. Quaestoris nota ita collocata est, ut eam a nomine seiungere liceat.	Ephesus Asiae. Pergamum „			Pinder p. 571 n. 202. 203; cf. p. 541. 546.
520	C·FABI·M·F PRO COS	Ephesus „ Apamea „ Pergamum „ Tralles „	OZ in Ephesinis. = auct. 696 ad auct. 697.	696/7.	Pinder p. 567 n. 173—176. Cf. Borghesi *Bull. Nap. N. S.* 5, 148.
521	T·AMPI·T·F PRO COS	Ephesus „ Laodicea „ Tralles „	OZ in Ephesinis. = auct. 696/7.	697/8.	Pinder p. 567 n. 177—182.
522	*c.* PVLCRI·AP·F PRO COS C·PVLCHER PRO COS PVLCHER PRO COS	Ephesus „ Pergamum „ Tralles „	Π in Ephesiuis, sed inc. lect. = auct. 699/700.	699—701.	Pinder p. 568. 569 n. 183—187.
523	C·FAN PONT PR	Ephesus „ Apamea „ Tralles „	ΠΕ et Πς in Ephesinis. = auct. 704/5; auct. 705/6.	705.	Pinder p. 569 n. 188—191; Borghesi *Bull. Nap. nuova ser.* vol. 5 p. 147; *röm. Münzwesen* p. 375 n. 33. 704 n. 133.
524	Q·METELLVS·PIVS·SCIPIO·IMPER	Pergamum „		706.	Pinder p. 570 n. 192.
525	P LENTVLVS P *f* IMPERATOR P LENTVLVS P F IMP	Apamea Ciliciae. Laodicea „		698—701.	Pinder p. 570 n. 193—195.
526	AP PVLCHER AP F PRO·COS PVLCHER PRO COS *ap.* PVLCHER·AP *f* IMP PVLCHER IMP	Laodicea „ „ „ Apamea „ „ „		701—703.	Pinder p. 571 n. 199. Dumersan apud Akermanum *Num. Chron.* 9, 72. Pinder p. 570 n. 196. 197. Pinder p. 570 n. 198.
527	M·CICERO PRO COS M TVLL/// IMP	Apamea „ Laodicea „		703 Iul. 31 — 704. 703 Oct. 13 Cicero imperator appellatur.	Pinder p. 571 n. 200. Pinder p. 571 n. 201.

Restant nummi quidam aerei magistratuum Romanorum nominibus signati aetatis minus certae illi quam aurei argenteive supra propositi, qui tamen probabiliter referantur ad liberam etiamtum rem publicam Romanam. Praeter nummos quosdam Hispanos, ut Cordubensem inscriptum CN·IVLI·L·L·Q, Mundensem Ursonensemque inscriptum L·AP·DEC·Q (cf. *röm. Münzwesen* p. 375 n. 28), quos nominasse sufficit in hac disputatione ad grammaticam magis quam nummariam rem relata, huc pertinent maxime aerei Panormitani, de quibus dixi in libro illo p. 374 n. 27 et p. 665 sq. Horum duo sunt genera, alterum ad aereorum Romanorum exemplum factum, cuius anticam Ianus praesertim et Iupiter obtinent adscitis praeterea in minoribus speciebus aliorum deorum capitibus, posticam plerumque solum nomen magistratus implet corona fere inclusum. Alterum prope accedit ad aereos Panormitanorum antiquiores habetque in antica caput Iovis laureatum, in postica modo militem stantem, modo aquilam. Praeter Romanum nomen saepe solis litteris initialibus significatum, ad quod adscribitur quaestoris titulus in unico asse M'. Acilii, inscriptiones nullae in his nummis solent reperiri, nisi quod in raris prioris generis nummis deprehenditur monogramma PR, quod mihi videtur indicare *Portum*, id est Panormum, in altero genere non infrequens est monogramma PP. Magistratuum illorum, scilicet quaestorum ni fallor Lilybaetanorum, nomina quoniam ad archetypa exigere parum licuit neque extant imagines fideliter satis periteque exceptae, breviter tantummodo catalogum eorum dedi secundum fratres Franciscum et Ludovicum Landolinas Paternò barones Rigilifenses, qui nuperrime de iis disputaverunt (*Monografia delle monete consolari-Sicule*. Neapoli 1852. 4.) cum quo libello coniungenda est eiusdem Francisci *lettera al Riccio intorno ad alcune monete Romane-Sicule*. (Cataniae 1853. 8), quaeque de his nummis dixit Riccio in catalogo nummorum consularium p. 19 sq. et in suppl. primo p. 2.

528 Reperiuntur in assibus illis semissibusque et quadrantibus nomina haec potissimum omissis scilicet plane dubiis:

a M'·ACILI·Q

Hunc nummum vidi ipse in museo Berolinensi litteramque ⊦ sic clare deprehendi; quamquam aliter eandem depinxit Cohen tab. 46, Acil. 2.

b Q·NI

c R

d Q·B

e Q·FAB

f P·TE

g CRASSIPES

Ita Cohen *méd. cons.* p. 357 ex nummo mus. Bunburiani et Riccio *catal.* p. 20 ex nummo suo et Landolina in epistula p. 24 item ex nummo ut videtur suo. Contra KRASSIPES legerunt Arigonius t. IV, tab. 19 n. 52 (inde Eckhel 1, 234 cf. 5, 222) et Riccio apud Landolinam p. 27 tab. 2 n. 22; AESSIPES Eckhel 1, 234, quae lectiones videntur esse reiciendae ambae.

h LIBO

i NASO

529 Secundum genus inscripta habet nomina haec omissis similiter incertis:

a M'·ACILI

b AQV

c P·AT

c M·AVR

d C·CALP

f M·D

g Q·FAB

h C·L

i M·MAR

k L·ME

l C·N

m A·POM

n L·POST

o S·POS

Eckhel 1, 233.

p C·TRI

q CATO

r NASO

SECTIO TERTIA.

TITVLI CONSVLARES CERTAEQVE AETATIS RELIQVI.

Collecti exhibentur hoc loco tituli exarati ab initio inde belli Hannibalici usque ad C. Caesaris mortem, quorum quidem aetatem vel ex consulum nominibus adscriptis definire licuit vel ex aliis argumentis in rerum gestarum indagatione neque in grammatica ratione sola collocatis. Proponuntur secundum aetatis ordinem, nisi quod, ut supra n. 33—38 Scipionum elogia ea, quae extremo sexto incipienteve septimo saeculo scripta sunt, ab antiquissimis non separavi, ita hoc loco coniunctam seriem magistrorum Campanorum placuit non divelli. Eam ipsam ob causam glandes quoque et tesseras et figlinas Veleiates consulares cum in extrema sectione hac posui coniunctas, tum harum ne eas quidem exclusi, quas imperatorum aetate scriptas esse probabile est vel adeo certum.

530 lapis ex topho litteris vetustis eiusdem magnitudinis ac n. 531, extat in vinea ad S. Petri in vinculis intra thermas Traianas *Citt.* in lap. piperino rep. prope Suburam *Faber.* ad S. Laurentii in Palisperna *Knibbius.*

M·CLAVDIVS·M·F
CONSOL c. a. u. c. 543.
HINNAD·CEPIT

Ursini exemplum exhibent Velserus opp. p. 851 ex litteris Ursini a. 1597 et Faber (imag. ill. 1606) p. 26. Referunt praeterea Cittadinus *della vulgare lingua* 1601 f. 17 (vide Grut. 56, 7 in notis ed. 2 et Reines. 6, 99, neque aliunde puto Grut. 1021, 8 e Wouwerianis); Grut. 1026, 5 e Knibbio; Manutius in cod. Vat. 5253 f. 255. 274, unde edidi Bull. 1846 p. 47 et unde item videtur petiisse Don. 5, 31 (inde Donat. 250, 6) ex schedis bibl. Vatic. Extant igitur quinque exempla, Ursinianum omnium optimum, Cittadinianum, Knibbianum pessimum, Manutiana duo.

Uterque titulus positus est a M. Marcello Syracusarum expugnatore, qui consul fuit a. 532. 539. 540. 544. 546; hunc enim a. u. c. 540 Hennam urbem in Sicilia cepisse praedamque inde abstulisse Livius (24, 39) tradidit. Quod ipsum verbis *Hinnad cepit* significatur; nam pro Henna (sic cum aspiratione Romanos nomen efferre ad exemplum Helpidis et similium notum est vel ex nummis inscriptis MVN · HENNA apud Eckhelium 1, 207) Hinna scribitur ut scribunt *oppidum* et *oppedum* aliaque similia permulta; ablativus autem ita positus est ut exempli causa in nummis est *Beneventod.* Deinde huius M. Marcelli anathemata ex praeda Sicula non semel apud antiquos memorantur; ut apud Ciceronem (Verr. l. 4, 54, 120. 121): *Victoriae putabat esse* (Marcellus) *multa Romam deportare quae ornamento urbi esse possent. — — Romam quae adportata sunt, ad aedem Honoris et Virtutis itemque aliis in locis videmus* et apud Livium (25, 40): *Marcellus — — signa tabulasque quibus abundabant Syracusae Romam devexit — — visebantur ab externis ad portam Capenam dedicata a M. Marcello templa propter excellentia eius generis ornamenta, quorum perexigua pars comparet.* Auctorum testimonio accurate respondent bases hae, quarum altera reperta est ad ipsam portam Capenam, ubi fuit aedes a Marcello facta Honoris et Virtutis; Marti consecrata est propterea quod etiam Martis aedes eo ipso loco fuit ita vicina aedibus Honoris et Virtutis, ut tria haec templa vulgo pro uno habita sint (Becker topogr. 1, 511) ipseque Marcellus suas aedes adiunxisse magis ad antiquam Martis quam novum sacrarium instituisse videatur. Altera basis ex iis signis est, quae Cicero significat aliis in locis dedicata esse; stetit fortasse in aede Telluris. Denique huic aetati scripturae indoles apprime convenit, quae et recentior est antiquissima (nam *Claudius* scribitur et admittitur certe in vocabulo Graeco geminatio consonantium) et remotae antiquitatis servat vestigia non obscura in *d* finali casus sexti et in vocabulo *consol.* Quare recte iudicantur tituli incisi eo fere anno, quo Marcellus de Siculis triumphum egit u. c. 543.

531 Romae rep. extra portam Capenam, translata ad Fulvium Ursinum; nunc Neapoli in mus. Borb. sacr. col. 1.

MARTEI
M·CLAVDIVS·M·*F*
CONSOL·DED*IT* c. a. u. c. 543.

Ritschl tab. L A ad lapidem. Velser opp. p. 843 a. 1594 ab Ursino; Faber imag. ill. (1606) p. 26; Cittadino *della vulg. lingua* 1601 f. 17; Grut. 56, 7 ex Castalione; I. N. n. 6766 ex lapide.

Auctores antiqui integram videntur vidisse; litteras enim inclinatas hodie certe elisas exhibent omnes. — Ceterum v. 3 Cittadinus notat sub scriptura DED latere antiquiorem VOV; item apud Velserum Ursinus adnotat antea fuisse in lapide DOVIT Faberque pro DEDIT edidit VOVIT. Qua de re videant, quibus datum est lapidem denuo inspicere. Fortasse primo antequam in aede collocaretur Marcelli iussu VOVIT basi insculptum est, mox voto soluto rescriptum DEDIT.

532 piscis aereus crassus, cuius supersunt oculi et squama, deest prima pars capitis et pars posterior tota; pars postica scripta est, ut cum piscis rectus stat scriptura conspiciatur inversa. Repertus est Fundis, vidi Agnone in Samnio apud negotiantem rerum antiquarum.

*conscr*PAIPTES·COSE·T F/........ *praifecti*
*et pr*RAIFECTVRA · TOT*a fundi hospitium*
FECERE·QVOM·TI C*laudio?*........
IN·EIVS·FIDEM·OM*nes nos tradimus et*
inter a. u. c. COVENVMIS·CO*optamus eum patronum*
532 et 602. M·CLAVDIO·M F·.......... *cos*

Descripsi edidique I. N. 4139 (inde Henzen 7000). Aeri incidit Minervinius Bull. Nap. 3, 90 tab. 3 n. 20 (inde Ritschl tab. II K). Sequor meum exemplum in quibusdam paullo plenius.

1 sub finem ubi nunc I apparet, olim T fuisse arbitror. — 3 nota apicem in littera V. — extrema littera aut C aut O aut O fuit. — 5 prima littera potest fuisse S, sed multo probabilius est C. *Covenumis* est *convenimus*, ut olim scribebatur *Veneris* et *Venerus*.

Fundana haec tessera hospitalis omnium quae eius generis extant longe antiquissima est (nam quae eam ordine sequitur Mariniana Arv. p. 782 anni est demum 742 u. c.) et a reliquis satis diversa. Hae enim in tabellis scriptae sunt et atrii parietibus affixae fuerunt; contra Fundana ita comparata est, ut qui accepisset eam secum in itinere ferret hospitique exhiberet agnoscendam, qua de consuetudine fidem faciunt cum notissimi Poenuli Plautinae loci (5, 1, 25. 2, 87 sq.) tum similia quaedam Graece scripta monumenta (cf. C. I. Gr. 5496. 6778). Videtur autem haec tessera non ea esse, quae data est Ti. Claudio, sed quam sibi retinuerunt Fundani. Agnitam esse eiusmodi tesseram collato altero exemplo domi servato idem Plauti locus ostendit neque συμβόλαιο illud cum plerisque accipiendum est de tesserae fractae partibus rursus compositis. Praefecturae ubi eiusmodi hospitia cum civibus Romanis facturae essent, ibi praeter conscriptorum decretum, fortasse etiam populi iussum necessarium fuisse consensum praefecti etsi non constat aliunde, tamen iis quae de praefecturarum condicione praeterea accepimus egregie convenit. Formulae eaedem fere sunt quae occurrunt in tesseris patronatus aetatis imperatoriae, nisi quod in Fundana oppidi decretum solum continetur, in reliquis adscribitur praeterea patroni consensus; item fidem ad utriusque partis heredes quoque pertinere in Fundana brevitatis causa omissum est nec legatorum nomina ibi leguntur. Ad aetatem quod attinet, M. Claudii M. f. consules reperiuntur liberae reipublicae aetate a. u. c. 423. 467. 532. 539. 540. 544. 546. 558. 571. 588. 599. 602. 703. Iam cum et quinti urbis saeculi sermonis nullum tessera haec indicium prodat, de octavo autem nequaquam cogitari possit, constat eam inter a. 532 et 602 exaratam esse; cui aetati praeterea et L acuminata convenit (propter quam non recte Ritschelius mus. Rhen. novi vol. 9, 2 ad consulem a. 588. 599. 602 eam pertinere posse negavit, cum nuperrime repertus titulus Lunensis n. 539 habeat anni 599) et quicquid in sermone proprium lamminae habet. Convenit praeterea iis quae de Fundis traduntur, si quidem tesseram ibi ut aiunt repertam ei populo probabiliter attribuimus. Fundi enim a Festo (v. praefecturae p. 233) collocantur inter praefecturas secundi ordinis, id est quo praetor urbanus quotannis praefectum iure dicundo mitteret; quod incepisse eo ipso anno, quo Fundanis civitas sine suffragio data est, urbis conditae 416 (Liv. 8, 14) neque quicquam in ea re mutatum esse suffragio postea a. u. c. 566 lege Valeria iisdem Fundanis permisso (Liv. 38, 36), sed mansisse certe ad bellum usque Italicum nuper ostendi (*Röm. Gesch.* 1, 349. 412 ed. tert.). Iam enim abieci quod olim posui magis quam probavi, tesseram hanc post legem Valeriam scriptam esse oportere, neque omnino habeo quomodo terminos supra positos artius restringam; nam Ti. Claudius qui videtur nominari v. 3 quamquam sexto saeculo convenit, quo Ti. Claudii Aselli Neronesque florere coeperunt, tamen parum utilis est ad annum definiendum.

533 prope Thusam in maceriis veteris Halesae *Torrem.* ad D. M. de Palatio in ara crucis signo supposita bis denis passibus a templo recedente. Lapis ex rubentibus et albis crustulis iisque negligenter a natura consutus (*leg.* consutis); quo fit cum tot hiatus (*leg.* totus hiet ut) tarde litterae appareant et quae artis sunt naturae esse videantur. Hinc illas nonnisi a solitario homine loci accola edoctus investigavi; cum quippe Sol suis radiis rimulas ingrederetur. Prius ipse litteras abrasas esse persuaserat *Gualth.*

ITALICEI
L·CORNELIVM·SC*iponem* u. c. 561?

HONORIS·CAVSSA

Gualtherus n. 303. Torremuzza 5, 14, a. 1748 vidisse se testatus sumpsit ex Gualthero.

1 utrum legendum sit ITALICEI an ITA LICET dubitat in comm. Gualterus; ITA LICET .... Torrem. — 2 SCHIZIAM Gualt. Torr. — Versus punctis notat inter 2 et 3 duos, post 3 unum Torr.

A. u. c. 561 L. Cornelius Scipio qui postea Asiagenus dictus est praetor Siciliam provinciam obtinuit (Liv. 34, 55; Cic. de orat. 2, 69, 280); ad quem si recte titulus refertur, omnium qui supersunt Latinorum statuae subscriptorum hic est antiquissimus, scilicet apud Graecos dedicatus Graeco more adeoque verbis secundum Graecam consuetudinem conceptis. Magistratus indicatio videtur scripta fuisse inter v. 2. 3.

534 basis, Frascati in villa Ruffinella.

M·FVLVIVS·M·F
SER·N·COS u. c. 565.
AETOLIA · CEPIT

Ritschl tab. XLVIII, F = LXIX, E. Canina *Tusculo* p. 117; Nibby *viaggio* (1819) 2, 38, *analisi* 2, 351; Orell. 562 male.

Id est *ex Aetolia cepit*, ut *Hinnad cepit* n. 530, minime *Aetoliam* (v. de omissa praepositione p. 17 ad n. 30). Subscriptum fuit operi alieni artis Graecae, quod Nobilior inter praedam reportatum aut Romae alicubi dedicavit, unde postea in villam aliquam Tusculanam asportatum est, aut, quod probabilius est, ipse dedit municipio Tusculo, unde Fulvia gens originem duxit (Cic. pro Planc. 8, 20). Cognomen omissum ablativique usus more vetusto produnt tituli antiquitatem; litterae tamen nihil ex prisca scriptura retinent itemque COS pro CONSOL, quod in edicto quidem de Bacchanalibus adest, sed in huiusmodi titulis ante septimum saeculum vix reperitur, recentiorem sexto saeculo scriptorem prodit. Quare cum facile fieri potuerit ut in refectione aliqua basis nova substitueretur, — quod Dianae Segestanae sublata basi cum nomine P. Africani ut fiat a Verre Cicero flagitat (Verr. 4, 38, 8) itemque in titulis Mummianis Parmensi et Italicensi n. 545. 546 evenisse constat — hoc quod aetatem tulit elogium non antiquum, sed ex antiquo repetitum esse iudico.

535 col. mil. extat Borghesio teste ad *Castel S. Pietro.*

M · AEMILIVS · M · F · M N   u. c. 567.
LEPIDVS · COS
CC⊥ · XIIX   XV

Ritschl tab. XLVIII A. Commemoravit nec edidit Borghesi l. c.

536 col. mil. similis rep. in *Borgo Panigale* prope Bononiam, inde ab a. 1811 ibi in museo universitatis.

///AEMILIVS · M · F · M · N   u. c. 567.
LEΓID · COS
CCXXCVI   XXI

Ritschl tab. XLVIII B. Ediderunt minus plenam Schiassi *guida al museo di Bologna* p. 38 et Borghesi *Giorn. Arcad.* 10 p. 216 (inde Henzen 5348).

537 col. mil. similis, rep. c. a. 1770 prope *Castel S. Pietro*, extat Bononiae in museo universitatis.

M · AEMI   u. c. 567.
LEΓID
CC

Ritschl tab. XLVIII C. Ed. Schiassi *guida* p. 38.

A. u. c. 567 M. Aemilius M. f. M. n. Lepidus consul viam stravit Arimino per Bononiam Placentiam usque, Aemiliam inde ex auctoris nomine appellatam (Liv. 39, 2 accuratius quam Strab. 5, 1, 11 p. 217 Cas.), cuius hos miliarios fuisse apparet conveniuntque in universum numeri. Ariminum enim Roma cum numerentur m. p. fere CCXII (Tonini *Rimini* p. 111), Arimino Bononiam m. p. LXXVII (Tonini l. c. p. 83), cippi signati CCLXVIII et CCLXXXVI steterint necesse est circa Bononiam, si quidem ea aetate a Roma, non ut postea fecerunt ab Arimino viae Aemiliae milia numerabantur. Accuratius rem persequi non licet; cippos enim non suis antiquis locis, quibus distabant inter se XVIII m. p., repertos esse, sed inde asportatos ad alteram nescio quam viam distinguendam, clare indicant numeri postea ad latus incisi XV et XXI. — Huius tamen quam prae se ferunt aetatis miliarii hi verene sint, iure videtur posse dubitari. Nam etsi ex nota, quae significat *quinquaginta* in exemplo non superest nisi ı, quod residuum potest esse tam ex ⊥ antiquiore quam ex recentiore L, tamen ut L quadratam mittamus, P semel certe clausa vix apta est saeculo sexto. Accedit *Aemilius* pro *Aimilio*, *cos.* pro *consol*, denique cognomen adscriptum. Praeterea ipsa cipporum figura, quae est solita columnae, eo minus huic aetati convenit, quod miliarii Popilliani a. 621 admodum ab ea recedunt neque inventa columnaria, quae postea retenta est et omnino apta, ad diversam et multo minus commodam probabile est magistratus abiisse. Quae quamquam singula ambigua sunt dubitationibusque obnoxia, tamen cum coniuncta inveniantur neque ullum praeterea sexti saeculi certum indicium in titulis appareat, aut cippi hi consuli alicui cognomini tribuendi sunt, qui viam a maioribus apertam restituerit, aut quod magis probo, primi conditoris nomen in cippis ad viam Aemiliam expositis in restauratione aliqua incisum est.

538 Aquileiae basis olim stetisse etsi non traditur, tamen tituli argumentum ostendit confirmaturque eo, quod primum innotuit ex museo Rannusiorum; hos enim etiam alios lapides Aquileia Patavium advehendos curasse constat. Integra prostitit aliquamdiu Patavii in ipsis iis aedibus Rannusianis, ubi vidit *Pinellus*. Ex ea domo partem inferiorem habuit *Tomasinus*, quam a. 1640 dono sibi datam *Hieronymus Gualdus* abstulit Vicetiam teste *Ursato*, itaque hodie haec pars spectatur Vicetiae in museo Tornieriano. Pars superior contra pervenit in museum Obicianum, quod est Catai.

L · MANLIVS · L · F
ACIDINVS TRIV · VIR   u. c. 573
AQVILEIAE · COLONIAE
DEDVCVNDAE

Ritschl tab. XLVIII D ex lapidibus. — Ioh. Bapt. Rannusius adscripsit ad marginem Scardeonii (inde Orsato mon. Pat. p. 277 et Furlanetto *lap. Pat.* p. 65). Grut. 433, 8 a Pinello. Orsato mon. Pat. 1652 p. 277 et Schio *iscr. Vicent.* p. 122 non viderunt nisi partem inferiorem. Furlanetto *lap. Pat.* p. 64 n. 73 non vidit nisi partem superiorem. Auctores Aquileienses, ut a Turre p. 337 et Bertoli p. 283 n. 399, repetunt ex Grutero vel Ursato. Orell. 70.

3 E in COLONIAE hodie deest.

Antiquum esse titulum quamquam constat, de hoc videndum, statimne post coloniam deductam a. u. c. 573 triumviris qui eam condiderant P. Cornelio Scipioni Nasicae, C. Flaminio, L. Manlio Acidino (Liv. 40, 34 cf. 39, 55) statuae positae sint an aetate posteriore. Qua de re etsi omnino in incerto positum est iudicium, tamen non multo post annum coloniae deductae titulum hunc incisum crediderim; eum enim qui statua honoratur in subscriptione primo casu efferri praeterea non invenitur nisi in columna Marcelli a. 599 n. 539 neque ad septimum saeculum hic usus videtur perdurasse. Ceterum quod silet lapis de consulatu, ad quem a. 575 triumvir hic (dictus ibi in fastis *L. Manlius L. f. L. n. Acidinus Fulvianus*) pervenit, in neutram partem quicquam probat.

539 rep. Lunae in fori ruinis m. Nov. a. 1857: '*Apertosi un mediocre fosso da levante ad occidente presso la strada, che dalla marina mette a Sarzana, si scoprirono, quasi a fior di terra, due pilastri e nel mezzo agli stessi un piccolo muro. Abbassando lo scavo a metri 2 e 75, vi si rinvenne presso i menzionati pilastri un enorme capitello di lavoro piuttosto rozzo di marmo di Carrara, non però dello statuario; era lo stesso capovolto e nella sua cornice leggemmo l'iscrizione di Marcello. Ci parve che un tal marmo, in sua origine, avesse dovuto sorreggere la statua dello stesso console, perocchè veggionsi chiaramente anche al presente le tracce ove si poggiava*'. *Remedi.*

M · CLAVDIVS · M · F · MARCELVS   u. c. 599
CONSOL · ITERVM

Ritschl tab. XLVIII F. Remedi et Henzen Bullett. 1858 p. 8 sq.

De Luna colonia commodum erit primum testimonia antiqua proponere coniuncta. Liv. 40, 43 ad u. c. 574: *Pisanis agrum pollicentibus, quo Luna* (ita restituo pro tradita lectione *Latina*) *colonia deduceretur, gratiae ab senatu actae; triumviri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, M. et P. Popilii Laenates.* Idem 41, 13 ad u. c. 577: *Lunam coloni* (cod. *et una colonia*) *eodem anno duo milia civium Romanorum sunt deducta; triumviri deduxerunt P. Aelius L. Egilius* (?) *Cn. Sicinius; quinquagena et singula iugera et semisses agri in singulos dati sunt; de Ligure captus is ager erat; Etruscorum ante quam Ligurum fuerat.* Velleius 1, 15 postquam exposuit de Aquileia et Graviscis coloniis deductis a. 573 pergit: *post quadriennium Luna (deducta colonia)*, sic enim recte Madvigius opusc. 1, 287 emendavit pro eo quod in libro dicitur fuisse *Luca*. Denique Livius 45, 13 ad a. u. c. 586: *Disceptatum inter Pisanos Lunensesque legatos: Pisanis querentibus agro se a colonis Romanis pelli, Lunensibus affirmantibus eum de quo agatur a triumviris agrum sibi adsignatum esse, senatus qui de finibus cognoscerent statuerentque quinqueviros misit Q. Fabium Buteonem P. Cornelium Blasionem T. Sempronium Muscam L. Naevium Balbum C. Appuleium Saturninum.* Antiqua controversia est, utrum in

his locis, quos ad eandem coloniam spectare omnes fere recte consentiunt, de Luna agatur, quae est opinio Madvigii opusc. 1, 287, an de Luca, quam sententiam post alios defendit Zumptius comm. epigr. 1, 349. Plerique Lucenses praetulerunt tanquam Pisanis multo propiores quam Lunenses; sed iure opposuit Madvigius nesciri hodie quam late regio circumiecta in dicione fuerit Pisarum florentissimae in hac parte civitatis. Praeterea non crediderim Pisanos hoc permisisse, ut quasi ad portam sibi colonia a Romanis stabiliretur, contra agro eo, ubi postea Luna fuit, fortasse post victos Ligures a Romanis sibi reddito multo facilius eos cessuros fuisse, qui et longe abesset et hostium incursionibus obnoxius esset (cf. Liv. 34, 56. 39, 2) et in quo colonia condita tanquam propugnaculo tuti in pace agros deinde colerent. Conterminas autem fuisse Lunam et Pisas neque inter eas oppidum ullum interpositum fuisse constat. Quare loci vicinitate res diiudicari nequit. Nec magis quaestionem dirimunt, quae de Lunae Lucaeque condicione posteriore aetate tradita accepimus. Lunam coloniam fuisse regnantibus Iuliae gentis imperatoribus docent tituli Orellianus 732 et Promisanus inscr. Lun. n. 12 et Henzenianus *Bull.* 1858 p. 11 et I. N. 1503, quem non Beneventanum esse, sed Lunensem sero docuit me Targioni Tozzetti *viaggi* 10, 424. Qua aetate deducta sit, nusquam traditur neque tamen quicquam obstat, quin antiquissima fuerit civium. Lucam imperatoria aetate item coloniam fuisse vulgo perhibent usi Plinii verbis h. n. 3, 5, 50: *Primum Etruriae oppidum Luna portu nobile colonia Luca a mari recedens*, quae tamen ambigua sunt et, si post vocabulum *colonia* interpunxeris, quod cur fieri non possit non intellego, coloniae ius ad Lunam potius trahunt. Similiter lapides, quos ad ius coloniae Lucensibus confirmandum Zumptius (comm. 1, 350) attulit aut falsi sunt (ut Spon. misc. p. 168) aut male ad Lucam relati (ut Mur. 726, 3) aut alia ratione dubii (ut Henzenianus n. 6493). Imo Luca ex peregrinitate pervenit ad ius municipii (Fest. v. municipium p. 127) et Ciceronis (cf. ad fam. 13, 13) aetate municipium fuit. At quod propterea Madvigius coloniam, quae c. a. 577 deducta est, esse potuisse Lucam negavit, non recte fecit. Hoc enim tantum modo sequitur a. 577 civium Romanorum coloniam Lucam deductam esse nullam; Latina si deducta est, quod testimonia supra allata non omnino excludunt, lege Iulia et Plautia ex peregrinitate in municipii formam pervenire debuit. Quare quamquam quae adhuc exposuimus Lunae multo magis favent quam Lucae, tamen quaestio nondum plane diiudicata est. Sed accedunt alia. Scribitur in titulo Lugdunensi (Boissieu *inscr. de Lyon* p. 186; Henzen n. 5121) certae fidei et non dubiae lectionis: *sepellitus est L[u]nae Pisae in Tusci[a a]d flumen Macra*. Lunam stetisse ad ipsa Macrae fluvii ostia in sinistra sive Etrusca ripa constat, unde a Pisis m. p. XXX navigari Lunam ad fluvium Macram scribit itin. marit. p. 501 Wess. Quae cum ita sint, *Luna Pisa* tituli Lugdunensis non potest esse diversa ab ea quam omnes novimus Luna colonia. Idque ipsum subest fortasse conclamatis illis Strabonis verbis 5, 2, 5: *μεταξὺ δὲ Λούνης καὶ Πίσης ὁ Μάκρης ἐστὶ χωρίον*. Nam cum nec Macra vicus ullus umquam fuerit nec fluvius Macra inter Lunam Pisasque interfluat, vitiata ea sint necesse est; iam vero apparet scribam Lunam Pisam illam ignorantem in errorem incidisse scripsisseque Strabonem sic fere: *Μετὰ δὲ Λούνην Πίσην ὁ Μάκρας ἐστίν*. Quod secundum nomen Pisae Lunensis civitatis magnopere commendat opinionem supra defensam coloniam illam in agro Pisano Pisanisque auctoribus conditam non Lucam fuisse, sed ipsam illam Lunam Pisam. Deinde qui auctorum testimonia supra prolata diligenter expenderit, nisi critico acumine plane destitutus est, intelleget licere locum Vellei corruptum iudicare, quod admisit Madvigius, contra non licere, quod sumpsit Zumptius, pro Lunensibus, qui bis leguntur apud Livium 45, 13 quique ipsa alterius loci corruptela *et una* pro *Luna* defenduntur, peraeque rescribere Lucenses. Omnino res patefacta est et in clara luce posita, modo in loco Livii quem primum posui pro *Latina* scribatur *Luna*. Illud certe subabsurdum est; quid enim interfuit Pisanorum, utrum colonia deduceretur civium an Latina? praeterea quo modo fieri potuit, ut rerum scriptor triumvirum coloniae deducendae nomina poneret, coloniae nomen praeteriret? denique eandem hanc coloniam esse atque eam, cuius de controversiis cum Pisanis post aliquot annos ad senatum relatum est, non obscure arguit Q. Fabius Buteo eam ob causam sine dubio a. 586 quinque virum agri iudicandi princeps factus, quod ante annos duodecim princeps fuerat Lunae coloniae deducendae. Anno itaque 574 colonia Luna deducta est in agrum qui Pisanorum fuerat; a. deinde 577 adscripti sunt colonorum novorum duo milia eisque de agro a Liguribus capto sortes datae insolitae magnitudinis. Civium Romanorum fuisse inde constat, quod post Ariminum non plus undecim colonias Latinas deductas esse alibi docui eaeque quae fuerint satis constat; praeterea eodem ducit coloniae nomen postea oppido semper datum, cum coloniae Latinae quae fuerunt lege Iulia in municipii formam abierint. — Quibus positis de aetate tituli facile iudicabitur, ut iudicavit de ea recte iam Henzenius. M. Claudii Marcelli duo soli ad secundum consulatum pervenerunt, Syracusarum expugnator consul iterum anno 539, quem tamen magistratum non gessit, sed augurum iussu deposuit, et nepos eius consul iterum a. u. c. 599. At de illo praeter susceptos nec gestos fasces ne cogitemus vetat quod tum nulla fuit Luna colonia. Contra nepoti non solum nihil obstat, sed habet, quo commendetur; nam cum quid in magistratu egerit cum annalibus huius aetatis interciderit, tamen quae de eo tabulae triumphorum servarunt recte videntur sic posse suppleri:

[M. Claudius M. f.] M. n. Marcellus II cos. II *a. DX[CIIX]*
[de Ligurib]us et A[puaneis] ....

Nam Apuani, quamquam plerique eorum paullo ante in Hirpinos deducti erant, tamen hoc anno rebellare potuerunt neque alium populum ab *a* littera incipientem et huic loco aptum facile inveneris. Luna autem cum fuerit in ipso agro olim Apuanorum (Liv. 39, 32), victoria de his reportata non potuit cum salute coloniae illius non esse coniuncta, eamque ipsam ob victoriam columna cum statua eidem consuli a Lunensibus posita videtur esse. Unum hoc exemplum est ante Pompeium Magnum iterationis honorum in elogiis indicatae nec tamen mirum, praesertim in tanta ipsius iterationis raritate, consuetudinem in hac re variasse. Denique titulum tam antiquum aetatisque eius, quo statuarum claris viris ponendarum usus vixdum coeperat, non mirum est in plerisque abhorrere a consuetudine eiusmodi elogiorum postea recepta, in columna statuam stetisse, non in basi, primo casu honorati nomen efferri, non tertio, denique eorum qui honorant nomen taceri. Eodem, quo Marcellus consul iterum fuit, anno statuam dedicatam esse eo magis constat, quod is a. 602 tertium consulatum gessit itaque, si post mortem statua haec dedicata esset, sine dubio tres consulatus sub ea legerentur.

540 columna magna, Veronae olim apud Moscardios, deinde ibi in museo.

S·POSTVMIVS·S·F·S·N u. c. 606.
ALBINVS·COS
*e*X·GENVA *Cremonam*
*/////*XXVII

Ritschl tab. LV A. Edidit Borghesius *Giorn. Arc.* X (m. Mai. 1821) p. 211—229 (inde Henzen 5350=6226).

1 Litterae VMIV postea sic refictae sunt VMI↓, ut inde efficeretur numerus VIIII, fere ut in Lepidi lapidibus numeri XV et XXI postea sunt adscripti.

Viam Postumiam praeter hunc cippum memoravit cum sententia Minuciorum (supra p. 72 n. 199) v. 11. 12 tum Tacitus hist. 3, 21, unde constat eam a Genua Cremonam pertinuisse, a Cremona Veronam et fortasse Aquileiam. Iam cum neque ante quam Ligures a Romanis subigerentur, quod factum est per sextum fere saeculum, nec post annum 637, quo lata est illa sententia, via Postumia sterni potuerit, medio autem tempore Spurii Postumii consules fuerint tres soli a. 568. 580. 606, quorum primus in fastis L. f., alter A. f. scribatur, auctorem viae Borghesius vidit esse non posse nisi consulem a. 606 Sp. Postumium Albinum Magnum, cuius pater ignoraretur quidem, sed quem a patre Spurio oriundum esse nihil impediret. Albinus Magnus ille in consulatu quid fecerit, non traditur; in Italia eum mansisse collegae in Africam profectio satis indicat potuitque igitur in consulatu viam munire Genua Aquileiam vel certe Cremonam. — De milium numero in lapide perscripto praestat tacere, cum quod lectio incerta est, tum quod quo modo Genua Cremonam milia numerata sint non facile expeditur. — Titulum hunc vere aetate liberae reipublicae exaratum esse praenomen Spurii vetusto more unica littera notatum satis probat, nec tamen inde sequitur scriptum eum esse eodem quem prae se fert anno; imo potuit ut ad viam Aemiliam Aemilii, ita ad Postumiam Postumii nomen postea in cippis proponi idque ita factum esse credet, cui cippos Popillianos a. 622 omnium qui extant miliariorum antiquissimos esse probaro.

TITVLI MVMMIANI.

Consuetudo Romanorum bonorum decimae partis Herculi ita consecrandae, ut ex pecunia ea vel dona ei deo offerrentur vel, quod plerumque factum est, cena 'Herculana' ad aram Herculis in foro boario et deo et populo fieret, a multis viris doctis illustrata est et hodie vulgo nota; neque iam post praeclarum Rossii de ara maxima commentarium (*Annali* 1854 p. 28 sq.) latet Herculem eum, cui ara ea consecrata est cenaeque illae offerebantur, Victorem sive Invictum fuisse. Cum illo decumandi more titulos Mummianos qui supersunt ita coniunctos esse apparet, ut proprium et peculiare habeant aliquid, quod non facile expediatur. Illa enim consuetudo pertinet ad patrimonia privata Herculis beneficio conservata auctave, nec quae eius moris exempla leguntur cum apud scriptores M. Octavii Hersenni (Macrob. sat. 3, 6, 11. Serv. ad Aen. 8, 363), Sullae (Plutarch. Sull. 35), Crassi (Plutarch. Crass. 2) tum in lapidibus infra referendis M. P. Vertuleiorum, L. Aufidii, C. Antestii recentioreque P. Atei Regilli (I. N. 3578)*) nec quae in universum de ea re auctores tradunt (Diodor. 4, 21. Plutarch. q. R. 18 al.) quicquam prae se ferunt nisi patrimonii privati oblationem; ad publicam vero pecuniam, maxime praedam ea certe aetate, cuius certa memoria superest, decimarum Herculanarum usus minime pertinuit. Cessit quidem praeter agros reliqua praeda tota imperatori ita, ut ne sibi retineret, sed aut militibus divideret aut in aerarium publicum inferret aut in usus publicos sacrosve erogaret; quam ob rem saepissime ab imperatoribus ante victoriam certis diis aedes aliave dona vota sunt facta deinde de manubiis, id est de pecunia ex praeda redacta. Quare licuit sane imperatori praedae decimam Herculi offerre, ut decima ex praeda a Camillo Graeco more Apollini oblata est Veiis captis, item vicesima Apollini data ab aedilibus M. Mindio P. Condetio (supra n. 187; cf. praeterea Livius 23, 11. 28, 45); tamen quod sciamus unus C. Mummius praedae publicae decimam Herculi consecravit. Nec tamen ipsa res dubia est. Nam in epigrammatis Reatini principio non solum *decumam* posuit, sed etiam deum, quem alloquitur, *Victorem* appellat; quod quamquam Ritschelius (tit. Mumm. p. XII) olim ad L. Mummium

*) Augusti aetate eiusmodi vota videntur desiisse; inscriptiones certe ad decimas illas pertinentes ut inter paucas ex liberae rei publicae aetate relictas reperiuntur numero satis magno, ita inter plurimas aetatis imperatoriae plane desiderantur. Nam consulis a. 69 nomine inscripta tabella aerea perparva, Lugnani reperta quae dicitur quaeque ex museo Veronensi furto sublata hodie adservatur in Parisino, saepe edita (Orell. 1756) haec:

GN FLACCVS Q_FVL F DE
CVMAM PARTEM HERCV
LI ET PRO REDITV FELI
CISSIMO EX AFRICA VI
BI FRATRIS ET PRO SAL
PETINAE MATRIS SIGNA
AVREA FORTVNAE PRAEN
ET FERONIAE SANCTIS
SIMAE D D T VINIO COS

nisi fallor, falsa est. Nam ut minora mittam, Praenestinae agnomen Fortunae tributum, pro quo usus titulorum flagitat Priuigeniam, miram et contortam trium numinum Herculis Fortunae Feroniae duarumque triumve dedicandi causarum in eodem brevi titulo votivo implicationem, consulis alterius eiusque potioris, scilicet ipsius imperatoris Galbae nomen omissum, *Gn.* pro *Cn.* scriptum hac praesertim aetate, ut mittam haec dico, quae poterunt fortasse ita excusari, ut lammellam inscriptam esse sumamus ab homine rustico sollemniumque formularum et usus communis non satis perito restant duo graviora. Primum litterarum forma haec est accurate excepta ad ectypum submissum mihi ab Aemilio Huebnero:



ubi offendunt cum elementorum inclinatio in universum tum singulorum figura, maxime P plane clausa, M hastis duabus rectis anguloque in media littera desinente, R cauda non ad hastam rectam applicita, sed lunulae appensa, NA in contignatione litterarum N et A, quae debuit esse NI, denique A peraeque admissa. Secundo loco nominum ratio, in qua fere solent offendere falsarii, in hoc titulo plane est absurda; nam Vibium Petinamque cognomina non facile feremus, Gn. Flaccum Q. Ful. f. pro eo quod debuit esse Cn. Fulvio Q. f. Flacco omnino aspernamur.

magis quam ad Herculem trahere voluit, postquam Rossii commentarius supra citatus nos docuit decimas proprie offerri Herculi Victori, quin sententiam iam ipse mutarit non dubito. Confirmat idem titulus Romanus, in quo quamquam de decimis Mummius tacet, tamen cum Herculi Victori aedem et signum dedicet, ex decima id se facere non obscure arguit. Mummius igitur aut usum privatorum ad publicam victoriam convertit aut potius in ea re antiquam consuetudinem reduxit, cuius quaedam vestigia in fabulis remanserunt. Herculem enim narrant Caco victo et occiso in eum locum venisse, ubi postea forum boarium fuit ibique cum Euander Aboriginesque ara ex caespite facta Victori ei iuvencam immolassent, ipsum ex Caci boum decima populum epulo excepisse*). Inde *praetor urbis quotannis Herculi immolat publice iuvencam* (Varr. 6, 54), indidemque consuetudo coepit decimae in epulas populares sacrandae. Secundum hanc fabulam magis etiam quam ad auctas res privatas decimae illae pertinent ad publicam praedam; ostenditque narratio olim, cum praedabantur magis quam bellabant Romani, imperatores re bene gesta reduces boum, in quibus tum praeda potissimum consistere debebat, decimam partem Herculi Victori ad aram eius immolasse populumque laureatum ibi convenisse epulabundum de praeda. Nec sine causa Hercules, ut ait Plinius h. n. 34, 7, 33, *ab Euandro sacratus in foro boario triumphalis vocatur atque per triumphos vestitur habitu triumphali.* Sed postea cum eiusmodi de praeda epulationes neque auctae bellorum magnitudini nec prudentiori rerum administrationi satis convenirent, publicae Herculanae decimae fieri desierunt, manente tamen consuetudine, ut milites ex bello reversi Herculi victori donum aliquod offerrent (Orell. 1549; Grut. 46, 9. 10; Henzen *annali* 1857 p. 106), abiitque mos ille decumandi ad mercatores et reliquos homines privatos, apud quos quam frequens fuerit sexto septimoque urbis saeculo, et auctores et lapides ostendunt; postea defecit. Vetustus ille praedae decimandae mos ita in oblivionem venit, ut ne Varroni quidem eiusque aequalibus satis notus fuisse videatur. Quamquam Herculis istius ad aram maximam Victoris sub cognomine culti cum re bellica coniunctionem antiquitatis studiosi sane non ignorarunt; nam idem Varro cum in Menippea Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς *de Invicto* (ita legendum; *de multo* codd.) *Hercule loqueretur, eundem esse ac Martem probavit* (Macrob. sat. 2, 12, 26). Denique Salii proprie Martis sacerdotes quod Tibure Herculi Victori attributi sunt (Macrob. sat. 3, 12, 7. Orelli-Henzen 2761. 6499. 7149), Vergilius (Aen. 8, 285) docte in suum usum convertit. Sed ut huius rei rationem aliquam redderent, de aedis auctore mercatore quodam eodemque bello victore inficetam fabulam commenti sunt (v. Macrob. 3, 6, 11; Servius ad Aen. 8, 362). Unus Athenaeus cum sic referat (5, 65 cf. 4, 38): *ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους ἱερῷ οἱ τοὺς θριάμβους κατάγοντες στρατηγοὶ ἑστιῶσι τοὺς πολίτας, καθάπερ πολλοὶ τῶν ἡμεδαπῶν ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς εἰρήκασι*, nisi cenas pollucentium privatorum populares casu habuit pro triumphalibus, quarum sane speciem prae se ferebant Herculi Victori instructae laureatisque convivis, a bono et antiquo auctore verum didicit, scilicet populum antiquitus ad aram maximam victorias publicas epulis celebrasse, sicuti ludos simul editos spectare solebat in circo maximo eidem arae contermino. Utut est, decimandi ex praeda publica usum iam saeculo septimo incipiente dudum intermissum revocavit L. Mummius vir antiquae simplicitatis nec sine causa in titulo Reatino *moribus antiqueis hoc donum dare sese* testatus. Qui, fere ut Vertulei decima facta cenam sacram parant, praeterea Herculi donum dant, ita Achaia capta Corinthoque deleta et ludos splendide edidit (Tac. ann. 14, 21), quos epulas praecessisse probabiliter coniectabere, et Romae aedem et signum Herculi Victori dedicavit et Reate aliisque compluribus locis, ubi templa erant eiusdem dei, similiter dona obtulit; quamquam quae per civium oppida sparsit signa tabulasque in aedibus Herculis stetisse omnia minime contendo. De hac eius liberalitate, quae non intra urbem se continuit, sed raro exemplo ad universam Italiam adeoque ad provincias quoque pervenit, auctores plerique verba faciunt. Strabo 8, 6, 23 p. 381 Cas. ex Polybio: *σχεδὸν δέ τι καὶ τῶν ἄλλων ἀναθημάτων τῶν ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖστα καὶ ἄριστα ἐντεῦθεν* (ex praeda Mummii Corinthiaca) *ἀφῖχθαι· τινὰ δὲ καὶ αἱ κύκλῳ τῆς Ῥώμης πόλεις ἔσχον.* Cicero de orat. 70, 232 ex Corneliana: *qui* (L. Paullus et L. Mummius) *rebus his urbem Italiamque omnem refserserunt;* in Verr. 3, 4, 2: *plures hic* (Verres) *villas ornamentis fanorum quam ille* (Mummius) *fana spoliis hostium ornasse* (videtur); de off. 2, 22, 76: (L. Mummius) *Italiam ornare quam domum suam maluit.* Frontinus strat. 4, 3, 15: *L. Mummius qui Corintho capta non Italiam solum sed etiam provincias tabulis statuisque exornavit, nihil ex tantis manubiis in suum convertit.* Vict. vir. ill. 60: *Mummius Corinthum signis tabulisque spoliavit, quibus totam cum replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.* Cf. Plinius h. n. 34, 7, 36. 35, 4, 24. 37, 1, 12. Quibus cum testimoniis consentientes bases Trebulanae duae Nursina Parmensis Italicensis n. 543—546 Trebulanis, Nursinis, Parmensibus, Italicensibus L. Mummium ex praeda Achaica signa dono dedisse ostendunt.

*) Dionys. 1, 40. Fest. v. Potitium p. 237. Eodem pertinet locus Festi p. 242, quem affero, ut desinat aliquando disputari de Familiana sive Aemiliana sive Mummiana Herculis aede, quae nulla umquam fuit. Ita enim ibi legendum: *Pudicitiae signum in foro bovario est, ubi familia edisset* (aut si magis vis *sedisset*) *Herculis.* In codice est *familianaedissetherculis.*

541 '*Venne a luce nel* 1786 *nel demolirsi un vecchio muro in un orto dietro all' Ospedale sul monte Celio, nel quale la lapida giaceva a traverso adoperatavi come un buon sasso e ben fermata con molta calce, per cui le lettere erano tutte coperte.*' *Antologia Romana XIII* (1786) p. 361. '*Nell' orto del sig. Campana al Laterano, nelle cui vicinanze fu disotterrato*'. *Marini.* Hodie extat in museo Vaticano.

L · MVMMI · L · F · COS · DVCT
AVSPICIO · IMPERIOQVE
EIVS · ACHAIA · CAPT · CORINTO
DELETO · ROMAM · REDIEIT
TRIVMPHANS · OB · HASCE u. c. 609.
RES · BENE · GESTAS · QVOD
IN · BELLO · VOVERAT
HANC · AEDEM · ET · SIGNV
HERCVLIS · VICTORIS
IMPERATOR · DEDICAT

Ritschl tab. LI A. Ediderunt Marinius Arv. p. 30; Orell. 563; Meyer anthol. n. 13; Ritschl titulus Mummianus ad fidem lap. Vat. expressus (Berol. 1852. 4).

Conferendae sunt similes tabulae L. Aemilii Regilli exposita in aede Larum permarinorum (Liv. 40, 52), Ti. Sempronii Gracchi exposita in aede Matris Matutae (Liv. 41, 28). Aedes Herculis Victoris Mummiana quo loco fuerit, non constat; diversam eam fuisse ab Euandreis duabus altera ad portam trigeminam, ad aram maximam altera consecratis recte observavit Rossius *annali* 1854 p. 37. Prellerus (*Region.* p. 132) composuit Mummianum titulum cum altero Herculis Victoris apud Grut. 50, 5 invento in Campo Esquilino non procul a templo decacono in vinea quadam, qui locus non longe abest ab eo, unde extractus est Mummianus. Sed cum hic ad aedificium aliquod adhibitus repertus sit non antiquo loco, nihil omnino inde effici potest. Titulum

non ante annum 609 perscriptum esse constat; fieri tamen potuit, ut aedes aliquot annis post triumphum dedicaretur (cf. Ritschl mus. Rhen. novo 9, 3). — Versus sic ordinavit Ritschelius l. c. p. 11:

Ductu aúspicio imperióque — éius Acháia cápta,
Corinto déletó Ro — mám redieit triúmphans.
Ob hásce rés bene géstas, — quód [is] in béllo vóverat,
Hanc aédem ét signu — Hérculis victóris

principium clausulamque numeris conclusa esse negans.

542 Reate in porticu cuiusdam templi in lapide marmoreo de eodem deo (Sancto) sic tale est inscriptum epigramma, quod Pomponius praeceptor meus . . . Romam attulit interfuitque cum illud marmur effoderetur *Petrus Marsus* 1483. Reate in porticu divae Virginis sedis pontificalis, quod repertum a patre Pomponio primum lectum est et exemplatum *Iucundus; iisdemque verbis, nisi quod* explanatum *errore dedit pro* exemplatum, *Apianus*. Reate *simpliciter Mur.* Cernitur ad hoc usque aevi Reate pontificio in foro, quod a delubro D. Mariae nuncupatur, ambobus semicirculis, cum primum superiorum incuria divisi essent, aetate nostra iterum in unum compositis. Leguntur hac quoque tempestate nostra in eo sex carmina prisco ac obsoleto scribendi more. *Marianus Victorinus anno* c. 1572. Reate in foro *Manut.* 1576. Visitur in monte Pietatis *Angelotti* 1635. Interiit. *Schenardi lap. Reat.* (Rieti 1829) p. 7. — De anaglypho apud antiquos et fide dignos auctores verbum nullum fit eiusque inventionem Ligorio deberi apparet. Ordinem hominum sacrificantium, octo musis circumstantibus Hercule muliebri habitu chorum novenarium implente, ita ut Hercules Musagetes videatur, exhiberi in basi huius inscriptionis (nam ad eam, non ad alteram Grut. 26, 8 verba haec Muratorii pertinere mihi quidem constat) *ex Ligorio Muratorius*. Reate ante fores summi templi in capite pilae marmoreae, quae plena est virorum varii habitus choreas ducentium et adscendere conantium; quidam interim illic muliebri vestitu manu clavam tenet *Gruterus, quae proficisci necesse est ex schedis Metelli, fonte ipso Ligorio non puriore.* Prope Quintilianum viculum non procul a Reate (de Contigliano hoc et monte q. d. *Colle di Santo* v. Angelottus c. 7 et Schenardi lap. Reat. p. 1) mediis campis murus vetustus conspicitur, fornicibus et cryptis superstructus, in quo loco vas marmoreum dicitur inventum, quod extat ante fores cathedralis ecclesiae, insculptae sunt figurae varii habitus choreas ducentes scalamque quandam conscendentes. Quidam illic mulieris habitus clavam manu tenens (sed vix prae nimia vetustate attritus agnoscitur) Hercules putatur, cui decumae bonorum omnium vovebantur. *Pighius ms., aperte ex eodem nullius fidei auctore. Eadem ex cod. Vat.* 6039 f. 351 *protulit Henzenius Bullett.* 1845 p. 75. — (Romae) in hortis Iulii III. pont. max. *Boissardus* fraude sibi peculiari.

SANCTE

DE · DECVMA · VICTOR · TIBEI · LVCIVS · MVMMIVS · DONVM u. c. 608.
MORIBVS · ANTIQVEIS · PRO · VSVRA · HOC · DARE · SESE
VISVM · ANIMO · SVO · PERFECIT · TVA · PACE · ROGANS · TE
COGENDEI . DISSOLVENDEI · TV · VT · FACILIA · FAXSEIS
PERFICIAS · DECVMAM · VT · FACIAT · VERAE · RATIONIS
PROQVE · HOC · ATQVE · ALIEIS · DONEIS · DES · DIGNA . MERENTI

Descripsit titulum Pomponius Laetus, qui affuisse dicitur, cum primum effossus est; post quem haud scio an ullus ex lapide denuo exceperit. Laetum illum nomine citant auctorem duo viri omnium qui hunc titulum in scriptis suis posuerunt antiquissimi, *Petrus Marsus* et *Iucundus*. Ille primus edidit in commentariis ad Silium Italicum (Venet. 1483 fol.) ad 8, 3: '*pars sanctum voce canebant*' adnotans: *Sanctus fuit deus sabinorum et autor. nam condidit cures sabinorum quondam caput et dicebatur sanctus fidius semper* (sic). *Ovidius in fastis* (6, 213 sq.) *ait: querebam nonas sancto fidione referrem an tibi semipater* (sic). *et Reate* (sequuntur quae supra posui). In fratris *Iucundi* codice Veronensi legitur f. 171. Praeter Pomponium unus, quem constet lapidem vidisse, *Marianus Victorinus* est episcopus Reatinus a. 1572 mortuus, in cuius commentario ms. de antiquitatibus Reatinis Romae inter Propagandae libros servato et numero 1258 signato olim reperi; nam quae supra inde rettuli, *αὐτόπτην* sane demonstrant. Attamen quod toties accidit, ut qui ex lapide potuerit ex libro maluerit excipere, in Victorino etiam usu videtur venisse; nam exemplum eius a vulgatis non discedit. Idem plane dicendum de *Pompeio Angelotto* (descript. urbis Reate c. 7, cuius ed. pr. a. 1635 cum caream, utor Graeviana thes. tom. 8 parte 3), qui etsi fortasse vidit et ipse, tamen oblata sibi occasione lectionis emendandae non magis usus est. Reliquorum testium tam ingens numerus est quam auctoritas nulla; nullus enim eorum ne ab ipso quidem Pomponio, nedum ex lapide traxit, sed pendent aut a Marso aut ab Iucundo aut ab horum aliquo exscriptore. Sunt autem hi fere: Apianus 143, 2, qui expressit Iucundum; Mariangelus Accursius in cod. Ambr. (inde Mur. 96, 1), qui cum et huic simpliciter praescripserit 'Reate' contra consuetudinem in iis quae vidit semper fere observatam et in lectione a Iucundo nusquam fere recedat, omnino transscripsit ex Iucundo; Ligorius apud Mur. 96, 1; similis schedarum Metellanarum auctor apud Grut. 96, 7; schedae Pighianae adhibitae ad Gruteri ed. 2 pleniusque mihi e cod. Berol. mus., Ritschelio e codd. Leidensibus a Mehlero descriptae, quae omnia ex Iucundianis turpi mendacio deformata esse censeo; Aldus Manutius Pauli f. in quaesitis per epist. p. 8 ed. pr. 1576 et in comm. ad Cic. de off. p. 104 ed. 1581 ex Iucundo omnino; Ursinus de fam. p. 289 ed. 1577, qui expressit Manutium; Fabricius antiq. ed. 1587 p. 161, qui Marsum, Lipsius auct. p. 32, qui Ursinum auctores laudant; Boissardus vol. 6 tab. 75, quem per Scaligerum a Marso habuisse Ritschelius vidit; Grut. 96, 7, qui Apianum, Ursinum, schedas Metelli citat; Mur. 96, 1 secutus schedas Ambrosianas citansque Ligorium et Antinoriana aliasque schedas variorum; Orell. 1862 ex Mur., ut mittam catalectorum editores Scaligerum Pithoeum Burmannum (1, 34, adhibitis Pighianis Heinsianisque schedis) Meyerum (n. 591), item Reatinarum rerum scriptores posteriores Angellottum et Schenardium, apud quorum nullum nova subsidia reperiuntur. Erravit igitur Ritschelius, id quod ipse nuper palam professus est, ad hunc titulum tractandum inde vel maxime profectus, quod de lapidis scriptura propter plurium exemplorum consensum satis constaret. Imo cum in eo innitamur unico exemplo non sine doctrina quidem nec neglegenter ut videtur excepto, sed interpolationis suspitioni obnoxio, longe secus iudicandum est de crisis fundamento estque in coniectando magis res posita quam in interpretando.

Variam lectionem dedi Marsi, Iucundi Veronensis, Accursii, Apiani, Victorini, Angelotti Graeviani, spreta reliqua, quam inutilem esse supra demonstravi. — 1 SANCTE Acc. Vict. Aug., SANCTAE Iuc.; Marsus non refert, etsi simile quid in exemplo se habuisse indicat. Lectio SANCTO FIDIO SENI (voluit SEMI) PATRI, quam primum apud Apianum reperi, aperte fluxit ex interpretatione Pomponiana, quem hunc titulum propter praescriptum SANCTE ad deum Sancum vel ut tum scribebant Sanctum rettulisse ex commentario Marsi elucet. Mihi SANCTE vocativus est neque quicquam deesse puto. — 2 TIBIEI Ap., TIBI Vict. — *mūmius* Mars., quod tuentur tituli reliqui; MVNIVS Iuc. Ap. Acc., MAMIVS, superscripto MVNIVS Vict., MVINVS Aug. err. typ. pro MVNIVS, ut ex commentario patet. — 3 ANTIQVIS Vict. — QVOD ante DARE inseri iussit Ritschelius, maxime ut hiatus evitetur. Mihi error videtur latere in PRO VSVRA, pro quo restitui PROMISERAT. — 4 IVSSVM Ap. — 5 COGENDEI Iuc. Acc. Vict. Aug., COLENDEI Ap., COGENDA Mars. — AC ante DISSOLVENDEI inserit Mur. contra Acc. ms. — FAXEIS Mars. Vict. Aug. — Hunc versum corruptum esse et metrum declarat et sententia, quam praeterea facile assequimur; precatur enim imperator, ut praedam universam cogat neque inde quicquam apud se aliumve casu dolove extra decimationem maneat (quo pertinent Livii verba 5, 23: *haud facile inibatur ratio iubendi referre praedam populum, ut ex ea pars debita in sacrum secerneretur*), deinde ut decimam partem iuste dissolvat. Quare pro FACILIA quaerendum est vocabulum, quale est *compotem* vel *damnatem* vel *potitum* vel *facultatem*; sed nullum inveni et sententiae et versui et litterarum vestigiis satis aptum. Ceterum nuper Bernaysio suadente proposuit Ritschelius (mus. Rhen. nov. 14, 398, cf. 8, 491): *tua(m) pace(m) rogans te cogendei dissolvendei*, ut genetivi pendeant a *pace*; quod mihi nequaquam probatur. — 7 PROQ. Ap. PROPTER Mars. — ALIEIS Mars. Acc., ALIAIS Iuc. Ap., ALIIS Vict. — DONEIS Mars., DONIS Iuc. Ap. Vict. Aug., DONIS Acc. — CVNCTA pro DIGNA Mars. — Itaque sic fere procedet ad Herculem Victorem adlocutio:

Sancte!

De decuma, Victor, tibei Luciu' Mummiu' donum
Moribus antiqueis *promiserat* hoc dare sese.
Visum animo suo perfecit, tua pace rogans te
Cogendei dissolvendei tu ut —◡◡ faxseis,
Perficias decumam ut faciat verae rationis,
Proque hoc atque alieis doneis des digna merenti.

543 binae inscriptiones iisdem verbis inter rudera Trebulanae coloniae totidem basibus consignatae, super quibus bina signa elaboratissimae industriae stetisse observavi iam humi iacentia, quae olim Graecorum quorundam heroum imagines prae se tulisse puto, ut scalpturae elegantia et paludamenta non Romano more super dextrum humerum, sed Graecanico super sinistrum fibula comprehensa demonstrant. Utramque statuam laceram quamvis brachiis et cruribus abscissis et capite deperdito Io. Bapt. Michaelius S. Victoriae Trebulanae martyris abbas cardinali Carpineo dono dedit Romamque advehi curavit, quarum altera modo M. Aurelii Pii f., altera P. Septimii Severi personas gerunt. *Fabrett.* '*repetée en deux endroits de la même manière, l'une pierre dans une porte de Monteleone, l'autre dans une métairie à S. Victoire. Elles sont d'une même forme d'une sorte de piédestal plus large que haut.* *Chaupy.*

L · MVMMIVS · COS u. c. 608.
VICO

Fabretti 400, 293 (cf. err. typ.); Chaupy *maison d'Horace* 3, 93; Martelli *lettera al sig. Dragonetti* Cicoli 1831 p. 2 et Sic. n. 79; Orell. 564.

Trebula Mutuesca postea in municipii ius relata (v. Henzen n. 7207; Strab. 5, 3, 1 p. 228 Cas.) Mummii aetate adhuc vicus fuit.

544 in S. Antonii villae Pedis Ripae in agro Nursino.

L · MVMMIVS u. c. 608.
COS · DED N

Mur. 288, 1 ab Hyacintho Mannio iurisconsulto Romano.

1 MVMIVS Mur., unde nihil sequitur nisi Mannium exemplum misisse minusculis solitisque cum notis perscriptum. — 2 id est *ded(it) N(ursinis)*.

545 Parmae in theatro rep. '*Fu trovata quasi nell' estremità della parte sinistra della scena, sembra segata o tagliata nella parte superiore rasente le lettere e nel destro lato; nella parte inferiore vedesi un foro rotondo pel qual si direbbe fosse passato un perno; è di pietra tenera di Vicenza della cava di Costozza, rotta in quattro pezzi, ed ha 67 centim. di altezza, 41 di larghezza, ed 8 di grossezza*'. *Lopez.*

L · M V M M I V S u. c. 608.
C O S · P·P

Ritschl tab. LIV D ex lapide. Lopez *Bullett.* 1844 p. 174 cf. 1845 p. 47 (inde Henzen n. 5349).

Lapis quamquam circumsectus est, tamen inscriptio integra videtur mansisse vel certe non periisse nisi v. 1 extr. L · F. Litterae Augusteae aetatis cum videantur esse, in theatri instauratione donarii eximii basis vetusta abiecta est novaque supposita.

Id est *populo Parmensi*. Nam Borghesio quod olim placuit: *L. Mummius ..... [praefectus fabrum] co(n)s(ulis), p(rimus) p(ilus)* ......, reliquorum titulorum Mummianorum collatione redarguitur.

546 tabella marmorea exigua, quam in ruinis Italicae Santiponcii non longe a Sevilla reperit c. a. 1835—1839 *Cortina*. Hodie extat Sevillae in museo, sed imminuta.

*l. mumm*IVS · L · F · IMP u. c. 608.
*ded. co*RINTHO · CAPTA
*vico ital*ICENSI

Ivo de la Cortina *antiguedades de Italica* 1840. Descripsit quod superest iis quae litteris inclinatis expressimus ex Cortina additis Huebnerus.

1 LIVS Cortina. — L · F · IMP Huebner.

Italicam Scipio Africanus maior condidit c. a. u. c. 549 teste Appiano (Hisp. 38): *ὁ Σκιπίων συνῴκισε τοὺς τραυματίας ἐς πόλιν, ἣν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας Ἰταλικὴν ἐκάλεσε.* Hac ratione constitutus vicus quin inde ab origine civium Romanorum fuerit dubium non est idque confirmant et nummi liberae reipublicae aetate Italicae percussi nulli et tribus Sergia (Orell. 5202), cum reliqui Hispani in Galeria fere censerentur, et municipii (civium Romanorum scilicet) condicio, quam ad Hadrianum usque obtinuit, postea in coloniae ius mutata (Gell. 16, 13). Quam ob rem L. Mummius cum toti Italiae ex manubiis dona daret, recte hos extra Italiam degentes togatos homines non praeteriit. Ceterum basem hanc item ac praecedentem patet restitutam esse aetate posteriore.

547 in lapide praegrandi et rudi. '*Trovata a piè dell' erta del monte Venda, che è il più alto degli Euganei, dalla parte meridionale che gira all' oriente in un curvo seno della scesa della sua larga base accosto ad un boschetto sul sinistro margine della via*' *Alessi* similiterque *Orsato*. Lapis cum de loco antiquo decidisset, perlatus est ad Alessium, deinde in museum Estense inlatus.

a. exemplum antiquius

////////S Q F · PRO · COS
TERMINOS · FINISQVE EX
SENATI · CONSVLTO · STATVI
IOVSIT · INTER · ATESTINOS
5 ET · PATAVINOS

b. exemplum recentius

L · CAEICILIVS · Q · F · PR 613? 638??
O · COS EXTERMINOS
FINISQVE · EX · SENATI
CONSVLTO STATVI · IVSIT
10 INTER · ATESTINOS
PATAVINOSQVE

Ritschl tab. LVIII A *a. b.* ad lapidem. Ed. Orsato mon. Pat. 1678 p. 31 (inde Mur. 473, 1) omisso titulo superiore, utrumque Alessi Este p. 83, item Furlanetto et *Bullett.* 1833 p. 103 (ubi Borghesius titulum tractavit) et *lap. Est.* p. 29 et *lap. Pat.* p. 78 n. 87 tab. XIII *a* (inde Ritschl tab. LVII A). Henzen 5114.

Orsati lectionem omisi. — 1 co*l* Alessi. — 2 extr. x in tabula non apparet. — 3 STATV*I* Alessi. — 7 EX quadratarius delevit.

548 columnae duae, quarum minor olim superposita fuit maiori eius rei causa incavatae; repertae sunt m. Iun. 1837 in colle Euganeo q. d. *Téolo*. Extat in museo Patavino.

a. in columna minore superiore

SENATI O LTOS
IVSIT

b. in columna maiore inferiore

L · CAICILIVS · Q · F 613? 638??
PRO · COS
TERMINOS
FINISQVE · EX
5 SENATI · CONSOLTO
STATVI · IVSIT · INTER
PATAVINOS
ET · ATESTINOS

Ritschl tab. LVIII C. B ad lapidem. Furlanetto *Bullett.* 1837 p. 186 sq. et *lap. Pat.* p. 78 n. 82 tab. XIII, 1. 2. 3, (inde Ritschl tab. LVII B. C). Henzen 5115. Ipse descripsi columnam minorem, quae paullo minus plena est apud Furlanettum Ritscheliumque.

L. Caecilii Q. f. duo in fastis consularibus reperiuntur, Metellus Calvus a. 612, quem Q. f. fuisse probant Val. Max. 8, 5, 1 et Plinius h. n. 7, 44, 142 inter se collati, et Metellus Diadematus a. 637. Uter horum fines statuerit inter Atestinos et Patavinos, certa ratione diiudicari nequit, cum praesertim neutrum extra Italiam provinciam sortitum esse tradatur. Nam Calvum in Italia mansisse fere constat, cum collega eius Q. Maximus in Hispaniam profectus sit, alter vero ex consulibus per illos annos in Italia retineri soleret. De collegio a. 637 parum certa memoria superest, videntur tamen consules ambo L. Metellus et Q. Mucius Italiam provinciam obtinuisse. Quod superioris anni consul Q. Marcius Rex a. d. III non. Dec. a. 637 triumphavit de Liguribus Stoenis, recte omnino Borghesius (*Bullett.* 1833 p. 102) inde collegit ad mensem fere Novembrem a. 637 Galliam Italiamque eum obtinuisse, nec tamen ita excluditur Metellus; quid enim impedit quominus anno suo exeunte in provincia Italia Regi successerit eamque pro consule a. 638 obtinuerit? Quare libera optio est inter a. 613 et a. 638, nisi quod similitudinem, quae intercedit inter hos titulos et n. 549 de finibus inter Atestinos Vicetinosque regendis a. 619 conscriptum, pro priore anno facere iure observavit Borghesius. Denique clarissimae stirpis cognomen omissum sermonisque proprietas universa huic anno favet; quamquam talibus argumentis inter consules quinque et viginti annorum intervallo separatos lis vix potest certa ratione diiudicari.

---

549 in villa Lobiae agri Coloniensis, quae est in confinio agri Vincentini *Iuc.*; apud villam la Labia (Lobiano *Sar.*) Leonicum versus *Apian. Sar.*; Leonici apud Thienaeos *Trinag.*; Leonico ex dono comitis Hipp. Bevilacqua illata in mus. Veronense *Maff.*

SEX · ATILIVS · M · F · SARANVS · PROCOS a. c. 619.
EX · SENATI CONSVLTO
INTER · ATESTINOS · ET · VEICETINOS
FINIS · TERMINOSQVE · STATVI · IVSIT ·

Ritschl tab. LV B. Habent Iucundus cod. Ver. f. 200; Apian. 330, 2; Ursinus de famil. p. 33; Panvin. fast. ad a. 618; Manut. orth. 779, 3; Grut. 198, 6 ex Panv. et Ap.; Maffei Ver. p. 50 inscr. n. 49 = M. V. 108, 1; Mur. 471, 5 ex Maff.; item scriptores Vicentini, ut Trinagius F 2; Patavini Atestinive ut Scardeonius p. 82, Ursatus 1678 p. 30, Alessi p. 79 aere expressam, Furlanetto p. 81 n. 83; Veronenses denique ut Sarayna f. 44 a, ut alios mittam. Orell. 3110.

Saranus, id est *Sarranus* legitur apud antiquiores omnes, scilicet et in titulo antiquissimo supra n. 42 relato et in hoc nostro et in nummis saeculi sexti n. 261. 262; nec dubium quin in cognomine idem significet quod praeterea significare solet Tyrium. Nam quos citavit Perizonius (animadv. c. I p. 33) *Sarranates* Umbriae, iam boni codices Pliniani (h. n. 3, 13, 114) *Sarsenates* potius appellandos esse docuerunt. Posteriore aetate quae sola obtinuit *Serrani* forma non reperitur opinor ante Ciceronem (cf. pro Sex. Roscio 18, 50; pro Sest. 33, 72) videturque coniuncta esse haec cognominis mutatio cum fabella illa de C. Atilio, quem consulem designatum quaerentes nuntii invenerint semen spargentem; certe tabulae Capitolinae ex suae aetatis consuetudine magis quam antiquis fastis auctoribus consules a. 584. 618 Serranos, non Serranos dixerunt.

550 in tabula lap. calcarei alta 1. 22 metr., lata (in media ut videtur parte) 0. 65 metr.; superne plus quam metrum lata inferius angustior in cuspidem desinit solo infigendam (v. tabula *a*). Reperta est a. 1844 prope Hadriam ad Padum *nel prato così detto della Fiera*; extat ibidem in museo Bocchi.

P·POPILLIVS·C·F
COS — u. c. 622.
⊥XXXI

Ritschl tab. LIV A*a* ad lapidem. Ed. Devit *le antiche lap. Rom. della provincia del Polesine* (Venezia 1853. 8) p. 11 sq. — Tractavi ego *Rhein. Mus. N. F.* 10, 141—148. Henzen n. 7414 *bb*.

v. 1. I prior eminet apud Devitum; quod casu factum esse ectypo diligenter considerato testatur Ritschelius.

Cuiusnam consulis sit dubitari nequit, cum unus ita dictus in fastis reperiatur; neque hunc lapidem restitutum suspicari licet propter formam admodum singularem alterique eiusdem consulis simillimam. Eiusdem formae lapides miliarios omnium vetustissimos columnisque quibuslibet antiquiores esse existimo; nam qui obstant tituli n. 535—537. 540 aut probabile est aut certe nihil impedit quominus restituti sint, nec crediderim columna semel reperta quemquam amplius viarios titulos proposuisse in tabella. Accedunt quae leguntur in titulo sequente verba *miliarios tabelariosque poseivei*, quae videntur indicare rem novam tum et recens repertam. — Via ad quam hic cippus pertinuit, est littoralis Arimino Hadriam et fortasse inde Aquileiam; nam Arimino Hadriam numerantur milia fere LXXX. Accuratius de ea via dixi in museo Rhenano loco indicato, quae hic repetere non placet.

551 Pollae in valle Tegianensi *(val di Diano)* in Lucania in caupona ad viam regiam *vidi ego* eodemque redeunt antiquiores indicationes: Tegeani *Pont.*, nempe in valle Tegeanensi; Pollae in caupona *Grut. Holst. Gualter.*, qui repertam ait in villa S. Petri proxima; in principatu (citeriore) ad basim *Apian. Waelsc.* f. 4. Sub Atina repertum esse lapidem Atinates quidam mihi affirmaverunt argumentis additis nullis. Omnino ex quo lapis innotuit, semper visus est Pollae.

p. popilius c. f. cos — u. c. 622.

VIAM·FECEI·AB·REGIO·AD·CAΓVAM·ET
IN·EA·VIA·ΓONTEIS·OMNEIS·MILIARIOS
TABELARIOSQVE·ΓOSEIVEI·HINCE·SVNT
NOVCERIAM·MEILIA·⊥I·CAΓVAM·XXCIIII
MVRANVM·⊥XXIIII·COSENTIAM·CXXIII
VALENTIAM·C⊥XXX*!*· AD·FRETVM·AD
STATVAM·CCXXXI*!*·REGIVM·CCXXXVII
SVMA·AF·CAΓVA·REGIVM·MEILIA·CCC
ET·EIDEM·ΓRAETOR·IN [XXI*!*
SICILIA·FVGITEIVOS·ITALICORVM
CONQVAEISIVEI·REDIDEIQVE
HOMINES·IↃCCCCXVII· EIDEMQVE
ΓRIMVS·FECEI·VT·DE·AGRO·ΓOΓLICO
ARATORIBVS·CEDERENT·ΓAASTORES
FORVM·AEDISQVE·ΓOΓLICAS·HEIC·FECEI

Ritschl tab. LI B ad lapidem; id ipsum ectypum proposuit idem in *monum. epigraph. tribus* Berol. 1852 p. 3 sq. Edidi post alios plurimos Orelliumque n. 3308 a me descriptam I. N. 6276, ubi auctorum dedi recensum.

6. 7. 9 apparet errorem in milibus Cosentia Valentiam numerandis commissum itaque etiam ad sequentes numeros propagatum postea a lapicida emendatum esse sublatis I singulis pluribusve. — 9 PRAETOR et ego ex lapide excepi et ita dederunt priores omnes neque aliter tabula Ritschelii. Nuper tamen idem in commentario ad legem Antoniam p. VI sic ait: 'Denuo scrupulose examinato ectypo chartaceo inter E et T litteras paullo maiore praeter solitum intervallo disiunctas visum est simulacrum I litterae apparere, non id tam certum et apertum ut dubitationem non admittat, sed idem non tam nihili quidem, ut si PRAEITOR edidissemus aliquam culpam mereremur.' Mihi idem ectypum data opera examinanti littera illa magis visa est nulla esse; praeterea aliquid dandum est summo consensui eorum, qui ipsum lapidem viderunt et cum cura descripserunt probe et alte incisum neque in tali re tam facile fallentem quam fallit charta non repraesentans nisi superficiem solam.

Magistratus nomen deest lapide integro videturque fuisse in alio lapide epistylio fortasse litteris maioribus incisum. Celsus Cittadinus (*della vulg. lingua* f. 28r.) coniectura rettulit ad proconsulem Siciliae a. 654 M'. Aquillium eamque ob causam alteri exemplorum duorum, quae huius tituli leguntur in codice Celsino Veneto, p. 2 praescripsit: M'·AQVILLIVS·M'·F·GALLVS (cognomine temere petito ex Liv. 41, 15 al.); pessime, nam hic cuius est titulus, Siciliam administravit praetor, non pro consule. Nec tamen id plerosque deterruit, quominus interpolationem illam temere admitterent. Contra recte vidit Mannertus (Geogr. 9, 2, 146), cum lapis Pollae repertus sit, quod testibus Peutingeriana tabula et geographo Ravennate olim fuit forum Popillii, cumque in eo legatur ad finem: *forum aedisque poplicas heic fecei* (cf. Fest. ep. p. 84: *forum .... negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Iulium ab eorum nominibus qui ea fora constituenda curarunt*), superscriptum fuisse olim nomen Popillii cuiusdam praetoris, eius fortasse qui consul fuerit a. 622. Coniecturam eam certiore ratiocinatione persecuti Ritschelius egoque ipse in litteris ad Ritschelium datis (v. huius *monum. epigraph. tria* p. 10—14) titulum vere pertinere probavimus ad consulem a. 622. Quae argumenta titulique explicationem tum a me prolatam hoc loco breviter repetam. — Consulem fuisse, qui viam fecerit, ex antithesi v. 9 *et eidem praetor — conquaesivei* recte assecutus est Ritschelius; accedit quod viam in Italia a praetore factam nullam novimus et praeter Appiam censoriam fuerunt omnes et nomine et re consulares. Consules Popillii praeter antiquissimos quosdam, de quibus quominus cogitemus et Siciliae provinciae commemoratio et sermonis ratio impediunt, itemque consulem a. 615, quem Hispaniam provinciam sortitum esse constat, non fuerunt nisi a. 581. 582. 596. 622, quos in Italia vel cis Alpes magistratum gessisse aut constet aut certe quominus statuamus nihil obstet. Consuli autem a. 622 ut titulum attribuamus, cogunt verba *eidemque primus fecei, ut de agro poplico aratoribus cederent paastores* pertinentia ad legem Semproniam agrariam a. 621 latam. Cum enim antiquo iure liceret agro publico quacunque ratione uti intra D iugerum modum eumque ipsum modum potentiores fere non servarent, Ti. Gracchus legem tulit, ut agri supra legitimum modum occupati possessoribus adimerentur et vectigali imposito civibus adsignarentur agri colendi causa (v. supra p. 88. 89); quod Graccho interfecto item servatum est perfectumque per consules, quorum erat in agro publico summa iurisdictio (v. p. 94 ad l. agr. v. 33), adiuvantibus fortasse III viris agrariis Gracchanis. Quam ob rem cum lex haec lata a. 621 primum effectum habere potuerit anno sequente eoque ipso P. Popillius C. f. consul fuerit, iam apparet quinam primus fecerit, ut de agro publico pastores cederent aratoribus. Unde constat titulum Pollanum positum esse a consule anni 622 P. Popillio C. f. Laenate. Quocum reliqua omnia argumenta egregie conspirant. Primum in Sicilia qui praetor fuit c. a. 619, non bellum quidem habuit in provincia, sed habuit eum statum, quem bellum prae-

cessisse Diodorus narrat p. 526 Wess.: οἱ πλείους (servorum, per quos in Sicilia divites homines agrum pascuave administrabant) ἀπὸ λῃστείας τὸ ζῆν ἐπορίζοντο καὶ μεστὰ φόνων ἦν ἅπαντα, καθάπερ στρατευμάτων διεσπαρμένων τῶν λῃστῶν· οἱ δὲ στρατηγοὶ κωλύειν μὲν ἐπεχείρουν, κολάζειν δὲ οὐ τολμῶντες διὰ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸ βάρος τῶν κυρίων οἳ ἐδέσποζον τῶν λῃστῶν ἠναγκάζοντο περιορᾶν λῃστευομένην τὴν ἐπαρχίαν· οἱ πλεῖστοι γὰρ τῶν κτητόρων ἱππεῖς ὄντες τῶν Ῥωμαίων καὶ κριταὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἐπαρχιῶν κατηγορουμένοις στρατηγοῖς γινόμενοι, φοβεροὶ τοῖς ἄρχουσιν ὑπῆρχον. Quorum praetorum e numero P. Popillius hic fuit, qui latrones coercere conatus expeditione in eos suscepta captisque hominibus ad mille ausus non est in eos animadvertere, sed tanquam mere fugitivos eos Italicis dominis reddidit, unde hoc loco sibi tribuit laudes dupliciter turpes et fortitudinis et clementiae. Italicos recte dixit, qui ante leges Iuliam et Plautiam alii cives Romani essent, alii ex Latio, aratores Siculos et pecuarios; quamquam similiter etiam postea locuti sunt. Denique sermonis ratio huic aetati optime convenit. — Quae omnia confirmavit postea repertus lapis miliarius Hadrianus n. 550 eiusdem Popillii, unde viarum in Italia curam eum egisse apparuit cuiusque praeterea formam ad tabellam accedentem cum hoc nostro titulo mire conspirare supra adnotatum est. — Ad viam quod attinet, quam Capua Regium se fecisse P. Popillius scribit, repetam hoc loco quod in inscriptionibus olim proposui schema lapidis cum itinerario Antoniniano tabulaque Peutingeriana et geographo Ravennate compositum.

lapis:	*tab. Peut.:*	*geogr. Rav.:*	*itin.:*	
Capua	Capuae	Capua	Capua	
	VIIII			
	Suessula	Suessulus, Suessula	XXI	
	VIIII			
XXXIII	Nola	Nola	Nola	
	V			
	ad Teglanum		XVI	
	VIIII			
Nuceria	Nuceria	Nuceria Constantia	Nuceria	
	VIII			
	Salerno		Salernum XXV	
	XII			
	Icentiae	Picentia		
	VIIII			
LI	Silarum fl.	Silaron	ad Tanarum (*scr.* ad Calorem)	
	VIIII			
	Nares Lucanas	Nares Lucanis		
	VIIII			
	Acerronia	Aceronia	XXIV	
	V			
[Forum Popilii]	Foro Popili	Foro Populi	ad Calorem (*scr.* ad Tanarum)	
	XVI ?			
			XXV (*scr.* XV)	
	vico Mendicoleo	vico Mendilegio	in Marcelliana	
			XXI	
LXXIV			Caesariana	
	XXVI ?		XXIII	
	Nerulos	Nerbulos	Nerulo	
	XXVIII ?		XVI (XIV)	
Muranum	Nteramnio	Interamnium	Summurano	
	VIII ?		XXI	
	Caprasia	Capratia	Caprasis	
XLIX	XXVI ?			
	Crater fl.	Cratia	XXVIII	
	XVIII ?			
Cosentia	Contentia	Consentia	Consentia	
	XX		XVIII	
	Temsa	Terisa	ad fl. Sabatum	
	XI		XVIII	
LVII	aque Ange	aquae Anatiae	ad turris	XIII
	VIII (*scr.* XVIII)		XXI	ad fl.
	Annicia	Angila		Angitula
	...			
Valentia	Vibona Balentia	Vivona Balentia	Vibona	XXV
			XVIII	
	XXIII			
LI	Tauriana	Tauriana	Nicotera	
	XII		XXIV	
	Arciade	Arciades	ad Mallias	
	XII		XIV	
ad fretum	....	columna	ad columnam	
ad statuam	XVII	Regia		
VI				
Regium	Regio	Regio Iullis		

552 *rozza colonnetta di travertino dell' altezza di 4 palmi circa, trovata parecchi anni sono sul lato destro di S. Angelo in Formis in piedi di quel monte e propriamente nel luogo detto il Calcarone, fondo di Pompeo Sanò.*

in vertice columnae:



in columnae latere:

C · SeMPR*onius ti f grac*
AP · CLAVDIVS · C · F · POLC u. c. 622/3.
P · LICINIVS · P · F · CRAS
III · VIR · A · I · A

Gabr. Jannelli *Bull. Nap. nuovo* 6, 162. Alterum exemplum per Henzenum misit Minervinius idemque Ritschelio ectypum subministravit.

Inscriptionem in vertice positam sic ut supra dedi excepit Ritschelius, recte omnino; Jannellius et paullum deformavit litteras reliquas et K non agnovit. — 1 *sempro*NIVS Jannelli.

553 '*sotto Sala alla via consolare, contrada Barro, sotto al casino de' Sabini verso Padula*' *Brunn.* in agro Salano *Gatta.*

Gatta:	*Brunn:*	
AΓ · CLAVD	/////////////	u. c. 622/3.
Γ · LICINIVS	////INI////	
III · VIR · A · I · A	III · VIR · A///	
· · · · · · · · ·		

Vidit Brunnius. Ed. Gatta p. 90, inde Mur. 689, 8 et I. N. 275.

554 columna parva rotunda lapidis epichorii rep. in agro Aeclanensi in territorio Roccae S. Felicis in loco qui dicitur *Costa Diana* ad orientem lacus mephitici, extat in aedibus Santolianis.

in vertice columnae:




in columnae latere:

M · FOLVIVS · M · F · *fl*AC u. c. 624/5.
C · SEMPRONIVS · TI · F · GRAC
C · PAPERIVS · C · F · CARB
III · VIRE · A · I · A

Ritschl tab. LV C *a b*. Descripsit Brunnius (inde Henzen 6464). Ed. Santoli de vallibus Anxanti p. 67, inde I. N. 1094.

Verticem edidi ut descripsit Brunnius, a quo tabula non multum recedit. Santoli sic fere exhibuit



555 columna similis rep. in loco non multum distante q. d. *le sterpaje* ibidemque adservata.

in vertice columnae:



in columnae latere:

M · FOLVIVS · M · F · FLA*c* u. c. 624/5.
C · SEMPRONIVS · TI · F G*rac*
C · PAPERIVS · C · F · CARB
III · VIRE · A · I · A

Ritschl tab. LV D *a b*. Descripsit Brunn (inde Henzen 6464). Ed. Santoli l. c. (inde I. N. 1094), qui ad hanc inscriptionem verticem sequentem adiunxit, huius vertice omisso.

Verticem dedi ut descripsit Brunnius; tabula in parte vacua F pingit, in parte prima scripta MI....

556 columnae similis pars superior ibidem adservata.

in vertice columnae:



in latere inscriptio quae fuit hodie deest.

Ritschl tab. LV E. Descripsit Brunn. (inde Henzen 6464). Ed. Santoli l. c. (vide n. 555), inde I. N. 1094.

Santoli in parte secunda VE, in parte tertia hic vacua TIVS.

Termini hi (ita enim dicuntur n. 583) ii ipsi sunt quos sic describit liber colon. p. 242: *triumvirales lapides Graccani rotundi columniaci in capite diametrum pedem unum et semis, altus ped. IIII et IIIIS.* Quid indicent ut recte intellegatur, primum hoc tenendum est terminationem cum limitatione ita coniunctam esse, ut limitatio sine terminatione non facile procedat, contra saepe termini statuantur in agro non centuriando, maxime ad agrum publicum a privato determinandum. Luculentum eius rei exemplum praebet Minuciorum sententia a. 637 (supra p. 72), in qua arbitri finibus factis terminos statui iubent inter agrum publicum Genuatium et privatum castellanorum. Terminatio igitur et centuriatio quamquam coniunctae tamen diversae sunt estque illa arbitri fines regentis, haec magistratus populi iussu agros dividentis plerumque ob donationem futuram. Quibus positis iam videndum est de officio triumvirum lege Sempronia (sic dicuntur in lege Rulli Cic. de l. agr. 2, 12, 31) mira diversitate expresso, de quo supra p. 47 data opera nos disputaturos recepimus. Leges enim et Bantina v. 15 et repetundarum v. 13. 16. 22 et agraria v. 15 omnes scribunt de triumviris A · D · A; contra in terminis vere Gracchanis qui supersunt quattuor n. 552. 553. 554. 555 dicuntur tresviri A · I · A, denique in quinto restituto n. 583 tresviri A · D · A · I. Ex his singularibus litteris alteram A · sive interpretabere *adsignandis*, quod vulgo fieri video neque improbo, sive propter Orellianam 3138, in qua nominatur X vir quidam AGR · DAND · ADTR · IVD ·, magis tibi placebit explicare *adtribuendis*, certe inter legum tresviros terminorumque hoc interest, quod ab illis indicatio abest, in his adest. Iam cum constet Livio (ep. 58) teste Ti. Gracchum triumviris ex lege sua agraria ad agrum dividendum creatis promulgasse legem agrariam alteram *ut iidem triumviri iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset*, ut aetate imperatorum praeter *curatores aedium sacrarum et operum locorumque publicorum* inveniuntur etiam quamquam multo rarius *curatores locorum publicorum iudicandorum* (cf. Marini Arv. p. 773; Borghesi *Burbuleio* p. 63), ita tresviri lege Sempronia facti duplex munus sustinuerunt cum agrorum dandorum tum agrorum iudicandorum et ex iudicato adiudicandorum, quorum illud in legibus, in terminis hoc obtinet; coniunxitque utrumque terminus restitutus a M. Lucullo, quocum fere convenit Plutarchus (Ti. Gracch. 13: τρεῖς ἄνδρες ἐπὶ τὴν διάκρισιν καὶ διανομήν). Neque id sine causa videtur factum esse. Leges praetulerunt officium et tempore prius et longe gravius et diuturnius; iudicationem enim tresviri amiserunt a. u. c. 625 (Appian. b. c. 1, 19), dationem retinuerunt ad annum fere 636. Contra termini Gracchani non minus quam Minuciani ex iudicatione originem traxerunt positique sunt causa cognita sententiaque de ea re lata ad determinandum secundum eam sententiam a privatorum agro agrum publicum; itaque recte se habet quod tresviri in terminis A · I · A · appellari se satis habuerunt. Quare erraverunt viri docti erravique non minus et ipse,

cum terminis his Gracchanis fines inter territoria signatos esse putabamus; omnino neque eo pertinent nec quidquam commune habent cum coloniis reliquisve adsignationibus triumvirum Gracchanorum, sed hoc solum inde efficitur iis locis ubi reperti sunt confinia fuisse inter agrum publicum Romanorum agrumque aliquem privatum. Iam apparet cur quae in verticibus leguntur, quamquam ex eo genere sunt, de quo exponit Hyginus p. 171, tamen in solo Campano termino n. 552 conveniant in eam quam ibi proponit decimanorum cardinumque verticibus inscriptam formam. Agrum Campanum enim III viri Gracchani non tantum terminaverunt, sed etiam limitaverunt aut locationis causa aut quod de colonia eo deducenda iam eo tempore cogitabatur, quamquam legem de ea re tulit demum C. Gracchus in tribunatu secundo (v. p. 87). Reliquae eorundem columellae non pertinent ad agrum limitatum, sed aliud quid in vertice inscriptum est; denique quod in Aeclanensi tertia n. 556 ceteris minus corrupta legitur FPVET facile explicatur *fundus possessoris veteris*, similisque formula in reliquis quoque videtur fuisse. Nam non putarim eius modi litteras singulares has esse, de quibus exponit gromaticus nescio qui p. 353, in quibus explicandis sane frustra laboraremus. Hoc addo quod scribit Hyginus l. c. in verticibus terminorum quartam portionem clusarem ab inscriptione vacare solere, id in plerisque horum ita esse. — Ceterum tres viri ex lege Sempronia etsi iure annui (v. p. 47) tamen ex consuetudine Romana ita in officio retenti videntur esse, ut quotannis iidem homines crearentur nec nisi in demortuorum locum alii succederent. Creati autem sunt primi a. u. c. 621 Ti. et C. Gracchi et Ap. Claudius cos. 611 (Liv. ep. 58. Vell. 2, 2. App. b. c. 1, 13. Plut. Ti. Gracch. 13). Necato eodem anno Tiberio suffectus est in eius locum P. Licinius Crassus qui consul fuit a. 623 (Plut. Ti. Gracch. 21); quo interempto in Asia a. 624 ineunte mortuoque eodem fere ut videtur tempore Ap. Claudio (Cic. de rep. 1, 19, 31) in collegium venerunt M. Fulvius Flaccus cos. 629 et C. Papirius Carbo cos. 634 (App. b. c. 1, 18), quos ei rei una cum C. Graccho praefuisse credendum est usque ad huius mortem a. u. c. 633, nec diu postea collegium permansit. Unde Campanum et Salanum lapides n. 552. 553 annis vel 622 vel 623 adscribendos esse apparet, Aeclanenses vero a. 624 vel summum 625, si quidem recte posuimus a. 625 iudicationem triumviris ereptam esse.

557 in lapide magno rotundo ad fontem extra oppidum Guzelhissar, ubi Tralles fuerunt, versus pagum Omerbeili.

traditur:	*lege:*	
M/	M' · *aquilius m'. f.*	625/8
CL	C*os*	
X . . . VIII	X*x*VIII*i*	
ΜΑΝϽΣΑΚΥΑΙΟΣ	ΜΑΝ*ι*ΟΣ ΑΚΥ*λ*ΙΟΣ	
ΜΑΝϽΥ ΥΠΑΤΟ	ΜΑΝ*ι*ΟΥ ΥΠΑΤΟ*ς*	
ΡΩΜΑΙΩΝ	ΡΩΜΑΙΩΝ	
ΚΟ	Κϑ	
EAC	L · AQ*uillius m. f.*	
FLOR	FLOR*us*	
ΑΕΥΚΙΟ	*λ*ΕΥΚΙΟ*ς ακυλ*	
ΝΟΣΜ	*λι*ΟΣ Μ*αρκου* . . .	
ΤΑΝ	. . . .	

Egmond et Heyman *Reizen door Europa* cet. (Lugd. Bat. 1757) 1, 131, inde C. I. Gr. 2920; restituit Cavedonius *Bullett.* 1846 p. 187.

Recte Cavedonius tribuit cos. a. 625, qui Asiam provinciam primum ordinavit; alteri enim eius nominis consuli u. c. 653 Sicilia provincia obtigit, Acilios vero excludit scriptura Ἀκύλλιος. Denique insolitum ὕπατος Ῥωμαίων novi status auctori satis convenit. Miliarios lapides vel ea aetate extra Italiam statuisse Romanos mirum quidem est, sed etiam Polybius (3, 39) testatur ab Emporiis ad Massiliam item sua aetate miliarios lapides ab iisdem positos fuisse. L. Aquillius M. (?) f. Florus qui fuerit, non constat, quamquam noti sunt L. Aquillius Florus III vir monetalis imperante Augusto, quem a M'. Aquilliis cos. u. c. 625 et 653 oriundum esse nummi ostendunt, item ab hoc diversus L. Aquillius C. f. Pom. Florus Turcianus Gallus proconsul Achaiae eodem Augusto imperante (Orell. 6456*a*).

558 ante diversorium q. d. *Ponte Reale* III p. a Venafro Neapolim versus *Brunn.* Stetit igitur in via Latina Venafro Teanum, non, ut olim credidi, in via Venafro Aeserniam, quoniam Camposacci inter Venafrum et Aeserniam extare dixerat *Garruccius.*

L · CORNELIV u. c. 627.
S · L *f* · CINA · COS
//III

Ritschl tab. LVI A. Reperit Garruccius, ad cuius exemplum edidi I. N. 6243 (inde Henzen 5353). Denuo descripsit chartaque expressit Brunnius.

3 CIII Garruccius ex supplemento credo.

Eius nominis consules duo sunt in fastis, pater sine dubio et filius, L. Cornelius Cinna cos. 627 et L. Cornelius L. f. L. n. Cinna cos. 667—670. Illi potius adscribenda est cum propter consonantes non geminatas tum propterea quod filius totus occupatus in civilibus turbis vix viae muniendae vacavit.

559 Petrafittae *Ubertus*, qui locus ab Empolio D passus distat Florentiam versus. — In agro Florentino in coemeterio S. Michaelis a Luciano inter Malmantilem et Montem Lupum prope villam nobb. de Antinoris *Gori;* qui locus ab eo quem indicat Ubertus cum non distet nisi X fere m. p. columna quae fuit in loco *Pietrafitta* posteriore tempore ad villam Antinorianam videtur advecta esse. Florentiae in museo Antinoriorum *Targ. Donati.*

T · QVINCTIVS · T · F · u. c. 631 potius quam 604.
FLAMININVS
COS
PISAS *XXXII*

Ritschl tab. LVI B ad lapidem. Refertur titulus in charta Uberti archiepiscopi Pisani a. 1132—1138 (apud Ughellium Ital. sacra 3, 355) sic: *Fuit terminus inter nos et Florentinos qui Petrafitta vocatur, ubi in lapide marmoreo qui adhuc extat istae litterae habentur et adhuc vigent: Titus Flaminius et Titus Quintus consules Pisae milliario 32 hic posuerunt fines suae civitatis.* Ediderunt deinde eundem, ut videtur, Gori Etr. 2, 460 n. 84 (inde Mur. 739, 5) a Iosepho Brocchio acceptam, minus male 3, 175 n. 215 a Dominico Maria Mannio; Donat. 154, 3 q. v.; Targioni Tozzetti *viaggi in Toscana* 8, 275 ed. 1=9, 276 ed. 2.

4 XXXII praeter Ubertum nemo vidit.

Cum praeterea in viis Romanis milia numerentur ex capite viae, id est in Italia a Roma, praeter consuetudinem hic numerantur ad viae terminum. Numerus satis convenit; nam Pisis progredientem Florentiam versus post milia XXXII Romana sive hodierna XXVI pervenire passus fere M ultra oppidum Empoli observat Tozzettius *viaggi* 9, 274 ed. 2. — T. Quinctii T. f. Flaminini in fastis consularibus repeririuntur tres a. 556. 604. 631, quorum primus cum magistratu in Macedonia functus sit, viam in Italia munire non potuit. Uter duorum posteriorum lapidem posuerit, non constat; sed aetate Gracchana ubivis suscepta viarum publicarum cura iuniorem magis commendat, in quem etiam sermonis indoles cognomenque adscitum melius convenit.

560 in parva base ex lapide Albano litteris exilibus.

C · FANNI · M · F u. c. 632.
COS · DE
SENA · SEN
DEDIT

Ritschl tab. LVI c. Descripsit et explicavit Henzen *Bullett.* 1851 p. 150 (cf. p. 27), inscr. n. 5351.

Duo consules C. Fannii in fastis extant a. 593 et 632, quorum priorem cum dicant *C. f. C. n.* tabulae Capitolinae, cogitari non potest nisi de altero, qui consul fuit u. c. 632 cum Cn. Domitio Ahenobarbo. At idem hic *C. f.* dicitur a Cicerone in Bruto 26, 99 sic disserente: *Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii C. et M. filii fuerunt, quorum C. f., qui consul cum Domitio fuit, unam orationem . . . contra C. Gracchum reliquit . . . . . et causas defensitavit et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit. Alter autem C. Fannius M. f. C. Laeli gener et moribus et ipso genere dicendi durior. Is . . . . . . instituto Laeli Panaetium audiverat. Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest.* Aliquid tamen in his turbatum esse Cicero ipse confitetur ad Att. 12, 5, 3, qui locus sic recte legitur in codice Mediceo: *In Bruti epitoma Fannianorum scripsi quod erat in extremo, idque ego secutus hunc Fannium qui scripsit historiam generum esse scripseram Laelii; sed tu me γεωμετρικῶς refelleras; te autem nunc Brutus et Fannius. Ego tamen de bono auctore Hortensio sic acceperam ut apud Brutum est. Hunc igitur locum expedies.* Quod si colligimus quae de his Fanniis traduntur, haec fere sunt. A. u. c. 608 Fannius rerum scriptor cum Ti. Graccho in Africa meruit et inter primos in Carthaginis moenia ascendit (Plut. Ti. Gracch. 4). Fannius Laelii gener in Hispania sub Serviliano meruit a. u. c. 612 vel 613 (Appian. Hisp. 67). C. Fannium M. f. tr. pl. fuisse P. Africano L. Mummio censoribus a. u. c. 612 visus sibi est audisse Cicero, de anno Atticum consulens (ad Att. 16, 13*c* scripta a. 710); idem Cicero in Bruto duobus annis ante scriptam hanc epistulam edito eundem tribunatum P. Africani auctoritate gestum adscripserat C. Fannio C. f. Circa annum 626 vel paulo post *Φάνιος Μάρκου υἱὸς στρατηγὸς βουλὴν συνήγαγε*, ut Hyrcani legatis responsum daretur (Ioseph. ant. 13, 9, 2). C. Fannius consul factus a. u. c. 632 contra C. Gracchum orationem habuit. Denique C. Fannio M. f. (ut scribitur apud Cic. Brut. l. c. et Lael. 1, 3) Laelia maior nupsit ut minor Q. Scaevolae cos. a. u. c. 637. Quae eidem homini omnia optime conveniunt. Faciamus C. Fannium M. f. natum esse circa annum 580; meruit in Africa annos natus XXVIII, in Hispania annos natus XXXII, tribunus plebis factus est anno aetatis fere trigesimo tertio (nam non ipso a. 612, sed circa eum tribunus fuisse traditur), praetor sexto et quadragesimo, consul altero et quinquagesimo, quae omnia in hominem non nobilissimum recte quadrant. Unus obstat locus Ciceronis de rep. 1, 12, 18, ubi Scipio a. u. c. 625 salutare fingitur *C. Fannium et Q. Scaevolam generos Laelii doctos adulescentes iam aetate quaestorios*; nam sane Fannius tum praeturam petens minus proprie dicitur *iam quaestorius* nec recte refertur inter adulescentes. Putarim Atticum, cum legisset apud Ciceronem de duobus Fanniis, certis argumentis allatis amici errorem convicisse, scilicet C. Fannium Laelii generum non fuisse diversum a C. Fannio consule a. 632. Iam sive ipse Atticus ita scripserat sive tacente eo de praenominibus paternis ita sibi animo informarat Cicero, non duos C. Fannios fuisse C. et M. f. Cicero sibi persuasit, sed unum solum C. Fannium C. f. At redarguerunt id postea inventi Fanniani libri a Bruto in compendium redacti rerumque scriptorem fuisse ostenderunt non C., sed M. f. Quare denuo cum consuleret Cicero doctiorem amicum, hic vel respondit vel certe respondere debuit C. Fannium fuisse cum unicum tum M., non C. f. itaque sublato ficticio illo C. Fannio C. f. rem facile expediri.

561 rep. a. 1823 loco non antiquo in agro pagi S. Omèro *contrada di Vallorina* ad sepulcrum adhibita in colle iuxta viam.

L · CAECILI · Q · F
METellus coS u. c. 637 potius quam
CXIX u. c. 612.
ROMA

Ed. Palma Bull. 1833 p. 101, *storia degli Abruzzi* 1, 51. 5, 208, inde I. N. 6258, Henzen 5180.

Quod de terminis Atestinis n. 547. 548 dictum est, ad hunc quoque miliarium pertinet, scilicet aut Calvi esse consulis a. 612 aut Diademati consulis a. 637 parique iure huic vel illi tribui, nisi quod cognomen adiectum paulo magis commendat natu minorem. Borghesius (*Bull.* l. c.) ei L. Metello adscribit, cuius non sint termini Atestini, non recte ni fallor; Gallia enim provincia ante Sullam nulla fuit eoque tempore Italia vel tota vel pars eius consuli tribuebatur, ut idem magistratus et Ateste et ad Asculum officio potuerit fungi. Idem fere fecisse vidimus P. Popillium n. 550. 551. — De via, ad quam hic titulus pertinet, fortasse Salaria antiquiore, egi I. N. l. c. — Roma milia passuum numerari raro adicitur, sed non est sine exemplo; vide *Bullett.* 1835 p. 155 lapidem Pisanum.

562 Delphis in pariete amphitheatri *Cyr. Mur.*

Q · MINVCIVS · Q · F
RVFVS · LEG · APOLINEI c. a. 637?
*p*VTIO · MERITO

Cyriacus n. 208 = cod. Parm. f. 14 neque aliunde Mur. 23, 9 ex schedis suis. Inde sumpserunt Le Bas 2, 891 et Henzen 5700.

1 MINVCIVS Cyr. cod. Parm., MINCIVS Cyr. ed. — 2 APALINEI Cyr. cod. Parm., APOALINEI Cyr. ed., APOAINEI Mur. — KIVTIO quod traditur, ex ΓVTIO ortum est. Cf. Placidus p. 249 Mai: *Putium, Pythium Apolinem.* Idem video vidisse Cavedonium (*Bullett.* 1857, 95), qui citat PVTIa nummi Laodiceni (Eckhel 3, 320).

Nihil obstat quominus legatum hunc Q. Minucium Q. f. Rufum eundem putemus, qui de agro Genuate a. 637 cum M. fratre sententiam tulit. De legato simpliciter dicto cf. n. 605.

MAGISTRORVM PAGORVM CAMPANORVM TITVLI.

Sublata bello Hannibalico Campana re publica a. u. c. 543 civibusque antiquis expulsis ager Campanus publicus factus est populi Romani, quem deinde censores fruendum locabant, donec lege Iulia a. u. c. 695 colonia Capuam deducta res publica ibi restitueretur. Tituli qui sequuntur eius aetatis sunt, qua Campana res publica nulla fuit eiusque regionis qui tum fuit statum clare repraesentant. *Totus ager Campanus*, a. 691 Cicero (de lege agr. 2, 31, 84) ait, *colitur et possidetur a plebe*, scilicet eorum qui a censoribus agri publici partem aliquam fruendam conduxerant; hi sunt ingenui libertinive lapidum nostrorum, ii ipsi qui dicuntur Ciceroni (l. c.) in querimoniis istis contra factionem adversam Capuae restituendae intentam *genus hominum optime moratorum, optimorum et aratorum et militum*, item paulo post *illi miseri, nati in illis agris et educati, glebis subigendis exercitati*. Quorum condicionem ne nimis tenuem putemus, ex his titulis apparet non tantum, ut ait Livius (26, 16), oppidum mansisse *ut esset aliqua aratorum sedes* (cf. Cic. l. c. 2, 33, 89), sed porticum theatrum aliaque eiusmodi ibi fuisse ludosque editos esse Capuae quotannis et opera facta cum cura et sumptu et omnino Capuam eo quoque tempore, quo iure nulla erat, magnae et splendidae urbis instar obtinuisse. Rem publicam autem aratores illos agri Campani nullam habuisse ex lapidibus quoque apparet. Ius dictum est Capuae a praefectis Capuam Cumas Romae inter XXVI viros quotannis creatis; IIII virum aedilium decurionum nullum in eius aetatis titulis Campanis vestigium est. Pagi tantum sive remanserunt sive novi instituti sunt, quo ex numero novimus Herculaneum (n. 571); denique pagus sine nomine alibi memoratur (n. 573) vel idem vel diversus. Praefuerunt pagis magistri pagi singuli pluresve (n. 571) erantque etiam paganorum aliqua comitia pagique scita (n. 571. 573). Nec tamen magis pagis his quidquam permissum videtur fuisse praeter sacrorum administrationem, quibus etiam ludos constat comprehendi; eoque pertinent tituli nostri ad unum omnes collegiorum intra pagum constitutorum. Denominantur ea modo ab opificii genere, ut est *conlegium mercatorum* (n. 563), modo a diis tutelaribus *Iovio Compago* n. 571, *Cerere* n. 566. 568, *Castore Polluce* n. 567, si genuina est, *Venere Iovia* n. 565. Reperiuntur in iis modo ingenui soli (n. 565. 568. 572. 575), modo libertini soli (n. 563. 564. 566. 571. 574), ita tamen ut eiusdem collegii magistri modo ingenui omnes sint, modo omnes libertini; rarius occurrunt permixti utriusque generis homines (n. 567. 573). Praeterea ad liberorum exemplum servi quoque in collegia coierunt dicta ut par est a Laribus; inter quos quod unus alterve libertus reperitur, semel etiam ingenuus spurius (I. N. 3570), fit id ex consuetudine servilium collegiorum. Hisce collegiis quotannis praefici solebant duodeni homines (nam tredecim quod numerantur n. 566, ex suffectione explicandum est) dicti in collegiis liberorum *magistri*, in servilibus *ministri*, quos accepto magisterii vel ministerii honore honorariam pecuniam lege pagi statutam in pagi usum dare oportebat. Et magistris quidem ludi inde faciendi erant (n. 565. 566. 567), nisi pagi scitu alium in usum eam pecuniam iubebantur erogare (n. 571. 573); ministros incertum est quae lex tenuerit, quamquam ad pecuniam pago solvendam et ipsi obligati fuisse videntur. Opera, quae ab eiusmodi magistris ministrisve facta esse legimus *murum* (n. 565), *murum et pluteum* (n. 566. 567. 568), *[muru]m* (?) *et pilas IIII* (n. 564), *murum ab gradu* (βῆμα?) *ad Calcidicum, Calcidicum, porticum ante culinam, signa marmorea Castoris et Pollucis* (n. 569), *c[une]os duos in teatro* (n. 572), *porticum paganam* (n. 571), *pondera et pavimentum* (n. 570), aram Iovi sacratam (n. 574), denique nescio quid in servum deae Iunonis Gauranae collatum (n. 573), utrum fecerint dederintve praeter ludos sua sponte an pro ludis ex pagi scitu, in plerisque incertum est. Opera ipsa varia fuisse apparet, sicut singulis annis occasio ferebat; murum tamen, quem in titulis ab a. certe 646 ad a. 655 redire videmus, Dianae Tifatinae sacrarium cinxisse putarim, cum murum in his omnibus intellegi eundem et per se probabile sit et altitudinis aequabilitate n. 566. 568 magis etiam confirmetur, ad Tifatinam Dianam autem titulum n. 569 revocet et inventio in muro antiquissimo ad Tifatorum radices et stipis Dianae mentio ibi facta. Magistris qui ludos fecissent exinde locus certus et insignis dabatur in theatro (n. 571), eamque ipsam ob causam hos lapides incisos esse puto, ut documento essent homines in iis nominatos ludos fecisse vel alia ratione legi satisfecisse. Ceterum quae de Campanis magistris exposuimus, nequaquam eorum propria sunt, sed ea lex, ut pro honore ludi fiant, qui fecerint insignem in theatro locum deinceps obtineant, pertinet fere ad omnes magistratus sive Romanos sive municipales sive collegiorum; qua de re ne late disputatio excurrat, per indicem tantum pauca monebimus. Romae olim in curiam perventum esse aedilitate, id est ludis aediliciosque deinde loco senatorio in theatro sedisse notum est (cf. Suet. Claud. 24). De ludis in municipiis ob honorem factis vide quae collegi in indice XXIX I. N. p. 481; nec defuit ibi similis ordinum distinctio in theatris. Sed quod maxime ad hanc rem facit, reperiuntur intra civitates quaedam corpora hac lege constituta, ut magistri eorum quotannis ludos publice ederent. Ita seviri nescio cuius oppidi kalendis Augustis *honorem* (gladiatores?) *edere ludosque per quatriduum facere* solebant (Henzen n. 7165) idemque de magistris Augustalibus Faleriensibus ex Orelliana 3310 elucet; ita Pompeiis non II viri soli, sed etiam magistri pagi Augusti Felicis Suburbani eum pro ludis ex decurionum decreto aliud quid faciant (I. N. 2252), iure creduntur obligati ad ludos edendos, nec praemium iis negatum esse crediderim loci in theatro honoratioris, praesertim cum id ipsum magistros legi paruisse incisum reperiatur in theatro. Quamquam nusquam simplices collegiorum magistri ad tantum honorem admissi sunt excepta Capua, neque ipsi Campani post legem Iuliam eam consuetudinem retinuerunt. Manserunt post eam ministri, quorum extat lapis anni u. c. 728 (I. N. 3570); magistrorum autem illorum quotquot lapides extant, anno 695 antiquiores sunt, nam sex magistri Campani nescio qui, qui anno p. Chr. 15 Iovi libero aram posuerunt (I. N. 3568), nequaquam pertinent ad antiquos duodenos. Causa haec fuit, quod, dum res publica Capua nulla erat, sed tamen oppidi instar, necessario qui soli ibi erant quasi quidam magistratus, divites homines erant honorumque cupidi ideoque honorati; mox cum magistratus coloniae Iuliae in eorum vices subiissent et in ludis edendis et in honoribus ambiendis, antiqua illa collegia si sublata non sunt, tamen in obscuritatem et ignobilitatem abierunt.

563 e Capua antiqua in vineam Didaci Marae adducta.

....
........NVL......
P·POMPONI·M·L
MAGISTREIS
CONLEGI
MERCATORVM
COERAVERVNT
....
...CALPVRNIO
COS u. c. 642? 643?

Mur. 2017, 1 a Como, inde I. N. 3560.

2 extr. puncta adscripsit Mur., quae abieci propter lapidis formam.

Cuinam attribuas ex Calpurniis consulibus qui aetate liberae rei publicae fuerunt (a. 574. 606. 615. 619. 621. 642. 643. 687. 695. 696), incertum quidem est; sed tamen cum reliqui magistrorum Campanorum lapides intra annos 646 et 683 comprehendantur, ne hunc quidem recte tribues quinque Calpurniorum antiquissimorum cuidam; postremi autem tres excludi videntur linguae indole, maxime cognomine in liberto omisso. Quare Calpurniorum consulum a. 642 et a. 643 alterutrum hic nominari crediderim.

564 nuper rep. ad S. Mariam de Capua *Daniele.*

CIVS·P·L·PILOL
T*h*IVS·SER·L
VMIVS·M·L
*ho*RDIONI·L·C·L
RVIVS·P·L
IVS·P·C·L
*muru*M·ET·PILAS·IIII
*c*ALPVRNIO·COS u. c. 642? 643?

Danielius exemplum, quod ipse dicit non accuratum, misit Marinio; reperit Rossius in schedis Marinianis, edidi ego Bullett. 1853 p. 172.

1 PILO·L, 2 THVS traditur.

De anno idem valet quod dixi ad praecedentem.

565 Capuae *Pontanus.* Hodie Neapoli in museo Borbonico.

N·PVMIDIVS·Q·F	M·RAECIVS·Q·*F*
M·COTTIVS·M·F	N·ARRIVS·M·F
M·EPPILIVS·M·F	L·HEIOLEIVS·P·F
C·ANTRACIVS·C·F	C·TVCCIVS·C·F
L·SEMPRONIVS·L·F	Q·VIBIVS·M·F
P·CICEREIVS·C F	M·VALERIVS·L·F?M

HEISCE·MAGISTREIS·VENERVS·IOVIAE·MVRV
AEDIFICANDVM·COIRAVERVNT·PED CCↃXX ET
LOIDOS·FECERVNT·SER·SVLPICIO·M·AVRELIO·COF *sic* u. c. 646.

Ritschl tab. LXIII A ad lapidem. Descripsi edidique post Orell. 2487 et alios I. N. 3561.

1 de Q·F hodie non remanet nisi C. — 6. 7 iunge MVRV|M.

566 Capua sub arcu S. Eligii, ubi vidit iam *Gudius.*

SER·SVETI·SER·L·BAL	/BABRIVS·L·L
P·BABRIVS·L·L	P·/ERVILIVS·M·L
M·SEXTI·N·M·L	CN·OCTAVI·N·Vs
N·SEXTI·N·M·L	M·OCRATI·M·PIST
L·HORDIONI·L·L·LAB	P·STATIVS·P·M·L
C·LVCRETIVS·C·L·AL	M·MAI·M·L·NIC
A·GARGONIVS·Q·L	

HEISCE·MAGISTREIS·CERERVS·MVRM
ET·PLVTEVM·LONG·P·ↃXXX·ALT·P·XXI
FACIVND·COIRAVERE·EIDEMQ·LOID·FEC
C·ATILIO Q·SERVILIO COS u. c. 648.

Ritschl tab. LXIII B ad lapidem. Descripsi edidique post alios I. N. 3562.

567 Capuae nuper reperta prope parochiam S. Erasmi in loco q. d. S. Leucio, deinde ad Mazochium translata *Pratilli. 'Dovrebbe essere anche al presente nella propria casa del Mazochi in S. Maria, dove io l'ho infinite volte veduta' Daniele mon. di Cap.* p. 79.

T·IVNIVS·N·F	D·ROSCI·Q·L·LINI..
C·NVMOLEI·CN·F	D·ITEIVS·CN·L
M·FISIVS·M·F	M·VALERIVS·M·L
M·FVFIVS·L·F	Q·FVLVIVS·FVLVIAE·L
C·TITTIVS·C·F	P·PACTVMEIVS·C·L
Q·MONNIVS·N·F	A.POMPONIVS·C·L

HEISCE·MAGISTREI·CASTORI·ET
POLLVCI·MVRVM·ET·PLVTEVM·FACIVND
COERAVERE·EIDEMQVE·LOEDOS
FECERE·Q·SERVILIO·C·ATILIO·COS u. c. 648.

Nititur suspecta auctoritate Pratillii via App. p. 289 (inde I. N. 3563) potuitque sane ex titulis duobus a. 648 n. 566 et a. 655 n. 569 hic conflari; habent etiam dubitationem aliquam ingenui libertique seni coniuncti, cum praeterea in his titulis praeter unum recentioris aetatis n. 573 seorsim utrique procedant, item scriptura *heisce magistrei.* Quas ob causas suspectus quidem est nec nisi caute adhibendus; sed tamen cum propter testimonium supra adscriptum Danielis probi viri, quamquam in eiusmodi testatione memoria falli potuit, tum quia Pratillii manum imperitam et audacem perversamque quam apud eum offendere solemus nominum rationem et omnino ineptias eius satis notas minime prae se fert, neque olim loco movi neque ab hac serie abesse volui.

568 Capuae sub arcu S. Eligii, ubi vidit iam *Gudius.*

NIVS·L·F	A·SEPPIVS·A·F
VS·L·F	C·POMPILIVS·C·F
*hor*TIONIVS·CN·F	N·RVBRIVS·M·F
XIVS P F GA	CN·HORTIONIVS
/S·CN·F·E	L·ANNIVS·L·F·F?CNF
IVS·M	C·OBINIVS·CN·F LAI.

heisce magistreis CERERVS·MVRM·ET
pluteum longum p... XII·ALTVM·XXII·FACIVNDVM·COIRAVER
*et loidos fecer c. fl*AVIO C·F·C MARIO C F·COS u. c. 650.

Ritschl tab. LXIII C ad lapidem. Descripsi et post alios edidi I. N. 3564.

4 iunge CN·HORTIONIVS·CN·F. — 9 significatur C. Marii consulatus secundus; nam iterationis nota hac aetate nondum adscribebatur.

569 'infixa vetustissimo parieti ad radices montis Tifatae prope Capuam' *Pellegr.* e muro antiquo ad S. Angeli in Formis extrahendam curavit *Dan.* Nunc est in mus. Borbonico.

//////////////////////////////////
//////////////////////////////////
//////////////////////////////////
//////////////////////////////////
//////////////////////////////////
///////////////// M · ANTONIO
///////////////// A. POSTVMIO COS u. c. 655.
HEISCE · MAG · MVRVM · AB · GRAD
\AD · CALCIDIC · ET · CALCIDICVM
ET·PORTIC·ANTE·CVLIN·LONG·P
ET · SIGNA · MARMOR · CAST · ET · POL
ET · LOC · PRIVAT · DE · STIPE · DIAN
EMENDVM *faci*ENDVM
COERAVER*e*

Ritschl tab. LXIII D ad lapidem. Descripsi et post Pellegrinum et Danielem edidi I. N. 3565 (inde Henzen 6089).

5 spatium relictum est in quo pedum numerus scriberetur. — 8 COLENDVM Pell., . . . IENDVM Dan. Scripsi *faciendum coeravere*, quae sollemnis formula et spatio apta hoc loco ad ea quae praecedunt adiuncta est inepte.

4 *Gradus* qui sit, non liquet; fortasse sic indicatur Graecum βῆμα.

570 Capuae iuxta portam cuiusdam domus *Tif.* in aedibus N. de Barone ducis Frisiae (?) de Maracinis (?) *Pell.*

HISCE · MINISTRIS · LARIBVS · FACIENDVM · COE*raverunt*

C · TERENTI · C · L · PILOMVS	LVCRIO · TEREN*ti . . s*	ALEXAN*der*
PILEMO · HELVI · A · S	PILOTAER · HO*sti . . s*	NESTOR
HELENVS · HOSTI · Q · S	PILOMVSVS · SEXT · CN · S	N A E
PILOTAERVS · TERENTI · Q · S	PILEMO · BALONI · BALON	F L A C
	DIP*il*VS · SVETI · M · S\IAE · S	NICEPOR

HAEC · PONDERA · ET · PAVIMENTVM · FACIENDVM · ET
Q · CAECILIO · Q · F · Q · N · T · D*e*IDIO · T · F · CO*s* u. c. 656.

Extat et in sylloge Augustini Tiferni et in Pellegriniana apud Gudium ms. 91, 13; ex hac edidi I. N. 3569.

1 MINISTRIS om. Tif. in lac. — LANIBVS Tif. — COI . . Tif. — 2 . . TERENTI · CL · P . . . OMVS · LVCRIO · TERE . . . . . XAN Tif.; Pell. ut edidi, lacuna tamen dissimulata. — 3 . . LEMO · HELVIA . . . S . . . PHILOIAER HO . . . NESIOR Tif; Pell. ut edidi, sed PILOTAEQ pro PILOTAER. — 4 . . LENVS · HOSTIQS . . . . PHILOMVSVS SEXTCNS . . . NAE Tif. — 5 . . OTAERVS Tif. — TENTI Pell. — EALONI BALONFIAC Tif. — 6 PIPPVS Pell., DIPTVS Tif. — ꓤIAES Tif., ZIAES Pell. — 7 . . C PONEDERA EI Tif. — 8 . . C · CAECILIO . . . Q · P · Q · N · DI · IDIO T P CON Tif.; Pell. ut edidi sed DIIDIO '*sic*'.

571 basis quadrata sesquipedalis, olim Recali, qui est pagus Casertanus inter ipsam Casertam et Marcianisi situs, in praetorio patrum soc. Iesu, deinde Capuae apud Iosephum de Capua Capece, nunc (per Danielem, puto) Neapoli in museo Borbonico.

PAGVS · HERCVLANEVS · SCIVIT · A · O · X · TERMINA*lia*
CONLEGIVM · SEIVE MAGISTREI IOVEI · COMPAGEI *Sunt*
VTEI · IN PORTICVM PAGANAM REFICIENDAM
PEQVNIAM · CONSVMERENT · EX LEGE PAGANA
ARBITRATV · CN · LAETORI CN · F · MAGISTREI
PAGEIEI · VTEIQVE · EI CONLEGIO SEIVE MAGISTR*I*
SVNT IOVEI COMPAGEI · LOCVS · IN · TEATRO
ESSET · TAM QVA · SEI · SEI LVOOS FECISSENT
L AVFVSTIVS L L · STRATO C · ANTONIVS M L
NICO CN AVIVS CN · L · AGATHOCLES C · BLOSSI
M L PROTEMVS M · RAMNIVS · P · L DIOPANT
T · SVLPICIVS P · Q · PVL · Q · NOVIVS Q L PROTEM
M · PACCIVS M · L PHILEM M · LICCVLEIVS · M L
PHILIN CN HORDEONIVS CN L EVPHEMIO
A POLLIVS P L ALEXAND N MVNNIVS N · L ·
ANTIOCVS C COELIO · C · F CALDO
l DOMITIO CN F AHENOBARB COS u. c. 660.

1 Pagus Herculaneus scivit a(nte) *d*(iem) X Termina*lia*.
2 3 | Conlegium, seive magistrei Iovei compagei *sunt*, | utei in
4 porticum paganam reficiendam | pequniam consumerent ex
5 6 lege pagana, | arbitratu Cn. Laetori Cn. f. magistrei | pag*ei*;
7 uteique ei conlegio, seive magistri | sunt Iovei compagei,
8 locus in teatro | esset tam quasei sei lu*d*os fecissent.
9 | L. Aufustius L. l. Strato.
10 C. Antonius M. l. | Nico
Cn. Avius Cn. l. Agathocles.
11 C. Blossi(us) | M. l. Protemus.
M. Ramnius P. l. Diopant(us).
12 | T. Sulpicius P. Q. *l.* Pul(ades?).
Q. Novius. Q. l. Protem(us).
13 | M. Paccius M. l. Philem(o).
14 M. Licculeius M. l. | Philin(us).
Cn. Hordeonius Cn. l. Euphemio.
15 | A. Pollius P. l. Alexand(er).
16 N. Munnius N. l. | Antiocus.
17 C. Coelio C. f. Caldo, | *L.* Domitio Cn. f. Ahenobarb(o) co(n)s(ulibus).

Ritschl tab. LXV ad lapidem. Ed. Mazochi amph. Camp. p. 148 (inde Mur. 290, 2); Daniele *mon. di Cap.* p. 95 qui aere expressit; Orelli 3793; Goettling *funfzehn Urk.* p. 69; ego a me descriptam I. N. 3559.

1 A · O · lapis. — Cf. de hac diei significatione librum meum de chronol. Rom. p. 43 ed. 2. — 2 *sunt* Mazochi solus. — 4 *lex pagana* aut haec ipsa est aut lex de porticu reficienda ante rogata. — 6 PAGEIEI lapis, errore ut videtur. — MAGISTR . . . lapis hodie, MAGISTRI priores. — 7 *quasei sei* formula sollemnis est, v. l. Corneliam de XX q. 1, 39. 2, 3, ut *nisi si*. — 8 LVOOS lapis. — 12 L. addidi.

572 in lapidis parallelepipedi latere angustiore. Repertus est in vico S. Prisci prope Capuam a. 1852 *alla Croce Santa* in fundo Bonaventurae Natale. Extat Neapoli in museo publico.

N·F·FABER· M·FISIVS·C·F· M·VIBIVS·P
SIVS ST F M·BAIBILIVS·L·F TI·HOSTIVs
CuneOS·DVOS·IN·TEATRO·FACIENDOS·COIRauere .... cos

Ritschl tab. LXIV G ad lapidem. Garrucci *Bull. Nap. nuovo* 1, 13. 78, cui misit primum Santo Bastiano abbas, deinde ipse vidit. Inde Henzen 6154.

1 FAL//BER tabula; quod si verum est, explicandum *Fal(erna) Ber....*, ut hoc cognomen sit non plene scriptum. Vereor tamen ne in tabula frustum lapidis, quo continentur principia versuum 1. 2, ab iis quae sequuntur distet spatio iusto maiore. — 2 SIVS ST F Garr. neque aliter tabula, nisi quod inter S et ST spatium habet duarum fere litterarum; vide supra. — 3 COI Garr.

Scripta aliquanto ante a. 683, cuius anni magistri sui donarii causa hunc titulum fregerunt. Cf. n. 573.

573 in eiusdem lapidis parallelepipedi latere ampliore.

ALFIDIVS·C·F·STaB C N//E/VS C F M·PONTIVs M L SaL
M·PANDIVS·M·F M·C/OELIVS·C·F A·OCRATIVS·M·L·ALEX
P·OCTAVIVS·P·F M·HEIDIVS·M·F C·HOSTIVS·M·L·HERM
C·CORNELIVS·C·F·SAP L·DECVMIVS·N·F·STAB A·RVBRIVS·A·F·PRAEC
HEISC·MAGISTR·EX·PAGEI·SCITV·IN SERVOM·IVNONIS·GAVRAE coNTVLE
P·CORNELIO·LENTVLO·CN·aVFIDIO·ORESTE·COS·M MI u. c. 683.

Ritschl tab. LXIV G ad lapidem; Garrucci l. c.; Henzen n. 6119.

1 C·F·STAB tab., L·F·STRAB Garr. — C·M..VS·CN·F Garr. — M PONTIVS M L SAL litt. dim. Garr. — 3 HE..CIDIVS Bast., emendavit postea Garr. — 3 M·L tabula. — 4 GAVRAF... tab., GAVR·AE.. Garr., GAVR·AR... Bast. — 5 aufidio Garr. — M M/// Bast., M//////ex/// Garr.

Magistros hosce pecuniae certam summam Iunoni Gauranae ita dedisse, ut servo eius deae numerarent, olim posui *Annali* 1853 p. 43 nec facile potuit aliter suppleri prout tum edebatur v. 5, nam ad GAVR·ARG·P·C·CONTVLERE Bastiana lectio ducebat, Garrucciana ad GAVR·AER·C·CONTVLERE. Iam vero postquam quod post GAVR esse dicebatur punctum sublatum est constatque de lacunae spatio, commode inde procedit supplementum GAVRAE·CONTVLERE; nam *Gaurum montem* similiter dicunt vetustissimi quique auctores Cicero (de l. agr. 2, 14, 36) et Livius (7, 32; cf. Lucan. 2, 664; Sil. 8, 534. 12, 160) pro eo quod apud Plinium maiorem (h. n. 3, 5, 60. 14, 3, 38; cf. 14, 6, 64 *e monte Gauro*) aliosque recentiores in usu est *monte Gaurano*. Quare quid magistri in servum deae contulerint cum res ipsa basi imposita olim indicarit, nos nescimus. Montem Gaurum territorio Campano comprehensum fuisse ostendit Cicero de lege agr. 2, 14, 36.

574 olim Casapullae penes Pellegrinum, deinde apud Danielem, nunc in museo Borbonico.

M·BLOSSIVS·M·L·AGATO
M·CONSIVS·M·L NICOL
SEX·ALLIVS·Q_L SEXTVS
M·ATILIVS M·L·APOL
A·NASENNIVS·A·L·PROT
L·FVRRIVS·L·L DION
M LIMBRICIVS·M·L DIOD
C·TIBVRTIVS·C·L FL
L·TVRIVS·L·P·C·L SAND
A·PACTVMEIVS·A·L PHILIP
P·OCTAVIVS P·L ANTIOC

in latere dextro
IOVEI·SACR

in latere sinistro
HANC·ARAM
NEQVIS·DEALB

Ritschl tab. LXIV E *b a c* ad lapidem. Descripsi edidique post Pellegrinum et Danielem I. N. 3566 (inde Henzen 6117).

1 AGAT ego. — 9 FVRIVS Pell. Dan.; TVRIVS ego et ita videtur esse in tabula. — 10 in. A, 11 in. P accesserunt ex Pell. Dan.; hodie non apparent. — In latere sinistro ego DEALB, tabula DEALBI, Daniele DEALBE.

575 olim in villa Pellegrini, nunc in mus. Neapolitano hon. col. 3.

S L·F
LAVDIEI·L·F
MAGIVS·CN·F
M·RAGONIVS·M·F
M·LOLLIVS·M·F ALE
M·GRVSIVS·M F P
MAGIVS·C N
MAG

Ritschl tab. LXIV F ad lapidem. Descripsi edidique I. N. 3567, additis quibusdam litteris in fine ex exemplo Pellegriniano.

576 in pavimento operis tessellati sine emblematis, rep. a. 1842 Terracinae in summo quod nunc est oppido in hortis collegii S. Francisci PP. Doctrinae Christianae.

*ser. sulpic*IVS · SER · F · GALBA · COS · PAVIMENTVM u. c. 646? 610?
*faciendum locaui*T · EISDEMQVE · PROBAVIT

Ritschl tab. LVII D *d*. Descripsi. Edidit Melchiorri *Bullett.* 1842 p. 98 cf. p. 176. Henzen n. 5415.

2 AVIT hodie deest; adest in *Bull.* vidique ego.

Errore Borghesius (*annali* 1848 p. 258) post Sullam opus factum iudicavit, provocans ad Plinii locum h. n. 36, 25, 189: *Lithostrota coeptavere iam sub Sulla; parvulis certe crustis extat hodieque quod in Fortunae delubro Praeneste fecit*; nam a lithostroto opere tessellatum diversum esse et multo ante hoc in usu esse coepisse idem Plinius paullo ante exposuit. Omnino titulum liberae rei publicae aetati et litterarum figura et linguae ratio assignant; cui tamen tribuam ex tribus consulibus Galbis P. Sulpicio Ser. f. Galba cos. 543. 554 duobusque Ser. Sulpiciis Galbis patre opinor et filio consulibus annorum 610 et 646, non mihi suppetit ratio, nisi quod litterae linguaque septimum potius quam sextum saeculum spirant. Ceterum cum imperator Galba a. u. c. 751 natus sit *in villa colli superposita prope Terracinam sinistrorsus Fundos petentibus* (Suet. Galb. 4), Sulpicios Galbas domum ibi habuisse apparet; quam ob rem Ser. Sulpicius Galba ille, cuius superest titulus, in consulatu pavimentum tessellati operis dono videtur obtulisse rei publicae Tarracinensium. Privatae enim villae id fuisse hac praesertim aetate non crediderim.

---

577 tabula marmorea lata pedes $4\frac{1}{2}$, alta p. 2, crassa pollicem unum. Ab altera parte titulus qui legitur (I. N. 2515):

M · AVIANIVS · M · F
CONIVNCTVS · IIVIR
ITER · TE XIT · ET · TECTVM · S · P


casu solo in eodem lapide est incisus ad alium usum postea adhibito. Puteolis olim tabulam propositam fuisse argumentum ostendit; innotuit saeculo XVI ex museo Hadriani Gulielmi Spadaforae, quem ex S. Stephanino de Pontone de scala traxisse notavit *Metellus* in schedis Vatic. cod. n. 6039. Transiit deinde ad Alphonsum Sancionem Grottulanorum marchionem hodieque adservatur in museo Neapolitano.

AB · COLONIA · DEDVCTA · ANNO · XC
N · FVFIDIO · N · F · M · PVLLIO · DVO · VIR
P · RVTILIO · CN · MALLIO · COS u. c. 649
OPERVM · LEX · II ·
LEX · PARIETI · FACIENDO · IN · AREA · QVAE · EST · ANTE
AEDEM · SERAPI · TRANS · VIAM · QVI · REDEMERIT
PRAEDES · DATO · PRAEDIAQVE · SVBSIGNATO
DVVMVIRVM · ARBITRATV
IN · AREA · TRANS · VIAM · PARIES · QVI · EST · PROPTER
VIAM · IN · EO · PARIETE · MEDIO · OSTIEI · LVMEN
APERITO · LATVM · P · VI · ALTVM · P · VII · FACITO · EX EO
PARIETE · ANTAS · DVAS · AD · MARE · VORSVM · PROICITO
LONGAS · P · II · CRASSAS · P · I · I N · SVPER · ID · LIMEN
ROBVSTVM · LONG · P · VIII · LATVM · P · I :· ALTVM · P · S :·
INPONITO · INSVPER · ID · ET · ANTAS · MVTVLOS · ROBVSTOS
II · CRASSOS · S : ALTOS · P · I · PROICITO · EXTRA · PARIETE
IN VTRAMQ · PARTEM · P · IV · INSVPER · SIMAS · PICTAS
FERRO · OFFIGITO · IN · SVPER · MVTVLOS · TRABICVLAS
ABIEGINEAS · II · CRASSAS · QVOQVE · VERSVS · S · INPONITO
FERROQVE · FIGITO · INASSERATO · ASSERIBVS · ABIEGNIEIS
SECTILIBVS · CRASSEIS · QVOQVE · VERSVS · :: DISPONITO NI PLVS · S :·
OPERCVLAQVE · ABIEGNEA · INPONITO · EX · TIGNO · PEDARIO
FACITO · ANTEPAGMENTA · ABIEGNEA · LATA · S :· CRASSA · Ɛ
CVMATIVMQVE · INPONITO · FERROQVE · PLANO · FIGITO
PORTVLAQVE · TEGITO · TEGVLARVM · ORDINIBVS · SENEIS
QVOQVE · VERSVS · TEGVLAS · PRIMORES · OMNES · IN · ANTE
PAGMENTO · FERRO · FIGITO · MARGINEMQVE · INPONITO
EISDEM · FORES · CLATRATAS · II · CVM · POSTIBVS · AESCVLNIEIS
FACITO · STATVITO · OCLVDITO · PICATOQVE · ITA · VTEI · AD · AEDEM
HONORVS · FACTA · SVNT · EISDEM · MACERIA · EXTREMA · PARIES
QVI · EST · EVM · PARIETEM · CVM · MARGINE · ALTVM · FACITO · P · X
EISDEM · OSTIVM · INTROITV · IN · AREA · QVOD · NVNC · EST · ET
FENESTRAS · QVAE · IN · PARIETE · PROPTER · EAM · AREAM · SVNT
PARIETEM · OPSTRVITO · ET · PARIETI · QVI · NVNC · EST · PROPTER
VIAM · MARGINEM · PERPETVOM · INPONITO · EOSQ · PARIETES
MARGINESQVE · OMNES · QVAE · LITA · NON · ERVNT · CALCE
HARENATO · LITA · POLITAQVE · ET · CALCE · VDA · DEALBATA · RECTE
FACITO · QVOD · OPVS · STRVCTILE · FIET · IN · TERRA · CALCIS
RESTINCTAI · PARTEM · QVARTAM · INDITO · NIVE · MAIOREM
CAEMENTA · STRVITO · QVAM · QVAE · CAEMENTA · ARDA
PENDAT · P · XV · NIVE · ANGOLARIA · ALTIOREM · :: Ɛ FACITO
LOCVMQVE · PVRVM · PRO · EO · OPERE · REDDITO
EIDEM · SACELLA · ARAS · SIGNAQVE · QVAE · IN
CAMPO · SVNT · QVAE · DEMONSTRATA · ERVNT
EA · OMNIA . TOLLITO · DEFERTO · COMPONITO
STATVITOQVE · VBEI · LOCVS · DEMONSTRATVS
ERIT · DVVMVIRVM · ARBITRATV
HOC · OPVS · OMNE · FACITO · ARBITRATV · DVO · VIR
ET · DVOVIRATIVM · QVI · IN · CONSILIO · ESSE
SOLENT · PVTEOLEIS · DVM · NI · MINVS · VIGINTI
ADSIENT · CVM · EA · RES · CONSVLETVR · QVOD
EORVM · VIGINTI · IVRATI · PROBAVERINT · PROBVM
ESTO · QVOD · IEIS · INPROBARINT · INPROBVM · ESTO
DIES · OPERIS · K · NOVEMBR · PRIMEIS · DIES · PEQVN
PARS · DIMIDIA · DABITVR · VBEI · PRAEDIA · SATIS
SVBSIGNATA · ERVNT · ALTERA · PARS · DIMIDIA · SOLVETVR
OPERE · EFFECTO · PROBATOQVE · C · BLOSSIVS · Q · F
HS ∞ D · IDEM · PRAES · Q · FVFICIVS · Q · F
CN · TETTEIVS · Q · F · C · GRANIVS · C · F · TI · CRASSICIVS

I, 1 2 Ab colonia deducta anno XC, | N. Fufidio N. f. M. Pullio duovir(eis), | P. Rutilio
3 4 Cn. Mallio co(n)s(ulibus), | operum lex II. u. c. 649.
5 6 | Lex parieti faciendo in area, quae est ante | aedem Serapi trans viam. Qui re-
7 8 demerit, | praedes dato praediaque subsignato | duumvirum arbitratu.
9 10 | In area trans viam paries qui est propter | viam, in eo pariete medio ostiei lumen
11 12 | aperito; latum p(edes) VI, altum p(edes) VII facito. Ex eo | pariete antas
13 duas ad mare vorsum proicito | longas p(edes) II, crassas p(edem) I. Insuper
14 [id] limen | robustum long(um) p(edes) VIII, latum p(edem) I (quadrantem), altum
15 16 p(edis) (dodrantem) | inponito. Insuper id et antas mutulos robustos | II crassos
17 (bessem), altos p(edem) I proicito extra pariete | in utramq(ue) partem p(edes)
18 19 IV. Insuper simas pictas | ferro figito. Insuper mutulos trabiculas | abiegi-
II, 1 neas II, crassas quoque versus s(emissem), inponito || ferroque figito. Inasse-
2 rato asseribus abiegnieis | sectilibus, crasseis quoque versus (trientem); disponito
3 4 ni plus (dodrantem). | Operculaque abiegnea inponito. Ex tigno | pedario facito.
5 Antepagmenta abiegnea lata (dodrantem), crassa (semunciam) | cumatiumque
6 inpoolito ferroque plano figito, | portulaque tegito tegularum ordinibus seneis
7 8 | quoque versus. Tegulas primores omnes in ante|pagmento ferro figito mar-
9 10 ginemque inponito. | Eisdem forea clatratas II cum postibus aesculnieis | facito
11 statuito ocludito picatoque ita, utei ad aedem | Honorus facta sunt. Eisdem
12 maceria extrema paries | qui est, eum parietem cum margine altum facito
13 14 p(edes) X. | Eisdem ostium, introitu in area quod nunc est, et | fenestras, quae
15 in pariete propter eam aream sunt, | pariete upstruito; et parieti, qui nunc est
16 17 propter | viam, marginem perpetuom inponito. Eosq(ue) parietes | marginesque
18 omnes, quae lita non erunt, calce | harenato lita politaque et calce uda dealbata
19 20 recte | facito. Quod opus structile fiet, in terra calcis | restinctai partem quar-
21 22 tam indito. Nive maiorem | caementa struito, quam quae caementa arda | pendat
III, 1 p(ondo) XV, nive angolaria altiorem (trientem semunciam) facito. || Locumque
2 3 purum pro eo opere reddito. | Eidem sacella aras signaque, quae in | campo
4 5 sunt, quae demonstrata erunt, | ea omnia tollito deferto componito | statuitoque,
6 ubei locus demonstratus | erit, duum virum arbitratu.
7 8 | Hoc opus omne facito arbitratu duovir(um) | et duoviralium, qui in consilio esse
9 10 | solent Puteoleis, dum ni minus viginti | adsient, cum ea res consuletur. Quod
11 12 | eorum viginti iurati probaverint, probum | esto; quod ieis inprobarint, inprobum
13 14 esto. | Dies operis: k. Novembr(ibus) primeis. Dies pequn(iae): | pars dimidia
15 dabitur, ubei praedia satis | subsignata erunt; altera pars dimidia solvetur
16 | opere effecto probatoque.
17 C. Blossius Q. f. | HS ∞D, idem praes.
Q. Fuficius Q. f.
18 | Cn. Tetteius Q. f.
C. Granius C. f.
Ti. Crassicius.

Ritschl tab. LXVI ad archetypum. Ed. Fabricius antiq. 1549 p. 23 qui descripsit; Manut. orth. 55, 1; Ursinus in legibus n. 21; Smet. 14, 1; Grut. 207; Piranesi P. R. magn. et archit. (VII) Rom. 1761 tab. 37; Guarini *illustrazione apologetica del marmo Puteolano a colonia deducta* Neap. 1824 cum supplemento ed. a. 1825; G. B. Zannoni *l'antico marmo scritto appartenente alla colonia di Pozzuoli* Florent. 1826; Orell. 3697; I. N. 2458 (cf. corrig. p. XXIII), ubi alii auctores enumerantur.

Titulum hunc quamquam constat antiquum esse, tamen cum litterarum forma tum paginarum divisio demonstrat incisum esse non septimo urbis saeculo, sed aetate imperatoria; idemque suadet scripturae ratio subinde ut in *duum virum* I, 8. 3, 6 illi aetati minime conveniens. Omnino similes operum leges non raro restitutas esse consentaneum est. — Quod ad ipsam rem attinet, rogatu meo antiquam architecturam qui hodie optime callet Carolus Boetticherus portulae de qua agitur et faciem et latus et formam delineavit, quibus prolatis inscriptionis difficillimae praeclarum commentarium videor mihi proposuisse. Conferri praeterea potest Schneiderus in Vitruvium vol. 2 p. 170. 272 tabulaque supra citata Piranesiana.



His ego pauca addidi eaque fere, quae meae sunt provinciae. — I, 1 Colonia Puteoli cum deducta sit a. u. c. 560, annus coloniae nonagesimus vere incidit in a. u. c. 649. Ceterum epocharum harum in Asiae nummis marmoribusque vulgarium usus in Italia admodum rarus fuit neque inde exempla mihi suppetunt praeter hunc titulum notumque Interamnatem anni 'post Interamnam conditam DCCIIII' (Orell. 689) paucissimosque Romanos eosque fere sacros (v. meam chronologiam Rom. p. 200 ed. 2). — Ceterum duoviri cum consulibus recte nominantur in colonia civium Romanorum. — 13 ID videtur accessisse ex interpolatione. — 18 *ferro figito* scribendum videtur pro *ferro offigito*, quod ortum est ex prava geminatione. — 19 INPONO lapis. — II, 3 hoc videtur lex dicere trabiculas asseribus inasserandas esse ita, ut ne plus dodrantem altera ab altera distet. — 6 *portula* Iahnius *Bullett.* 1841 p. 11 accepit pro *portulam*; quod probavit Boettícherus. M accusativi subinde omittitur in hoc titulo secundum antiquam consuetudinem. — 15 PARIETEM lapis. — 17 *calce harenato*, quod invenitur bis apud Catonem de r. r. 18, 7, est *calce et harenato* omissa copula; opponitur *calx uda*. — 21 *caementa* hic tegula est. Locum hunc recte interpunxit et exposuit primus O. Iahn *Bull. dell' Inst.* 1841 p. 11. — III, 8 DVOVIRATIVM lapis. — 17 explicat Festus ep. p. 151 Müll.: *Manceps dicitur qui quid a populo emit conducitve — — qui 'idem praes' dicitur, quia tam debet praestare quod promisit quam is qui pro eo praes factus est.* C. Blossius hoc opus cum faciendum redemisset sestertiis mille quingentis, praedes dedit; qui cum ex iure praediatorio soli populo tenerentur (manceps enim si minus praestabat quae receperat, quanti ea res erat, non ab ipso sed a praedibus exigebatur), ipse quoque manceps praedis loco se obligare solebat. Cf. supra p. 103.

578 in Samothrace insula lapidem prostitisse ostendit inscriptio n. 580 cum hac collata; id quod recte observavit *Henzenius*. In monte Atho ad aedem Demetrii martyris *Kiriaci codex* indicationibus locorum perperam confusis.

c. CLAVDIO·M·PERPENNA·COS·MENS·QVINC·MVSTE·*p*IEI
L·LVVCEIVS·M·F·LEG·P·LIVIVS·M·L·PVL   u. c. 662? 624?
M·LVVCEIVS·M·L·ARTEMIDORVS
Q·HORTENSIVS·M·L·ARCHELAOS

Ex itinerario Kiriaci scripto a. 1444 (cod. Vatic. 5250) f. 20 misit Borghesius; contulerunt codicem denuo Rossius Brunniusque. Ediderunt inde a me acceptam Ritschelius (mon. epigr. tria p. 28; cf. mus. Rhen. nov. 9 p. 17) Henzenusque n. 6043.

1. 2 in. CLAVDIO et CL·LVVCEIVS codex, ubi C ex primo versu casu in secundum videtur esse delapsa. — MVSTE·DIEI codex, de qua lectione cum antea dubitaretur, nuper inventi lapides Samothracii docuerunt, ut notavit Henzenus Bull. 1860 p. 10, in lapide fuisse MVSTE·PIEI Kiriacumque deceptum esse elementi P forma antiqua aperta. *Muste* omissa *a* non est sollicitandum, cum redeat in n. 579. — 2 PVL(*ades*) codex Rossio teste, non PAL, ut ante edebatur. — Ceterum utrum titulus anni 624 an a. 662 sit, qui anni consules cognomines habuerunt, incertum est; mihi tamen magis placuit referre ad annum posteriorem, cum praesertim cognominum ratio posteriori saeculi septimi parti potius conveniat quam priori.

579 in monte Atho ad regios hortos prope mare *Kir.*, eodem errore de quo egi ad n. 578.

CL·LVCCI·C·F·EQ
C·MISPIVS·MVSTE

Apparet C. L. Luccios C. f. et C. Mispium sive quo alio nomine fuit mystas factos esse in Samothrace. EQ pro cognomine vix habuerim; latet potius alterius nominis principium, ut puta L·Q[VINCTIVS].

580 in Samothrace in turri arcis.

ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΙΦΙΚΡΑΤΟΥΣ ΤΟ////
ΘΕΩΡΟΙ ΔΑΡΔΑΝΕΩΝ
ΜΥΣΤΑΙ ΕΥΣΕΒΕΙΣ
ΠΑΥΣΑΝΙΑΣ ΔΙΦΙΛΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΣΚΟΠΙΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΣΚΟΠΙΟΥ
ΑΚΟΛΟΥΘΟΣ ΠΑΥΣΑΝΙΟΥ ΟΜΙΛΟΣ
ΜΥΣΤΑΙ ΡΙΕΙ
L·VENEIΛIVS·L·F·ΡΟΛΛΙΟΝ·ΔΙΟΝYSIOS·I·SEB
Q·ACORENVS·Q·L·ALEXSANDER

Blau et Schlottmann *Monatsberichte der Berl. Akad.* 1855 p. 622; pleniorem ed. Conze *Reise auf den Inseln des thrakischen Meeres* p. 64.

1 ΤΟ//// Conze, ΤΟΥ Bl. Schl. — 7 in. ΑΚΟΛΟΥΘΟΣ omiserunt in hiatu Bl. Schl., qui item ex v. 8—10 eo tempore maiore parte latentibus non exceperunt nisi 9 DIONYSIVS, 10 ALEXANDER. — 9 *L. Veneilius L. f. Pollion* Conzius, vix recte; fuit potius L·VENELAIVS·L·F vel simile nomen in *aeus*. In ΡΟΛΛΙΟΝ latet fortasse Pomptina tribus. ΔΙΟΝYSIOS·I·SEB putarim a praecedente nomine separandum esse et hoc esse nomen secundi mystae Dardanensis εὐσεβοῦς repetitum a scriptore Romano parum perito. — 10 *A. Acorenus* Conze in exemplo minusculis expresso.

581 Samothrace in ecclesia monasterii Christi. Ad latus legitur adscriptum a manu recentiore + CΑΜѠΗΛ.

NITIAS M*y*STAE PIEI

Latina inscriptio oblitterata

ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΤΟΥ
ΙΦΙΚΡΑΤΟΥΣ ΜΥΣΤΑΙ ΕΥΣΕΒΕΙΣ
ΘΕΩΡΟΙ ΔΑΡΔΑΝΕΙΣ
ΛΥΣΙΜΕΝΗΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΟΥ
ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ ΔΕΙΝΟΚΛΕΟΥΣ
ΣΥΜΜΥΣτΑΙ ιΣΟΚΛΗΣ
ΟΛΥΜΠΙΟΔΩΡΟΥ
ΠΑΤροκλΟΣ ΚΑΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗΣ
ΟΙ ΑΛΕΞΙΜΑΧΟΥ
ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΔΙΟΔΩΡΟΥ
ΜεΝΟΦΑΝΤΟΣ ΦΙΛΟΚΡΑΤΟΥΣ
ΑΚΟΛΟΥΘΟΙ
ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ ΕΥΗΜΕΡΟΥ

Blau et Schlottmann *Monatsberichte der Berl. Akad.* 1855 p. 615; pleniorem ed. Conze *Reise auf den thrak. Inseln* p. 70.

1 in NITIAS cognomen aliquod latet. — MISTAE traditur. — 10 ΘΥΑΛΕΞΙΜΑ . . . Bl. Schl., qui hinc incipiunt. — 12 ΜΕΝΟΦΑΝΤΟΣ Conec, ..ΘΟΑΝΤΟΣ Bl. Schl. — ΦΙΛΟΚΑ... Bl. Schl. — 13 ΑΚΟΛΟΥΘΕΙ Bl. Schl. — 14 ΕΥΗΜΕΡΟΥ om. Bl. Schl.

De Samothraciis his titulis ita agemus, ut antiquitatis Romanae tractationem ne egrediamur. Rex qui eponymi loco memoratur n. 580 summus est apud Samothracios magistratus (Liv. 45, 5; C. I. G. 2157 al.). Deos magnos in Samothrace praecipue cultos esse celebratis mysteriis nemo ignorat; urbes, unde publice missos legatos mysteriis illis interfuisse adhuc comperimus, sunt hae: in Peloponneso Elis; in Illyrico Epidamnus; in Macedonia Thraciave Sane, Thasus, Abdera, Maronea; in Asia Cyzicus, Abydus, Dardanus, Eresus in Lesbo, Myrina, Cyme, Clazomenae, Teus, Colophon, Ephesus, Alabanda, Astypalaea, Halicarnassus, Cos, Ceramus, Caunus. Dicuntur qui mittuntur Graece θεωροί, eodemque revocavit Henzenus LEG n. 578, explicans *leg(atei)*, quod si verum est, lapis sic ordinari debet:

LEG
L·LVVCEIVS·M·F   P·LIVIVS·M·L·PVL

nam θεωρῶν appellatio ubivis praecedit nomina. At hac aetate nullus fuit in partibus supra nominatis populus qui Latina lingua uteretur, nec facile Puteolani Ostiensesve septimo saeculo publice ad Samothracia mysteria legatos misisse credentur; quam ob rem quattuor homines Romanos, qui C. Claudio M. Perpenna cos. in Samothrace fuerunt, magis putarim fuisse privatos et LEG illud pro cognomine habuerim secundum illius temporis consuetudinem non plene perscripto. Cum legatis saepe veniunt cum qui suo nomine eodem itinere suscepto simul initiantur, συμμύσται dicti n. 581, tum ministri sive ἀκόλουθοι, quo loco n. 580 nominatur familia principis legationis Pausaniae. Etiam privatos homines

saepe venisse solos ad mysteria celebranda consentaneum est; ut inter alios legatus L. Luculli Voconius a. u. c. 681 ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυούμενος καὶ πανηγυρίζων καθυστέρησε (Plutarch. Luc. 13). Dicuntur vero omnes sic initiati verbo sollemni μύσται εὐσεβεῖς vel Latine *mystae pii;* cuius formulae Latinae praeter inscriptiones antiquiores supra relatas exemplum duobus saeculis recentius offert titulus ex Samothrace Parisios adlatus a Baehrio editusque a Francisco Lenormant (*descr. des méd. de M. Behr.* Paris. 1857. p. 224), restitutus vero egregie ab Henzeno:

ceioni|O · C O M|*modo* p. C. 136.
*sext*O · V E T V|*leno*
ciuica p|OMPEIANO *cos*
. . . . .|XIII· XII· XI·|*k. aug.?*
m|YSTAE PII|

Unde simul apparet mysteria illa per complures dies celebrata esse; idque confirmat mensis Quinctilis commemoratio n. 578 dierum indicatione omissa. Quod si quotannis sacra illa facta sunt statis diebus, quod tamen minime affirmarim ita fuisse, mysteriorum dies extremus fuit 22. mensis Iulii. — Apud Romanos vel liberae rei publicae aetate deorum Samothraciorum religionem invaluisse eosque utpote cum Troica Romanorum origine coniunctos eosdem creditos esse ac penates auctores sunt non pauci, quorum antiquissimus Cassius Hemina est (apud Macrob. sat. 3, 4, 9). Quid quod Varro Humanarum secundo scribit hos deos portavisse Dardanum ex Samothracia in Phrygiam, scilicet in oppidum ab ipso ibi conditum, de Phrygia Aeneam in Italiam (Dionys. 2, 66; Macrob. sat. l. c.) reperiuntur que cum narratione hac de Samothracia Romanorum penatium origine Dardanus Troianae gentis primus princeps et conditor oppidumque ab eo in Troade conditum eiusdem nominis intima ratione coniuncta; adeoque praecipuam illam amicitiam, quae inter Romanos Dardanensesque inde ab antiquissimo tempore intercessit (cf. Liv. 38, 39), ab his ipsis fabellis originem cepisse credendum est. Quam ob rem facile intellegitur, et cur Dardanenses vel maxime Samothracia illa mysteria celebrarint et qui factum sit, ut cum duabus eorum legationibus simul venerint συμμύσται Romani.

582 prope Romam rep. ultra S. Pauli.

c·|S E R G I V S · M · F
VEL · MENA
. . . *s*|ERGIVS · C · F · VEL
QVOM · Q · CAEPIONE u. c. 664.
PROELIO · EST · OCCISVS
C · SERGIVS
C · SERGIVS

Henzen *Bullett.* 1852 p. 206 ex schedis Amatii, cui dedit Vescovalius. — Versus ab initio effractos esse descriptor non notavit; v. 7 proficiscitur fortasse ex prava geminatione.

Appiano (b. c. 1, 44) Livioque (ep. 73) auctoribus interfecto a. 664 a. d. III id. Iun. ad Tolenum fluvium P. Rutilio Lupo consule senatus exercitui eius praefecit qui legati eius fuerant C. Marium et Q. Servilium Caepionem etiamtum iuvenem (Eutrop. 5, 3), eundem cuius quaestorie nummum supra habuimus n. 377, pari cum imperio. Nec multo post Caepio insidiis circumventus a. Q. Pompaedio duce Marsorum cum plerisque suorum caesus est (αὐτόν τε Καιπίωνα καὶ πολλοὺς σὺν αὐτῷ κατέκοψαν). Cum non procul ab urbe pugna haec commissa esset, occisorum corpora eo adduci potuerunt ibique sepeliri, nec de cenotaphio cogitemus necesse est; nam senatus consultum, quo interfecti in proelio ut ibi sepelirentur ubi cecidissent cautum est (Appian. 1, 43), nihil impedit, quominus non post Rutilii caedem, sed post Caepionis demum factum esse statuamus. Ceterum notandum est patrem libertini videlicet filium cognomine Graecanico uti, filium eum ipsum, qui in pugna cecidit, utpote a patre avoque civibus oriundum, cognomine abstinere.

583 '*in pietra nostrana delle nostre cave di Candelara o di Cereto, della qual pietra son tutte le are scoperte nel luco sacro degli antichi Pesaresi, l'iscrizione latino-etrusca dell' Aruspice ed altre che si conservano in Pesaro.' Olivieri.* Effossus est titulus a. 1735 non prope *Monte Baroccio* in confiniis agri Pisaurensis et Fanestris, sicut primum Oliverio relatum est, sed in territorio Fanestri M. p. paulo plus a fine Pisaurensium *nella Villa di S. Cesareo nella possessione de' PP. Camaldolesi, fondo Beverano. Olivieri mem. di Novil.* p. 92. Advectam mox esse in coenobium Camaldulensium narrat *Oliv.* Fani in aedibus publicis extare auctor est *Amiani.*

M · TERENTIVS · M · F u. c. 672/3
VARRO · LVCVLLVS
PRO · PR · TERMINOS
RESTITVENDOS
EX · S · C · COERAVIT
QVA · P · LICINIVS
AP · CLAVDIVS
C · GRACCVS · III VIR
A · D · A · I · STATVERVNT

Olivieri marm. Pis. p. 5 a Sebastiano Paoli (cf. comm. p. 27; inde Mur. 486, 4, cui misit praeterea Petrus Paulus Marcolini comes, Orell. 570 neque aliunde Amiani *stor. di Fano* 1751 n. 31); correctius idem αὐτόπτης *mem. di Novilara* (Pesaro 1777. 4) p. 92.

1 A · TERENTIVS Oliv. marm. Pis. mero errore typographico, quem etsi ipse in Corr. sustulit, tamen plerique exscriptorum retinuerunt. — 2 LVCVL Oliv. m. P.

Tractavit titulum Borghesius (apud Toninium Rimini p. 152 sq.) attribuitque anno 679 vel 680, cum M. Lucullus a. 678 praetor fuerit inter cives et peregrinos annoque 681 fasces obtinuerit; quo anno sive 679 sive 680 si vere M. Lucullus propraetoris officio in illis partibus functus est, sequitur agrum quem dicunt Gallicum, quo et Pisaurense territorium comprehenditur et Fanestre, ad annum certe 679 provincialem mansisse neque ante a. 680 cum Italia contributum esse. Mihi cur secus esse videatur, exposui in hist. Rom. vol. 2 ed. 3 p. 361. Idem enim Varro Lucullus iam a. 672 in his ipsis partibus exercitui praefuit (Vell. 2, 28. Plutarch. Sull. 27. App. b. c. 1, 92), magistratu nondum ullo gesto, sed omnino pro magistratu: pro praetore autem ibi fuisse eum etsi auctores non tradiderunt, tamen quo alio nomine appellari potuerit non intellego firmaturque id eo, quod Cn. Pompeium eodem tempore similique condicione pro praetore exercitui praefuisse scribit Licinianus (p. 39 ed. Bonn.). Quam ob rem non a. 679 vel 680, sed a. 672 vel sequente pro praetore M. Lucullus hanc regionem obtinuit (cf. App. b. c. 1, 95) terminosque de quibus titulus loquitur Gracchanos renovavit. Itaque ex hoc titulo utpote non ordinarii magistratus, sed ducis in bello versati, nihil omnino efficitur de agri Gallici condicione neque quidquam obstat quominus, quod mea fert opinio, a. 673 a Sulla dictatore ad Italiam adiectus sit. — De terminis Gracchanis dixi supra p. 156, quam vide.

584 nuper reperta Romae in Quirinali, quo loco Dei Fidii templum fuit *Urs.* In Quirinali *Lig.* *'Scopertasi quest' anno mentre io scrivo' Borghini.* Deinde apud Ursinum *Ursin.* indeque in museo Farnesiano. Hodie est Neapoli in museo publico.

L · CORNELIO · L · F
SVLLAE . FELICI
DICTATORI — u. c. 672/5.
VICVS · LACI · FVND

Ritschl tab. LXIX A ex lapide. Descripsi. Habent Ursin. de famil. p. 74 et in notis ad Sallust. cet. p. 457; Ligorius in ms. Taurin. 18; Borghini *discorsi* (Flor. 1584) 1, 194; Lipsius auct. p. 17, 1 q. v.; Grut. 398, 5 ex Ursino; Orell. 567; I. N. 6796.

Sullae dictatori publice Romae a. 674 vel 675 in foro pro rostris statuam equestrem inauratam positam esse cum nummi docent, scilicet aureus supra relatus n. 423 percussus ab A. Manlio A. f. quaestore, in cuius aversa statua equestris illa visitur una cum inscriptione L · SVLLae FELici DICtatori, tum auctores, praesertim Appianus b. c. 1, 97: *εἰκόνα αὐτοῦ ἐπίχρυσον ἐπὶ ἵππου πρὸ τῶν ἐμβόλων ἀνέθεσαν καὶ ὑπέγραψαν Κορνηλίου Σύλλα ἡγεμόνος εὐτυχοῦς*, ubi Graeco *ἡγεμόνος* vocabulo redditum esse arbitror Latinum dictatoris; nam Appianus si imperatorem intellexisset, omnino *αὐτοκράτορος* nomine usus esset, contra dictator quamquam num alibi *ἡγεμὼν* appelletur nescio Fabioque dictus videtur esse *στρατηγὸς αὐτοκράτωρ* (Diod. 19, 16 cf. 14, 93. 19, 72. 101; Polyb. 3, 87), tamen apud posteriores et caret nomine Graeco certo et recte *ἡγεμὼν* appellari potuit nomine ad regiam potestatem prope accedente. De eadem re Cicero Phil. 9, 6, 13: *ahenea statua — — inaurata equestris — — L. Sullae primum statuta est;* Vell. 2, 61 de Octaviano honorato *equestri statua in rostris posita — — qui honos non alii per trecentos annos quam L. Sullae et Cn. Pompeio et C. Caesari contigerat.* Post Pharsalicam pugnam cum eam statuam tum Pompei pro rostris stantes plebs disiecit, sed mox C. Caesaris iussu utraque restituta est (Suet. Caes. 75; Dio 42, 18. 43, 49). — Idem quod in foro pro rostris fecit populus Romanus, etiam vicos urbis vel singulos vel certe aliquot fecisse basis haec ostendit. Vicus laci Fundani praeterea non nominatur; lacum tamen a quo dictus est commemorat inscriptio Henzeniana n. 7272: *M. Claudius Priscus redemptor a laco Fundani.* Lacus ita nominatus videri potest ab Hercule Fundanio (Fabrett. 692, 131 = Mur. 62, 10 = Orell. 1539. Vita imp. Floriani c. 4), nisi potius statua nomen traxit a lacu. Genetivus *laci* ne quempiam offendat, citabo ex basi vicomagistrorum (Orell. 5; cf. Preller *Reg.* p. 245) vicos *laci miliari* (reg. XIII), *laci tecti* (reg. XII), *laci res ....* (reg. XIIII). *Fundanii* autem, non *Fundanius lacus* dicebatur teste inscriptione supra relata; idque commendatur usu Romano. Nam ubicumque a nomine gentilicio tales appellationes proficiscuntur, non adiectivam formam, sed genetivum substantivi admittunt; ita in basi modo citata leguntur vicus *Caeseti*, vicus *Fabrici*, vicus *Ploti*, vicus *Saufei*, vicus *Sergi*, vicus *Sulpici citerioris*, *Sulpici ulterior.* — Romana inscriptio quae dicitur Ligorio (apud Gud. 84, 3 = ms. Taur. 6): L · CORNELIO · SVLLAE · COS · MAGIST · VICI · LACI · TECTI · RESTITVTI ne quem deciperet auctor satis providit; adhibuit ad eam fingendam basim Capitolinam, in qua vidimus inveniri vicos in regione XII *laci tecti*, in regione XIIII *laci res[tituti].*

585 Traiecti ad os cisternae quae est in claustro S. Francisci *Iucund.*; Caietae *Panv.*; locum non adscripsit, sed dedit cum titulo Minturnensi I. N. 4061 *Pigh.* Roma medio aevo advectam ad illas partes existimo ut alios earum lapides non paucos.

l · CORNELIO · L · F
SVLLAE · FE·LEICI
DICTATORI — u. c. 672/5.
LIBERTINI

Cod. Iucundi Veron. f. 210; cod. Pigh. Berol. f. 210; Panvin. fast. ad a. 672 (inde Manuth. orth. 739, 2; Smet. 84, 12; Augustinus dial. Tarrac. 1587 p. 385; Grut. 398, 4; Pratilli p. 143); Ligorius ms. Taurin v. 6.

Versuum divisio incerta. — 1 in. L· om. Iuc., habent reliqui, ex supplemento puto. — 2 FELLEICI Iuc., FELICI reliqui. — 4 LIBERTINI Iuc., LIBERTINI Lig., LEIBERTINI Pigh. Panv.

Hanc inscriptionem quamquam primum prolatam ex fontibus Ligoriana faece inquinatis tamen non esse Ligorianam olim dixi; quod iam plane stabilitur accedente Iucundi testimonio Ligorio antiquioris et probi omnino auctoris. Qui dedicant, Cornelii sunt, de quibus Appianus b. c. 1, 100: (Sulla) *τῷ δήμῳ τοὺς δούλους τῶν ἀνῃρημένων τοὺς νεωτάτους τε καὶ εὐρώστους μυρίων πλείους ἐλευθερώσας ἐγκατέλεξε, καὶ πολίτας ἀπέφηνε Ῥωμαίων, καὶ Κορνηλίους ἀφ' ἑαυτοῦ προσεῖπεν, ὅπως ἑτοίμοις ἐκ τῶν δημοτῶν πρὸς τὰ παραγγελλόμενα μυρίοις χρῷτο.* Et paulo post c. 104: *ἕτοιμοι δ' οἱ κατὰ τὸ ἄστυ μύριοι Κορνήλιοι.* Cum qua decem milium Corneliorum manumissione coniunctam fuisse existimo collegii constitutionem Corneliorum, de qua ut de re nuper facta dixit Cicero in Corneliana habita a. u. c. 689 (apud Ascon. p. 75 Orell.); nam et Sulla homines illos a se liberatos sane paratiores habuit et efficaciores in collegii formam coniunctos, et ipse titulus hic libertinorum qui statuam dedicarint fuisse aliquod corpus arguit.

586 in lapide Tiburtino ingenti Clusii in via qua itur ad eccl. cathedralem.

L CORNELIO L · *f*
SVLLAE FEELIC*i*
DIC — u. c. 672/5.

Ritschl tab. LXIX B ex lapide. Ed. Gori Etr. 2, 406 (inde Mur. 694, 5).

Mariani in Etruria qui bellum gesserunt cum Sullanis, tamquam sedem belli habuerunt Clusium; ita App. b. c. 1, 89: (Carbo) *ἐξώρμησεν ἐς Κλούσιον, ἔνθα τοῦ πολέμου τὰ λοιπὰ ἤκμαζεν.* Quod post victoriam Sulla Clusinis pepercit vel etiam non pepercit, causa videtur fuisse statuae dedicandae.

Potuit his addi album augurum relatum post alios apud Henzenium n. 6021 hoc:

q. pompeio q. f. rufo — u. c. 666.
l. CORNELIO · L · F · SVLLA *cos*
POST · R · C · AN DC*lxu*
L · SEMPRONIVS · L · F · ATRA*tinus* *cooptatus*
CN · DOMITIO . M · F · CAL*vino* — u. c. 714.
C · ASINIO · CN · F · POLLION*e cos*
L · CORNELIO · L · F · BALBO · P CA*nidio p. f. crasso suf.*
POST · R · C · AN · DCCX*iii*
P · PETRONIVS · P · F · .... *cooptatus*
Q · CAECILIO · CRETICO · M · F · *silano a. licinio nerva cos.*
POST · R · C · AN · DCC*lviiii* — p. Chr. 7.

DECVRIA II....

M · CORNELIVS · M *f* .... *cooptatus*
....

Cuius albi caput primum incidi potuit aetate ea quam prae se fert, scilicet a. 666; nam de consulatu Sullae secundo cogitari non debet, quoniam dictator tum vix secundo loco scribi potuit. Magis tamen crediderim totam inscriptionem posterioris aetatis esse, quam certe prae se fert *decurià* v. 11 cum apice in vocali longa; itaque eam quamquam nolui tacite praeterire, tamen obiter tantum commemoravi, maxime cum ad hunc titulum recte tractandum necessarium sit alborum sacerdotalium residua colligere omnia et explicare.

587 in tabula magna lapidis Tiburtini. 'Romae hoc anno 1637 in palatio Barberino ad montem Quirinalem reperta' *Holst.*; in aedibus Quirinalibus Barberinorum *Gud.*; '*chez un sculpteur du palais Barberin*' *Spon.*; in museo Zeladae *Marin.*; nunc in museo Vaticano. — In margine intuenti sinistra supersunt vestigia quaedam inscriptionis antiquioris.

c. a. 673?

POPVLVS·LAODICENSIS·AF·LYCO
POPVLVM · ROMANVM·QVEI · SIBEI
SALVTEI·FVIT·BENIFICI·ERGO·QVAE·SIBEI
BENIGNE · FECIT
Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ
ΤΩΙ ΛΥΚΩΙ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΟ[Ν]
S ΡΩΜΑΙΩΝ ΓΕΓΟΝΟΤΑ ΕΑΥΤΩΙ
ΣΩΤΗΡΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ
N ΤΗΣ ΕΙΣ ΕΑΥΤΟΝ
ΛN

Ritschl tab. LXXII B ad lapidem. Exhibuerunt Holstenius ad Steph. p. 187 (quem qui Latina omisisse referunt, non inspexerunt ipsum, sed tantum qui male ut solet Holstenium exscripsit Muratorium 1053, 5); Gudius ms. 447, 1, ed. 143, 1; Spon *voyage* 3, 145; Marini Arv. p. 768 q. v.; Osann p. 450; Orell. 3036; C. I. Gr. 5881.

3 Graecas formulas parum bene expressit interpres; debuit scribi sic fere: *quei sibei salutei fuit et bene fecit, virtutis ergo quaeque sibei benigne fecit.* — SIBE tabula, sed SIBEI Holst. Gud. Mar., SIBI Spon. — 6 ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΟΝ ΤΩΝ Holst. — 7 ΕΑΥΤΩΙ Holst. Gud., ΕΑ.... Mar. tab. — 9 ΕΥΝΟΙΑΣ Holst. Gud.

588 in tabula magna lapidis Tiburtini. Romae in aedibus Quirinalibus Barberinorum *Gud.*; in museo Zeladae *Marin.*; nunc in museo Vaticano.

POPVLVS·EPHESIV|*s populum romanum* c. a. 673?
SALVTIS·ERGO·QVOD O|*ptinuit maiorum*
SOVOM·LEIBERTATEM·I
LEGATEI · HERACLITVS·H|......*filius*
HERMOCRATES · DEM*et*|*ri filius*

Ritschl tab. LXXII A ad lapidem. Exhibuerunt Gud. ms. 447, 2, ed. 144, 3; Marini Arv. p. 768; Osann. syll. p. 451; C. I. Graec. 5881.

1 EPHESIVS Gud. Mar. — 2 extr. C Gud., O Mar. — 3 extr. I Gud., E Mar. — 3 *souom* pro genetivo contracto in tali formula non dubitavi admittere, ut *procum patricium* similiter ex censoriis tabulis citatur a Festo p. 249; certe qui accipit pro singulari neutrius, restitutionem babet non facilem, nec recte scriberetur *ius suum*, quamquam *libertatem leges suas urbem agrosque* concedi civitati liberae notum est. — 4 HI... Gud.

589 Romae in vetusto marmore quadrato *Sirm.* in Capitolio *Pigh.* in area Capitolini palatii *Boiss.*

COMMVNI·RESTITVTO·IN·MAIORVM·LEIBER*tatem* c. a. 673?
ROMA · IOVEI · CAPITOLINO · ET · POPLO · ROMANO · V*irtutis*
BENIVOLENTIAE · BENIFICIQVE · CAVSSA · ERGA · LVCIOS · AB · COMMVN*i*
ΛΥΚΙΩΝ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΚΟΜΙΣΑΜΕΝΟΝ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΟΝ ΔΗ
ΜΟΚΡΑΤΙΑΝ ΤΗΝ ΡΩΜΗΝ ΔΙΙ ΚΑΠΕΤΩΛΙΩΙ ΚΑΙ ΤΩΙ
ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ ΡΩΜΑΙΩΝ ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ
ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ ΤΟ ΛΥΚΙΩΝ

Duo exempla extant, alterum apud Pigh. cod. Berol. f. 195 et Boissardum 3, 97 (inde Grut. 1009, 1) nec diversum fuit Gutenstenianum adhibitum a Grut. in add. ed. 1 et in ed. 2, alterum Sirmondi ms. Paris. suppl. Lat. 1418 n. 1 (unde male quaedam afferuntur apud Grut. l. c. in add. ed. 1 et in ed. 2), qui testatur se vidisse. Extat praeterea in cod. Vat. 5241 f. 149 nec tamen mihi inde descripta est. Male tractavit Franzius C. I. Gr. 5880.

1 ::: COMMVNI·RESTITVTO·IN Sirm., MVN·L·RESTITVTE (-TAE Boiss.) NN Pigh. Boiss., MVNI·RESTITVIT·EI·IN(?) Gutenst. — LEIBERTATEM Sirm., LEIBERI Pigh. Boiss. — 2 ROMA Sirm. Pigh. Boiss. Male coniecerunt ROMANO Sirm., ROMAE Scal. Franz; verba ROMA .... AB. COMMVNI (*posita*) respondent Graecis ΤΟ ΚΟΙΝΟΝ .... ΤΗΝ ΡΩΜΗΝ. — IOVI Sirm. — VIRTVTIS Sirm., VM Pigh. Boiss. — 3 BENIFICI Sirm., BENEFICI reliqui. — CAVSA Sirm. — AB COMMVN Pigh. Boiss., AB COMVI Gut., /// Sirm., quod videtur lacunam indicare. Si liceret reicere verba haec a Sirmondo non enotata, posses conicere initio *ab* COMMVNI RESTITVTO, quod eodem fere rediret. — 4—7 in vv. div. secutus sum Sirm.; alterum exemplum finit in ΔΗΜΟ, ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ, ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ. — 4 ΛΥΚΙΩΝ Sirm., ΑΚΙΩΝ Boiss., ΑΚΙΝ Pigh. — ΚΟΜΙΣΑΜΕΝΟΝ Sirm. Pigh. Gut., ΚΟΜΙΣΑΜΕΝΩΝ Boiss. — 5 ΤΗΙ ΡΩΜΗΙ Grut. male tribuit Sirmondo. — ΔΙΙ Sirm., ΔΗ Pigh. Boiss. — ΚΑΠΕΤΩΔΙΩΙ Boiss. — 6 ΤΩ Pigh. Boiss., ΤΩΝ Sirm. — 7 ΕΙΣ om. Pigh. — ΤΟ Pigh., Gut., Sirm. Gruteri; ΤΩΝ Boiss.; om. Sirm. meus.

Eodem loco extitit titulus, qui videtur simul repertus, editus a Boissardo 3, 97 (inde Grut. 1029, 12. C. I. Gr. 5882), melius descriptus in codice Cittadini Veneto p. 82 (ubi praescribitur 'in lapide Tiburtino in area Capitolina, uno ex duobus lapidibus, in quo summe deest; principium credo fuisse in alio lapide') et in codice Pighiano Berolinensi f. 195 (ubi praescribitur 'Romae in Capitolio'):

ἡ πόλις ἡ ....|ΙΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΘΕΙΣΑ ΤΑ ΜΕΓΙΣΤΑ ΥΠΟ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ
τοῦ ῥωμαίων ἑαυτῇ φι|ΛΟΥ ΟΝΤΟΣ ΚΑΙ ΣΥΜΜΑΧΟΥ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΔΙΙ ΚΑΠΕΤΩ
λίῳ καὶ τῇ ῥώμῃ πρε|ΣΒΕΥΣΑΝΤΩΝ ΒΑΚΧΙΟΥ ΤΟΥ ΛΑΜΠΡΙΟΥ
.... τοῦ δι|ΟΝΥΣΙΟΥ ΦΑΙΔΡΟΥ ΤΟΥ ΠΑΥΣΑΝΙΟΥ

Formam litterarum dedi ex Cittadinio. — 1 ΩΝ Pigh. Boiss. — ΘΕΙΣΑΤΑ Citt., ϑεις α τα Pigh., ΘΕΙΣΕΡΓΑ Boiss. — ΜΕΓΙΣΑ Citt. — 2 ΛΟΥ Citt. — ΣΥΜΑΧΟΥ Citt. — ΔΠ Boiss. — 3 ΛΑΠΡΙΟΥ Citt. — 4 ΟΝΥΞΙΟΥ Citt.

Similem titulum, quem quattuor oppida Bithyniae, Apamea fortasse tresque Prusiades, *ab Hypio*, *ab Olympo*, *ab mare* posuerunt *[? L. Cadi]o L. f. Rufo pro [cos. Ponti et Bithyniae?]* post Franzium C. I. Gr. 5894 tractavi in actis soc. Lips. a. 1852 p. 259 sq. neque aliam ob causam hoc loco commemoro, nisi ut moneam ad liberae rei publicae aetatem minime eum pertinere videri.

Titulorum qui praecedunt n. 587—589 aetatem definire quamquam anceps res est et periculi plena, tamen non sine aliqua probabilitate videntur posse referri ad bellum Mithridaticum. Laodiceam ad Lycum fluvium (hodie Eski Hissar) Phrygiae oppidum in trium provinciarum Phrygiae Cariae Lydiae confiniis situm a. u. c. 666 obsidionem Mithridatis sustinuisse narrat Appianus Mithr. 20 sic: *Λαοδικεῦσι δὲ ἔτι ἀντέχουσι τοῖς περὶ τὸν Λύκον ποταμὸν* (*Ῥωμαίων γάρ τις στρατηγὸς Κόϊντος Ὄππιος ἱππέας ἔχων καὶ μισθοφόρους τινὰς ἐς τὴν πόλιν ἐσδραμὼν ἐφύλαττεν αὐτήν*) *κήρυκα ἐπιπέμψας* (rex Mithridates) *ἐπὶ τὰ τείχη λέγειν ἐκέλευσεν, ὅτι βασιλεὺς Μιθριδάτης ὑπίσχεται Λαοδικεῦσιν ἄδειαν, εἰ τὸν Ὄππιον αὐτῷ προσαγάγοιεν. οἱ δ' ἐπὶ τῷ κηρύγματι τοὺς μὲν μισθοφόρους Ὀππίου μεθῆκαν ἀπαθεῖς ἀπιέναι, αὐτὸν δ' ἦγαγον τῷ Μιθριδάτῃ τὸν Ὄππιον, ἡγουμένων αὐτοῦ τῶν ῥαβδοφόρων ἐπὶ γέλωτι.* Quod factum Laodiceni, cum praesertim per obsidionem grave damnum perpessi essent (Strab. 12, 8, 16 p. 578 Cas. *κακωθεῖσα ἐκ πολιορκίας ἐπὶ Μιθριδάτου τοῦ Εὐπάτορος*), post victoriam Romanorum ita invertere potuerunt, ut vi coacti Oppium se tradidisse victoriamque illam saluti sibi fuisse contenderent. — Ephesii cum initio belli (c. a. 666) Mithridatem non tantum sua sponte recepissent, sed etiam Romanorum statuas evertissent (App. Mithr. 21. 61) Italicosque apud se morantes iussu regis trucidassent (ib. 23), postea (668) praefectum regis Zenobium cum suis in urbem ingredi vetuerunt receptumque inermem cum paucis necarunt (ib. 48. Oros. 6, 2); unde factum videtur, ut victor Sulla, quamquam in regiae partis homines cum alibi tum maxime Ephesi acerbe animadvertebat (ib. 61), tamen libertatem iis concederet. — Lycii denique cum ab initio a Romanis contra Mithridatem stetissent (Appian. Mithr. 20. 21. 24. 27), a Sulla libertate donati sunt (ib. 61), qua antea caruerunt; nam quod a. u. 585 Lycii a Rhodiis liberi esse iussi sunt senatus Romani consulto (Polyb. 30, 5. 31, 7. Liv. 44, 15. 45, 22), hoc significat praesidia Rhodiorum ex Lycia deducta esse, non communi Lyciorum a populo Romano civitatis liberae ius tributum, quamobrem male omnino Franzius ad hoc a. 585 senatus consultum Lyciorum donarium rettulit. — Scriptura denique titulorum et eandem omnibus aetatem assignat et ad Sullana tempora optime se accommodat (cf. Ritschl mon. tria p. 8; *Rhein. Mus. N. F.* 9, 17. 160). Quamobrem titulos puto dedicatos esse a populis Asiaticis qui post victoriam Sullanam Romam venerunt cum gratiarum agendarum tum foederum confirmandorum causa (cf. Appian. b. c. 1, 102). — Priores duo in Capitolio antiquo montis Quirinalis videntur stetisse, tertius cum adiuncto Graeco in monte Capitolino; qua de re dixi *annali* 1858 p. 206.

---

590 graphio scripta olim Pompeiis in basilica, hodie desecta Neapoli in museo.

C PVMIDIVS DIPILVS HEIC FVIT
A D V NONAS OCTOBREIS M LEPID Q CATVL COS u. c. 676.

Ritschl tab. XVII, 22. Descripsi. Ed. Gell Pomp. 1821 p. 215; 1835 p. 31; Bonucci *Pompéi* p. 157; Garrucci *graffiti de Pompéi* tab. 3. n. 1.

Similes tituli parietarii saepe reperiuntur Pompeis; sic in via Mercurii descripsi hunc:

P · COMICIVS RVSTITVTVS CVM FRATRII
IC · STIITIT

item in eadem tabula musei, ubi legitur titulus C. Pumidii Diphili:

Q · ET · SALVI\ /// HIC · FVERVNT

item in via *della Fontana dell' Abbondanza:*

SATYR HIC
FVIT
IONICE VA

---

591 rep. Romae sub Capitolio a. 1845 et Caninae iussu affixa in tabulario quod dicitur eo quo ei olim videbatur stetisse loco; antiquo tempore vero collocata fuit non in aerario Saturni, sed in aliqua parte aedis Iovis optimi maximi a Catulo refectae.

q lu[TATIVS · Q · F · Q · N · C]*atulus cos* u. c. 676—694.
de s[EN · SENT · FACIVND]*um coeravit*
[EIDEMQVE · *p*ROB]*avit*

Ritschl tab. LXIX c ex lapide, quem vidi ipse. Ed. Canina ann. vol. 23 a. 1851 p. 270.

Q · LVTATIVS · Q · F · Q · *n* · CATVLVS · COS u. c. 676—694.
SVBSTRVCTIONEM · ET · TABVLARIVM
DE · S · S · FACIVNDVM · COERAVIT
*ei*DEMQVE · PRO*bavit*

Nicol. Signorili ante a. 1389 descripsit (Rossi *le prime raccolte* p. 100 n. 77); item Poggius (Rossi l. c. p. 154 n. 56), post quos nemo titulum vidit, quem iam Iucundum frustra quaesivisse supra diximus. Ex Signorilio Poggiove pendent Ferrarinius f. 94 cod. Traiect.; Iucundus cod. Ver. f. 52; Mazoch. f. 21 (ubi vidisse se negat Albertinius); codex Pighii f. 25; Panvin. fast. ad a. 676; Manut. orth. 163, 3; Boissardus 3, 101; Grut. 170, 6 ex Panvinio et Boissardo; Mur. 291, 2 ex schedis Antonii Scotti Tarvisini schedisque Iucundi; Orelli 31 = 3267.

592 'Romae in fundamentis Capitolii, ubi nunc salare maius, sunt litterae scriptae' *Signorili*. In antiquo Capitolio ubi sal reponitur *Poggius in sylloge inscr.*; 'extant in Capitolio fornices duplici ordine novis inserti aedificiis, publici nunc salis receptaculum, in quibus scriptum est litteris vetustissimis atque adeo humore salis excsis Q. Lutatium Q. f. et Q. Catulum coss. substructionem et tabularium de suo faciundum coeravisse' *Poggius de var. fort.* (ed. Lutet. 1723) p. 8. — 'Romae in fundamentis Capitolii ubi nunc est salare maius; quaesivi et non inveni, coopertum puto ab ipso salare supra aedificato' *Iucundus Veron.*

Exempla duo antiqua, quibus insistendum est, ita comparata sunt:

Signorili:

Q · LVTATIVS · Q · F · Q · CATVLVS · COS
SVBSTRVCTIONEM · ET · TABVLARIVM
DE · S · S · FACIVNDVM · COERAVIT
DE AQVE · PRO

Ita codd. Catan. optimus et Chig. (unde ed. Rossius) et Traiectinus Lat. 59 eum e l. hoc: 1 ante CATVLVS spatium litterae unius vacat in Cat. — 2 SVSRVCTIONEM Trai. — 3 DE om. Chig. — FACIENDVM Trai. — COERAVIT Cat., CVRAVIT Chig. Trai. — 4 DE AQVE Cat. Trai. idemque significat Chigiani *de aq.*

Poggius:

Q · LVTATIVS · Q · F · Q · CATVLVS · COS
SVBSTRVCTIONEM · [ET TABVLARIVM]
DE · S · S · FACIVNDVM · COERAVERE

Ita codd. duo Rossii Angelicanus et Vaticanus, nisi quod 2 om. ET TABVLARIVM uterque liber, quod tamen Poggium ipsum non omisisse verba eius supra relata docent. — 3 CVRAVERE cod. Vat.

Posteriorum errores interpolationesque referre operae pretium non est; sufficit adnotavisse quarti versus reliquias solum Signorilium servasse, exscriptores eius omnesque editores ad exemplum Poggii omisisse.

Aedem Iovis optimi maximi Capitolinam prid. non. Quinct. a. u. c. 671 combustam restituere coepit Sulla dictator, absolvit dedicavitque Q. Catulus cos. a. u. c. 676; qua de re testimonia praecipua quae extant sunt haec. Liv. ep. 98 ad a. u. c. 685: *templum Iovis in Capitolio, quod incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est.* Cassiodor. ad eundem a.: *His conss. a Q. Catulo reparatum dedicatumque Capitolium est.* Phlegon (apud Phot. cod. 97 vol. 3 p. 606 Muell.) ad Ol. 177, 4, u. c. 685: τὸ Καπιτώλιον ἐν Ῥώμῃ Κάτλος καθιέρωσε. Plutarch. Popl. 15: τὸν δὲ δεύτερον (ναὸν) ἀνέστησε μὲν Σύλλας, ἐπεγράφη δὲ τῇ καθιερώσει Κάτουλος Σύλλα προαποθανόντος. Gell. 2, 10 ex epistula M. Varronis ad Ser. Sulpicium (cf. Nonius v. flavisas p. 112 Merc.): *in memoria sibi esse quod Q. Catulus curator restituendi Capitolii dixisset voluisse se aream Capitolinam deprimere, ut pluribus gradibus in aedem conscenderetur suggestusque pro fastigii magnitudine altior fieret, sed facere id non quisse, quoniam favisae impedissent. Id esse cellas quasdam et cisternas, quae in area sub terra essent, ubi reponi solerent signa vetera quae ex eo templo collapsa essent et alia quaedam religiosa e donis consecratis.* Cf. Cic. Verr. 4, 28—32; Val. Max. 2, 4, 6; Suet. Octav. 94. Galb. 2; Plin. h. n. 19, 1, 23. 33, 3, 57. 34, 8, 77, ubi minora quaedam de Catuli illa aedificatione traduntur. A. u. c. 692 C. Caesar tum praetor *Q. Catulum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat, verum impar optimatium conspirationi — hanc actionem deposuit,* teste Suetonio Caes. 15. Similiter Dio 37, 44: ἔπραττε μὲν γὰρ ὅπως τὸ μὲν τοῦ Κατούλου ὄνομα ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίου ἀφαιρεθείη (κλοπῆς τε γὰρ αὐτὸν εὔθυνε, καὶ τὸν λογισμὸν τῶν ἀνηλωμένων χρημάτων ἀπῄτει), τῷ δὲ δὴ Πομπηΐῳ τὰ λοιπὰ προσεξεργάσασθαι ἐπιτραπείη· ἦν γάρ τινα, ὡς ἐν τηλικούτῳ καὶ τοιούτῳ ἔργῳ, ἡμιτέλεστα ἢ ἐκεῖνός γε ἐπλάττετο εἶναι, ὅπως ὁ Πομπήϊος τήν τε δόξαν τῆς ἐκποιήσεως αὐτοῦ λάβῃ καὶ τὸ αὐτοῦ ὄνομα ἀντεπιγράψῃ. Deinde post mortem Catuli, qui diem obiit a. u. c. 694, a. u. c. 708 inter alia decreta in honorem C. Caesaris facta etiam hoc reperitur apud Dionem 43, 14 τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ τὸ Καπιτώλιον ἀντὶ τοῦ Κατούλου, ὡς καὶ τὸν νεών, ἐφ' οὗ τῇ ἐκποιήσει εὐθύνειν ἐκεῖνον ἐπεχείρησεν, ἐκτελέσαντος, ἀντεγγραφῆναι. At nec Caesar hoc decreto usus est et Augustus cum a. 745 nescio quomodo aedificium ruinam passum esset (Dio 55, 1), impensa grandi sine ulla inscriptione nominis sui id refecisse se in monumento Ancyr. 4, 9 scriptum reliquit. Unde *Lutatii Catuli nomen inter tanta* (cod. *inter ta*) *Caesarum opera usque ad Vitellium mansit* (Tacit. hist. 3, 72, cf. Val. Max. 6, 9, 5). — Apparet post Sullae mortem, quae accidit a. u. c. 676, Capitolii aedificationem permissam esse eius anni consuli Q. Lutatio Catulo hac condicione, ut post fasces depositos eidem praeesse pergeret nomenque suum operi inscriberet; ad quod opus fuisse ei non solum senatus consulto, sed etiam lege de ea re lata et res ipsa ostendit et reapse de ea re ex senatus consulto populum scivisse arguunt verba Ciceronis (Verr. 4, 31, 69) posita in oratione aede nondum dedicata edita: *tuus honor* — alloquitur Q. Catulum — *illo templo senatus populique Romani beneficio, tui nominis aeterna memoria simul cum templo illo consecratur.* Ad eandem legem referendum videtur, quod Catulus, cum consul opus inchoasset, deinde curator restituendi Capitolii (ut recte appellatur a Varrone) in eo pergeret, tamen consularem dignitatem in titulis operis adscivit. Nam quod in iisdem titulis de senatus sententia sola perscriptum est non adiecto populi iussu, non obstat, cum sane quid faciendum esset senatus curatori demonstraret neque ad id populi lex pertineret. Quod negotium Catulo ita videtur placuisse, ut per annos fere viginti extraheret neque ullum finem operi sumptibusque inveniret; nam dedicatio anno post curam delatam tertio decimo celebrata statuae est Iovis (cf. Cic. Verr. 4, 28, 64: *cum audissent simulacrum Iovis optimi maximi dedicatum*) neque ea consecrata opus absolutum est, ut non sine causa Caesar de tam infinita cura ad populum quereretur. — De duabus quae supersunt ex plurimis quae fuerunt Catuli inscriptionibus prior ad quam operis partem steterit non declaratur; altera pertinuit ad substructionem tabulariumque, id est gradus favisasque de quibus Varronis testimonium supra rettulimus; nam et in cellis istis commode tabularium institui potuit nec tanta sedes proprio ἀρχείῳ debuit carere. Ad aerarium Saturni nec Catuli aedificationem pertinuisse neque umquam id ab antiquis proprio vocabulo dictum esse tabularii, hunc vero titulum et ad aerarium Saturni perperam trahi et ipsi aerario propter hunc solum titulum male intellectum tabularii appellationem tribui solere tam vulgo receptam hodie quam auctore bono et ratione idonea destitutam, ostendi in annalibus instituti archaeologici (vol. 30 a. 1858 p. 211.)

593 *'rozzo e tronco peperino' Marini. 'Les côtés de la pierre sont grossièrement taillés et le derrière est brut.' Dumège.* Lapidem c. a. 1769 repertum esse Romae in Caelio monte Palatinum versus ad clivum Scauri in vinea quadam, deinde eum pervenisse ad Chanpyum et ablatum in Galliam donatum esse a. 1771 museo Tolosano, auctores sunt *Marinius* et *Dumège*. Hodie adservatur ibidem imminutus.

L·VA*TTV*... *trib. pleb.* u. c. 683.
CVR·V*IAR*
E·LEGE·VISELLIA·DE·CONL·SEN*t*
CN·CORNELI·Q·MARCI·L·HOSTI*li*
C·ANTONI·C·FV*NDA*NI·C·POPIL*I*
M·VALERI·C·*ANTI·Q*·CAECILI
OPVS·CONSTA*T·N* ▲▲ Φ⊥XXII

Ritschl tab. LXXI A ad ectypa duo sibi missa partem dat hodie superstitem; desunt ibi quae dedi litteris inclinatis. Idem de hoc titulo egit in commentario 'in leges Viselliam Antoniam Corneliam' Berol. 1860. 4. Marini *inscr. Alb.* p. 3 qui descripsit. Dumège *mém. des antiq. de France* t. VIII. tab. 6 f. 2 (cf. idem in *mémoires de l'Acad. de Toulouse* t. I. part. 2 a. 1827 p. 68—70). Descriptam misit Longpérier, qui iam repperit ita imminutam ut cernitur hodie; quam ob rem Marinii et Dumegii lectionem plenam rettuli, Longperierii tantum selectam.

1 LVA C Longp., L·V Dum., om. Marini. Dedi ad tabulam fere. Ritschelius sic ait l. c. p. VI: 'Inspecta tabula intellegitur nec A scriptum fuisse post V, nec quod facile quispiam amplectatur, X: neutra enim littera tam angusto spatio accedere ad V potuit, utriusque praeterea pars sinistra nimia obliquitate esset. · Hanc igitur ipsam partem sinistram › dubitare noli e fractura potius lapidis repetere quam e quadratarii consilio. Quae restant etsi sat commode dixeris e L·VV relicta esse, tamen quoniam VV litterarum societatem aetas illa aversatur, in fissurarum lacerarumque litterarum strue ista, quam omni fide ac religione lithographus imitatus est, haud scio an tale potius nomen lateat qualia futura sint L·volceius (vel L·volcatius) ..*f. tr. pl.* Quodsi quis forte e quattuor quae nunc apparent lineis illis VX duas casui et iniuriae temporum tribuat, et primam et tertiam, ita quamquam sat probabilis figura superait dimidiatae M, quae pertinere velut ad

MACIVS nomen potuerit: tamen tali coniecturae interpunctio obstat, quae inter L et V suum locum medium recte servat, a M littera nimio intervallo distet.' — 2 CVR · VIAR Mar. Dum., ... CVR .... Longp., CVR A⎱ tabula; qua de varietate mira omnino sic disputat Ritschelius l. c. p. V: 'Quae littera excipit CVR · litteras, eam certo apparet nullo modo V esse, sed aut M, aut quod omnes numeros probabilitatis habet, A: quando nec tam divaricati esse M litterae pedes solent et transversae trabeculae adeo umbra quaedam superesse videtur. Quodsi ab A incipientia vocabula circumspexeris, vix puto aliud quod huc quadret praeter AQVAR reperies: cuius vocis littera altera Q si iam Marinii aetate e fracto ibi lapide extrita erat, fieri facillime potuit ut ille ipsa A incuriose praetermissa proximas VAR litteras, quae quidem intellegi non possent, calidius VIAR interpretaretur. Nec enim sine aliqua incuria examinatum transcriptumque a Marinio lapidem esse cum primus versus argumento est quem prorsus omisit, tum exitus quarti ubi HOSTII edidit, quod saltem esse HOSTI debuit, fuit haud dubie HOSTIL(I). Singulare sane et insolens videri potest in eundem legendi errorem communi casu Marinium atque Dumegium incidisse: nullam enim hunc illius notitiam habuisse ipsius silentio credendum erit, quamvis mirari liceat versu paenultimo lacerum M · VALERI nomen tam recte eum sine Marinii exemplo expedire potuisse.' Nihilo minus etiam atque etiam re considerata retinui lectionem antiquam. Primum enim Marinii fides industriaque tanta est, ut erroris tam foedi vel ut suo nomine appelletur tam foedae interpolationis vix videatur posse argui: qui etsi erravit subinde in legendo ut erramus omnes, ita deceptum esse tum credam equidem, cum similis exempla prolata erunt. Deinde tantum abest, ut lapidem insignem Marinius non sine aliqua incuria examinarit, ut in iis quae hodie restant ne unico quidem apice a vera lectione discesserit. Nam v. 4 extr. quod edidit HOSTII, nequaquam ei exprobrandum est: superfuit scilicet ea aetate ex eo quod olim in lapide fuit HOSTILI id ipsum quod dedit Marinius superestque adeo ipso Ritschelio teste vel hodie, quamquam imminuta magis etiam littera extrema. Nec deest quidquam apud Marinium nisi propter typorum inopiam lineola qua fracturam indicare solemus; eamque ipsam ob causam v. 1 videtur omisisse. Deinde Dumegius quamquam sane multo minus fideliter quam Marinius lapidem repraesentavit, tamen certe vidit et cum v. 1 ediderit primus numerorumque notas pessime quidem, ex lapide tamen exceperit, omnino non sumpsit ex Marinio, cuius librum ne novisse quidem cum videri Ritschelius ipse concedit. Qui vero fieri potuerit, ut in hoc versu describendo non solum errarit, sed in illum ipsum tam insolentem tamque doctum errorem Marinianum inciderit homo simplex et semidoctus, nequaquam Ritschelius explanavit. Quamobrem cum praeterea constet nupero tempore lapidem male mulcatum esse nec solum plures particulas avulsas, sed praeterea lineolas in eo apparere litterarum speciem prae se ferentes, sed, ut utar ipsis Ritschelii verbis supra relatis, casui et iniuriae temporum tribuendas, eodem refero primam lineam extremi quod hodie in hoc versu superest elementi et ita VIAR illud adhuc retineo. — 4 L · HOSTII Marinius, L · HOSTII tabula, P · HOSTIL Dum. — 5 G FVNDANI Dum. — POPILI Mar., POPIL Dum. tab. — 6 M · VALERI Mar. Dum., AVALERI Longp., A / / LERI tab. — 7 ⅃ Ⱥ Dum. pro ↀↀ. Summa est 21072 sestertiorum; praeterea possunt excidisse sestertii duo unusve. Fortasse tamen legendum potius ↀↀΦLXXHS; nam in lapide extrito vix satis discerni II et H consentaneum est et aegre desideratur sestertiorum ad nummos adiectio.

Dixi de hoc titulo in commentario de lege Visellia (*Jahrbuch des gemeinen deutschen Rechts* vol. 2. 1858. p. 335—341), ubi quae exposui, hoc loco non placet repetere omnia. L. Voleatius ille sive Vinicius seu quo nomine magis appellare placebit ex collegio fuit decem saltem virorum, cum novem collegas nominet v. 4. 5. 6; quorum novem hominum cum tres Cn. Cornelius C. Antonius C. Fundanius reperiantur fuisse ex decem tribunis plebi a. 683 scriptis in indice legis Antoniae de Termessibus (supra p. 114), effeci inde in hoc titulo perscriptum esse ipsum illius anni collegium tribunicium eamque opinionem cum aliis tum Ritschelio probavi. Quorum plerosque et ignotos esse et ignobiles videri mirum non est ea praesertim aetate, antiquo splendore per Sullana tempora obscurato tribunorum magistratui nondum satis restituto et confirmato; accedit quod neque in hoc titulo neque in lege eius dem collegii secundum antiquam consuetudinem cognomina adiecta sunt. Novimus tamen C. Antonium M. f., qui postea consul fuit a. u. c. 691 (supra p. 115); C. Fundanium C. f. filium fortasse quaestoris supra n. 386 perscripti socerumque Varronis (Varr. de r. r. 1, 2, 1); Q. Caecilium Celerem praetorem a. 691, consulem a. 694, nam Q. Metellum Nepotem tribunatum obtinuisse constat a. demum 692 neque ullus praeterea Q. Caecilius reperitur huic loco aptus. Lex Visellia quo argumento et cuius aetatis fuerit ambigitur adeoque ne de hoc quidem constat, utrum eius nominis una lex sola apud antiquos memoretur an complures diversae; quamquam mihi quidem illud placet videnturque capita omnia, quae ex Visellia lege citantur (Ulp. 3, 5; Cod. Iust. 9, 21, 1), non incommode posse referri ad legem aliquam de administrandis rebus urbanis ante u. 683 rogatam. Qua lege inter alia hoc videtur constitutum esse, ut vel quotannis vel prout res incideret eligeretur ex tribunis plebis viarum in urbe curator; nam ad urbanas vias titulum pertinere locus docet, in quo inventus est, neque omnino tribuni plebis extra urbem negotia gerere potuerunt. Contra urbana negotia similia non raro procuraverunt; ita in incendiis arcendis aliquam partem habuerunt (Dig. 1, 15, 13) et in tutoribus dandis ex lege Atilia praetori affuerunt (Ulp. 11, 18). Denique fuisse ea aetate huiusmodi curatorem viarum probavi collata a. 692 inscriptione notissima et mox suo loco (n. 600) recensenda pontis facti a L. Fabricio *cur. viar.* Quod si esset in lapide CVR · AQVAR, similia dicerem; recte enim Ritschelius l. c. p. VII: 'nec profecto,' inquit, 'cum tribunicia potestate difficilius aquarum quam viarum curam sociabis, quando non minus nobis nova haec quam illa est in tribunorum muneribus.' Contra quod idem locum inventi lapidis opinioni suae favere credit, sane inde neutram in partem quidquam efficitur: neque enim constat loco antiquo lapidem fuisse repertum et omnino viarius titulus nulli loco non convenit. Minus etiam probo, quod paulo ante idem scribit: 'Quodsi de curatore aquarum, qui liberae temporibus rei publicae fuerit, nihil aliunde constare obieceris: at non plus de illius aetatis curatore viarum constat, cuius item unum solum monumentum memoriam servavit, pons Fabricius ille insulae Tiberinae, in cuius arcubus quater redit L · FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR.' Nam silentio illi, quod est de curatoribus aquarum liberae rei publicae, tantum praestat titulus Fabricianus et omnibus nominibus similis et aetate fere par, quantum nullo teste praestat testis unicus omni exceptione maior. At magnopere vereor, ne quibus nova lectio probatur, causae ii patrocinentur peiori etiam quam quae defenditur teste nullo. Nam, ut audiamus ipsum Ritschelium, 'in muneribus ordinariis curam aquarum non ante Augusti tempora fuisse satis e Frontini commentariis intellegitur: quo teste c. 98 *primus M. Agrippa post aedilitatem, quam gessit consularis, operum suorum et munerum velut perpetuus curator fuit,* et re et nomine curatorem Augustus primum Messallam Corvinum fecit (c. 99).' Obstaculum hoc quamquam fortasse non insuperabile, tamen admodum grave esse aequi iudices et severi non negabunt. Denique cum curatorem hunc etiam Ritschelius admittat tribunum plebis fuisse, videndum est, quomodo fieri possit, ut aquas curarit magistratus, cui extra urbem ne pernoctare quidem liceret.

594 litteris magnis et pulchris in tabula magna lapidis Tiburtini *Henzen.* ibidem (praecedit 'in Capitolio prope caput aeneum') retro *Iucundus;* in Capitolio prope caput aeneum *Mazoch.* '*in Campidoglio nella parte dei Conservatori*' *Ligor. Neap.* similiterque *reliqui omnes.* Hodie in Capitolino museo. Quo loco ab initio steterit, non liquet.

M · CALPVRNIVS · M · F · PISO · FRVGI | *· PR · EX · S · C* c. a. u. c. 683?
FACIVNDVM · CVRAVIT · EIDEMQVE | *· PROBAVIT*
*I*MP · CAESAR · DIVI · NERVAE · F | *NERVA*
TRAIANVS · AVGVSTVS · GERM | *ANICVS*
DACICVS · PONTIF · MAXIMVS · TRIB · P | *OT · XII*
*I*MP · VI · COS · V · P · P · OPERIBVS · AMPLIATI | *S · RESTITVIT* p. Chr. 108/9.

Descripsit Henzenus quod superest. Exhibent integram Iucundus Veron. f. 13; Mazoch. f. 19 eiusque corrector Vaticanus *a*; Panvin. fast. ad a. 862; Manut. orth. 136, 1; Ligor. ms. Taur. 15, ms. Neap. XXXIII p. 125; Smet. 12, 8 (inde Grut. 190, 4) qui vidit; cod. Waelscapple f. 38v.; Ursinus de famil. p. 45; ms. Neap. (Ursini?) 20; Augustinus dial. ed. 1587 p. 441; Boissard 3, 96.

Varia lectio praetermissa est, cum in iis quae nunc desunt exempla meliora, Smetianum maxime et Mazochianum emendatum, plane consentiant. — Rettulit Ursinus ad M. Pupium Pisonem Calpurnianum, qui ex praetura pro consule a. u. c. 685 de Hispanis triumphavit annoque 693 consulatum gessit; eidem praeterea denarium n. 501 attribuit inscriptum M · PISO · M · F · FRVGI. Quae probabiliter excogitavit; denarius certe modo citatus eiusdem est qui hunc titulum posuit neque ullus praeterea cum praenomine Marci reperitur inter Calpurnios Pisones, ut inde arguas non legitimum hunc esse Calpurnium, sed adoptione in aliam gentem transiisse. Nullum tamen exemplum praeterea suppetit adoptati antiquum nomen gentilicium in sollemni legitimoque usu retinentis novamque condicionem nisi praenomine non significantis; praeterea is de quo agitur quamquam plerumque Piso simpliciter dicitur, tamen in fastis Amiterninis infra referendis est *M. Pupius Piso Frugi* fuitque in fastis Capitolinis, ut ex epitomatoribus eorum apparet, Piso Calpurnianus, et apud Livium teste Cassiodoro M. Pupius, et appellatur ab Asconio (in Pison. p. 15) Pupius Piso (cf. Cic. de domo 13, 35; Drumannus hist. 2, 84). — De aedificio, quod senatus iussu in praetura fecit M. Piso restituitque Traianus, ne coniectura quidem suppetit.

595 Merbaccae haud procul a Midea Tirynthem versus *Ross.* apud Argos in campis *Ferr. Iuc. et reliqui antiqui,* quo indicari Argos in Peloponneso iam apparet. Casu inter inscriptiones Coloniolae apud Veronam repertas se insinuavit apud *Saraynam* scriptoresque rerum Veronensium posteriores. Fraude ad Thessalonicam retulit *Lazius.*

Q · CAECILIO · C · F · METELo
IMPERATORI · ITALICI
QVEI · ARGEIS · NEGoTIA*NTVR*

Ritschl tab. LXX A ex lapide. Kiriacus descripsit legiturque apud Ferrarinium p. 167 cod. Ver. sub Kirisci nomine (quod non adest in cod. Traiect. f. 108); est item apud Iucundum cod. Ver. f. 162 et apud Apian. 494, 3 (inde Grut. 377, 5. Laz. p. 1104. Sarayna Ver. f. 51 v. al.) Descripserunt denuo Rossius inscr. Gr. ined. 1 n. 59 et Lebas inscr. fasc. 3, 202 = inscr. Gr. et Lat. 2, 123. Henzen 5294.

1 CAICILIO Ap. — METELLO Ferr. Ap. — 3 ARGEI · S · tabula; ARGENTIS Ferr. (cod. Ver. et ante lituram cod. Trai.) — 4 NEGoTiA .... Lebas, NECoTiA... Ross, NEGOTIANTVR Ferr., NEGOCIANTVR Iuc. Ap. In lapide fuerit NEGoTiNTvR.

Inter tot Metellos nullus est, quem Quinti praenomen habuisse et Gai filium fuisse auctores tradiderint. C. Metelli deinde non innotuerunt nisi duo, quartus ex filiis Macedonici Caprarius cos. a. u. 641, qui ea aetate primus in hac gente Gai praenomine videtur usus esse, et qui a. 672 inter iuniores senatores memoratur Plutarcho (Sull. 31), filius sine dubio Caprarii. Idem Borghesio (*dec. num.* 16, 3) visus est is qui teste Livio (ep. 73) a. 664 Salluvios vicit; at hunc codex C. Caelium appellat, unde editores Caecilium effecerunt perperam, cum praesertim in hac gente nomen solum raro usurpetur. Alterius utrius C. Metelli nummos supra habuimus n. 330. Q. Metelli quamquam abundant, tamen pauci sunt, de quorum patre non constat quosque C. filios haberi nihil vetat, omnino ni fallor duo soli, Q. Metellus Celer, ita dictus propter celeritatem, qua ludis funebribus editis patri parentavit (Plut. Rom. 10. Coriol. 11), quem tribunatum plebis obtinuisse a. u. c. 664 Cicero (Brut. 89, 305) scribit quique videtur ex adoptione filium habuisse Q. Metellum Celerem cos. a. u. c. 694; deinde multo magis notus Q. Metellus Creticus cos. a. u. c. 685, qui a. 686—688 Cretam cepit imperatorque inde appellatus a. demum 692 triumphavit. Celerem illum imperatorem factum esse nemo tradidit nec facile credendum in tam notis temporibus et tam illustri familia eiusmodi honoris memoriam plane intercidisse. Contra in Creticum omnia recte conveniunt. Nam primum facile potest fuisse filius C. Metelli Caprarii cos. a. 641, Q. Metelli Macedonici cos. a. 611 nepos recteque ita explicatur et *paternus honor et avitus* (Cic. Verr. 3, 16, 43) adscriptus Cretico huic fratribusque eius, et quod a. u. c. 655 C. Metellus ille censorius pro reditu Metelli Numidici populo supplicabat cum filiis (Cic. cum sen. grat. egit 15, 37; cum pop. grat. egit 3, 6). Deinde Italici qui Argis in Peloponneso negotiabantur iustam causam habuerunt viri honorandi, qui piratarum sedes antiquissimas expugnasset et proximum mare sibi tutum reddidisset. Neque obstat, quod cum simillimo titulo (Orell. 4111) aetatis paulo posterioris *cives Romani qui Mytilenis negotiantur* honorarint M. Titium M. f. qui fuit cos. a. u. c. 723, hic secundum antiquiorem consuetudinem nominantur Italici; sic enim locutus esse Romanos etiam post bellum Italicum ostendit senatus consulti de Asclepiade v. 19 (supra p. 113). — Borghesius (*dec. num.* 16, 3) quod hunc titulum referre maluit ad praetorem aliquem Macedoniae c. a. 664, cuius scriptores mentionem non fecissent, extarent tetradrachma (supra n. 514) inscripta *Cae... pr(aetor)* et *Aesillas*, mihi non probatur, quamquam sane non propter causam a Zumptio minore (comm. epigr. 2, 176) allatam omnino falsam. — Eiusdem Cretici similemque ob causam dedicatum existimo titulum hunc Athenis nuper repertum et in ephemeride archaeol. n. 3790 editum:

Ο ΔΗΜ*ος*
*κο*ΙΝΤΟΝ ΚΑΙΚΙΛΙΟΝ ΓΑΙΟΥ ΥΟΝ ΜΕ*τελλον αὐτοκράτορα*
ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ....

596 Argis in Peloponneso in muro ecclesiae S. Basilii.

Q · MAARCIVM · Q · *f. regem* a. u. c. 687.
ITALICEIS · QVEI · NEGOTIA*ntur argeis*

ΚΟΙΝΤΟΝ ΜΑΑΡΚΙΟ*ν καὶ*
ΤΟΥ ΥΙΟΝ ΡΗΓΑ ΙΤΑΛ*ικοὶ*

Ex Fourmonti exemplo C. I. Gr. n. 1137 hoc:

ΩΜΑΛΚCΙVΜΟ..
ΙΤΑΠCΕΙϟΟΝΕΙΝΕCΘΤΙΑΙ

ΚΟΙΝΤΟΝΜΑΑΡΚΙΟ . . .
ΤΟΥΥΙΟΝΡΗΓΑΙΤΑΛ

restituit Cavedonius *Bull. dell' Inst.* 1846 p. 185 et *Berichte der Berliner Akad.* 1846 p. 271. Inde Le Bas *inscr.* vol. 2 n. 124 et Henzenus n. 5295.

Q. Marcii Reges summum imperium qui gesserint innotuerunt tres, praetor a. 610 consulesque a. 636 et 686. Quorum quem primo loco nominavi Q. Marcius Rex praetor a. 610 (cf. Frontin. de aquae duct. 7; Plin. h. n. 31, 3, 41. 36, 15, 121; Plutarch. Coriol. 1; Henzen n. 6858) et in praetura urbanam provinciam habuit et post annum praeturae exactum idem negotium per annum alterum curator procuravit neque ad consulatum pervenit; qua de causa de hoc cogitari nequit. Secundus Q. Marcius Q. f. Q. n. Rex cos. a. 636 in consulatu certe Italiam provinciam habuit, cum pro consule triumpharit de Liguribus Stoenis; quare ne hic quidem apte intellegitur. Contra consul a. 686 Q. Marcius Rex anno sequente pro consule cum tribus legionibus in Ciliciam missus est (Sallust. hist. 5, 11 Dietsch.; Dio 36, 17. 19. 43 Bekk.) et hac occasione data ab Italicis negotiatoribus in Graecia degentibus potuit honorari. Id ut pro certo et explorato haberemus, fecit simillimus titulus qui praecedit dedicatus ab iisdem hominibus eodemque fere tempore Q. Metello Creticas res pro consule administranti.

597 in tectorio scripta, Canusii in pariete camerae sepulcralis.

MEDELLA · DASM · F
SITA · AN · D · III · K · IANV
C PISONE u. c. 687.
M' · ACILIO · CoS

Descripsi edidique *unterital Dial.* tab. IV, ubi vide p. 50, item I. N. 658 (inde Henzen 5355 et Ritschl tab. II E = LXX J).

598 basis marmorea Romae in vinea card. Carpensis *Smet.* Videtur periisse.

CN · CALPVRNIVS
CN · F · PISO
QVAESTOR · PRO PR · EX · S · C mortuus c. a.
PROVINCIAM · HISPANIAM u. c. 690.
CITERIOREM · OPTINVIT

Panvin. fast. p. 233; Manut. 137, 4; cod. Pigh. Berol. f. 210; Ursinus de famil. p. 47; Smet. 65, 7 (inde Grut. 383, 5) q. v.; Augustinus dial. ed. 1587 p. 382; Boissard 4, 72.

5 OSTINVIT Panv. August. Boiss.

Piso hic est Catilinae socius, de quo Sallustius Cat. 19: *Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est* aliique. Vitam enarravit Drumannus hist. 2, 87 sq. Titulus videtur stetisse in sepulcro; neque enim elogium refert. Ne cogitet quis de Pisone aliquo posteriore et de quaestore pro praetore cum proconsule misso in provincias senatorias aetate imperatoria, hoc addo Hispaniam citeriorem utpote legato Augusti subditam ea aetate quaestorem habuisse nullum (Gai. 1, 6).

599 *parallelepipedo irregolare lungo centimetri* 67, *largo* 23 *e profondo* 32, *tronco ed agguagliato da ambedue le estremità, a colpo di martello come pare, colle lettere incisevi poco profonde come a graffito in una delle sue superficie più piana e regolare.* Iacebat inter alia saxa prope pavimentum aedificii cuiusdam antiqui latericium una cum amphoris vinariis assibusque aetatis Severi Alexandri et Gordiani. Rep. est a. 1830 *nella villa di Ramo di Cittanova* 3½ m. Mutina occidentem versus, M p. supra viam Aemiliam prope fl. Secchiam in agro comitis Moreni, qui dedit museo publico Mutinensi.

C · ANTONI · M · TVLI · COS u. c. 691.

Ritschl tab. LXXXVI A ex lapide. Cavedoni *memor. di relig.* t. XVII p. 410; *Bullett.* 1845 p. 162 addita de hoc titulo Borghesii epistula. Henzen n. 5356.

Inscriptio videtur profecta ab operario aliquo, cui quo anno saxa excisa vel aliud quod opus factum esset adnotare placuerit, neque enim perpetuae memoriae speciem prae se fert. Casum scribere voluit ni fallor primum; nam secundus, de quo cogitavit Borghesius, explicationem non habet, sextus ita scribi non potuit.

600 Romae in ponte q. d. *quattro capi*, quo ex urbe in insulam itur.

ab una parte

	in arcu ad sinistram (Ritschl A)	in medio arcu minore (Ritschl B)	in arcu ad dextram (Ritschl C)
u. c. 692	L · FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR FACIVNDVM · COERAVIT	EIDEMQVE PROBAVEIT	L · FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR FACIVNDVM · COERAVIT
u. c. 733			M · LOLLIVS · M · F · Q · LEPIDUS M'. F. COS · EX · S · C · PROBAVERVNT

ab altera parte

	in arcu ad sinistram (Ritschl D)	in medio arcu minore (Ritschl E)	in arcu ad dextram (Ritschl F)
u. c. 692	L · FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR FACIVNDVM · COERAVIT	IDEMQVE PROBAVIT	L · FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR FACIVNDVM · COERAVIT
u. c. 733	Q · LEPIDVS · M' · F · M · LOLLIVS · M · F · COS EX · S · C · PROBAVERVNT		

Ritschl tab. LXXXVII ad lapidem. — Titulum habet iam Signorilius n. 27. 28 apud Rossium *le antiche raccolte* p. 61 (qui quod male pro LOLLIVS posuit OVIVS, id propagatum est per exempla pleraque quae saeculo XV circumferebantur, ut Ferrarinii f. 94 cod. Traiectini, f. 141. 142 cod. Veronensis, codicis Riccardiani apud Osannum p. 506. 507, schedarum Farnesianarum Mur. 433, 5, syllogae Mazochianae 2, 1, unde repetivit Gruterus 10, 6). Descripserunt deinde non ex Signoriliano exemplo Poggius n. 51

apud Rossium l. c. p. 152, qui tamen secundum titulum non plenum videtur legisse ideoque in sylloge omisisse; Iucundus cod. Ver. f. 51; Albertinus (de Roma prisca et nova. Rom. 1523. 4) f. 4 et in sylloge Mazochiana f. 2, 3, item in addendis, ubi longe accuratius exhibetur; Panvin. Rom. p. 64 et fast. a. 733; Manut. orth. 316, 3; Smet. 3, 1 (inde Grut. 160, 3) qui vidit certe titulum priorem; Boissard 3, 114; Fabrett. 240, 640, qui Fabricii titulos diligentius prioribus descripsit, consulares extare male negavit; Piranesi *ant. Rom.* t. IV tab. 16—20; Piale *atti dell' accad. Rom.* 4, 208; Nibby *Roma antica* 1, 174; Orell. 50; Rossi *le antiche raccolte* p. 62, qui primus titulos consulares ad fidem lapidis diligenter repraesentavit.

Anno u. c. 692 pontem Fabricium factum esse tradit Dio 37, 45: *καὶ ἡ γέφυρα ἡ λιθίνη ἡ ἐς τὸ νησίδιον τὸ ἐν τῷ Τιβέριδι ὂν φέρουσα κατεσκευάσθη, Φαβρικία κληθεῖσα.* Cui anno inscriptio quae prior in ponte legitur eo magis convenit, quod qui eum fecit dicitur *curator viarum.* Huiusmodi enim officium diversum sane cum a IIIIviris IIvirisve viis curandis, qui aetate liberae rei publicae inter XXVI viros connumerabantur, tum a curatoribus viarum singularum Appiae Latinae reliquarum consularium, quos instituit Augustus, praeterea non reperitur nisi in titulo n. 593 eiusdem fere aetatis, unde unum de tribunorum plebis collegio ex lege Visellia curatorem viarum delectum esse didicimus. Quod si ita est, L. Fabricius C. f. tribunus plebis a. 692 fuerit necesse est, nec tamen de eo quidquam comperimus. Nam L. Fabricius Patell.... qui legitur in nummo aereo incertae originis, aetatis vero nisi valde fallor imperatoriae (cf. Eckhel 5, 210; Cavedoni *mon. della Cirenaica* in *mem. di relig., continuazione* 16, 329; Borghesi *annali* 20, 235), ad hunc qui pontem fecit nulla ratione videtur pertinere. — Factus est igitur pons Fabricius primum, ut diximus, anno urbis conditae 692; nec tamen ad eum usque annum pons ibi non fuit. Imo ab antiquissima aetate hoc ipso loco a foro boario in insulam Tiberinam, deinde ex insula in Ianiculum ibatur per pontem non lapideum quidem, sed *sublicium,* id est ligneum; iuxta quem pons lapideus Fabricius ita extructus est, ut ligneus ille religionis maxime causa ut olim fuit ita maneret. Anno deinde u. c. 731 cum Tiberis aquae urbem per tres dies inundassent subliciumque maxime pontem diruissent (Dio 53, 33), senatus censuit ut super totum flumen pons lapideus fieret, id est ut ex foro boario in insulam Fabricius reficeretur, ex insula in Ianiculum alter pons adiiceretur; quod opus consules a. 733 M. Lollium M. f., Q. Aemilium M'. f. Lepidum probasse cum inscriptio pontis illius testatur tum pontis Aemilii nomen probabiliter relatum ad pontem ex insula in Ianiculum ducentem. Confirmat id Plutarchi locus (Num. 9) recte emendatus, ubi cum sic legatur: *οὐ γὰρ θεμιτὸν, ἀλλ' ἐπάρατον ἡγεῖσθαι Ῥωμαίους τὴν κατάλυσιν τῆς ξυλίνης γεφύρας .... ἡ δὲ λιθίνη πολλοῖς ὕστερον ἐξειργάσθη χρόνοις ὑπ' Αἰμιλίου ταμιεύοντος,* hoc *ταμιεύοντος* vocabulum corruptum recte iudicavit Beckerus (Topogr. p. 695), sed minus bene rescripsit *τιμητεύοντος*, quamquam et mihi olim persuasit et verba ita restituta facile referuntur ad censorem a. 732 Paulum Aemilium Lepidum. Imo scribendum est *ὑπατεύοντος*, quod et ad traditam lectionem proxime accedit et cum pontis inscriptione apprime convenit. — Haec sufficient ad titulum supra propositum explicandum; pontis ipsius sublicii coniunctorumque cum eo lapideorum Fabricii Aemiliique historiam alio loco pertexui (*epigraph. Analekten* n. 17 in *Berichte der sächs. Gesellschaft der Wiss.* 1850 p. 320 sq.).

601 prope moenia Costignani in agro oppidi Ripatransone.

L AFRaNIO · A · F
COS — u. c. 694.
CONSCrIP · ET · Col
~~COL~~ · VALEnt

Ritschl tab. LXXXVI B. Ed. Phil. Brut. Liberati *lettera quarta sulla via Cuprense con cenni sulla relazione antica fra Bologna e Ripatransone* (Ripatransone 1844), quem libellum non vidi; deinde ad ectypum a Borghesio mihi exhibitum ego *Bullett.* 1847 p. 153 (inde Henzen 5127).

Quid in quarto versu fuerit, incertum est. Borghesius admisit coloniam aliquam, quae ibi fuisset ubi lapis repertus est, Valeriam praeterea ignotam, nisi quod in chartis quibusdam medii aevi Valeriae civitas commemoratur. Sed has pertinere potius ad viam regionemque Valeriam mihi quidem constat neque facile crediderim coloniam aetate liberae rei publicae in Italia deductam nomine tenus exolevisse. Quare vide ne statua eo loco posita sit, quo natus est A. Afranius, homo ignobilis (Drumannus hist. 1,35) et Pompeio ita coniunctus, ut Picentinum et ipsum fuisse non temere suspicere. Quodsi ita est, qui statuam dedicaverunt videntur fuisse Valentini non Italici, quorum res publica tum municipium fuit, sed citerioris Hispaniae, quorum oppidum cum inter bellum Sertorianum anno c. 679 a Pompeio captum et deletum esset (Sallust. hist. 3, 1, 6 Kritz; cf. Plutarch. Pomp. 18), mox restitutum est (cf. Mela 2, 6) coloniaque a Plinio (h. n. 3, 3, 20) appellatur; nec L. Afranio, qui ab a. 700 ad a. 705 Pompei iussu Hispaniae citeriori praefuit, occasio defuit de Valentinis illis bene merendi potuitque appellari consulis nomine honorificentiore quam legati. Fatendum quidem est v. 4 extremam litteram mutilam in ectypo et mihi et Ritschelio I potius quam E speciem exhibuisse; sed lineola quam desideramus transversa potest casu aliquo evanuisse.

602 Sablonetae in agro Mantuano in arce in parastata cuiusdam portae.

LARIBVS · D · D
APRODIS · PLOTI · C · S
APOLLON · OFILLI · N · S
PHILEMO · MESINE · S
POTHVS · VIRRIAI · S
PHILOGEN · CVRTI · L · P · S
DAMA · VETTI · PR · S
SVRVS · IVVENT · P · S
APOLLON · ARRI · CN · S
ANTIOC · PLOTI · C · S
TIASVS · DECI · P · S
DIOGEN · METILI · C · S
ORFEVS · ASINI · L · C · S
SVLLA · FLAVI · P · S
PAMPHIL · NONI · P · S
EVCAERVS · FLAVI · P · S
ANTIOC · MESC · Q · S
PHARNAc · EGNAT · P · S
C · IVLIO } COS — u. c. 695.
M · CALPVR

Ex cod. Vat. 5237 in fine ed. Borghesius apud Avellinum opusc. 2, 295.

Nomina servorum sunt solito more expressa: *Aprodisi(us) Ploti, G(ai) s(ervus)* et ita deinceps. — 4 fortasse corrigendum MESIAE · S; praeterea Ɔ notam ante S scriba et hoc v. et sequente potest omisisse. — 7 malim emendare P · P · S, id est *duorum Publiorum servus*, quam cum Borghesio explicare *Pr(oculi) s(ervus).* — 8 malim IVENT. — 18 PHARNAS traditur.

603 Furfonis ex ruinis advecta in vicum vicinum S. Nicandri in aedes baronales; nunc Aquilae in museo.

L · AIENVS · L · F · Q · BAEBATIVS · SEX · F · AEDEM · DEDICARNT
IOVIS · LIBERI · FVRFONE · A · D · III · IDVS · QVINCTILEIS · L · PISONE · A · GABINIO · COS · MENSE · FLVSARE
COMVLA · TEIS · OLLEIS · LEGIBVS · ILIEIS · REGIONIRVS · VTEI · EXTREMAE · VNDAE · QVAE · LAPIDE u. c. 696
FACTA · HOIVSQVE · AEDIS · ERGO · VTEI · QVE · AD EAM · AEDE · SCALAS · QVELAPIDESTAAVCTVENDO *sic*
COLVMNAE · STANT · CITRA · SCALAS · AD · AEDEM · VERSVS · STIPITES · QVE · AEDIS · HVMVS · TABVLA
MENTA · QVE · VTEI · TANGERE · SARCIRE · TEGERE · DEVEHERE · DEFIGERE · MANDARE · FERRO OETI
PROMOVERE · REFERRE · FAS · QVE · ESTO · SEI · QVOD · AD · EAM · AEDEM · OONVM · DATVM · DONATVM · DEDICATVM ·
QVE · ERIT · VTEI · LICEAT · OETI · VENVM · DARE · VBEI · VENVM · DATVM · ERIT · ID · PROFANVM · ESTO · VENDITIO
LOCATIO · AEDILIS · ESTO · QVEM · QVOM · QVE · VEICVS · FVRFENS · FECERNT · QVOD · SE · SENTIVNT · EAM · RE·
SINE · SCELERE · SINE · PIACVL·· ALIS · NE · POTESTO · QVAE · PEQVNIA · RECEPTA · ERIT · EA · PEQVNIA · EMERE
CONDVCERE · L·CARE · DARE · QVO ID · TEMPLVM · MELIVS · HONESTIVS · SEIT · LICETO · QVAE · PEQVNIA · ADEAS
RES · DATA · ERIT · PROFANA · ESTO · QVOD · D · M · NON · ERIT · FACTVM · QVOD · EMPTVM · ERIT · AERE · AVT · ARGENT·
EA · PEQVNIA · QVAE · PEQVNIA · AD · ID · TEMPLVM · DATA · ERIT · QVOD · EMPTVM · ERIT · EIS · REBVS · EADEM
LEX · ESTO · QVASEI · SEI · DEDICATVM · SIT · SEI · QVI · HEIC · SACRVM · SVRVPVERIT · AEDILIS · MVLTATIO · ESTO
QVANTI · VOLET · ID · QVE VEICVS · FVRF · A/ I · I ARS · FIFELTARES · SEI · APSOLVERE · VOLENT · SIVE · CONDEMNARE
LICETO · SEI · QVEI · AD · HVC · TEMPLVM · REM · DEIVINAA · FECERIT · IOVI · LIBERO · AVT · IOVIS · GENIO · PELLEIS
CORIA · FANEI · SVNTO

1 2 L. Aienus L. f., Q. Baebatius Sex. f. aedem dedicarunt | Iovis liberi Furfone a. d.
3 III idus Quinctileis L. Pisone A. Gabinio cos., mense Flusare, | COMVLA · TEIS olleis legibus, illeis regionibus.
4 Utei extrema *fundamentaque* lapide | facta hoiusque aedis ergo uteique ad eam aedem
5 scalas lapide struct*as quaeque* | columnae stant citra scalas ad aedem versus, sti-
6 pitesque aedis huius tabula|mentaque utei tangere sarcire tegere devehere defigere
7 MANDARE ferro oeti | promovere referre *liceat*, fasque esto.
8 Sei quod ad eam aedem donum datum donatum dedicatum|que erit, utei liceat oeti
9 venum dare. Ubei venum datum erit, id profanum esto. Venditio | locatio aedilis
10 esto, quem quomque veicus Furfens(is) fecerint, quod se sentiat eam rem | sine scelere sine piaculo *vendere locare*, alis ne potesto. Quae pequnia recepta erit,
11 ea pequnia emere | conducere locare dare, quo id templum melius honestiusque
12 seit, liceto. Quae pequnia ad eas | res data erit, profana esto, quod d(olo) m(alo)
13 non erit factum. Quod emptum erit aere aut argento | ea pequnia, quae pequnia
14 ad id *emendum* datum erit quod emptum erit, eis rebus eadem | lex esto, quasei sei dedicatum sit.
15 Sei qui heic sacrum surupuerit, aedilis multatio esto, | quanti volet. Idque veicus
16 Furfens(is) mai(or) pars FIFELTARES sei apsolvere volent sive condemnare, | liceto.
17 Sei quei ad hoc templum rem deivinam fecerit Iovi libero aut Iovis genio, pelleis | coria fanei sunto.

Ritschl tab. LXXXII. Descripsi edidique post alios Orelliumque 2488 I. N. 6011; denuo contulit Brunnius et quaedam emendavit. Apices triginta sex, quos Garruccius (*Bull. Nap. N. S.* 1, 43; *i segni delle lap. lat. volgarmente detti accenti* Romae 1857 p. 13) in lapide deprehendisse se testatur, ectypo ea causa denuo accurate examinato optimo iure inter meras hallucinationes relegavit omnes Ritschelius *Rhein. Mus. N. F.* 14, 385.

Mihi olim titulus non eius aetatis visus est, quam prae se fert; contra dixit peritus talium rerum Brunnius archetypo inspecto neque iam refragor forma litterarum, qualem Ritscheliana tabula ostendit, denuo cum cura examinata. Sed utut est, titulus totus corruptus est, tralaticius fortasse et inter propagationem pessumdatus vel exceptus ex exemplo obscuris et fugientibus litteris scripto ab Latinae linguae parum gnaro aliquo neglegentissimoque quadratario; sane inter lapides Romanos quos novi nullum offendi, qui ad similem corruptelarum immanitatem ascendat, in hoc tantam, ut pleraque codicibus tradita longe emendatiora habeamus. — De vici Furfonis condicione eadem fere tenenda sunt, quae supra p. 159 posuimus de vicis Campanis. Comprehensus re publica Peltuinatium ipse rem publicam non habebat nisi sacrorum dumtaxat causa; ad haec autem quod attinet, templi nomine et adquiritur et contrahitur et multatur, item vicani in comitiis magistratus sacrorum causa creant (v. 9) et ex provocatione iudicant (v. 15). Magistratus sunt aediles (v. 9. 14), qui passim commemorantur pagorum et vicorum (inscr. Helvet. n. 87; *aed. pag. Bag.* in lapide Gallico, de quo dixi *annali* 1854 p. 43); utrum terni fuerint, quot inveniuntur in alio pago vicino (I. N. 5474) an alio nescio quo numero, non liquet. Duo viri qui dedicant magistratu non adscripto non aediles mihi creduntur, sed potius IIviri aedi huic dedicandae, similes *curatorum* duorum *fani*, quos de pagi sententia porticum alam fecisse testatur titulus item Peltuinas I. N. 6024. — De singulis haec fere adnotanda sunt. — 2 *Iupiter liber*, Ζεὺς Ἐλευθέριος; reperitur praeterea in titulo Osco ad Histonium invento (*unterital. Dial.* p. 170 tab. VII), item in Campano a. p. Chr. 15 (I. N. 3568) nec multum diversus *Iupiter Libertas*, quem invenimus et Romae cum Iunone Regina Minervaque cultum in monte Aventino (mon. Ancyr. 4, 6. 6, 32 cum interpretatione Graeca 1, 10. 7, 22) et aliis locis (Orell. 1249. 1282). Alibi denique iunguntur *Iupiter optimus maximus, Liber, Libera* (Henzen 5656). — De mense *Flusare* sive Florali dixi *unterital. Dial.* p. 340. 343; retentum eum esse vel aetate Romana in sacris ex Sabellica consuetudine ex hoc titulo apparet. — 2 PISONA · tabula. — 3 in COMVLA · TEIS quid lateat, me fugit. *Cum latis* coniecit Lanzius (*sagg.* 3, 619) vel potius Giovenazzius non bene. Magis commendarim *commutateis*; quod si verum est, ad *illeis regionibus* supplendum est cogitatione *quae sunt.* — Pro EXTREMAE · VNDAE · QVAE (OVAE tabula) reposui EXTREMA · FVNDAMENTAQVE, ut intellegantur anguli murorum aedisque fundamenta; possis etiam temptare cum Lanzio Giovenazziove (*sagg.* 3, 619) EXTREMA · VNDIQVE. — 4 AEDE lapis. — SCALAS QVE LAPIDESTAVCTVENDO lapis, quod

emendavi ad sententiam, ipsa quae in exemplo fuerunt verba certe minime assecutus. *Endo* antiquum vix huic loco convenit. — 5 HVMVS lapis; emendavi HVIVS. — 6 MANDARE corruptum; *mundare* proposuit Orellius. — *Ferro oeti* in re sacra non licere notum est. Carminius apud Macrob. sat. 5, 19, 13: *Prius itaque et Tuscos aeneo vomere uti, cum conderentur urbes, solitos in Tageticis eorum sacris invenio et in Sabinis ex aere cultros quibus sacerdotes tonderentur.* Servius ad Aen. 1, 448: *flamen Dialis aereis cultris tondebatur.* Cf. Ovid. fast. 6, 230. Lyd. de mens. 1, 31. Idem de ponte sublicio traditur (Plin. h. n. 36, 15, 100. Dion. 3, 45), eodemque pertinet piaculum ab Arvalibus factum ob ferrum inlatum in aedem lucumve (Marini Arv. p. 218). Quam ob rem in hac lege nominatim cavebatur, ne piaculum esset ferro uti in aede reficienda. — 7 *liceat* excidit. — 9 SENTIVNT lapis pro SENTIAT. — 10 *vendere locare* excidit. — 13 TEMPLVM lapis; *emendum* coniecit Otto Iahn. — 14 AEI QVI tabula. — 15 AVI in lapide superest; fuit fortasse olim MI. *Maior pars* proposuit Giovenazzius. Quod sequitur, desperatum est. — 16 HVC lapis. — De geniis deorum vide quae congessit Prellerus *röm. Mythol.* p. 74.

604 Grumenti (hodie Saponara) in hortis Danii.

C · BRVTTIVS · C · F
SER · AED · PRO · Q
MVR · P · CC · DE · SVA
PEQ · FACIVNDVM
COER · P · CORNEL · u. c. 697.
Q · CAECIL · COS

Ritschl tab. LXXXV A ad lapidem. Descripsi et edidi I. N. 321, ubi vide priores. Cf. n. 617.

Neque aedilem pro quaestore neque adeo proquaestorem municipalem ullum alibi inveni.

605 litteris pulchris, rep. 1856 Lissae iuxta muros oppidi in campo Zanellae abbatis, apud quem extat.

Q · NVMERIVS · Q · F · VEL
RVFVS · LEG · PATRON c. a. u. 697?
PORTIC · REFICIVND ·
DESVA · PECVN · COER
IDEMQVE · PROB

Ljubich descripsit ediditque *Bullett.* 1857 p. 49.

Ad Q. Numerium Rufum, quem Cicero aliquoties (pro Sest. 33, 72. 38, 82. 43, 94 cf. schol. Bob. p. 303; Ascon. in Pison. p. 11) inter tribunos plebis a. 697 Clodio amicos memorat, titulum recte rettulit Henzenius. Accedit *legatus* simpliciter positus, quod in titulo liberae rei publicae aetate scripto n. 562 supra legitur, aetate imperatoria autem nusquam quod meminerim invenitur, sed additur vel *pro praetore* vel provincia vel imperatoris proconsulisve significatio.

606 saxa Tiburtina venerandae antiquitatis e fornice cloacae maximae in foro Romano, quo a posterioribus sine ordine collata erant, nuper divulsa; ubi autem prius steterint, non constat *Smet.* 'Pal(atino?)' *cod. Metell.* Locum non indicat *cod. Manut.* Eodem pertinere vidit Rossius testimonia haec topographorum urbanorum *Marlianii* (urbis Rom. topogr. 1544 p. 42; in ed. principe a. 1543 et Tremellii nomen et effossi fornicis mentio desunt): 'Arcum Fabianum apud hoc templum (Antonini et Faustinae) stetisse asserit Tremellius, cuius reliquias proximis annis effodi vidimus'; *Fabricii* (Roma 1550 c. XIV p. 138): 'Arcus Fabii in via sacra, cuius fundamenta, cum in Urbe essemus, effodi dicebantur prope S. Laurentium in Miranda; in eo scuta et signa victoriae fuerunt sculpta'; *Ligorii* denique (cod. Vat. Ottob. 3374 p. 283): '*Fornices Fabiani* (sic) *fu detto da Fabio Maximo, lo quale era avanti alla statione de' municipii, per onde si andava in via nova al foro et sul colle palatino, del quale fa mentione Asconio Pediano et Varrone, et nel cui luogo, dove havemo posto nel disegno della Roma, furono trovati i fragmenti con alcune poche lettere scritte, che sono state portate in Capitolio scritte in sasso Tiburtino*'. Idem alio loco (cod. Vat. Ottob. 3368 p. 4): '*Fabiano Arco, ovvero Fabianus fornax* (sic), *fu edificio di Fabio Maximo d'opera di sasso tiburtino in la via sacra, per lo qual luogo si andava alla via nova antica nel foro.... e si passava per andare al Jano quadrifronte, dove erano scritti i fasti romani nella montata per andare alla porta Mugonia vecchia del Palatino, del qual arco havemo veduto cavare le rovine col nome del curatore* M. Fabius M. f. Maximus F., *lo qual fornice dunque fu nella via sacra incontro alla strada, che per fianco passava al tempio, che hora si vede dedicato alla diva Faustina ed al divo Antonino, e quel poco dove erano lettere è portato nel Capitolio in conserva: egli era luogo propinquo al comizio ed alla Regia hostilia ed al tempio di Iove statore..... e credemo che servisse per un transito nell' angulo del romano foro, dove appresso fu applicato il foro di Cesaré*'. Quibus testimoniis inter se collatis titulos hos eruderatos esse ad Palatinum prope tres columnas e regione viae radentis latus sinistrum aedis Faustinae credit *Rossius.*

| Q · FABIVS *q* F MAXSV*mus aed* | CVR · REST | c. a. 698.

| Q · FABIVS · Q · F · MAXSVMVS · | AED CVR RE|*st*

Smet. 11, 17 (inde Grut. 184, 4) qui vidit; idem exemplum legi in cod. Neapolitano V. E. 4 f. 20 et in Vat. 5234 f. 67 scribit Rossius *annali* 1859 p. 311. Ex lapide Metellianus cod. Vat. 6035 f. 59 v. et Manutianus cod. Vat. 5241 f. 149, unde ed. Rossi l. c. p. 312.

Dedi ut accurate delineatam in codd. Metelliano et Manutiano reperit Rossius, nisi quod in Metelliano desunt duo saxa extremo loco proposita. Smetius sic lapidibus paullo aliter ordinatis:

| Q · FABIVS | Q · F · MAXSVMVS | AED | CVR · RES |

| Q · FABIV | | F · MAXSV | | · CVR · RE |

607 in foro Romano effossum anno (15)46 propter Antonini et Faustinae porticum saxo Tiburtino lit(tera) cor(rectissima) *Waelscapple omnino ex schedis Smetianis.* Littera correctissima, in saxis Tiburtinis e fornice cloacae maximae extractis, in foro Romano e regione porticus Antonini et Faustinae *Smet.* In saxis Tiburtinis quadratis ad cloacam maximam in comitio erutis posteaque in Capitolium translatis *cod. Vatic.* 5234 *similiterque cod. Neapol.* Extat in area Capitolina *Panvin.* Me quoque vidente marmor erutum fuit Romae in comitio ante aliquot annos cum his litteris et in Capitolio positum *Pigh.* 2, 387; cum essem Romae me vidente fuit extractum e ruinis basilicae Pauli ad forum Romanum et in Capitolio positum *idem* 3, 12; marmor antiquissimum erutum in ipso foro Romae cum ibi manerem *idem* 2, 165. Superioribus annis in via sacra effossa et in Capitolium translata *Ursinus, qui item ait se vidisse.* Romae nuper reperta *Borghini.*

q FABIVS · Q · F · MAXSVMVS
AED · CVR

L · AEM *il* IVS · L · F · PAVLLVS
CO*s ii* CENS · AVGVR
TR *i* VMPHAVIT · TER

P · CORNELIVS · PAVLLI · F · SCIPIO
AFRICANVS · COS · II · CENS
AVGVR · TRIVMPHAVIT · II

Cod. Waelscapple f. 24 e.; Smet. 64, 2 (inde Grut. 298, 2); cod. Vatic. 5234 f. 102 similiterque Neapolitanus; cod. Metelli Vatic. 6038 f. 39; Manut. orth. 581, 1, a quo videtur pendere Augustinus dial. ed. 1587 p. 434; Ursinus fam. Rom. (Rom. 1577) p. 9; Borghini *discorsi* (Fior. 1584) 1, 200; Panvinius fast. ad a. 607 (inde et ex Pighio Reines. 6, 33); Pighius ann. 2, 165. 387. 3, 12.

Tres inscriptiones exhibent praeter codd. supra scriptos ex editoribus Borghinius et Pighius; secundam et tertiam solas Smetius; secundae partem posteriorem et tertiam Manutius; secundam solam Ursinus; tertiam solam Panvinius.

V. l. fere nulla est. I, 1 Q · FABIVS Pigh. — MAXIMVS Metelli codex. — II supplementis non distinctis dederunt Pigh. Urs. — 1 LAE .... Borgh. — PAVLVS Metelli codex. — 3 TI ... cod. Vat. 5234 videtur habere. — *M*PHAVIT Smet., MPHAVIT reliqui. — III, 1 PAVLI Metelli codex.

Postquam de titulis supra relatis data opera egi in annal. inst. 1858 p. 173 sq. egitque denuo a me rogatus de iisdem Rossius ib. 1859 p. 307 sq., iam quae sic eruimus communi opera et fere consentientes, hoc loco paucis retractabuntur. Primum lapides hos superesse ex arcu ipsa inscriptionum ratio ostendit. Priorem enim geminatam utrimque in arcu olim inscriptam esse apparet, ut eius qui eum restituisset memoriam posteris traderet; posterior legebatur statuis subscripta arcui impositis nec quemquam fugere potest, titulos modo habeat recte coniunctos, Q. Fabium Q. f. Maxsumum aedilem curulem maiorum non lege adoptionis, sed naturalium duos viros clarissimos, Paullum Persae victorem et Scipionem Aemilianum in arcu illo collocasse. Qua re patefacta sequitur, ut steterint olim hi tituli in fornice Fabiano ad sacram viam; quid quod apud enarratores loci Ciceroniani in Verr. act. 1, 7, 19 diserte indicantur. Sic enim primus eorum Asconius personatus (p. 133 Orell.): *Fornix Fabianus*, inquit, *arcus est iuxta regiam in sacra via a Fabio censore constructus, qui de victis Allobrogibus [Allobrogicus] nominatus est ibique statua eius posita propterea est.* Item alter Gronovianus prior (p. 393) de eodem fornice: *arcus est prope Vestam aut a Fabio quodam praetore dictus, qui eum curarit, aut quia ibi multae statuae Fabiorum stant.* Denique tertius Gronovianus secundus (p. 399): *sacram ingredientibus viam post templum Castoris, in quo eius familiae nomen ascriptum est. 'Fabi tu Maximus ille es'* [versus est Vergilii Aen. 6, 846]. *Arcus Latinum non est.* Pessimorum auctorum a librariis magis etiam pessumdata testimonia tamen satis clare ostendunt eorum etiamtum aetate in Fabio fornice nomen Fabii Maximi lectum esse, quod reliquis clarius indicant tertii scholii quamvis lacera verba versusque Vergilianus cum arcus inscriptione ibi coniunctus; item statuas ibi stetisse gentis Fabiae. Id quod cum lapidibus Smetianis optime convenit. Nec minus convenit situs, in quo reperti esse dicuntur. Quamquam enim quam in commentario supra citato proposui coniecturam fornicem, unde lapides hi extracti sunt, male pro cloacario habitum esse et fuisse ipsum Fabianum, eam non probavi Rossio in eam rem sedulo inquirenti (p. 320 sq.) neque iam cupide defendo, tamen, ut lapides illi aetate posteriore adhibiti sint cloacae faciendae, cum inscriptio primaria arcus per complures lapides disposita geminataque ex cloaca ea prodierit fere integra, item ex statuarum subscriptionibus tres una repertae sint, longe ab antiquo loco hi lapides vix possunt delati esse. Reperti autem sunt secundum testes meliores ad unum omnes ad templum Faustinae, et ibi prope scilicet inter Faustinae templum et Vestae arcum Fabianum olim stetisse inter topographos convenit. — Magis incertum est, quisnam ex Fabiis Maximis in inscriptione primaria nominetur. Fabium fornicem factum esse a. Q. Fabio Maximo Allobrogico consule a. 633, L. Aemilii Paulli qui Persen devicit ex filio nepote, Africani minoris fratris filio, unus tradit enarrator Verrinarum, qui Asconii nomen dehonestavit, auctor parum locuples, cui tamen ut in re incerta fortasse licet hic fidem habere, cum praesertim confirmetur eius testimonium quadamtenus auctorum sexti saeculi silentio de hoc fornice, quem primus commemorat Crassus in orationis fragmento (apud Cic. de orat. 2, 66, 267) habitae aliquanto ante a. u. c. 663 quo mortuus est. Allobrogicum eum fornicem in censura faciendum locasse censoremque eum fuisse cum C. Licinio Geta a. u. c. 646 plerique scribunt parum considerate; nam censorum illud collegium non solum ad annum illum temere relatum est, sed totum proficiscitur ex loco Frontini de aquis c. 96, ubi pro corrupta lectione codicis: *c. lycynio consule et fabio censoribus* dudum sani critici restituerunt nomina consulum a. 638 C. Licinii et Q. Fabii Eburni. Ne hoc quidem constat Allobrogicum ad censuram pervenisse nisi infirma falsi Asconii auctoritate, cui hac in re refragatur alter scholiasta non deterior conditorem arcus praetorem appellans. Utut est, Q. Fabius Q. f. Maxsumus aedilis curulis qui nomen ei inscripsit, non est Allobrogicus, sed ex Allobrogici posteris unus, cum arcum non instituisse se scribat, sed restituisse. Quisnam fuerit quaerentes haeremus incerti inter Allobrogici filium hominem perditae vitae (Val. Max. 3, 5, 2), nepotem anno 709 consulem, pronepotem consulem a. 744, nisi opportune Cicero rem diiudicaret ipsumque fornicis restituti annum non obscure indicaret. Ita enim ille in Vatinium (11, 28) de nepote: *Nihil Maximus fecit alienum aut sua virtute aut illis clarissimis Paulis Maximis Africanis, quorum gloriam huius virtute renovatam non modo speramus, verum etiam iam videmus.* Quae verba non de sola indole iuvenis maiorum fortitudinem referentis accipienda esse, sed praeterea de restitutis cum arcu Fabio Pauli Maximi Africani statuis non negabit, qui in arcu a Q. Fabio Maximo restituto statuas stetisse Pauli et Africani minoris ex lapidibus, Maximi denique ex falso Asconio didicerit. De huius Q. Maximi vita praeterea non multum comperimus: accusasse eum a. u. c. 695 cum aliis C. Antonium, deinde a. 708 legatum eum C. Caesaris exercitui praefuisse in Hispania et ad Mundam non sine laude pugnasse, denique consulem factum anni sui 709 die extremo eum defunctum esse. Nihil obstat, quominus vel ipso a. 698, cum Cicero in Vatinium testimonium dixit, vel paulo post aedilis curulis fuerit et arcum, quem restituturum se fortasse populo spoponderat candidatus, ad finem perduxerit. Quam ob rem tuto lapides illi ad hunc fere annum referri poterunt, quem sane nec sermo dedecet nec quae de forma litterarum a Smetio teste oculato traduntur.

Eiusdem Q. Fabii qui arcum refecit alterum titulum Rossius (l. c. p. 314 sq.) iudicavit hunc ex fragmento marmoreo Romae in hortis Maximorum olim adservato apud Smetium 65, 2 (inde Grut. 406, 5) aliosque relatum sic:

Q · FABIO · ALLOBROGICINO
MAXIMO

secundum Rossium ita emendandum:

Q · FABIO · ALLOBROGICI · N · Q · *f*
MAXIMO

Quae coniectura mihi nullo modo probatur, cum et emendata lectio ipso fatente Rossio laboret vitio sollemni inversorum patris avique nominum et ea quam a bonis auctoribus traditam accepimus sollicitetur sine iusta causa. Nam quod ait Rossius cum a Celere fiat Celerinus, a Victore Victorinus, ethnici similiter declinati exemplum nullum reperiri, de ipsis ethnicis verum est; at idem cur obtineat in ethnico quod in cognomen abiit nec per se intellegitur et refellitur plane simili cognomine *Graecini*. Pertinet igitur titulus hic non ad arcum Fabianum, sed ad aetatis imperatoriae hominem praeterea ignotum ex stirpe Fabiorum Maximorum, qui fere ut gentilis eiusdem aetatis *Persicus* appellari voluit, ita *Allobrogicini* tamquam triumphali cognomine se exornarit.

608—609 *in sinistra Tiberis ripa.*

608 in vinea nobb. de Torres e regione vineae Moraldae ad laevam Tiberis ripam.

P · SERVEILIVS · C
ISAVRICVS
M · VALERIVS · M
ꟿ · N · MESSAL
CENS
EX · S · C · TERMI

cens. u. c. 700.

Fabretti 487, 167.

609 quo loco repertus sit, non traditur; nam sine causa hic cippus integer idem creditur ac praecedens fractus. Extat Romae in villa Albana.

P · SERVEILIVS · C · F
ISAVRICVS ·
M · VALERIVS · M · F
ꟿ · N · MESSAL
CENS
EX · S · C · TERMIN

Ritschl tab. LXXXIX A. Ed. Marini *iscr. Alb.* p. 21; Fea indic. p. 77.

1 C · S tabula.

De hoc censorum collegio postquam Marinius (*iscr. Alb.* p. 21) breviter exposuit, Borghesius in eximio commentario *sull' ultima parte dei censori* p. 33 sq. 71 sq. rem absolvit. Censuram obtinuisse et P. Servilium Isauricum cos. a. 675 et M. Valerium Messallam cos. a. 693 Valerius Maximus refert (8, 5, 6. 9, 14, 5); collegas eos fuisse hi termini ostendunt. Iam cum ad censuram hac aetate nemo pervenerit nisi consulatu functus, Isauricus autem mortuus sit a. u. c. 710, inter annos 694 et 710 censura eorum includitur. Quorum annorum cum duo soli, 699 et 704 solitos censores habuerint, hoc vero anno censores fuisse constet Ap. Claudium et L. Pisonem, non restat nisi annus 699 cum sequente cui adsignentur. Idem Borghesius recte animadvertit causam terminandae denuo ripae publicae fuisse inundationem maximam quae anno urbis 700 accidit (Dio 39, 61). Praeterea Fabrettius iam observavit (p. 487) in terminis ripae sinistrae Isauricum, in terminis ripae dextrae Messallam priorem nominari, ut collegae ita videantur officium inter se divisisse et in sua uterque ripa se priorem scripsisse. — Denique ne quid legentes desiderent, ad hos terminos, quibus olim publica Tiberis ripa a privatis fundis terminabatur, ut id ipsum melius intellegatur, adscripsi quicunque eiusdem generis cippi aetatis posterioris reperti sunt in agro suburbano.

I. a. u. c. 746: *C. Marcius L. f. L. n. Censorinus, C. Asinius C. f. Gallus* (sive inverso ordine) *cos. ex s. c. termin(arunt). R(ecta) r(egione) proximus cipp(us) ped. DI* (numerus variat). Additur in quibusdam: *Curatores riparum qui primi fuerunt ex s. c. restituerunt.* — Smet. 8, 1 q. v.; Grut. 196, 1 ex Smet. Ursino Ligorio; 197, 2 ab Ursino; 1022, 1 ex sched. Ursini; 1078, 10 ex schedis Pighii; Gud. 73, 5; Marini iscr. Alb. p. 21 q. v. cf. Arv. p. 808 n. 100. 102; Vignoli col. Ant. p. 313 q. v. (inde Mur. 297, 5); Donat. 463, 1; Fea fast. p. XXXVII n. 13. Biondi

610—614 *in dextra Tiberis ripa.*

610 in vinea Moralda ad Tiberim via Flaminia.

M · VALERIVS · M · F
ꟿ · N · MESSALL
P · SERVILIVS · C · F ·
ISAVRIC · CENS
EX · S · C · TERMINAR

cens. a. u. c. 700.

Fabrett. 487, 166.

611 ad sacellum D. Praxedis vulgo *Santa Passara* contra basilicam S. Pauli *Fabr.* '*trovato sulla ripa in faccia a S. Paolo dalla parte di S. Passera*' *Fea.*

similis ad verbum. Fabr.

Fabrett. l. c. Fea fast. p. XXXVIII citat, non exhibet ex ms. Chigiano I. VI. 205 p. 146.

612 cippus effossus ad ripam Tiberis, extat in vinea Costa via Portuensi M p. ab urbe.

M · VALERIVS · M · F · m · N
MESSALA
P · SERVILIVS · C · F · M///VS
CENSO*res*

Descripsit de Rossi.

3 videtur legendum esse C · F · M · n. *isaur.* Accedit igitur in hoc exemplo Servilio avus, quem M. dictum esse docuerant iam fasti Capitolini a. 675.

613 '*cippo in travertino alto palmi* 10, *largo* 3 *e grosso quasi due, posto alla destra ripa del fiume in su accanto al Ponte Molle, scoperto il dì* 20. *Ott.* 1819, *piantato bene in grosso masso di muro e lasciato sul posto*' *Fea.*

M · VALERIVS · M · F
ꟿ · N · MESSAL
P · SERVEILIVS · C · F
ISAVRICVS · CES
EX · S · C · TERMIN

Fea fast. p. XXXVIII. = *varietà di notizie* p. 159. Borghesi dec. num. 9, 7. Nibby *Roma* 1, 192 = *dintorni* 2, 536. Exscripsit Kellermannus. Henzen n. 5357 = 6448.

614 'supra S. Paulum via Ostiensi ad marginem viae erutum saxum terminali forma 1591' *Winghe.*

M · VALERIVS · M//
ꟿ · N · MESSAL//
P · SERVEILIVS · C//

Phil. de Winghe (cod. Bruxell 17872) II f. 34 r. descripsit.

atti dell' Acc. Rom. 9, 468. Ex subscriptione (cf. III) constat hanc terminationem pertinuisse ad ripam.

II. a. u. c. 747/8: *Imp. Caesar divi f. Augustus pontifex maximus tribunic. potest. XVII ex s. c. terminavit, r(ecta) r(egione) prox(imo) cipp(o) ped. CLXVIS* (numerus variat). Smet. 8, 3 q. v. (inde Grut. 196, 3); Fea fast. p. XXXIX ex ms. Chigiano (inde Orell. 5011). — Ad eandem ripae terminationem hic cippus pertinuisse

vulgo creditur nec sine probabilitate, cum et annus eo ducat et formularum similitudo. Contra cippi inscripti: *C. Clodius Licinus, Cn. Sentius Saturninus* (sive inverso ordine) *cos.* (p. Chr. 4) *terminarunt loc(um) publicum ab privato* (Mar. iscr. Alb. p. 22; Donati 471, 12; Oderici syll. p. 308, inde Orell. 3260) cur in ripa olim stetisse credantur, non perspicio.

III. Inter ea quae Augustus *nova officia excogitavit,* Suetonius (Aug. 37) numerat *curam* quoque *alvei Tiberis.* Contra Dionem (57, 14) si audimus, anno demum post mortem Augusti p. Chr. 15, cum urbs maxima inundatione afflicta et prostrata esset, Tiberius νομίσας ἐκ πολυπληθίας ναμάτων αὐτὸ γεγονέναι, πέντε ἀεὶ βουλευτὰς κληρωτοὺς ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ποταμοῦ προσέταξεν, ἵνα μήτε τοῦ θέρους ἐλλείπῃ μήτε τοῦ χειμῶνος πλεονάζῃ, ἀλλ' ἴσος ὅτι μάλιστα ἀεὶ ῥέῃ. Denique de eadem re Tacitus ann. 1, 76: *remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni et L. Arruntio mandatum,* quorum illum ab a. 13 ad a. 23 p. Chr. curatorem aquarum fuisse testatur Frontinus (de aq. 102) vel potius primum ex tribus viris hoc officio fungentibus (cf. Frontin. 99), ut L. Arruntium in eodem collegio secundum fuisse non temere suspicere. Quae testimonia inter se conciliari cum nulla ratione possint (nam si fuit sub Augusto propria Tiberis cura, non novum officium instituit Tiberius, quod Dio ait, nec post inundationem a. p. Chr. 15 ad curatores aquarum res redire potuit, quae suos curatores iam haberet), errore sine dubio Suetonius officium statim post mortem Augusti a cura aquarum vere ab Augusto instituta seiunctum proclivi errore rettulit ad ipsum Augustum. Imo anno p. Chr. 15 Tiberius primum curatoribus aquarum fluminis curam demandavit, deinde, cum hi negotiis non sufficerent, proprium curatorum riparum officium excogitavit. Huius igitur anni fere sunt quos supra (I) indicavimus *curatores riparum, qui primi fuerunt;* quos quinque fuisse cum Dio tradit tum lapides (IV) confirmant. Eorum vel maximum officium fuisse ut publicam ripam servarent terminarentque cognoscitur cum ex ipso nomine *curatorum riparum,* accedente posteriore tempore alvei cloacarumque cura, tum ex monumentis eorum.

IV. Post Augustum ante Vespasianum: *C. Vibius C. f. Rufus, Sex. Sotidius Sex. f. Strabo Libuscid(ius), C. Calpetanus C. [f.] Statius Rufus* (similibus negotiis sub Claudio functus, Grut. 237, 8 cf. 200, 6), *M. Claudius M. f. Marcellus, L. Visellius C. f. Varro* (cos. p. Chr. 24) *curator(es) riparum et alvei Tiberis ex s. c. termin.* Smet. 8, 6 q. v. (inde Grut. 197, 3).

V. p. Chr. 73: *Ex auctoritate imp. Caes. Vespasiani Aug. p. m. trib. pot. IIII imp. X p. p. cos. IIII [des.] V cens. C. Calpetanus Rantius Quirinalis Valerius [F]estus curato[r] riparum et alvei Tiberis terminav[it], r(ecta) r(egione) prox(imo) cipp(o) p. CLXXIIII.* — Smet. 145, 1* ex Mazochio, Grut. 197, 4 ex Mazochio et Pierio. Marinius (Arv. p. 808), deceptus interpolationibus, quibus ex uno hoc multorum nominum homine (Henzen 6495) duo facti sunt, de curatorum numero ab Augusto instituto dubitavit sine causa.

VII. p. Chr. 101/2: *Ex auctoritate imp. Caesaris divi Nervae fil. Nervae Traiani Aug. Germ. pontificis maximi tribunic. potestat. V cos. IIII p. p. Ti. Iulius Ferox curator alvei et riparum Tiberis et cloacarum urbis terminavit ripam, r(ecta) r(egione) proximo cippo p. CCCLXXXVIS.* Smet. 8, 9 q. v., Grut. 198, 3 ex Manutio, 198, 4 ex Smetio et Marliano et Manutio.

VIII. p. Chr. 121/2: *Ex auctoritate imp. Caesaris divi Traiani Parthici f. divi Nervae nepotis Traiani Hadriani Aug. pontif. max. trib. potest. V imp. IIII cos. III L. Messius Rusticus curator alvei et riparum Tiberis et cloacarum urbis r(ecta) r(egione) restituit secundum praecedentem terminationem proximi cippi ped. CXVS* (numerus variat). Smet. 8, 8 (ex eo aliisque Grut. 197, 5) et 8, 10 (inde male Grut. 198, 2) q. v. Vignoli p. 313. Biondi l. c. ad n. I p. 469.

IX. p. Chr. 161: *Imp. Caesar M. Aurelius Antoninus Aug. pontif. max. trib. potest. XV cos. III et imp. Caesar L. Aurelius Verus Aug. trib. pot. cos. II terminos vetustate collapsos exaltaverunt et restituerunt r(ecta) r(egione) proximo termino ped.. positos ex auctoritate imp. Caesaris Nervae Traiani Aug. curante A. Platorio Nepote Calpurniano curat. alvei Tiberis et riparum et cloacarum urbis.* Donius 2, 55 (inde Mur. 455, 3), cui dedit Cassianus a Puteo; Gud. ms. 320, 1 = 731, 2 (hoc loco ex schedis Salmasii), ed. 84, 5; Fabrett. 748, 555, Fea fast. p. LIV n. 35, ex schedis Barberinis uterque; Borghesi *Giorn. Arcad.* 1824, 22, 64 p. 74 'ad optimum exemplum'; Guarini comm. XIV p. 19; Henzen n. 5472.

X. p. Chr. c. 300: *DD. nn. providentissimi impp. Diocletianus et Maximianus invicti Augusti ripam per seriem temporum conlapsam ad pristinum statum restituerunt per ped. CX curante Manio Acilio Balbo Sabino v. c. curat. alvei Tiberis, riparum et cloacarum sacrae urbis.* — Grut. 198, 5 ex schedis Ursini et Cittadini.

---

615 in magna basi, Auximi *Mart.* hodie ibi in curia.

cn. p|OMPEIO · CN · |*fil*
ma|GNO · IMP · COS · TER|*t* u. c. 702.
pa|TRONO · PVBLICE ·

Ritschl tab. LXXXVI c ex lapide. Descripsi. Ed. Martorelli *mem. istor. di Osimo* (Venet. 1705. 4) p. 62; Zaccaria excursus 1, 275 (inde Orell. 574).

Pompeium iterationem honorum monumentis suis inscripsisse et ex hoc lapide constat et ex glande eiusdem anni, in qua est CN · POMP · COS · III, et ex Iliensi titulo C. I. Gr. 3608 et ex narratis a Tirone (apud Gell. 10, 1) Cn. Pompeium aedem Victoriae in theatro dedicaturum a. u. c. 702 (cf. Beckeri Topogr. p. 676) dubitasse, utrum *consul tertio* inscribendum esset an *consul tertium,* denique suadente Cicerone scripsisse *cos. tert.* verbo non perscripto. Addo septimi saeculi inscriptiones quotquot extent iterationem non enuntiare, sed legi in titulo Campano (n. 568) a. 650 *[C. Flavio] C. f. C. Mario C. f. cos.,* in glande a. 669 *L. Cin(na) Cn. Pa(pirio),* in altera a. 674 *L. Sul(la) Q. Me-t(ello).* — Iteratio initio litteris scribebatur, deinde lineolae invaluerunt, quibus usi sunt, qui in theatro Pompeiano reficiendo inscriptionem eius denuo incidendam curaverunt (Gell. l. c.). — Imperator videtur spectare ad victorias praecedentes (v. ad n. 616), non ad imperium, quod cum consulari coniunctum Pompeius obtinuit in Hispania, nam hoc nomine *pro consule* tantummodo dici solet. (Caes. b. c. 6, 1; *röm. Münzwesen* p. 654) Quamquam hac aetate in titulis statuarum commemorari non solere honores nisi praesentes non ignoro.

616 *gran tavola di marmo, Chiusi in casa di Flaminio Dei, di recente invenzione.*

G . . . POMPEIO
MAGNO
IMPERATORI · SECVNDO
CIVES · CLVSINI

Misit Borghesius acceptum a Io. Bapt. Pasquini: '*corrisponderà a quella di Silla* (n. 586), *e sarà la seconda Latina che avremo di Pompeo Magno dopo il frammento di Osimo*' (n. 615). Titulus nisi fictus certe corruptus est; unde ab eo abstinui. Ceterum quotiens Pompeius imperatoris nomen iterarit, parum constat. Utrum reportarit ex Africa an pro imperatore ei cesserit Magni cognomen tum adsumptum, ignoratur (cf. *Röm. Münzwesen* p. 609); certo imperator appellatus est ex Hispania et ex Asia (cf. Plin. h. n. 7, 26, 97; Diodor. exc. Vat. p. 140 Dind.). Iliensis lapis C. I. Gr. 3608 dicit eum τὸ τρίτον αὐτοκράτορα triaque in anulo eius nummisque adsunt tropaea (cf. *Röm. Münzwesen* p. 629).

617 Grumenti (Saponarae) fuit in aede fratrum minorum; bodie desideratur.

*se*X · POPPAED*i* · SEX · F
*se*R · AEBVTIVS · C · F
*f*AL · AEDILES · MOER*um*
*p*EDES · ⅭⅮCC · DE · SVA
*p*EQVNIA · FACIVNDV*m*
COERAVER · SER · SVLPICI*o* u. c. 703.
M · MARCELLO · COS

Aegyptius de Bacch. p. 155, unde pendent Mur. 293, 1 et I. N. 322, ubi vide. Cf. n. 604.

1 ... X · Q · POPP · AEDILIS · EX · F .... Aeg. Fortasse tribus deest in fine. — 2 in. TR · aut SER · fuit.

618 in monte Ossa. '*On the face of the rock in the pass of Babá. The traces of the ancient road, cut in the rock and wide enough for carriages, still remain. In the beginning of the ascent, the rock on the right hand side of the road is excavated perpendicularly, and upon the face of it the words are engraved in large letters much worn by time and surrounded by a moulding of a common form*' Leake. '*Au moment où le sentier s'élève sur les flancs de l'Ossa, le rocher a été taillé à droite de la route et porte l'inscription suivante*'. *Mez.*

L CASSIVS LONGIN
PRO COS u. c. 706.
TEMPE MVNIVIT

Pouqueville *voy.* (Paris 1820) 3, 55 (inde Orell. 587); Leake *Northern Greece* 3, 392 pl. 31 n. 154; Le Bas 2, 1292; Mezières *arch. des missions* 2, 263. 278.

1 L om. Pouqu. — LONGINVS Pouqu. Mez. — 1. 2 cj. Mez.

Legati Caesaris est, qnem ante pugnam Pharsalicam in Thessaliam misit (Caes. b. c. 3, 34. 55. Dio 41, 1.) Eiusdem videtur esse nummus supra n. 478 relatus.

619 epistylium ornatum repertum Eleusine ad propylaea interiora (cf. *Bullett.* 1860 p. 179) in effossionibus a Francisco Lenormant nuper institutis. De propyli Appii reliquiis quae in re praesenti observavit A. Michaelis exposuit *Bullett.* 1860 p. 231.



*ap. claudi*VS · AP · F · PVLCHE*r* PROPYLVM · CERE*ri*
*et proserpi*NAE · COS · VOVIT *im*PERATO*r coepit*
*pulcher clau*DIVS · ET · REX · MAR*cius fec*ERVN*t ex testam* post u. c. 706.

Descriptam diligentissime ab Conzio misit Henzenius, qui ipse edidit pariter ligno incisam *Bullett.* 1860 p. 227.

Ap. Claudius Ap. f. Pulcher consul factus cum L. Domitio Ahenobarbo a. u. c. 700 qnam cupide petiverat Ciliciam provinciam (Cic. ad fam. 1, 9, 25; ad Att. 4, 16, 12; ad Q. fr. 3, 2 extr.) anno sequente suscepit obtinuitque usque ad a. d. prid. kal. Sext. a. 703, quo M. Cicero ei successit. Imperatorem eum in provincia appellatum esse et cistophori Apameni ostendunt supra n. 526 relati, in qnibus legitur AP · PVLCHER · AP · F · IMP, et epistulae ad eum Ciceronis (ad fam. 3, 1. 2) inscriptae *Ap. Pulchro imp.*, et flagitatus ab Appio post reditum triumphus (Cic. ad fam. 3, 9, 2. 3, 10, 1. Cael. ad Cic. 8, 6, 1), denique lapis Athenis nuperrime repertus (ἐφημ. ἀρχαιολ. n. 3766; ἐπιγραφαὶ Ἑλληνικαὶ Athen. 1860 n. 37) hic:

ΟΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΒΟΥΛΗ Η ΕΞ ΑΡΕΙΟΥ ΠΑΓΟΥ
ΑΠΠΙΟΝ ΚΛΩΔΙΟΝ ΑΠΠΙΟΥ ΥΟΝ ΠΟΛΧΕΡ sic
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ

De eodem Cicero ad Atticum '*post Leuctricam pugnam die DCCLXV*' sive a. d. VI kal. Mart. a. 704 sic scribit (6, 1, 26): *Unum velim cogites. Audio Appium πρόπυλον**) *Eleusine facere; num inepti erimus, si nos quoque Academiae fecerimus? Puto, inquies. Ergo id ipsum scribes ad me. Equidem valde ipsas Athenas amo; volo esse aliquod monumentum; odi falsas inscriptiones statuarum alienarum.* Omnino qnod Appium honorant Athenienses benefactoremqne suum appellant, fecerunt propter ipsa illa propylaea Eleusine sibi ab Appio facta, similemque ab iisdem honorem Cicero sibi cupit. Idem ad eundem paulo post III non. Sext. (6, 6, 2): *Me tamen de Academiae προπύλῳ iubes cogitare, quom iam* (*quoniam* Med.) *Appius de Eleusine non cogitet.* Supervenerunt scilicet primum accusationes duae maiestatis et ambitus et censurae petitio, mox turbae civiles, quae a privatis negotiis Appium distinerent; denique Pompeium in Graeciam secutus et Achaiae praefectus aestate a. 706 ante pugnam Pharsalicam commissam prope Rhamnuntem, ubi ex oraculo a Pythia sibi dato sedem elegerat, morbo absumptus est (Val. Max. 1, 8, 10. Oros. 6, 15. Lucan. 5, 122 sq.). — Quibus positis titulus Eleusine nuper repertus satis videtur esse illustratus; est enim inscriptio ipsius illius propyli ad Eleusinium templum primarium Δήμητρος καὶ Κόρης sive Cereris et Proserpinae (cf. Vitruv. l. 7 praef. §. 16: *Eleusine Cereris et Proserpinae cellam — Ictinus — pertexuit*) ab Appio adiecti*), quem Graecae superstitioni ea aetate inter nobiles Romanos magnopere vigenti vel maxime deditum fuisse cum votum hoc ostendit tum pluribus locis de ea re auctores testantur. Consulem vota eum nuncupavisse pro victoria futuri proconsulatus titulus ostendit neque id abhorret a cupiditate provinciae obtinendae, quam supra tetigimus. Voto damnatum coepisse eum propyli exstructionem, sed mox opus interrupisse supra vidimus confirmatque inscriptio, hoc adiciens post mortem eius, ex clausula opinor testamenti, opus absolutum esse a Claudio quodam Regeque Marcio (sic enim supplendum esse apparet), qui qui fuerint, ut quaeramus superest. Et de Rege Marcio quidem dubitari non potest, quin filius fuerit sororis Appii eius, quae nupsit Q. Marcio Regi cos. a. 686 (Dio 36, 19; Plut. Cic. 29) mortuo ante a. 693 (ad Att. 1, 16, 10) quamque inter Ap. Claudii cos. a. 675 liberos natu

*) Sic margo Med., cum in ipso libro sit προπλον. Προπύλαιον proficiscitur ab emendatione.

*) Ἀρτέμιδος προπυλαίας aedes, quae Eleusine fuit (Pausan. 1, 38, 6), cum propylo Appii ita tantummodo potest fuisse coniuncta, ut prope id posteriore tempore dedicata sit.

maximam fuisse ex mariti praesertim aetate probabiliter collegit Perizonius (animadv. hist. c. 3 p. 116); unde probabile est filium ex ea natum aetate item praecessisse reliquos Appii nepotes, nec mirum igitur hunc maxime delectum esse testamento, qui operi illi absolvendo instaret. Praeterea eius hominis memoria nulla superest, nisi quod epistula (ad fam. 13, 52) inscripta *Cicero Regi* dataque post bellum Africanum a. 708 probabiliter ad eundem refertur. Regis praenomine Marcios usos esse item ex hoc lapide primum innotuit addendumque est ad similium praenominum recensum propositum nuper in mus. Rhen. 15, 191 sq. Magis dubia res est de eo qui priore loco nominatur Claudio, cuius praenomen molesta fractura intercepit. Filios ex se natos Appius propylum qui vovit reliquit nullos. Fratres duos habuit Gaium et Publium, quorum hic ante eum periit, Gaius supervixit quidem, sed in exilium actus est necdum cum frater diem obiit restitutus*), quare ne de hoc quidem cogitari potest. Non restant igitur nisi fratrum filii, quos Gaius duos habuit, Publius unum. At tertium horum Publium cum aetatis ratio excludat — nam cum pater interfectus est a. 702 *parvulus* fuit (Ascon. in Milon. p. 36) et a. 710 adeo appellatur a M. Antonio (Cic. ad Att. 14, 13 A, 2) puer in optima spe repositus — soli supersunt et omnino apti qui memorantur in actis a. 702 duo adulescentuli Appii Claudii ambo appellati, C. Claudii filii (Ascon. l. c. p. 35). Fuerunt hi, ni fallor (vide mus. Rhen. nov. 15, 185) natura Ap. et C. Claudii C. f., deinde Gaius ab Appio patruo adoptatus Ap. Claudius Ap. f. evasit, alter remansit Ap. Claudius C. f. Plerumque appellantur Appii maior et minor. At L. Ateius Philologus cum apud Suetonium (de gramm. 10) scribat audisse se Antonium Gniphonem (c. 688), postea docuisse, praecepisse autem multis et claris iuvenibus, *in quis Appio quoque et Pulchro fratribus, quorum etiam comes in provincia fuerit,* coluisse postea C. Sallustium, qui praetor fuit a. u. c. 708, fratres hi Appius et Pulcher sunt sine dubio iidem Appii maior et minor, qui in provincia, scilicet in Graecia, studiis vacaverunt fortasse eodem tempore, quo alteruter eorum propylaeo Eleusine faciendo institit; videturque discriminis causa eorum alteruter pro praenomine cognomen magis adhibuisse. Hi igitur Appii duo sive Appius et Pulcher fratres superfuerunt uterque a. 703, quo anno scripta epistula Caeliana (Cic. ad fam. 8, 8) minoris mentionem inicit, adeoque a. 711, quo anno scripta epistula Ciceroniana (ad fam. 11, 22) memorat Ap. Claudium C. f., praenomine paterno sane addito non sine iusta causa. Deinde de altero siletur; qui ad consulatum a. 716 pervenit, fuit Ap. Claudius C. f. Pulcher (I. N. 2404; fast. Dionis ad h. a.) is qui remansit in domo paterna, maior opinor, nam qui in adoptionem dantur filii solent esse minores, isque qui Appius dicitur Ateio, nam et priore loco ponitur et Appium hunc non admisisse pro praenomine cognomen ex fastis titulisque eius constat. Videtur igitur qui Appii filius ex adoptione factus est praenominis paterni sollemnem usum vitasse, ut a fratre naturali Appio distingueretur, itaque magis adscivisse cognomen patris adoptivi quasi praenominis loco. Iam ad titulum hunc si redimus, duorum de quibus cogitari potest supplementorum *[Ap. Clau]dius* et *[Pulcher Clau]dius* hoc mihi magis probatur. Nam primum Ap. Claudii nomen non adiecto praenomine paterno scribi non debuit propter ambiguitatem, cum frater minor etsi fortasse iure Appii praenomine carens certe vulgo et ipse patris adoptivi praenomine appellaretur; quae ambiguitas in Pulchri Claudii nomen non cadit, cum consul a. 716 cognomen praenominis loco nunquam usurparit. Deinde filius ab Appio adoptatus eique superstes aegre desideratur in eiusmodi titulo et recte omnino obtinet locum priorem. Denique ipsum id quod sequitur *Rex Marcius* commendat similitudine sua eam quam proposuimus quamque propter hanc causam iam Henzenius probavit restitutionem *Pulcher Claudius.* — Supplementa v. 1 et 2 retinui ab Henzenio accepta, qui idem de tituli aetate et origine statim verum vidit. V. 2 *coepit* ponere malui quam cum Henzenio *probavit,* quoniam propter ea quae supra attuli ipse Appius opus non videtur perfecisse. Pro *fecerunt* v. 3 dedissem *absolverunt* vel *perfecerunt,* si talia admisisset spatium, de quo in hoc lapide certa ratione constat propter mensuras triglyphorum et metoparum supra litteras sculptarum a diligentissimo Conzio accurate exceptas. Fortasse tamen admitti potest *Marci. absolverunt* nominativo secundum antiquam consuetudinem perscripto.

*) Hoc ostendunt epistulae duae ad fam. 8, 8 et 11, 22 inter se collatae, erravitque Drumannus (2, 199. 384) C. Claudium c. a. 700 non in exilium actum esse statuens, sed mortuum; nec tantopere premendum est, quod minus caute Asconius in Milon. p. 35 scripsit C. Clodium Publii fratrem *fuisse.*

620 Boviani in ecclesia cathedrali.

*c. iu*LIO · CAESARI · IM*per*
DICTAT · ITERV*m* — a. u. 706 aut 708.
*pont*VFICI MAX*umo*
*aug. c*OS · PATRONO · MV*nic*
D · C

Ritschl tab. LXXXV c ad lapidem. Descripsi et edidi post alios Orelliumque 582 I. N. 4986; recognovit Brunnius.

Caesar secundam dictaturam obtinuit a mense fere Octobri a. 706 usque ad a. 708 extremum, quo tempore dictator in decennium creatus dictaturis annuis fungi coepit; quae ita esse suo loco ad fastos Capitolinos demonstrabo. Iam hic titulus quoniam non solum dictatorem iterum, sed consulem praeterea eum appellat nec facile hac aetate ponuntur honores praeteriti, dedicatus est aut a. 706 extremo, quo Caesar consul II fuit, aut a. 708, quo fuit cos. III. Iterationis nota igitur, cuius usum paulo ante coepisse supra (ad n. 615) docuimus, etsi admissa est in primario magistratu, tamen deest in consulatu cum in hoc titulo tum in glandibus duabus a. 708 infra referendis. Similiter in nummo a. 708 Caesar dicitur *cos. tert., dict. iter., augur, pont. max.* (Eckhel 6, 7). Praeterea de imperatoris titulo conferatur Eckhel 6, 16, de auguratu idem p. 17. — 5 est *d(ecurionum) c(onsulto).*

621 in epistylio ingenti longo metr. 5. 82, alto m. 0. 71 litteris maximis altis m. 0. 30 et pulcherrimis, fuit Herbusci prope Brixiam in quadam aedicula, unde nostra aetate in aedes publicas ad forum magnum illata est *Hel. Capreolus.* Ibidem adhuc extat.

C · IVLIVS · CAESAR · PONTIF *max*

Capreolus 1500 f. 7 v.; Nazarius 1562 p. 39; Grut. 1022, 2 ex Nazario; Rossi *mem. Bresc.* ed. 1693 p. 240 (inde Mur. 219, 2); Labus *marmi Bresciani* p. 142.

Q · pro C Naz., om. Rossi.

622 in hortis palatii Albae Aulae *(Whitehall)*; quo ex Asia advectum esse lapidem ex re constat.

p SERVEILIVS·P·*f* u. c. 708.
ISAVRICVS · PROCOS
RES*tit*VIT

Thomas Smyth adscripsit ad marginem Marm. Oxon. ed. 1676, unde edidit Maittaire Marm. Oxon. (1732) p. 594.

1 SERVEILIVS PE traditur.

P. Servilius P. f. C. n. Isauricus (Vatiae cognomine paterno abstinuisse videtur) a. 706 consul fuit, a. 708 proconsul Asiae. Cf. Cic. ad fam. 13, 66—72. De epistula apud Iosephum ant. 14, 10, 21 relata, quam Πόπλιος Σερουίλιος Ποπλίου υἱὸς Γάλβας ἀνθύπατος ad Milesios dedit, videndum, num ibi in cognomine erratum sit.

---

623 in Epiro ad maritimum antrum sive rupem incisam antiquissima ope et pluribus inscriptionibus insculptam prope Neptuni promontorium ad orientem p. XXV mil., quam in hodiernum nautae Grammatam vocant *Cyr.* Ad Panormum Epiri recte refert *Boeckhius.*

SEX · IVLIVS · SEX · L · ME*n*O*pi*LVS · O · F
A · D · XIIX · K · SEX · *m* · *an*T · P · DOL · COS u. c. 710.
MEMOR · Q · FVIT · DEORVM · ET
FEILI · SVEI · ET · LIBERTAE · SVAE · MONI
MES · VALE

Descripsit Cyriacus, unde legitur et in cod. Parmensi et in Cyriacanis editis n. 138 et apud Reines. 19, 21 e schedis Langermanni et apud Mur. 293, 2 e schedis Muratorii et Cyriaci; praeterea exhibent C. I. Gr. ad n. 1824 et Lebas 2, 1095.

1 MELEOFLVS Cyriacana exempla omnia praeter schedas Muratorianas, ubi est MELOFIVS. — O · E Rein. — 2 AD · XIIX · K · SEX · AAT Cyr. (cod. Parm.; SEX · LAT Cyr. ed., SEX · NAT Mur., SEXT Rein.); ubi in AA latet sine dubio M, id est MAN. Pro die XIIX · K · SEX, qui nullus est in fastis, quid substituendum sit non constat, potest cogitari de XII · K · SEX, IIX · K · SEX, XIIX · K · SEP.

Secundum Graecam consuetudinem certis locis sacris deos recordandi iisque suos et ore et scripto commendandi, de qua vide Boeckhium l. c. quosque ibi citat, hic titulus positus est similesque ibidem reperti complures, Latinus hic totus corruptus (Cyriac. 137; Reines. 14, 65 ex sched. Langerm.; Mur. 1496, 9 ex schedis Cyriaci; Le Bas 2, 1096):

SELEVCVS
P · FABIVS · P · Q · Q · L · D · VECTVRI
VECTVRIAM · C · S · C · P · T · M

Graecique C. I. G. n. 1824—1827, ex quibus apparet hoc loco a nautis praesertim celebrato Castorum praecipue numina invocata esse. — 1 O · F si recte lectum est, fortasse significat *o(pus) f(ecit)* referturque ad incisionem; quamquam melius sane procederet *o(peratus) e(st).*

---

624 in Capua vetere prope villam marchionis Corsinii *Aeg.* nunc S. M. di Capua *palazzo l'Amorata.*

C · C A N V L E I V S
Q · F · LEG · VII · EVO
CAT · MORT · EST · ANN · NX mort. c. a. 710.
XXXV · DONAT · TORQ · ARMIL
PALER · CORON
Q · CANVLEIVS · Q · F
LEG · VII · OCCEIS · IN · GAL occisus c. 696/703.
ANNOR · N A T · X V I I I
DVO · FRATR
IEIS · M O N V M · P A T · FEC

Ritschl tab. LXXVI D ad lapidem. Descripsi edidique post Orellium 4596 sine causa de tituli antiquitate dubitantem aliosque I. N. 3621 (inde Henzen 6851).

1 extr. S mihi videre visus sum; in tabula deest.

Q. C. Canuleios Q. f. in exercitu C. Caesaris meruisse eo minus dubium est, quod septima legio non solum inter veterrimas et clarissimas legiones Caesarianas numeratur (Caes. C. G. 8, 8; Drumann hist. Rom. 3, 235), sed etiam in Campaniam eam deductam esse scribit Nicolaus Damascenus in vita Caes. c. 31: *ὥρμησεν* (Octavianus a. 710) *εἰς Καμπανίαν πρῶτον· [ἦν γὰρ ἐκεῖ ἡ] ἑβδόμη λεγεὼν καὶ ἡ ὀγδόη. Διαπειρᾶσθαι δὲ πρότερον ἐδόκει χρῆναι τῆς ἑβδόμης· μεῖζόν τε γὰρ ἀξίωμα* .... (cf. Drumannus l. c. 1, 215). Canuleiorum horum Quintus qui videtur maior fuisse, cum praenomen patris acceperit, in ipso tirocinio in Gallia occisus est; Gaius fuit sine dubio inter veteranos, quibus Caesar post victoriam in Campania agros dedit, item inter eos, qui militia legitima functi sua sponte ad signa reverterunt evocatus sive ab ipso Caesare sive ab Antonio sive denique ut supra diximus ab Octaviano. Mortuus est iuvenis sub ipsam Caesaris mortem vel paulo post. Hic quod sciam antiquissimus est titulus, in quo miles certae legionis nominetur; item antiquissimus, in quo praemia militaria enuntientur.

---

625 ad Pescinam supra ingressum cryptae rupi incisae in loco qui dicitur Peschio Moraturo prope Venere.

N · VIBIDAIVS · V · F
BARBO
C · PANSA O IRTIO a. 711
CONS PRI · NO*n*
FEB

Ritschl tab. LXXXV B ad lapidem. Edidi ex schedis complurium I. N. 5552; contulit Brunnius.

4 S vix apparere, N evanuisse notavit Brunnius; in tabula tamen et S et N aliquatenus apparent.

---

626 basis marmorea, Romae in museo Vaticano.

DÍVO · ÍVLIO · IVSSV
POPVLI · ROMANI
STATVTVM · EST · LEGE u. c. 711?
RVFRENA

Ritschl tab. LXXXV D ad lapidem. Ed. Marini Arv. p. 39; Orell. 586.

Inter honores a. 708 post pugnam Pharsalicam Caesari decretos Dio (43, 14) recenset statuam aeream eidem positam orbi insistentem cum inscripto divi nomine; quod quamquam primum probavit, tamen postea id in ea statua deleri iussit (Dio 43, 21) nec videtur divi nomine ipse vivus umquam usus esse, licet divini honores subinde ei offerrentur (Drumannus hist. 3, 666). Post mortem demum, cum maxime stella crinita per ludos eius funebres visa divinam eius naturam caelesti indicio confirmare visa esset, nomen divi sollenniter receptum est divique filius Octavianus appellari voluit, nec tamen, ut Eckhelio (6, 74) propter Servii locum (in Vergilii ecl. 9, 47) visum est, inde ab ipsa adoptione; nam in fastis Capitolinis a. 711 appellatur *C. Iulius C. f.*, non *divi f.* Quam ob rem titulus hic itemque similis Aeserninus I. N. 5014: *genio deivi Iuli parentis patriae, quem senatus populusque Romanus in deorum numerum rettulit* dedicati videntur esse

post mortem. Legem de defuncti dictatoris nomine mutando latam esse et per se probabile est et confirmatur inscriptione Aesernina; neque quidquam obstat, quominus de ea re ipsam legem cavisse statuamus Rufrenam, quamquam ea quid iusserit praeterea ignoratur nec titulus hic necessario ita accipiendus est. Rufrenus qui eam tulit mihi creditur is, quem Plancus mense Maio a. 711 cum Lepido esse scribit et id agere, ut a senatu exercitus eius desciscat (Cic. ad fam. 10, 21, 4. Drumann hist. 1, 354).

627 tabulae aeneae pars litteris rudibus et inaequalibus. Romae reperit intulitque in bibliothecam Vaticanam *Marinius*. Ibidem nunc servatur.

ĖI
/ EIS
*desi*GNETVR
QVAE
*s*RVATVR
*us*VS · FRVCTVSVE
R · ADVERSVS
ROG · HIRTİA
*qu*AE · LEX SİVE
plebei scitum est EA LEX · EAVE
*ca*VETO SEIVE
*a*DVERSVSVE
FECERIT ·
REFERAT
OE

QVA
SVB
NON
HABER
NEVE F
IN QVE
RENV*ntiat*
QVAE · C · C/ *esar*
DEP
V

Ritschl tab. IV A *a*. Misit Henzenius et descriptam a Rossio et ex schedis Marinianis, ubi sic est: *'Frammento di tavola di bronzo, che copiai in Roma nel Dec. del* 1806. *L' ho acquistato pel museo Vaticano'.* — Ego Rossium secutus sum; in tabula in fracturis hic illic vel elementum desideratur vel pingitur paullo diverse.

Unam solam novimus Hirtiam legem, scilicet quam tulit vivo Caesare dictatore A. Hirtius praetor a. 708 adversus Pompeianos; de qua Cicero Phil. 13, 16, 32: *Neminem Pompeianum qui vivat teneri lege Hirtia dictitatis. Quis quaeso iam legis Hirtiae mentionem facit? cuius non minus arbitror latorem ipsum quam eos de quibus lata est paenitere. Omnino mea quidem sententia legem illam appellare fas non est et ut sit lex, non debemus illam Hirtii legem putare.* Num haec sit ea quae in hac tabula memoratur rogatio Hirtia, nemo definiet nec de aetate tabulae constat, nisi quod libera adhuc re publica scripta sit necesse est. — Debuit haec supra collocari inter leges post n. 211; mea culpa suo loco omissam hoc loco malui ponere quam inter addenda.

628 in aversa praecedentis tabulae aeneae.

N
O · HAC
dic. cos pr. MAG · EQ
QVEI · IN
PREIMO
ET · SEI · IS
dic · COS · PR
*po*STVLAVERIT
CTAS
ca/SSA
IT
O

R
OP
DES
QVEI · F
CON
COV
VIR
IN
V

Ritschl tab. IV A *b*. Misit praeterea Henzenius, v. ad n. 627.

MAGISTRATVVM PVBLICORVM P. R. TITVLI RELIQVI AETATIS INCERTAE.

Epigrammatis his, quorum aetatem certa probabilive ratione determinare potuimus, commode videntur subiungi reliqui tituli non multi magistratuum publicorum populi Romani, qui aetatis liberae rei publicae esse videantur nec tamen ad certum annum revocari potuerint (n. 629—638). Denique coronae loco paucos titulos subiunxi magistratuum, qui diem obierunt Augusto imperante, honores vero obtinuerunt libera etiam tum re publica (n. 639—641)

629 in miliario viae Appiae n. CXII rep. prope Mondragone; extat in museo Neapolitano.

C · M //////
D //// COS
CXII

Descripsi et edidi I. N. 6233; cf. n. 6234.

630 basis quadrata Romae effossa in hortis Quirinalibus pontificis a. 1626.

QVIRINO
L · AIMILIVS · L · F
PRAITOR

Gud. ms. 704, 8, ed. 55, 15. — Eiusdem sacrarii titulum aetatis remotioris supra rettulimus p. 22 n. 41. Potest esse L. Aemilii Papi, qui videtur fuisse filius L. Aemilii Q. f. Papi cos. u. c. 529 praetorque factus est u. c. 549 (Liv. 28, 38); vel L. Aemilii L. f. M. n. Paulli qui praetor fuit a. u. c. 563 (Liv. 35, 24. 36, 2) et postea consul iterum cum rege Perse debellavit; vel denique L. Aemilii Regilli, qui praetor a. 564 classem regis Antiochi vicit, quamquam hic M. f. potius fuit quam Lucii (cf. Liv. 24, 7. 29, 11. 37, 22). Certe cognomen omissum pleneque scriptum *praitor* indicia sunt non dubia aetatis remotae.

631 in lapide Tiburtino effosso Romae a. 1817 ad columnam Phocae, ubi prostat.

M · CISPIVS · L · F
PR

Ritschl tab. LVI D ad lapidem. Ed. Fea *varietà di notizie* p. 68; Osann syll. p. 485, 4 ex Bibl. Ital., al.

M. Cispius tr. pl. a. u. 697 (Cic. cum sen. grat. egit 8, 21; pro Sest. 35, 76; pro Planc. 31, 75) ambitus condemnatus ad praeturam non pervenit, nisi forte Caesar eum restituit. Aetas igitur inscriptionis prorsus incerta.

632 ara, Romae in monte Palatino prope S. Anastasiam in vinea Nussiner; quae vinea in imo monte Palatino a S. Anastasiae pervenit ad S. Theodori et ultra, circum versus.

SEI · DEO · SEI · DEIVAE · SAC
C · SEXTIVS · C · F · CALVINVS · PR
DE · SENATI · SENTENTIA
RESTITVIT

Ritschl tab. LVI K *e*. Ed. Nibby *analisi* 1, 321; Orell. 2135; Klausen *Aeneas* 2 p. 1085 tab. 4 n. 5.

C. Sextius C. f. C. n. Calvinus (v. tab. triumph. a. 632) consul fuit a. 630; filius eius videtur fuisse C. Sextius Calvinus adversarius Glauciae praetoris u. c. 654 (Cic. Brut. 34, 130; de orat. 2, 61, 249). Utrius sit, incertum est; sed magis puto filio attribuendum titulumque esse aetatis fere Sullanae. — Ceterum ara haec recte, ni fallor, creditur esse ea, quae statuta est ad Palatii radices supra aedem Vestae in infima nova via, id est eo fere loco, ubi nunc est vinea Nussiner, propter vocem divinam ibi ante Gallorum adventum auditam Aio Locutio (v. Becker top. p. 244); nam probabile est in ara non hoc nomen scriptum fuisse, sed *sei deo sei deivae*. Inscriptio a C. Sextio repetita omnino antiquissima est, cum *deiva* ibi legatur non *dea*, quod praeterea reperiri solet in hac formula.

633 '*in un rocchio di colonna di travertino di diametro di 3 palmi Rom. in un cantone della piazza sostenendo una tavola di pietra*' *di Costanzo*; in termino *Secchi*. Extat Nazzani, quod est praedium Benedictinorum S. Pauli suburbanum in sinistra Tiberis ripa agrum Sabinum versus.

ᒥ · MENATES ᒥ · F
AID ᒥL
m. p. XXX

Ex Secchii schedis desumptam ed. Garrucci *Bullett.* 1860, 97; melius descripsit di Costanzo in itinerario ms. (bibl. monasterii S. Pauli Romae) p. 200 v., unde ed. Henzen *Bull.* 1860 p. 158.

2. 3 TR · PL ‖ XXX Secchi. — *Menates* Ritschelio (de decl. recond. p. 17) *Minatius* est, cuius tamen mutationis hac aetate praesertim permirae exempla vere similia attulit nulla. Imo ipsum *Menates* sive *Menas*, quod facit casu secundo *Menatis*, est apud Varronem de r. r. II, 1, 1 (*Menates* casu primo). 3, 11 (*Menas* item casu primo). 8, 1 (*Menate* casu sexto), quamquam ibi ab editoribus perperam confundi solet cum cognomine Graeco contracto Μηνᾶς, Μηνᾶ, Latinis *Mena* (non *Menas*), *Menae* (cf. Varr. de r. r. 2, 11, 10 et Plin. h. n. 7, 59, 211 notumque libertum Sex. Pompei Menodorum sive Menam). Addatur *L. Maenas L. l. Alexander* tituli Perusini apud Vermigliolium 2, 484 n. 76. *Menates* igitur gentilicium est ut *Maecenas, Sufenas* (Orell. 2252), *Fulginas, Larinas, Sassinas, Sentinas* (Henzen 6247; Huebner quaest. onom. p. 18) similiaque, quae num ad gentiliciorum urbicorum numerum redeant omnia, iure dubitari potest. Quae nomina ad sextum septimumve usque saeculum primo casu contractionem non admiserunt, sed exierunt in — *atis* (v. Corssen *Aussprache* 2, 57). — Vias extra urbem solent curare non urbani magistratus, sed ii quibus Italia magis quam urbs committitur consules praetoresque et censores. Docuit tamen titulus hic in viis suburbanis illorum quoque partes aliquas esse potuisse; quocum comparabitur cum pascuorum publicorum curatio aedilicia tum quod ad decimum usque lapidem homines convocantur edicto aedilium curulium (Liv. 27, 37); nec mirum est ad quos viarum urbanarum curae pertinuerit iisdem iniunctam fuisse etiam suburbanarum curationem, maxime ante institutos II viros viis extra urbem curandis (cf. de his supra p. 94). Comparandus est praeterea vir consularis aetatis Augustae *viar(um) cur(ator) extra u(rbem) R(omam) ex s(enatus) c(onsulto) in quinq(uennium)* (I. N. 5244 = Henzen 6450) et ab hoc ni fallor non diIerit. Cf .versus *cur(ator) viarum* inscriptionis Gruterianae 440, 2.

634 prope Nazzanum in eccl. S. Anthimi.

di Costanzo:

P · OTTEIDI....
SIPERNA.....
RVM

Palmieri:

EPOTI · DI
SIPERNA
· RVM

Di Constanzo descripsit (v. n. 633); item Gregorius Palmieri Benedictinus S. Pauli monasterii bibliothecarius.

Adieci ad priorem propter similitudinem quae inter utramque videtur intercedere; haec tamen quid significet non assequor, neque quidquam tribuo coniecturae in quam incidi de *sipernatium*, id est *supernatium, viarum* (vel *aquarum*) *curatore*.

635 Romae ad radices arcis Capitolinae in vico *Macel de' Corvi* utrimque repetita inscriptio; alterum exemplum totum legitur, alterius primae litterae lineola separatae. — Errore Nepete *Mur.* 738.

C · POPLIC | IO · L · F · BIBVLO · AED · PL · HONORIS
VIRTVT | *IS*QVE · CAVSSA · SENATVS
CONSV | LTO · POPVLIQVE · IVSSV · LOCVS
MONVM | ENTO · QVO IPSE · POSTEREIQVE
EIVS · INF | ERRENTVR PVBLICE · DATVS · EST

Ritschl tab. LXXXIII A B cf. LXXXIV *a*. Habent iam antiquissimi descriptores Signorilius n. 51 (Rossi *ant. racc.* p. 83) et Poggius n. 55 (Rossi l. c. p. 154); deinde Ferrarinus cod. Ver. f. 148; Iucundus cod. Ver. f. 12; Mazoch. f. 22; Apian. 207, 3; Panvin. Rom. 188; Manut. orth. 647, 6; cod. Pighii f. 61; Smet. 65, 12; Augustinus dial. ed. 1587 p. 392; Grut. 455, 1 (viderunt Smetius et Metellus); Mur. 734, 2 ex Sante Bartolo, 738, 3 ex schedis suis; Piranesi *ant. Rom.* vol. 2 tab. 45; Osann p. 523; Orell. 4698 (collato Henzeno in add. 3 p. 486) cet.

1 POBLICIO priores omnes; POPLICIO in utroque exemplo tabula exhibet. Cf. Ritschl *Rhein. Mus. N. F.* 14, 398. — 2 IS hodie periit, nisi potius, quod tabula videtur indicare, in lapide fuit VIRTVTSQVE, ut I male omissam lapicida per contignationem suppleriit. Cf. Ritschl *Rh. Mus. N. F.* 14, 386.

Sepulcrum fuisse ad portam quidem, sed extra eam in campo Martio recte demonstravit Beckerus (de Romae veteris muris p. 69). Res in universum nota est; cf. Cic. Phil. 9, 6, 14: *maiores nostri statuas multis decreverunt, sepulcra paucis* ibidemque in sententia 7, 17: *uti locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa cos. seu quo in loco videbitur pedes XXX quoquo versus adsignet, quo Ser. Sulpicius inferatur, quod sepulcrum ipsius liberorum posterorumque eius esset, uti quod optimo iure publice sepulcrum datum esset.* Hoc nisi fallor ex solo titulo apparet ad eiusmodi beneficium

praeter senatus decretum necessarium fuisse populi iussum; cum autem ager publicus neque viritanae neque coloniariae assignationis causa recte alienaretur nisi lege de ea re lata locumque publicum ne ad sacros quidem usus dedicare liceret nisi populo de ea re rogato (Cic. de domo 49, 127), item lege opus fuisse consentaneum est ad agrum publicum sepulcri faciendi causa privato homini donandum caduntque omnino eiusmodi decreta inter privilegia, quae licet senatus saepe concesserit populo praeterito, tamen summo iure sine populi iussu perfici non potuerunt. Mirum autem est, cum sepulcri publici honor in municipiis aetate imperatoria pervulgatus ipso Cicerone teste Romae liberae rei publicae aetate perraro tributus sit, pervenisse eum ad familiam nequaquam conspicuam Publiciorum Bibulorum. Ex ea duorum tantum hominum aliqua memoria superest, L. Publicii Bibuli, qui tribunus militum a. u. c. 538 post pugnam Cannensem bene de re publica meruit (Liv. 22, 53) et C. Poblicii Bibuli, tribunus plebi qui fuit a. u. c. 545 (Liv. 27, 20); quorum alter potest fuisse is, cui populus honoris virtutisque causa in loco publico sepulcrum hereditarium concessit. Neque obstat quod in titulo aedilis plebis dicitur, tribunus plebis apud Livium, cum praesertim tribunatus et ante aedilitatem et post eam suscipi potuerit, qua de re recte monuit me F. Hofmannus. Utut est, titulus certe septimum saeculum non excedit potuitque facile eiusmodi monumentum a posteris restitui. — Ceterum Osannus in hoc titulo explicando solito magis rideri voluit, cum et non sine aliqua gravitate non spurium eum esse evicit, sed vere antiquum et genuinum, et titulum notissimum octo columnarum aedificii S · P · Q · R · INCENDIO CONSVMTVM RESTITVIT quoniam in nescio quo infimi generis sordiumque pleno codice reperit cum hoc Bibuli confusum, inde insigniter incredibilia de hoc monumento commentus est.

636 Romae in museo Vaticano.

M · ACILIO · M F · CANINI
Q · VRB ·
NEGOTIATORES · EX · AREA
SATVRNI

Ritschl tab. XCI L ad lapidem. Ed. Henzen n. 5084.

Titulus videtur positus ante a. 726, quo cura aerarii Saturni a quaestoribus delata est ad praetorios (Dio 53, 2); num sit aetatis liberae rei publicae, non definio.

637 Capuae *August.* in aede SS. Cosmi et Damiani meridiem versus *Don.* Casapullae apud Pellegrinum *Pellegr.* Delata dicitur ad Danielem; hodie tamen num extet et quo loco, non constat.

L · SORA · L · F ·
L · ARRIVS · M · F ·
IIII · VIR · PR · D · S · S
T E R M · C

Codex Augustini Tiferni f. 53; Pellegrinus apud Gud. ms. 81, 6, ed. 331, 17; Don. 5, 151 (inde Mur. 486, 1) a Pomp. Garigliano; Orell. 3732; I. N. 3956.

3 dedi lectionem Augustini; pro PR · Pellegrinus dedit DR (omisso praeterea VIR), Donius D · V.

1 Sora videtur nomen esse formae insolitae, non cognomen nominis loco positum, quod quamquam et alibi et in nummis frequenter fit, tamen ab inscriptionum sollemnitate fere abhorret. — 3 Postquam Augustini codice invento huius versus lectionem ut stabilirem mihi contigit, interpretatio adhuc frustra temptata facilis est et expedita. Legendum est IIIVIRI PRaefecti, nec PR pro praefecto sine exemplo est (cf. Henzen n. 7163 al.). Significantur enim IIII viri Campani, de quibus pauca quae praeterea extant testimonia cum hoc titulo iuvabit composuisse. Livius 9, 20: *eodem anno* (u. c. 437) *primum praefecti Capuam creari coepti legibus a L. Furio praetore datis.* Festus p. 233: (Praefecturarum) *genera fuerunt duo, alterum, in quas solebant ire praefecti quattuor e viginti sex virum numero populi suffragio creati* (*erant* inserit cod.) *in haec oppida Capuam Cumas Casilinum Volturnum Liternum Puteolos Acerras Suessulam Atellam Calatiam.* Dio 54, 26 ad a. 741 postquam narravit senatum censuisse, ut XX viris liceret in equestri condicione manere, haec addit: οἱ δὲ δὴ εἴκοσιν οὗτοι ἄνδρες ἐκ τῶν ἓξ καὶ εἴκοσιν εἰσίν — — — — οἱ γὰρ δὴ δύο οἱ τὰς ἔξω τοῦ τείχους ὁδοὺς ἐγχειριζόμενοι, οἵ τε τέσσαρες οἱ ἐς τὴν Καμπανίαν πεμπόμενοι κατελέλυντο. Quod factum esse existimo a. u. c. 734 collato loco, ad quem scriptor respicere videtur 54, 8: τότε δὲ (Augustus) αὐτός τε προστάτης τῶν περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν αἱρεθεὶς — ὁδοποιοὺς αὐταῖς ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων — προσέταξεν. Denique extat adhuc Alsii, quod nunc est *Palo*, exaratus litteris magnis saeculi Augusti titulus post Suaresium (cod. Vat. 9140 f. 1 v.) nuper descriptus ab Rossio nostro editusque ab Henzeno (*Bullett.* 1851 p. 172; Orell. 6463) hic:

M · HERENNIVS · M · F
MAE · RVFVS
PRAEF · CAP · CVM · Q

Dicti igitur fuerunt magistratus hi, quos institutos vidimus a. 437, abolitos a. 734, sollemni nomine *IIII viri praefecti iure dicundo Capuam Cumas Casilinum Volturnum Liternum Puteolos Acerras Suessulam Atellam Calatiam*, ut tamen ex longo hoc carmine non adhiberentur fere nisi verba prima et maxime necessaria. De ipsorum officio dixi in historia Romana (ed. 3.) 1 p. 412. 806. — Titulum Campanum quamquam Caesare antiquiorem esse non constat, tamen quominus fuerit nihil impedit. Vigintisexvirum proprio officio non expresso qui extant tituli quamquam secundum ea quae supra diximus infra Augustum non descendunt, tamen vel omnes vel certe plerique eorum non ascendunt ad liberae rei publicae aetatem. Nec tamen incommodum visum est eosdem hoc loco proponere coniunctos paucisque illustrare, cum quodammodo pertineant magis ad hanc quam ad posteriorem aetatem.

1) *[T.] Titius T. f. Ser. Tappo XXVI vir; T. Titius T. f. Ser. Poppalenus pater; Gessia M'. f. mater; Titia T. f. Rufa soror. Parcitis heredi. Et vos insentibus dedite morti. Siquid mortui habent, hoc meum erit, cetera liq[ui]. Arbitratu Q. Umbrici Q. f. Cla. Flacci. [H.] m. h. n. s.* — Nomenti a. 1817 reperta extat in museo Vaticano, ubi descripsi. Henzen 6457. Vivi quod precantur quodque respondent manes, proprie ita fortasse efferendum fuit a scriba perito: *Parcite heredibus. — Et vos iis qui insunt date debita defuncto.*

2) *C. Papirius C. f. Clu. Carbo, tr. mil., XXVI vir, q. pro pr. Antullia Q. f. uxor.* — Romae in aedibus Matteiorum, ubi descripsi. Orell. 3375 collato Henzeno vol. 3 p. 335. Omnino imperatoriae aetatis, nam *quaestor pro praetore* vix in hoc titulo ita accipi potest ut supra habuimus n. 598.

3) *A. Castricius Myrio Talenti f., tr. mil., praef. eq. et classis, mag. colleg. Lupercor. et Capitolinor. et Mercurial. et paganor. Aventin., XXVI vir .... moni per plures .... sortitionibus .... is redemptis.* — Lanuvii olim; hodie ubi extet, nescitur. Henzen 6010.

4) *..... [l]io Vibi f. Clu. patri; ..... [l]io Ti. f. Clu. fratri; ...... iae matri ....lius Ti. f. Pup. Clemens scr(iba), XXVI [vir, tr. mi]l a. populo, II vir iure dicundo Carsulis; sex [dier(um) circ(enses), se]x scenic(os), primus munus gladiatorium municipio [edidit].* — Aquaspartae. Marini *Arv.* p. 806; ad ectypum

a marchione Eroli Narniensi sibi missum exegit Henzenus (cf. *Bullett.* 1860 p. 12).

Sub Caesare dictatore XXVI virum numerus auctus est additis singulis viris capitalibus et monetariis et fortasse aliis (Suet. Caes. 41; Orell. 6450; *röm. Münzwesen* p. 370 n. 14), caeso eo mox antiquus revocatus est mansitque, ut diximus, ad a. usque 734.

638 fr. vetusti lapidis effossum Romae in Quirinali 1626.

*d*IOVEI · VICTORE
T · *a* E *b* V *ti* · M · F
III VIR *resti* TVIT

Gud. ms. 68, 13=704, 4 a Ryequio, qui eo tempore Romae degebat; in Gudii ed. deest. Edidi *Bullettino* 1853, 174.

Versus initio fractos facit Gudius legitque 1 . . . O · IOVEI, 2 . . . T · MEFV . . . . M · F. Pertinet ad effossiones easdem in Quirinali factas, unde prodierunt praeterea inscriptiones n. 41. 630. Iovis victoris aedem in Capitolio dedicatam novimus (Dio Cass. 45, 17 coll. Prellero *röm. Myth.* p. 177); similem fuisse in Quirinali etsi praeterea non traditur, tamen recte convenit, nam et ibi Capitolium fuit aedesque eaedem fere atque in monte Tarpeio. — Aebutii nomen reposui eo praesertim motus, quod et T. et M. praenomen huic genti familiare est; magistratus hic potest fuisse T. Aebutius Carus III vir colonis Mutinam et Parmam deducendis a. 571 (Liv. 39, 55), praetor 576 (Liv. 41, 6), decemvir agris dividendis u. c. 581 (Liv. 42, 4). — Triumvirum horum similes memorantur apud Liv. 25, 7 *triumviri reficiendis aedibus* incendio consumptis.

639 in agro Nomentano.

ex una parte	*ex altera parte*
L · CAECILIO · L · F · RVFO	D I S · M A N I B
tr. pl. 691. Q · TR · PL · PR · PRO · COS	SACRVM
pr. 697.	L · CAECILI · RVFI

Piccart. n. 232, inde Reines. 6, 16, Orell. 588.

Versuum divisio arbitraria. — 2 P · pro PR · Rein. err. typ.

L. Caecilius Rufus (sic appellatus ab Asconio p. 48, cum a Cicerone semper dicatur L. Caecilius; cf. ad Q. fr. 1, 2, 2, 6 locosque infra citatos), P. Cornelii Sullae frater uterinus (Cic. pro Sull. 22. 23; ad Q. fr. 3, 3, 2), tribunus plebis fuit a. 690/1, (Cic. pro Sull. l. c.), praetor urbanus (quippe qui ludos Apollinares fecerit) a. u. 697 (Cic. cum sen. grat. eg. 9, 22; pro Mil. 14, 38; Ascon. p. 48). Denique a. 700 subscripsit in Gabinium (Cic. ad Q. fr. 3, 3, 2). Quibuscum omnibus titulus tam accurate convenit, ut recte Reinesius huic ipsi homini eum videatur attribuisse. Mortuus videtur Rufus imperante demum Augusto; huiusmodi enim elogia mortuaria, seriem honorum quae enumerent, liberae reipublicae aetate publice proposita nulla habemus; nam Atiliorum Corneliorumque monumenta non ad viam spectabantur, sed in cryptis intus collocata.

640 prope Romam ad lapidem VIII viae Aureliae in praedio *la Bottaccia* reperta *Marini.* Extat in museo Vaticano.

Q · SANQVINIVS
Q · F · STEL
Q · TR · PL · PR
P R O · C O S

Ritschl tab. XCI M ad lapidem. Marini in sched. Vat.; Borghesi *oss. num.* 4, 8.

A Borghesio habetur probabiliter pater III viri a. a. a. f. f. c. a. 739 M. Sanquinii Q. f. (*röm. Münzwesen* p. 744): *L'ottima ed antica forma delle lettere, la qualità del marmo originario dei contorni di Roma e molto più il titolo di proconsole nudo, senza aggiungere di qual provincia, notizia che ai tempi imperiali s'incominciò a non preterire giammai, danno bastevole fondamento per crederla incisa sul principio del regno di Augusto.*

641 titulus marmoreus litteris maximis rep. Tusculi ad molem sepulchri praegrandem.

M · COELIO · M · F · VINICIANO
PR · PRO · COS · TR · PL · Q tr. pl. 700/1.
O P S I L I A · V X O R · F E C I T

Ritschl tab. LXXXIX C ad lapidem. Ed. Henzen Bull. 1849 p. 122 cum suis Borghesiique commentariis, item syll. n. 5358.

Bis memoratur apud scriptores, in epistula M. Caelii Rufi ad fam. 8, 4, 3 scripta a. u. 703: *Mea comitia quem eventum sint habitura, nescio; opinionem quidem quod ad Hirrum attinet incredibilem aedilium plebi comitiis nacta sunt; nam M. Coelium* (sic cod. Med., non *Caelium*) *Vinicianum* (*Vicinianum* Med.) *mentio illa fatua, quam deriseramus olim, et promulgatio de dictatore subito deiecit et deiectum magna clamore insecuta est. Inde Hirrum cuncti iam non faciendum flagitare;* item in commentario belli Alexandrini c. 77: *Ponto recepto . . . . duas legiones* (Caesar) *cum Coelio Viniciano in Ponto reliquit.* M. Coelius igitur Vinicianus cum C. Lucilio Hirro tribunatum iniit mense Decembri a. 700 cumque adiuvit in rogatione de Pompeii dictatura proponenda, quae tum frustra fuit (Cic. ad Q. fr. 3, 8, 4. 3, 9, 3. Plut. Pomp. 54. Dio 40, 45. Drumann hist. 2, 423. 3, 316. 336). Petiverunt deinde in a. 704 aedilitatem Hirrus curulem, Vinicianus plebeiam; neuter obtinuit. Denique a. 707 post Caesaris discessum Ponto cum duabus legionibus praefuit. Quibuscum titulum optime convenire Henzenus iam demonstravit; nam praeter quaesturam recenset tribunatum, tacet autem de aedilitate. Extremo loco quod Vinicianus scribitur PR · PRO · COS · fuisse, difficilius explicatur. Henzenus Borghesiusque quod sumunt Vinicianum post tribunatum primum extra ordinem proconsulem factum esse, deinde praeturam cum obtinuisse, fieri quidem ita potuit; collatis tamen titulis eiusdem fere aetatis L. Caecilii n. 639 et Q. Sanquinii n. 640, ubi eum scribitur Q · TR · PL · PR · PRO · COS, videntur iidem plane honores recenseri ordine inverso, haud scio an PR · PRO · COS uno spiritu efferendum sit unumque potius magistratum significet. Quod non caret ratione. Praetura enim consulatusque etiam postquam lege biennes facti sunt, priore anno urbanis officiis, secundo provinciae destinato, nihilo minus honor mansit unus nec scribebatur ad eum significandum in ordine honorum *praetor, pro praetore* vel *consul, pro consule;* imo secundi anni provincialem magistratum hac aetate tituli diserte plerumque non commemorant, sed eum magistratum ex priore tanquam partem eius et sequelam intellegi voluerunt. Quod tamen cum non videretur sufficere, ubi secundo anno honor non continuabatur tantum, sed praeterea augebatur, aucti honoris significatio ad ordinarium ita adicitur, ut uterque quasi coalescat conflatique inter se pro uno eodemque procedant. Ita ubi quaestori praetorium munus et honor vel senatus consulto vel adeo lege permittitur, duo officia eum sustinere et re apparet et ex Graeco ἀντιστράτηγος καὶ ταμίας vel ταμίας καὶ ἀντιστράτηγος Borghesius (apud Cavedonium *med. dellaCiren.* in Mutinensibus ephemeridibus *mem. di religione* 16, 323) recte probavit; nihilo tamen minus *quaestor pro praetore* dicitur una locutione, quam ex duobus diversis honoribus coniunctam esse mox in oblivionem abiit. Simile quid accidit iis praetoribus, qui in provincias missi sunt cum potestate non praetoria sed consulari, id quod extrema maxime aetate liberae rei publicae in provinciis certe maioribus consularique imperio assuetis saepe factum est, ut Q. Cicero ex

praetura Asiam pro consule obtinuit et C. Octavius Augusti pater elogio teste *pr. pro cos.* fuit (cf. Marquardt *Handb.* 3, 1, p. 276 n. 1901). Iam ut reliqui praetores, qui pro praetore provinciam obtinent, hoc officium tanquam praeturae sibi mandatae partem non enuntiant, ita praetores qui pro consule secundo anno funguntur, auctum honorem non tacent quidem, sed cum praetura ita coniungunt, ut non *pro consule et praetoris*, sed *praetoris pro consule* appellationem recipiant. Ita fecit Vinicianus similiterque scripti sunt tituli M'. Cordii M'. f. Rufi eius, qui triumvir monetalis fuit inter a. 705 et 709 (*röm. Münzwesen* p. 651), *pr. pro cos., aed., lustr. mon. sacr.* (Orelli 3142 coll. Henzeno vol. 3 p. 276) et T. Mussidii Pollionis, *cos., pr. pro cos. provinc. Galliae Narb., tr. pl., q., Xvir. stl. iudic., cur. viarum, praef. frumenti dandi ex s. c.* (Grut. 440, 2); neque omittendum M. Nonium M. f. Balbum in titulis Herculanensibus (I. N. 2405—2413) modo appellari *pr. pro cos.*, modo *pro cos.* simpliciter. Plerique tituli cum a minoribus honoribus ad maiores progrediantur, ambigui sunt admittuntque tam separationem praetoris a proconsule quam utriusque muneris coniunctionem; in antiquioribus tamen] quales sunt L. Caecilii n. 639 et Q. Sanquinii n. 640, item T. Helvii T. f. Basilae (I. N. 4546. 4547), Q. Articulei Reguli (I. N. 640), alii, coniuncta magis videntur efferri quam separata. Accidit autem in praetura contrarium eius, quod in quaestura factum esse vidimus. Magistratum provincialem ex urbano pendere eumque quodammodo continuare eo citius in oblivionem abiit, quod mox non statim, sed post intervallum provincias suscipere coeperunt praetura functi; unde factum est, ut ex praetore pro consule evaderet praetor, deinde proconsul indeque etiam in honoribus recensendis praetura et proconsulatus seiuncta inciperent numerari. — Quibus positis porro videamus, num *praetor pro consule* tituli sepulcralis recte ab Henzeno Borghesioque relatus sit ad munus illud, quo Vinicianum a. 707 in Ponto functum esse vidimus. Quod non placet, primum quoniam post victum Pharnacem per aliquot menses minimum Pontum rexisse nummi docent C. Vibium Pansam, id quod observavit ipse Borghesius l. c. p. 124, deinde quia a. 707 praetores nullos creatos esse constat. Praefuit igitur potius Vinicianus legionibus illis legati nomine, quod munus ut tum solebant in lapide tacuit, deinde Romam reversus ad praeturam provinciamque aliquam consulari cum imperio administrandam pervenit. Caesari eum superstitem fuisse probabile est; quam ob rem huc rettuli.

GLANDES.

Fundae in pugna usum Romani una cum ipso vocabulo traxerunt a Graecis nec tamen antiquissima aetate multum videntur adhibuisse funditores, quamquam ferentarii sive rorarii praeter iacula fundas gessisse dicuntur (Becker-Marquardt *Handb.* 3, 2, 242). Primum in bello Hannibalico Poenorum funditoribus Baliaricis (Liv. 21, 21) opposuerunt funditores Graecos (Liv. 22, 37), mox a. u. c. 565 in Same Cephalleniae oppido obsidendo funditoribus Achaeorum vel maxime adiuti (Liv. 38, 29) hoc telo deinceps in obsidionibus et suscipiendis et depellendis plerumque usi sint. Auctor incertus apud Suidam p. 205 Bekk., Achaeus scilicet Polybius ni fallor in ipsa illa Samae obsidione describenda, sic ait: Ἀχαϊκὸν βέλος ἐπὶ τῶν εὐστόχως βαλλόντων, παρ' ὅσον πάντων ἐπιτηδειότατόν ἐστι τὸ τοιοῦτον βέλος πρὸς πολιορκίαν, τὸ τῶν ἐξ Ἀχαΐας σφενδονητῶν βέλος. Unde et fundarum mentionem faciunt auctores maxime in narrandis obsidionibus, ut in Zamae obsidione facta a. u. c. 645 Sallustius (Iug. 57: *Romani — pars eminus glande aut lapidibus pugnare*); in Athenarum a. u. c. 667 Appianus (Mithr. 32. 33: ἐπεξιόντων θαμινὰ τῶν πολεμίων καὶ λίθοις καὶ βέλεσι καὶ μολυβδαίναις χρωμένων), in Ateguae a. u. c. 709 scriptor belli Hispaniensis (c. 13. 18); in castellorum Armeniae Tacitus (ann. 13, 39); et ex ipsis glandibus plumbeis quae hodie supersunt cum inveniri soleant ad ea oppida, quae diuturnam obsidionem passa esse auctores tradunt, tum quae ex iis inscriptae sunt sententiamque habent apertam et planam, pleraeque referuntur ad claras saeculi urbis septimi incipientisve octavi obsidiones. Figura glandularum globi solet esse utrimque acuminati, unde etiam Livius 38, 21 *glandis aculeum* memorat; metallum in omnibus plumbum est videnturque fusae esse formis argillaceis. Unde facile fieri potuit, ut vel ipsa glans vel, quod etiam commodius erat, forma stilo inscriberetur, glandibusque missis inscriptis*) qui bellum Hispaniense narravit proditores in oppido obsesso cum obsidentibus communicavisse refert (l. c.). Eam formae fundariae inscribendae consuetudinem una cum ipsa funda Romani acceperunt a Graecis, quorum similes glandes habemus non paucas unamque inter alias Samaeam inscriptam ΦΑΙΝΕ (Archaeolog. Brit. vol. 32 p. 96; cf. C. I. Gr. 1865—1867) obsidionis supra memoratae testem, item Athenis repertas complures ad bellum Mithridaticum fortasse referendas (cf. Dodwell *tour* 2, 161; *Bullett. dell' Inst.* 1849, 148; Ianssen inscr. mus. Lugd. Bat. p. 50). Reperiuntur vero in glandibus Graecis plerumque nomina modo primo modo secundo casu elata eorum omnino, quorum iussu glandes fusae sunt, raro ioci militares, quales sunt δέξαι in Atticarum una, τρωγάλιον in Corinthiaca (Ross *Reisen im Peloponnes* 1, 139); utrumque genus inscriptionum redibit in Romanis accedente tertio nominum legionum earum, a quibus glandes hae mittebantur. Pleraque tamen non satis assequimur, cum et inscriptiones rudi admodum stilo ut par est exaratae sint et fusione neglegenter facta conturbatae et ipso argumento persaepe obscurae. Nihilominus placuit quidquid eius generis innotuit colligere, cum praesertim consuetudo haec glandium inscribendarum imperatoriam aetatem vix attigisse videatur et inscriptiones earum ubi intellegi possunt historiam non parum iuvent. Praeivit hunc laborem Caietanus de Minicis in commentario actorum academiae pontificiae vol. XI inserto qui inscribitur *sulle antiche ghiandi e sulle loro iscrizioni* (Romae 1844. 4; inde Henzen n. 6836), usus ille museis in hoc genere ditissimis monumentorumque egregia copia, accurata doctrina nulla. Omnino genus hoc monumentorum neque a legentium hallucinationibus neque a caecis fraudibus satis adhuc purgatum desiderat exactorem integrum et severum et profectum ab ipsis plumbis examinatis iusto numero oculisque exercitatis. — Addo glandes eiusmodi reperiri solere ad collem q. d. *il Castellare* prope Vicopisano a Pisis occidentem versus ad Arnum, quarum tamen nulla adhuc innotuit cum inscriptione certa (cf. Targioni Tozzetti *viaggi in Toscana* ed. 2 vol. 1 p. 352).

*) Tabellae plumbeae (κεστοὶ ἐκ μολύβδου) funda ad hostem deiectae (Appian. Mithr. 31; bell. Hisp. 19) similes glandium eiusmodi sunt, sed tamen diversae.

Glandes Hennenses a. u. c. 621.

Ad Ennam, quae nunc est Castrogiovanni, saepe reperiuntur, *là*, addit Alessius p. 35, *dove è più declive il monte nelle falde e men difficile la salita alla roccia. Dalla parte di tramontana si rinvengono nelle falde del monte, che si distendono sotto la rocca e nella collina, che giace tra Enna e Calascibetta dalla parte di mezzogiorno sotto la roccia di Montesalvo da levante nel pendiò, che vi è tra la roccia di Cerere ed il castello.* Extat cum alibi tum in museo Monacensi ex Dodwellianis.

642 ⅃·ΠISO·⅃·F)(COS u. c. 621.

643 PISO

Alessi *lettera sulle ghiande di piombo trovate nell' antica città di Enna.* Panormi 1815. 8. tab. 1 et p. 33 et *Bullett. dell' Inst.* 1833 p. 176. De Minicis p. 55 n. 80. 81. 82 (= Ritschl VIII 1). 83. K. W. Nitzsch *die Gracchen* p. 294. Monacensem ed. *Notice du musée Dodwell* p. 27 n. 97 (inde de Minicis n. 83) et Hefner *röm. Baiern* p. 272 n. 399 pessime.

Dedi ad Monacensem, in qua clare agnoscitur ⅃ acuminata, detritis mediis litteris ISO. Similiter, sed cum L quadrata, dedit Alessius haec notans: *'più di trenta ne acquistai per me delle meglio conservate. — Poche sono le iscritte. Tre conservano nitidamente la cennata iscrizione* (n. 642), *ma con qualche varietà ne' caratteri. Una è iscritta col solo nome* PISO *con caratteri più piccoli degli altri. Consimile alle quale un' altra ne possiede il Sig. Petroso'.* Neque aliter de Minicis n. 82 ex glande sua. Praeterea quae proferuntur lectiones

ΠISO COS Nitzsch l. c.
PISON de Minicis n. 81 ex glande Riccii

exceptae videntur ex exemplis plus minusve detritis. — Denique Alessi (l. c. p. 33) vidit unam inscriptam numeri nota II adpicta cuspide.

L. Piso L. f., idem ille L. Calpurnius L. f. quem supra in lege repetundarum v. 74 = 81 offendimus, consul a. u. c. 621 adversus fugitivos in Sicilia bellum gessit Mamertiumque oppidum expugnavit (Oros. 5, 9. Val. Max. 4, 3, 10). Ennam, quod firmissimum fugitivorum refugium appellat Orosius, cepit demum qui Pisoni successit cos. u. c. 622 P. Rupilius (Cic. Verr. 4, 50, 112. Oros. l. c. Diodor. p. 529. Flor. 2, 7); idem ante iam Pisonem temptavisse auctores non tradiderunt, sed testantur glandes. Funditoribus Pisonem in hoc bello usum esse praeterea confirmat Valerius Maximus (2, 7, 9 cf. Frontin. strat. 4, 1, 26) Pisonem referens turmas equitum quasdam ignominiae causa ademptis equis in funditorum alas transcripsisse. — Ceterum glandes Graece inscriptae, quae solent inveniri in Sicilia praesertim Leontinis (C. I. Gr. 5570. 5687. 5748), non ex hoc bello supersunt, sed ex posteriore a. 652—655, quoniam in iis reperitur nomen Athenionis.

Glandes Asculanae a. u. c. 664. 665.

Socii Italici cum defecissent a. u. c. 663 caesis Romanis Asculi Picenorum, mox cum alibi bellum coepit, tum in agrum Picenum missus est Cn. Pompeius Strabo, ut socios subigeret oppidaque eorum et maxime munitissimum (Strab. 5, 4, 2 p. 241 Cas.) Asculum oppugnaret. Victus initio (Oros. 5, 18) ad Falerionem ab adversariorum ducibus coniunctis C. Iudacilio T. Lafrenio P. Ventidio in oppidum Firmum compulsus ibique a Lafrenianis obsessus est (Appian. b. c. 1, 47). At cum aliquamdiu a pugnando abstinuisset, mox confirmato exercitu auxiliisque acceptis cum V et LXX milibus civium Romanorum adversus LX milia Italicorum feliciore Marte iterum pugnavit hostesque copiis divisis ita perculit, ut et castra eorum incenderet et plerosque cum ipso duce Lafrenio interficeret et reliquos effusa fuga petentes Asculum intra moenia compelleret (Appian. l. c.; Liv. 74; Oros. l. c.; Vell. 2, 21); qua praeclara victoria Romam nuntiata senatus luctus signa deposuit (Oros. l. c.). Diu deinde Pompeius Asculum obsedit (Oros. l. c.) adiutus in oppugnatione a Sex. Caesare pro cos. eoque remoto a C. Baebio pro praetore (App. 1, 48) nec semper feliciter cum oppidanis pugnavit (Frontin. strat. 3, 17, 8); sed victis qui media hieme ad eximendum obsidione oppidum accesserant Marsis Picentibusque sub ducibus Franco sive quo alio nomine fuit et Iudacilio, tandem cepit (Liv. 74. 76.; Oros. l. c.; Appian. b. c. 1, 48.). Videtur autem Asculum obsessum esse per menses a. 664 extremos maioremque fortasse partem a. 665, expugnatum autem a Cn. Strabone huius anni consule, qui in ipso consulatu extremo a. d. VI k. Ian. testibus tabulis Capitolinis triumphavit 'de Asculaneis Picentibus'. — Ex hac diuturna obsidione Asculana*), fortasse etiam ex Firmana Cn. Pompeii, supersunt glandes scriptae, quae in Piceno, maxime ad ripam fluvii Truenti Asculum praeterfluentis, reperiuntur numero satis magno, sed et lectionis admodum incertae pleraeque et interpretationis paucissimis exceptis valde dubiae. Mihi qui harum nullam viderim nihil fere relictum fuit nisi molestum negotium dubitationis profitendae. Sunt autem quae traduntur inscriptiones hae.

*) Melchior Delficus quod narrat p. 9 (epistulae *delle antiche ghiande missili di piombo* adiunctae commentario *della antica numismatica di Atri.* Ed. 2. Neap. 1826 fol.): *si è potuto riconoscere ancora nelle vicinanze della città di Ascoli qualche fornello destinato alla fusione del piombo e formazione di tali missili*, eius rei fides esto penes auctorem.

644 rep. in ripa Truenti.

ROMA

De Minicis p. 17 n. 1 (inde Ritschl VIII 6). Potest vel cogitari de deae nomine vel suppleri *Romanorum*. Ex n. 650 imperfecta hanc lectionem ortam esse non crediderim.

645 in flumine Truento prope Asculum nuper reperta *Lips.* Extat bis in museo Kircheriano alibique.

ITAL

Lipsius poliorc. l. 4, 3 (inde Grut. 1158, 5). Delfico in tabula. Micali *stor. degli ant. pop. Ital.* 3 (1832) p. 210 tab. 113 n. 12. Kircherianas ed. de Minicis p. 25 n. 15 et Ritschl VIII 20. 21. Alia glans Kircheriani musei, in qua dicitur esse ЧAΓ (de Minicis p. 29 n. 24 = Ritschl VIII 23), haec eadem videtur esse nec cogitandum ibi de Hatria oppido. Accipienda inscriptio aut de dea Italia nummorum aut hoc significat misisse hanc funditores Italicos. Nam ex n. 656 imperfecta sic exceptum esse non puto.

646 prope Asculum nuper rep., extat Romae in museo Kircheriano.

SER VI)(SITSIЯƎꟼ

Ad exemplum a Marchio missum de Minicis n. 34 p. 33 et Ritschl VIII 2. — Hanc et sequentem item ut reliquas ad sociorum bellum pertinere opinor; nam socii rebelles militari acerbitate dici potuerunt servi fugitivique. De Minicis cogitavit de bello contra Spartacum; at servi unquam in Picena urbe obsessi esse non traduntur.

---

647 nuper rep. prope Asculum in fluvio Truento *Lips.*

FVGITIVI
PERISTIS

Lipsius poliorc. (1596) l. 4, 3 aere expressit. Ex Lipsio cum Grut. 1158, 4 tum posteriores omnes, quorum nemo vidit.

---

648 in Piceno reperta.

TREPI

De Minicis p. 31 n. 29 (inde Ritschl VIII 3), qui probabiliter explicat *trepidate*.

---

649 Asculi repertam Romae apud Lancellottum vidit *Gualth.* Extabat extatve in museis Caylusiano et Miniciano.

FERI

Gualtherus Sicil. tab. 1624 comm. p. 26. Caylus *recueil* t. II p. 331 tab. 93, 3. De Minicis p. 24 n. 14 (inde Ritschl VIII 5).

---

650 reperitur in ripa Truenti, extat in museis Kircheriano Vindobonensi aliis. Asculi repertam Romae apud Lancellottum de Lancellottis patricium Asculanum vidit *Gualth.*

FERI)(ΓOMΓ

Faber imag. ill. 1606 p. 67. Gualtherus Sicil. tab. (1624) comm. p. 26 (inde de Minicis n. 28). Melch. Delfico (1826) in tabula (inde ni fallor Cardinali *cinquecento iscr. ined.* n. 485, ex hoc Orell. 4932). De Minicis p. 17 n. 3 = Ritschl VIII 7 ad glandem musei Kirch. a Marchio delineatam. De Minicis p. 17 n. 4 (inde Ritschl VIII 8) ad glandem suam. Idem n. 71 (inde Ritschl IX [7]) nescio unde. Alessio *lett. sulle ghiande* p. 24 glandem profert a Lanzio nescio ubi relatam, in qua dicitur esse POMPEI; est haec sine dubio ab exscriptoribus corrupta. Vindobonensem misit Otto Iahn. Lectio adhuc incerta est; scilicet traditur sic:

Marchi:	FERI	)(	ΡOMΓ
Delfico:	FERI	)(	POMR
O. Iahn:	FERI	)(	ΓOMP
de Minicis n. 4:	FERI	)(	///MAᴗ
de Minicis n. 71:	FRI		
	TOMR		
Faber:	FERI · POMPAE		

Praeterea Gualtherus postquam rettulit Lipsianas glandes, addit vidisse se inscriptam 'FERI · POMPEIVM urbis in ea pugna victorem'. Lego equidem FERI POMP, non cum Delfico eiusque asseclis ROMA FERI; nam primum elementum posticae multo propius ad P accedere quam ad R constare videtur, quartum item P semiclausam magis refert quam A. Deinde et reliquarum inscriptionum ratio postulat ut in utroque latere scripta coniungamus et a FERI incipiendum esse ostendit comparata n. 651 idemque suadet Miniciana n. 71, nisi ectypum fallit. Videtur igitur explicandum esse: *feri Pomp(eium)*; quod si in archetypis pro *Pomp* est *Roma*, legendum *feri Roma(nos)*. Italicorum igitur hae glandes fuerunt. Utut est, de usu militari acclamationis in glande perscriptae non supervacaneum erit adscripsisse locum Plutarchi (Marcell. 8): ἐν ταῖς μάχαις, ὅταν διώκωσι τοὺς πολεμίους, πυκνὸν τὸ φέρι, τουτέστι παῖε, παρεγγυῶσιν ἀλλήλοις.

---

651 de loco nihil traditur.

FERI · PIC

De Minicis n. 69. 70 cf. p. 17 n. 2 (inde Ritschl IX, [7]) sic:

FERI · PISA
FRI · PIC

id est ni fallor *feri Pic(entes)*. Respondet glans haec Romana Italicae ei quae praecedit.

---

652 ad ripam Truenti saepe reperta, extat in museis Kircheriano et Miniciano. — In agro Labicano repertam dicit *Ficoronius* errore.

FIR vel ЯIꟻ

Kircherianam ed. Ficoroni *mem. di Labico* (Romae 1745) p. 83 aere incisam; Ulysses Aldovrandi mus. metall. (Bonon. 1643 fol.) p. 176; Brunati inscr. mus. Kirch. p. 45; de Minicis p. 18 n. 5; Ritschl VIII 9; Minicianam de Minicis n. 6. Delfico in tabula. Micali *storia degli ant. pop. Ital.* 3 (1832) p. 210 tab. 113 n. 11. Eadem est quam dedit de Minicis p. 27 n. 22 (inde Ritschl IX 9) et ex Rubbio (*dizionario d'antichità v. ghiande* q. n. v.) p. 20 n. 79 (inde Ritschl l. c.); in illa dicitur esse FTR sive ETR, in hac FIR. Puto legendum *Fir(mo missa)* vel similiter et eo refero, quod Firmi Pompeius obsessus est aliquamdiu.

---

653 prope Asculum rep., extat in Kircheriano et in Miniciano.

ASCLARO
NON

De Minicis p. 27 n. 23 = Ritschl VIII 10. Reliqua non definio; certe inest Asculi nomen respondetque fortasse haec glans Italicorum praecedenti Romanae.

---

654 prope Asculum in fluvio Truento *Lips.* similiterque *de Min.* Octo glandes sic inscriptae reperiuntur in museo Kircheriano.

GAL)(fulmen.

Lipsius poliorc. l. 4, 3 (inde Grut. 1158, 6; de Minicis n. 16). De Minicis p. 30 n. 27 = Ritschl VIII, 22 ad exemplum musei Kircheriani a Marchio subministratum. — Secunda littera, quae apud Lipsium simplex est A, in Marchiano exemplo, quo usi sunt et Minicius et Ritschelius, sic pingitur Ⱥ; id quod mihi videtur inde factum, quod apices elementorum in plumbo fuso facile efficiuntur iusto latiores. Romanis inter alia *gentium externarum auxilia* (Liv. ep. 72) Gallorum quoque peditum decem milia adfuisse scribit Appianus (b. c. 1, 42) idemque de auxiliis Italicorum Gallicis, mercede conductis Transalpinis opinor, paulo post verba facit (b. c. 1, 50). Utrius igitur partis *Gallorum* hae glandes sint, non constat.

---

655 inter Aprutinas.

L · GAL

De Minicis n. 19 (inde Ritschl VIII, 18). — Quod si recte ita lectum est cogitandumque de legione Gallica, haec non fuit Gallorum mercenariorum, sed aut civium Romanorum (cf. Plutarch. Sertor. 4) aut civium Italicorum in Gallia cisalpina conscripta.

656 in Piceno reperta, deinde apud de Paolis, nunc in Kircheriano.

L II ITAL

De Minicis p. 26 n. 21 = Ritschl VIII, 24, cui misit Marchius. Non diversa est de Minicis p. 26 n. 20 (inde Ritschl VIII, 25) sic excepta: L·IIIA, unde male effecit editor *leg. I. Ital.* Denique tertia Miniciana p. 26 n. 18 a Boschinio Ferrariensi submissa haec: L·ITAL videtur proficisci ex glande simili primis litteris corruptis. Cf. ad n. 660.

---

657 Firmi reperta extat apud Minicium.

LEGIO)(QVAR

De Minicis p. 47 n. 84 (inde Ritschl VIII, 11). — Potest esse et Romanorum et Italicorum, quod valet item de sequentibus legionariis n. 658—664. Cf. n. 706.

---

658 reperta ad ripam Truenti.

L VI
VOL

De Minicis p. 22 n. 8 (inde Ritschl VIII, 12). — Volonum legio legionesve in bello Marsico altera utra a parte militasse praeterea quod sciam non traduntur. Ceterum volonum voluntariorumve legiones proprie sunt servorum qui sua sponte militiae se obtulerunt (Liv. 22, 35, 7; Fest. v. volones p. 370; Macrob. sat. 1, 11, 30; Capitolin. M. Antonin. 21; Licin. p. 22 ed. Bonn., ubi quae memoratur legio voluntariorum a Mario conscripta, eam servorum fuisse aliunde constat) neque quidquam impedit, quominus hoc loco similiter explicetur (cf. App. b. c. 1, 42 extr.), quamquam quod per hoc bellum primum libertini militare coeperunt (Liv. ep. 74. App. b. c. 1, 49), de solis servis nominis dandi causa manumissis non recte accipitur.

---

659 reperta in Piceno.

LEG
VIF

De Minicis p. 23 n. 9 (inde Ritschl VIII, 13). — Vide ad n. 660.

---

660 reperta in ripa Truenti extat in Kircheriano.

L XII
FVL

De Minicis n. 64 = Ritschl IX 48 a Marchio. — Legio XII fulminata aetatis imperatoriae in Asculana glande certe scribi non potuit pertinentque omnino legionum agnomina ad aetatem multo posteriorem. Eadem fere valent de n. 658, quae glans prae se fert *legionem VI ferratam*, et de n. 664, ubi obtruditur adeo *legio XXX Ulpia victrix*, debuitque fortasse praeterea n. 662 repraesentare similiter *legionem XVI Fl(aviam) fir(mam)*. Quid quod ne *legio* quidem *II Italicorum* n. 656 a simili suspitione plane abhorret, quamquam huius legionis glandem et ratio firmat et testium consensus. Nihil definio, sed caveo mihi aliisque. Cf. n. 694.

---

661 Asculi repertam Romae apud Lancellotum Asculanum vidit Gualtherus. Extat in museis Kirch. Minic. Bononiensi.

L·XV

Gualtherus l. c. ad n. 649. De Minicis p. 52 n. 67. Ritschl IX 59. Eadem est musei Kircheriani haec a Minicio sic relata p. 66: I·X·V. Cf. n. 663.

---

662 reperta in Aprutio.

LEG XVIII
FIR

De Minicis p. 21 n. 7 (inde Ritschl VIII, 15). — Cf. ad n. 660.

---

663 repertae in Piceno.

LEG·XX

Delfico in epistula citata p. 10 et in tabula adiuncta (inde de Minicis n. 68, ex hoc Ritschl VIII, 16) duas huiusmodi glandes edidit, quarum quod in altera legi ait LEG·XV, redarguitur ipsa tabula.

---

664 reperta in Aprutio.

L XXX
VV

De Minicis p. 23 n. 11 (inde Ritschl VIII 17). — Secundus versus, in quo fuit aut VV aut XX, quid possit significare nisi legionem XXX Ulpiam victricem non perspicio; cf. ad n. 660. Ceterum triginta pluribusve legionibus Romanos in bello Marsico usos esse per se suspitionem non habet, cum centena milia ab utraque parte in armis fuisse tradantur praeter praesidia (Appian. b. c. 1, 39) et vel in sola ad Asculum pugna (supra p. 189) quindecim fere Romanorum legiones adversus Italicorum numero non multo inferiores steterint.

---

665 repertae in Piceno.

MII
MALVI
M

Sic versibus non divisis Gualtherus l. c. ad n. 649 neque aliter de Minicis p. 31 n. 30 (ex hoc Ritschl VIII, 27).

---

666 in Piceno reperta.

LA

Delfico l. c. in tabula (inde de Minicis n. 26, ex hoc Ritschl VIII, 29).

---

667 in Piceno reperta.

VIII)(H

Delfico l. c. in tabula (inde de Minicis n. 33, ex hoc Ritschl VIII 32).

---

668 litteris extantibus certisque. Prope Firmum reperta extat apud Minicium.

S P F

De Minicis p. 33 n. 36 (inde Ritschl VIII, 26) qui explicat *servi peristis fugitivi*, male omnino.

---

669 reperta in Piceno.

LCL IX

De Minicis p. 23 n. 10 (inde Ritschl VIII 14) qui temere inde effecit *legionem nonam*. Fortasse falsarii est de L·XI·CL cogitantis.

---

670 Picentina.

ΓH

De Minicis n. 25 (inde Ritschl VIII, 28), qui nescio quomodo deprehendit hic *Hatriam*.

---

671 Picentina.

VEL

De Minicis p. 32 n. 31 (inde Ritschl VIII, 30).

672 Picentina.

AR

De Minicis p. 32 n. 32 (inde Ritschl VIII, 31).

673 inter Aprutinas.

AM///

De Minicis p. 17 n. 2. Duas similes inscriptas AM extare in museo Parisino indicavit Longpérier.

674



De Minicis p. 26 n. 17 (inde Ritschl VIII, 19).

675 Asculi repertae servataeque in Kircheriano.

B · T · //

676 C · A · D ·

677 P · L · I · F · R

678 B · II ·)(I · I · T ·

De Minicis p. 66. 67.

679 in Piceno nuper rep.

· I · VI)(· I · X

De Minicis in epistula scripta d. 13. Dec. 1859 (*Giorn. di Perugia* a. 1860), qui ita esse in glande asseverat, non L · VI, L · X.

680 Asculi reperta dicitur.

· D · I · Z · F ·

De Minicis p. 66 et in tabula n. I (inde Ritschl VIII, 33), dubitans de sinceritate.

Glans Mundensis a. u. c. 709.

Bellum a C. Caesare dictatore a. u. c. 709 contra Pompei filios in Hispania gestum qui descripsit, in obsidione Atteguae enarranda pluribus locis (c. 13. 18) glandium mentionem inicit; glandes tamen scriptae ex his partibus adhuc innotuerunt nullae excepta sequente nuperrime edita.

681 in museo privati cuiusdam.

CN · MAG)(IMP

Aem. Huebnerus accurate delineatam reperit in schedis Ludovici Mariae Ramirez Cordubensis ediditque in actis menstruis acad. Berol. a. 1861 p. 112 — Confirmat haec glans id quod alibi probavi (*röm. Münzwesen* p. 654) *Magnum* simpliciter patrem Pompeium significare solere. *Cn. Magnum* filium, cuius in nummis est plane ut in glande CN · MAGNVS · IMP.

Glandes Perusinae a. u. c. 713/4.

Perusiae L. Antonium cos. a. 713 M. Antonii triumviri fratrem notum est una cum uxore eius Fulvia obsessum esse ab exercitu Octaviani et post diuturnam obsidionem captum. Ubi cum pugnatum esse λίθοις καὶ τοξεύμασι καὶ μολυβδαίναις Appianus (b. c. 5, 36) referat, eius obsidionis instrumenta olim, hodie testimonia supersunt glandes complures deinceps enarrandae. Pleraeque sunt Caesarianorum, id quod convenit Appiani narrationi (5, 33): ἀκοντίσαι μὲν ἀμεινόνων ὄντων τῶν Καίσαρος, συμπλέκεσθαι δὲ τῶν Λευκίου μονομάχων. Nam quae de iaculatoribus scriptor refert, ad certamina omnia eminus commissa non sine causa trahemus.

682 Perusiae reperta.

PET)(CVLVM / OCTAVIA, (retrograde)

Gennarelli in ephem. *il Tiberino* a. 1840 Mai. 13 q. n. v.; de Minicis p. 39 n. 44 (inde Ritschl IX 36). — Id est *pet(e) culum Octavia[ni]*, nisi potius in glande est *Octavi*. Ioci militaris de fugiente hoste acerbitatem quivis perspicit.

683 in Italia reperta (scilicet Perusiae ut reliquae Dodwellianae), deinde apud Dodwellum, nunc in museo Monacensi.

OCTAV/I)(*inscriptio evanida.*

Contuli. Ed. *Notice du musée Dodwell* p. 27 n. 98 (inde de Minicis n. 39); Hefner *Oberbair. Archiv* 7, 284 = *röm. Baiern* p. 272 n. 397. — Ab altera parte auctor catalogi sibi visus est videre XVI et ego ipse aliquando sic excepi LAX, quod idem est inversum; sed tamen denuo retractato plumbo de lectione certa eruenda desperavi. Ceterum omnino Antonianorum haec, cum C. Caesarem appellet Octaviani vel potius Octavii nomine; cf. Cic. ad Att. 14, 12, 2: *nobiscum hic — Octavius, quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non, itaque ne nos quidem.* Ne Octavianus quidem appellari solet apud aequales nisi cum aliqua sugillatione neque umquam hoc cognomine ipse usus est in sermone sollemni.

684 Perusiae reperta extat apud Minicium.



De Minicis p. 39 n. 45 (inde Ritschl IX 35). — Explicatur Borghesio ni fallor interprete: *L. A(ntoni) calve, Fulvia, culum pan(dite)*, scite sane; potestque ferri in tali scriptura, quod gentilicium littera singulari notatur. Calvum quidem hunc L. Antonium appellari solitum non constat nisi ex hac glande et sequente; indicium vero frontis non satis comati in denario L. Antonii effigiem exhibente (Cohen Barbat. 2) deprehendere sibi visus est Minicius.

685 Perusina.

L ANTONI CALVI / PERISTI)(C · CAESARVS / VICTORIA

De Minicis p. 43 n. 51 (inde Ritschl IX 34). In anticae v. 1 scribendum CALVII sive CALVE. — Legendum *L. Antoni calve, peristi C. Caesarus victoria.* Genetivum antiquum tertiae in *us* ex hoc et n. 696 in rustica lingua vel Caesariana aetate retentum esse apparet. De calvi appellatione vide ad n. 684.

686 in Aprutio quamquam reperta dicitur, tamen propter argumentum reieci inter Perusinas.

MAR
VLT)(*fulmen*.

De Minicis p. 24 n. 13 (inde Ritschl VIII 4). Unica glans haec inter Latinas, quae certum dei nomen inscriptum habet, sine dubio tam male collocatur inter Aprutinas quam recte locum habet inter Perusinas; nam Marti ultori C. Caesar in bello Philippensi aedem vovit neque antea eius numinis mentio reperitur. Quare nisi tota ficta est (vide ad n. 660), editorem, quem neglegentiae documenta multa dedisse vidimus, in hac edenda errasse crediderim de loco.

687 Perusiae saepe reperitur; extat in museis Perusino, Monacensi (ex Dodwelliano), Kircheriano, Miniciano.

LVFVIASIA

Monacensem, quam vidi, ed. *Notice du musée Dodwell* p. 27 n. 95 (inde de Minicis p. 43 n. 50); Hefner *Oberbair. Archiv* 7, 284 = *röm. Baiern* p. 273 n. 402. Perusini musei ed. de Minicis p. 40 n. 46 et Ritschl IX 42 *b*; Kircherianas de Minicis p. 40 n. 47 et Ritschl IX 41. 42 *a* a Marchio sibi missas; Minicianam de Minicis p. 40 n. 48. — De lectione satis constat compluribus exemplis inter se collatis. Littera quinta tamen tam prope accedit ad sequentem ut possit haberi pro L; octava ita interponitur inter S et A, ut fortasse non elementi instar sit, sed pro lineola separatoria habenda. Dodwelliani catalogi auctorem male excepisse ΛNE MASA, inde Minicium hallucinantem effecisse *sine maza* notamus, ne quem talia postea morentur. — Interpretatio probabilis suppetit nulla, nisi latent hic nomina *Lu(cius), Ful(via), Asia*, ut in Asia tum cum exercitu morantem M. Antonium tanquam tertium ex suis extremo vocabulo obsessi significarint. Nam LV pro Lucio etsi soloecum, tamen in tali plebei hominis scriptione ferendum est.

688 M · ANT
M : IN)(M

Io. Bapt. Rossi-Scotti *Giorn. di Perugia* 1859 p. 65. — Nec de interpretatione constat nec adeo de lectione; ipsumque M. Antonii nomen cur fratris funditores glandibus inscripserint non satis perspicio.

689 Perusiae reperta, deinde apud Dodwellum, nunc in museo Monacensi.

Q · SAL IM)(*fulmen alatum*

Contuli. Ed. *Notice du musée Dodwell* p. 27 n. 100 (inde de Minicis n. 40); Hefner *Oberbair. Archiv* 7, 284 = *röm. Baiern* p. 272 n. 398. Lectio non minus certa est quam interpretatio; est enim Q. Salvidieni Rufi Salvii imperatoris, quem in Hispaniam cum sex legionibus proficiscentem C. Caesar ad obsidionem Perusinam revocavit, in qua ipsa et imperator videtur dictus esse et propter virtutem consul designatus. Extat denarius eius (Eckhel 5, 299 al.), in quo cernitur ab altera parte caput Octaviani nudum cum adscriptione C · CAESAR · III · VIR · R · P · C, ab altera fulmen alatum plane ut in glande hac cum adscriptione Q · SALVIVS · IMP · COS · DESIG, percussus ni fallor eodem fere tempore quo glans haec fusa est, cum praesertim Rufus iam a. sequente 714 interfectus sit (Dio 48, 33); unde etiam denarius ille in Pecciolano thesauro c. a. 716 defosso reperiri potuit (cf. *röm. Münzwesen* p. 659). Quod attinet ad nomen ducis, cum Q. Salvius in nummo sit fere ut in glande, Q. Salvidienus Rufus similiterve apud auctores (Vell. 2, 76; Suet. Aug. 66; Dio 48, 13. 18. 33) appelletur, collato nomine consulis suffecti a. 52 L. Salvidieni Rufi Salviani (Cardinali *dipl.* n. I), Salvidienus nominis, Salvius cognominis locum obtinet et ita ut supra factum est nomina constituenda sunt.

690 reperta sub finem saec. XVIII in agro Perusino, fuit deinde apud Antonium Terrenzi. Hodie desideratur.

q · RVFVS · IMP)(*fulmen alatum*.

Vermiglioli *iscr. Perug.* 2, 468 ed. 1 ab Ant. Terrenzio plumbi domino; 2, 616 ed. 2 (inde Orelli 3418 = 6836; de Minicis n. 41). — Praenomen apud Vermigliolium in editione priore est P ·, in secunda errore typographico opinor C · ibidemque datur duobus versibus C · RVFVS || IMP. — Borghesius (*sull' ultima parte dei censori* p. 89 sq.) hunc P. Rufum imperatorem credit eum, qui a. 684 inter iudices C. Verris fuit (Cic. Verr. act. 1, 10, 30: *P. Sulpicius*), postea sub C. Caesare meruit primum in Gallia (Caes. b. Gall. 4, 22. 7, 90: *P. Sulpicius Rufus*), deinde in bello civili a. 706 praetor (b. c. 3, 101), mox a. 709 appellatur imperator, pro consule tum ut videtur Macedoniam regens (Cic. ad div. 13, 77: *P. Sulpicius imp.*; cf. bell. Afr. 10.), censor deinde a. 712 (fasti Colot.: *P. Sulpicius*); quem in bello Perusino a partibus Antonii existimat stetisse. Quae docte et acute excogitata sunt et fortasse vera. Obstat tamen, quod apud Antonianos et esse debuit summum imperium apud consulem C. Antonium et vere dicitur is αὐτοκράτωρ ὑπὸ τοῦ δήμου προσαγορευθείς (App. 5, 31); qui ut P. Sulpicium Rufum virum censorium ducemque expertum ad bellum gerendum adsumpserit, tamen et de ea re auctores verbum nullum fecisse mirum est et Rufum illum non legati loco fuisse, sed ita adsumptum ab Antonio, ut imperator et ipse appellari potuerit, vix credendum. Denique tanta inter hanc et praecedentem similitudo intercedit et tam parum firma lectio huius est soli Terentio plane ignoto praeterea homini visae, cum praesertim in tali scripturae genere P et Q facile commutentur, ut magis visum sit traditam lectionem immutare.

691 Perusiae in museo.

RVF · NA
VI IN

De Minicis p. 45 n. 52 (inde Ritschl IX 51). — In lectione tota corrupta latet fortasse *Rufus imp.*

692 Perusiae apud Ioachimum Cotognium sacerdotem Narniensem *Verm.* Perusiae reperta extat in Kircheriano.

ESVREIS
ETME
CELAZ

Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* 2, 477 ed. 1 (in ed. 2 deest); de Minicis p. 42 n. 49 = Ritschl IX 37 a Marchio. — 3 CE . . . . AZ Verm. — *Esureis et me celas* recte obsidentes; fames enim Perusina in proverbium abiit eamque quanta cura L. Antonius adversarios celarit, narrat Appianus 5, 35.

693 Perusiae in museo publico.

L · II)(D · M · O

De Minicis p. 46 n. 54 (inde Ritschl IX, 38). — Legionis secundae est; elementa quae sequuntur primipili fortasse nomen indicant, cuius iussu glandes hae fundebantur. Nam huiusmodi hominibus talem curam committi solitam esse glandes quae sequuntur n. 700. 701. 702 ostendunt.

694 Perusia venit in museum Minicianum.

LVM
ƎSVꓤꓕ

De Minicis p. 47 n. 55. — Legionis quintae Macedonicae nomen cum haec prae se ferat eaque quae sequitur adeo legionis quintae Macedonicae piae felicis, idem de Perusinis his dicendum erit quod supra ad n. 660 diximus de similibus Asculanis. Observandum autem est glandes has suspectas non reperiri apud scriptores antiquiores easque nuper demum emersisse omnes et maxime insinuasse se in museum Minicianum.

695 de loco nihil traditur; huc relata est propter praecedentis similitudinem.

L · V · M)(P FEL

De Minicis p. 48 n. 56 (inde Ritschl IX 39). — V. ad praeced.

696 in museo Kircheriano.

LE ˈX
CAESARV

De Minicis p. 53; Ritschl IX, 54 cui misit Marchius. — 1 ɪFELIX contignatis litteris IX sibi videri visus est Minicius. — 2 CAESARV Ritschelii tabula. — Legionis nonae est. Praeterea cf. n. 685. — Eadem videtur, sed corrupta haec Miniciana p. 45 n. 53 (inde Ritschl IX 52) musei Perusini:

LD
GA AP · H

697 Perusiae reperta et illata in museum Dodwellianum, inde in Monacense.

L · XI
DIVOM)(*fulmen.*
IVLIVM

Contuli. Ed. Borghesi *censori* p. 96; *Notice du musée Dodwell* p. 27 n. 96 (inde de Minicis n. 38); Hefner *Oberb. Archiv* 7, 284 = *röm. Baiern* p. 272 n. 400. — Lectio certa, item interpretatio facilis, quamquam varie cogitatione suppleri potest.

698 Perusiae in museo publico.

LEG XI)(ˍVI · VIƆ

Vermiglioli *iscr. Per.* ed. 2 p. 612, melius *Giorn. lett. di Perugia* a. 1835 p. 213 q. n. v.; Cardinali *iscr. ant.* n. 114; de Minicis p. 36 n. 37 (inde Ritschl IX 44). — LEG · VIC Vermigl. loco priore. — Reperi praeterea in codice Winghii Bruxellensis († a. 1592) parte priore post f. 74 glandem delineatam inscriptam LEG · XI cum hac praescriptione: '*plumbea glans funditoria* V · *a porta Neapolis*'. Verene reperta sit in agro Neapolitano an errore eo relata, non definio.

699 in Italia reperta (omnino Perusiae, unde fere venerunt Dodwellianae) postea fuit apud Dodwellum, nunc est in Monacensi.

L · XII

Contuli. Ed. Monacensem *Notice du musée Dodwell* p. 27 n. 99 (inde de Minicis n. 60); Hefner *Oberb. Arch.* 7, 284 = *röm. Baiern* p. 272 n. 401. Aliam ed. de Minicis p. 48 n. 59 (inde Ritschl IX 45). — CXII auctor catal. Dodw. et eius assecla Hefnerus, id quod emendavit Borghesius coniectura, ex glande ego.

700 Perusiae in museo Oddiano fuit, est hodie in publico.

L · XII
SCAEVA)(PR · PIL

Ex Paciandio in graec. anaglyphum p. XXV q. n. v. Vermiglioli *iscr. Per.* 2, 467 ed. 1, 2, 613 ed. 2; de Minicis p. 49 n. 63; Ritschl IX 46 ex plumbo. — Vermiglioli sic: SCAEVA ‖ PRI · PIL ‖ L · (ed. 2 LE ·) XII.

701 Ferrariae apud Boschinium. Inter Perusinas rettuli propter similitudinem cum praecedente.

L · ÆNIVS
PR · L · XII)(X · MILLIA

De Minicis p. 50 n. 63 (inde Ritschl IX 47), de lectionis difficultate conquestus. — x milia glandium a primipilo legionis duodecimae L. Maenio fusa esse hic narrantur.

702 Perusiae in museo.

AP)(PR · PI

Vermiglioli *giorn. di Perugia* 1835 p. 213 q. n. v.; de Minicis n. 43; Ritschl IX 49 ex plumbo. Aliud exemplum non integrum et corruptum ed. de Minicis n. 42 (inde Ritschl IX 50).

703 Perusiae in museo publico.

KA
IV VIH)(*fulmen*

De Minicis p. 65.

704 Perusia missa est.

CAES IMP
LEG X/)(*fulmen*

Falsam hanc glandem ed. de Minicis p. 53 tab. n. II (inde Ritschl IX 53), ipse damnans.

705 glandes duae in museo Parisino.

CAESAR · IMP

Longpérier descripsit.

Glandes ex locis incertis.

706 LEᑉ)(DEEC

De Minicis p. 48 n. 57. — *Leg(ionis) deec(imae)*, ut supra n. 657 *legio quar.* Vide ne falsa etiam haec sit; nam *ee* pro *e* brevi nullo modo ferri potest.

707 : LEG · XI

De Minicis p. 48 n. 58 (inde Ritschl IX 55).

708 Bononiae in museo publico.

PVS)(XII

De Minicis p. 49 n. 61 (inde Ritschl IX 56) a Bianconio.

709 Romae in museo Kircheriano, item Bononiae in museo publico.

L · XIII

De Minicis p. 52 n. 65 = Ritschl IX 58 ex Kircheriano. In altero exemplo Minicii n. 66 (inde Ritschl IX 57) est Γ · XIII.

710 OPÌERGK

De Minicis n. 72 (inde Ritschl IX 61). — *Opiterginorum* si vere in plumbo est, ita designatur fortasse legio aliqua lecta ex Opiterginis, qui fidei in Caesarem clara documenta dederant in belli civilis primordiis (Liv. ep. 110 al.).

711 Romae apud Bianchinium.

T · FABRICIVS
FECIT

Bianchini *istoria universale* (Rom. 1747) p. 546. Aliunde de Minicis n. 73 (inde Ritschl IX 60). — C · FABRICIVS · FECIT Bianch.

712 P

De Minicis n. 78 (inde Ritschl IX 62).

713 ///VF

De Minicis n. 76 (inde Ritschl IX 63).

714 C F V

De Minicis n. 75 (inde Ritschl IX 64).

715 I · A · F

De Minicis n. 74 (inde Ritschl IX 65).

716 C · O

De Minicis n. 77 (inde Ritschl IX 66).

TESSERAE CONSVLARES.

Reperiuntur subinde in Italia tesserae cum inscriptis consulum nominibus generis peculiaris. Ex osse eboreve sunt omnes exiguae molis, ansatae et ad gestandum appendendumve aptae, formae longiusculae quadratae excepta unica recentissima n. 772 sex laterum. Singulis lateribus singuli versus inscripti sunt ut a quo incipias arbitrarium sit. Continentur inscriptione nomen viri, formula SP., dies consulesque. Nomen primo casu enuntiatur soletque esse servi; nam duorum triumve nominum homines liberi non reperiuntur in serie universa nisi quinque hi n. 745. 747. 749. 756. 776. Servus praeter suum nomen plerumque adscribit nomen gentilicium domini; *Servus* non adicitur nisi in duabus n. 736. 743, quarum prior praemittit praeterea praenomen domini. In omnibus nomen sequitur nota SP· vel, ut in unica n. 736 perscriptum est, SPE·; nam SPECT· (susp. *a.*) auctoritatem habet non satis certam, SPECTAVIT (susp. *b. c*) plane nullam. Deinde in tesseris Romae vel ad urbem repertis dies sequitur, estque singulare ex tesseris quinque et quinquaginta quas habemus certae auctoritatis cum die viginti tres prae se ferre kalendas (Ian. 739. 741. 747. 760; Febr. 736. 752. 764. 772; Apr. 727. 742. 744. 753; Iun. 748. 757; Quinct. sive Iul. 722. 723. 750. 758; Sept. 719; Oct. 754; Nov. 740; Dec. 749. 763), undecim idus (Ian. 774; Apr. 746; Mai. 725; Iun. 734. 745. 761; Iul. 767; Sext. sive Aug. 728. 738. 762; Nov. 737); quattuor nonas (Ian. 765; Febr. 759; Sept. 766; Oct. 768), octodecim tantum dies intermedios (V id. Ian. n. 775, III k. Febr. 733. 756; IIII non. Mart. 718; IX k. Apr. 729; VII k. Apr. 724. 769; VII id. Apr. 721; III non. Iun. 770; prid. id. Quinct. 730; XIII k. Aug. 773; X k. Aug. 751; prid. non. Sext. 720; VII k. Oct. 732; III non. Oct. 717; XV k. Dec. 735; XIV k. Dec. 755; VIII k. Dec. 776), quod sane factum non est casu. Observandum est item in duabus tesseris quas habemus non urbanis Parmensi n. 731 et Mutinensi n. 743 pro die reperiri mensem, ubi secundum ea quae praecedunt fortasse intellegendae sunt ipsae kalendae in tesseris his nescio quo modo praecipuae. Ad annos quod attinet, harum tesserarum antiquissima est a. 669 proceduntque continuo fere ordine ad a. p. Chr. 33, post quem non reperiuntur nisi tres a. 42. 71. 74 p. Chr. — Cuinam usui servierint et quid significent litterae SP· sive SPE·, non satis exploratum est. Inde a saeculo XVI plerique explicant *spectatus* et opinantur tesseras has gladiatoribus in pugnae peractae testimonium datas esse, quod nititur duobus argumentis, primum tessera susp. *a*, ubi SPECT· pro SP· dicitur fuisse, deinde notissimo loco Horatii ep. 1, 1, 2: *spectatum satis et donatum iam rude quaeris, Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.* Neutro tamen argumento res conficitur; nam et tessera illa admodum suspecta est et Horatii verba minime ostendunt spectati vocabulum in hac re tam proprium et usitatum fuisse, ut eo solo pugna facta in arena satis significaretur. Sane *pugnavit* vocabulum longe apertius et aptius rem declarat quam *spectatus est.* Praeterea quae supra observavimus de diebus in his tesseris inscriptis quomodo cum hac coniectura concilientur, non satis apparet. Nam quos solos novimus Romae statos dies ludorum gladiatoriorum a. d. XIII. XII. XI. X k. Apr. (Ovid. fast. 3, 813) adhuc in huius generis tessera nulla reperti sunt; iis vero diebus quos vere regnare vidimus in tesseris, kalendis idibusque maxime ludos gladiatorios editos esse nec tradidit quisquam neque talium ludorum qui mihi innotuerunt diebus ullo modo confirmatur. Quare quamquam in tali genere nominum, ubi mulieres apparent nullae, servi plerique sunt, liberi homines pauci intermixti, animum subit statim et quasi rapit ad se gladiatorum cogitatio, tamen de ipsa tesserarum destinatione praestat rem in incerto relinquere quam repetere coniecturas longo usu magis inveteratas quam sua vi et potestate firmatas. — Utut haec sunt, et chronologia et grammatica ars aliquantum iuvatur his monumentis, quae post Clementis Cardinali syllogas duas, priorem insertam vol. II in *memorie romane di antichità e belle arti* (Romae 1825) p. 147, posteriorem in diplomatis (Velitris 1835) n. 164—238 editam, tertiis curis recensuimus, ne iis quidem praetermissis, quae extra huius operis terminos posita esse videbantur. Molestissimis autem fraudibus antiquariorum, qui in hoc genere vel maxime se exercuerunt, ita obviam ire studuimus, ut falsas quoque subiceremus omnes. Qua de re sciendum est tesseras falsas non ut inscriptiones alias plerasque in charta tantum fingi solere, sed ad instar nummorum incidi, ut nequaquam sufficiat ad has tuendas hominis honesti qui viderit testimonium. Denique falsas tesseras longe difficilius deprehendi quam lapides recens scriptos ipse non semel expertus sum. Borghesius quod animadvertit tesseras falsas nullas a Ligorio proficisci neque in vulgus exiisse ante saeculum XVIII incipiens, in universum verum est; tamen falsa quarta *(d)* cum Cassiano a Puteo accepta referatur tribui videtur ipsi Ligorio, cuius hic scriptis usus est, neque ut ad has fingendas non accesserit Ligorius, alios falsarios, praesertim eos, qui nummos novantiquos fingerent, ab his monumentis imitandis plane abstinuisse sequitur, cum praesertim cupide expeterentur iam a museis saeculi XVI multumque de vera notae SP. interpretatione ab ea inde aetate disputaretur. Quare non dubitavi condemnare tesseras susp. *a. b. d.* quamquam ante saeculum XVIII prodierunt.

---

717 Venetiis apud abbatem Arigonium. 'Vidi hanc tesseram Londinii in museo Britannico, sed fracta est, ut plus quam dimidia pars desit, nempe v. 2 dimidius, v. 3 totus. Contra ibidem aliud tesserae eburneae fragmentum descripsi, cuius unum modo latus legi potest idque habet v. 3 huius tituli. Num fragmentum sit eiusdem tesserae, nescio, sed suspicor prope'. *Zumpt in schedis.*

COCERO
FAFINI
SP·A·D·III·N·OC
L·CIN·CN·PA u. c. 669.

Maffei M. V. 375, 2 (inde Donat. 242, 6). — Lapis a retiariis dedicatus inter Puteolanos infra referendus *N. Fafinium N. f.* memorat.

718 Romae apud Dodwellum, nunc Monachi in museo.

BATO
ATTALENI
SP·A·D·IV·N·MAR
L·SVL·Q·ME u. c. 674.

Contuli. Ritschl tab. III H. *Notice du musée Dodwell* p. 49. Labus apud Morcellium *delle tessere* (Mil. 1827. 8) p. 48. Hefner *Oberbair. Archiv* 7, 286 = *röm. Baiern* p. 293 n. 591.

719 Romae apud Fr. Vettorium. 'Londinii in mus. Brit.' Zumpt.

DIOCLES
LONGIDI
SP · K · SEP
CN · OCT · C · CVR u. c. 678.

Cardinali mem. Rom. II, 131; dipl. n. 166 ex schedis Vettorianis. Descripsit Zumpt a. 1850. — 2 LONGIDI Zumpt.

720 Romae apud Fr. Vettorium.

P I L O T I M V S
HOSTILI
SP · PR · N · SEX ·
P · LEN · CN · ORE u. c. 683.

Cardinali mem. Rom. II, 131; dipl. n. 168 ex schedis Vettorianis. — 2 OSTILI male dipl.

721 Romae apud Ursinum.

ΓILARGVRVS
LVCILI
SΓ · A · D · VII · ID · AΓ
CN · ΓO · M · CRA u. c. 684? 699?

Ursin. not. ad Sall. cet. p. 124; ad Cic. p. 88 (inde Grut. 334, 5). Sada in versione Augustini Italica (cf. ad susp. *a*), qui aere expressit. — 3 VIII · ID male Grut. — APRIL Man. — 4 CN Sada. — Γ servavit Sada. Hae et duae sequentes utrum primo an secundo consulatu Pompei et Crassi scriptae sint, certa ratione effici nequit, iterationis nota tum nondum satis recepta.

722 Romae emit Nott. Nunc Liverpoolii in museo Hertziano.

ΓILODAMVS
GELLI
SP · K · QVI
CN · PO · M · CRA u. c. 684? 699?

Borghesi *Giorn. Arc.* LIV p. 66 sq. Catal. mus. Hertziani p. 151 n. 31. — 4 N pro CN Cat.

723 Romae emit Nott. Nunc Liverpoolii in museo Hertziano.

HERACLEO
MVCI
SP · K · QVIN
CN · POM · M · CR u. c. 684? 699?

Borghesi l. c. Catal. musei Hertziani p. 151 n. 32. — 1 HERACL · FO Cat.

724 in museo Parisino.

AESCINVS
AXSI
SΓ · A · D · VII · K · A
Q · HOR · Q · MET u. c. 685.

Henzen *Bullett.* 1860 p. 174, cui descripsit Aem. Huebner.

725 prope Romam repertam emit Capranesius.

A N T I O C V S
M A G V L N
S P · I D · M A I ·
M · PIS · M · MES · u. c. 693.

Capranesi *Bullett.* 1835 p. 41. Kellermannus descripsit. Henzen 6160. — 2 MACVLN Kell.

726 apud Mazois architectum.

*pilar*GVRVS
LANI
QVI
· M · VA u. c. 693? 701?

Labus *tessere* p. 48.

727 Romae apud Franc. Gothofredum *Rein. Gud.*; nunc in mus. Mediceo n. 1530. — Falsum exemplum fuit Arimini apud Gervasonium Angelinium estque hodie Arimini ut aiunt repertum in bibl. S. Marci Venetiis, ubi vidit Zumptius.

APOLLONIVS
PETICI
SP · K · APR
L · AFR · Q · MET u. c. 694.

Ritschl tab. III J. Vidit Friedlaender. Reines. V, 60, 1 (vidit Langermannus); Gud. ms. 1133, 2, ed. ind. p. LXXXVI; Fabrett. 39, 196 ex schedis Peniae; Montfaucon diar. p. 357 q. v.; Gori I. E. I, 74, 210 (inde Mur. 292, 1). — 1 APOLONIVS exemplum Venetum. — 2 PETICA Rein. Gud. — 3 APRILIS Montf.

728 Veronae in mus. Verità.

R V F I O
S E R T O R I
S P · I D · S E X
L · AFR · Q · MET u. c. 694.

Borghesi *Giorn. Arc.* LIV p. 66 sq.; Cardinali dipl. n. 163. 174, uterque a Labusio.

729 Romae in museo Vaticano.

PHILARGVRV
PROCILI
SP · A · D · IX · K · AP
C · IVL · M · BIB · u. c. 695.

Adscripsit Marinius ad marg. fastorum Almeloveenii, unde ed. est mem. Rom. III p. 49. Labus *tessere* p. 48.

730 Romae apud Fr. Gothofredum *Rein. Gud.* Falsum exemplum extat in museo Ariminensi.

ELEVTHERVS
TAMVDI
SP · PR · ID · QVI ·
L · P I S · A · G A B u. c. 696.

Reines. V, 60, 2 (vidit Langermannus); Gud. ms. 1133, 3; Fabretti 39, 198 ex schedis Peniae.

731 rep. in villa S. Hilarii, quae est ibi ubi fuit olim vicus Tanetus non longe a Parma.

PELOPS
PETILI
SP · ME · QVI
CN · LE · L · PHIL · COS u. c. 698.

Marini Arv. p. 823 cui misit Affò (inde Orelli 2561). — Praeter mensem pro die, de quo supra diximus, hoc differunt tesserae haec et similis Mutinensis n. 743 ab urbanis, quod *cos.* vocabulum adscribunt in urbanis antiquioribus omissum (cf. n. 734. 746).

732 Florentiae olim in museo Andreini, nunc in Mediceo u. 1531.

T E O P R O P V|*s*
FABI
SP A D VII K OC|*t*
L · D O M · A P |*cl* u. c. 700.

Ritschl tab. III K. Vidit Friedlaender. Gori inscr. Etr. I p. 265 n. 52.

733 Romae emit Heinsius.

P I L O D A M V S
IVLI
SP · A · D · III · K · FEB
M · V A L · C N · D O u. c. 701.

Heinsius in ep. ad Gronov. Roma d. 15. Iun. 1652 (Burmann syll. III, 297); Reines. V, 62; ex hoc Fabrett. 40, 205; Orell. 2562. — 3 KL · Rein. — Consules hi cum magistratum inierint demum m. Quinctili, tamen Borghesius tesseram hanc ea praesertim aetate ab Heinsio emptam, quo falsae tesserae nondum circumferrentur, sinceram putat, sed aliquo tempore post eum quem enuntiat diem perscriptam, recte omnino. Cf. n. 726.

734 Romae rep. in villa Panfilj cum n. 772; possedit Lelli abbas.

PHILEMO
CAECILI
SP · ID · IVN
CN · POMP · COS · III u. c. 702.

Marini Arv. p. 665 cf. p. 822 qui vidit et sinceram esse affirmat. — Tessera haec et n. 741 solae ex urbanis antiquioribus *cos.* vocabulum perscribunt addita in hac etiam iterationis nota; quod factum est propter collegam deficientem. Cf. n. 731. 746.

735 Aquis Sextiis in museo Mazaugues *Mur.* ibidem in museo de S. Vincens *Mill.*

HERMIA
. . . .
SP · A · D · XV · K · DEC
Q · FVF · P · VAT u. c. 707.

Bimard de la Bastie *Acad. des inscr.* XV (1743), 426. Mur. 1995, 7 a Mazaugues. Millin *voy.* II, 236. Litterae singulares A · D · et in antiquioribus omnibus et in hac etiam tessera suo loco perscribuntur; deinceps non comparent. Vide n. 751.

736 Romae apud Fr. Gothofredum. *Rein. Gud.*

P A M P H I L V S
S E R V I L I · M · S
S P E · K · F E B
C · CAES · M · LEP · u. c. 708.

Gud. ms. 1133, 1; Rein. V, 60, 3 (vidit Langermann); Fabrett. 39, 199 ex schedis Peniae. — 3 SP · Rein. Fabr.; sed etiam Heinsius in epistola ad n. 733 citata ait apud Gothofredum in tessera aliqua se vidisse SPE pro solito SP.

737 Romae apud Ursinum *Winghius.* Nunc Londinii in museo Britannico *Zumpt.*

RVFIO
PETILLI
SP · ID · NOV
C · IVL · M · AEM u. c. 708.

Winghius (cod. Brux. 17872) p. sec. f. 23 r. qui vidit. Rein. V, 61 ex Ant. Augustini dial. de nummis Italicae ed. (ego in eiusmodi editionibus iis quarum mihi copia fuit frustra quaesivi); Fabrett. 39, 197 ex schedis Peniae. Descripsit Zumpt.

738 nunc Parisiis in museo Gallico *Zumpt.*

PHILOGEN
ALFI
SP · ID · SEX
M · ANT · P · DO u. c. 710.

Grivaud de la Vincelle *recueil de mon. de l'ancienne Gaule* (Paris. 1817) tab. 36 n. 10. 11. Descripsit Zumpt.

739 Romae in museo Kestneri.

. . . . S
. . . . I
SP · K · IAN
MP C . . . COS u. c. 721? 723—731? 749? 752?

Ritschl tab. III T. Descripsi. *Annali* XX, 288. Meum exemplum exhibui; in tabula 2 deest totus, item in 4 non est nisi cos.

740 Romae rep. 1818.

P L O C A M V S
A V T R O N I
S P · K · N O V
L · VIN · Q · LAR u. c. 721.

Labus *tessere* p. 48.

741 Romae olim apud Secchium, deinde apud Saulinium.

H Y P O L I T V S ·
S E P T I M I ·
S P · K · I A N
M · LOLLIO · COS u. c. 733.

Ritschl tab. III U. Commemoravit Borghesius *Bullett.* 1845 p. 164; ed. Henzen *Ann.* 1856 p. 45. De sinceritate non dubitavit Borghesius neque ignoravit qui hanc tesseram scripsit anni huius initio per aliquot dies M. Lollium solum fasces habuisse (Dio 54, 6); quod videtur eminere supra falsarium. Eodem redit, quod *cos.* adscriptum est plane eadem ratione, de qua diximus ad n. 734. Quare *Hypoliti* soloecismus videtur esse scriptoris antiqui. — 2 SEPTIMII Henzen.

742 Roma missa *Sada.* Romae in museo Carpineo *Mur.*

FELIX
MVNDICI
SP K APR
C · SENTIO u. c. 735.

Sada in versione Italica Augustini 1592 p. 71 aere expr.; Malvasia marm. Fels. p. 368 ex ms. Carpineis; Fabrett. 39, 194 ex schedis Peniae; Mur. 2100, 2 a Paciaudio. — 3 APRIL Malv. Mur. — Ⲡ servavit Sada.

743 Solierae VII p. a Mutina rep. m. Oct. 1834.

LEPIDVS · MVMME
IN S · SP
M · IVN
C · SENTIO · COS u. c. 735.

Ritschl tab. III M. Cavedoni *Bull.* 1834 p. 231. Henzen 6162. Huic anno, quo C. Sentius Saturninus fasces solus habuit per aliquot menses, tesseram attribuendam esse vidit Labus *Bull.* 1835 p. 107. — 1 L · EPIDVS tabula. — 2 inter N et S tabula interponit litterarum CO dubia vestigia; sequor Cavedonium.

744 Romae apud Fr. Vettorium.

CELER ·
FVLVI
SP · K · APR ·
C · FVRN · C · SIL · u. c. 737.

Cardinali *mem. Rom.* II, 132; dipl. n. 189 ex schedis Vettorianis.

745 L · STLACCIVS
BASSVS
SP · ID · IVN
M · LICIN · CN · LENT u. c. 740.

Fabrett. 39, 201 ex schedis Peniae (inde Orell. 2562).

746 ANTHVS
MARI
SP · ID · APR
C · ASIN · C · CENS · COS u. c. 746.

Manut. orth. 75 (inde Grut. 334, 6). — Ab hoc inde tempore *cos.* vocabulum in urbanis quoque saepe invenitur adscriptum.

747 Florentiae apud Gorium. Nunc Liverpoolii in museo Hertziano.

SERVILIVS ;
CLEMES
SP K IAN
TI · CLAV · CN · PISON u. c. 747.

Gori inscr. Etr. III praef. p. XXXI. Catal. mus. Hertziani p. 151 n. 33.

748 Romae apud Franc. Angelonum *Tomasin.* apud card. Barberinum *Don.* apud Didacum a Vidania *Fabr.* Leidae in mus. Thomsiano *Saxius* (missus 4 p. 49), qui vidit. Nunc Londinii in mus. Brit. *Zumpt.*

DEMETRIVS
FADENI
sP · K · IVN
L · LENT · M · MES · COS u. c. 751.

Tomasin. de tess. p. 72. 78 (inde Reines. V, 29) aere expressit. Donius IV, 65 (inde Mur. 298, 2) auct. non ind. Fabrett. 38, 190 q. v. Descripsit Zumpt 1851. — 3. 4 . . . . LENT · M · MES · COS ‖ . . . . K · IVN Tom.; SP · K · IVN ‖ L · LENTV · M · MES · COS Don. Quod dedi firmat Zumptius.

749 Romae apud Fredianum *Am.*, nunc in museo Kestneri.

FLORONIVS
ROMANVS
SP · K · DEC ·
L · CAN · Q · FABR · COS u. c. 752.

Ritschl tab. III o. Amati *Giorn. Arc.* XXXII, 104 q. v. (inde Orelli 2565); *Annali* XX, 288; Roulez *Bull. de Bruxelles* t. VIII (1841) 1, 101. — 3 D pro DEC, 4 FAB Roulez.

750 Romae apud Kestnerum.

S V A V I S
THYBRIDIS
SP · K · IVL ·
C · VIB · C · ATEI · COS u. c. 758 = p. C. 5.

Ritschl tab. III R. Descripsi. *Annali* XX, 288. Roulez *Bull. de Bruxelles* t. VIII (1841) 1, 100. Henzen 6164.

751 Florentiae apud Gorium olim, deinde Romae apud Kestnerum.

C I N N A M V S
H O · T I L I
SP · X · K · AVG
C · VIB · C · ATEI · COS u. c. 758 = p. C. 5.

Ritschl tab. III P. Descripsi. Gori II, 448 (inde Mur. 299, 2) male. *Ann.* XX, 288. Roulez *Bull. de Bruxelles* t. VIII (1841) 1, 99. — 2 HOSTILI Roulez. — Haec antiquissima est ex tesseris, quae litteras A · D · omittunt; vide n. 735.

752 e Capponiano museo transiit in Kircherianum.

H Y L L V S ·
C A E D I C I ·
SP · K · FEBR ·
L · ARRVN · M *lep* u. c. 759 = p. C. 6.

Oderici p. 185, inde Orell. 2563. Brunati mus. Kirch. p. 30.

753 F A V S T V S
A N T O N I
SP · K · APR
M · LEP · L · ARR · COS u. c. 759 = p. C. 6.

Manut. orth. p. 76 (inde Grut. 334, 7 et Ligor. apud Gud. ms. 1278, 2). Tomasin. de tess. p. 72. 78 qui aere expr. (inde Reines. V, 25 et Fabrett. 38, 189) a Cassiano a Puteo. Ex Oderico, qui ab illis habet, Orell. 2563.

754 INGENVOS
ARRVNTI
SP · K · OCT
M · LEP · L · NON · COS u. c. 759 = p. C. 6.

Manut. orth. p. 76 (inde Grut. 334, 8 et Ligor. apud Gud. ms. 1278, 2). — 4 II · NON pro L · NON Lig.

755 Romae in museo Poniatowsky.

PRIMVS
SOCIORVM
SP · XIV · KAL · DEC
M · LEP · L · NON u. c. 759 = p. C. 6.

Marini Arv. p. 643 ab E. Q. Visconti.

756 Romae apud Saulinium.

C · NVMITORIVS
N O R B A N V S
SP · III · K · FEB
A · LIC · Q · CRET · COS u. c. 760 = p. C. 7.

Ritschl tab. III w. Ed. Henzen Ann. 1856 p. 46; Garrucci *graff. de Pomp.* p. 67.

757 in museo antiquarii Francisci Loth.

A S P E R
S T A T I I
S P · K · I V N
ARRIO . . VIR

Malvasia p. 368 (inde male Mur. 433, 1). — 4 APRO · VIB emendavit Hagenbuch ep. epigr. p. 371 male; nam L. Apronius A. Vibius consules a. p. Chr. 8 et fasces gesserunt secundo semestri nec praenomina omitti debuerunt. Reliqui tamen hoc loco propter similitudinem sequentis.

758 in museo antiquarii Francisci Loth.

VIRIVS CAESII
BASSVS
SP · K · IVL
APRONIO

Malvasia p. 368 (inde male Mur. 299, 4). — Cardinali sic restituit: BASSVS · CAESI · SP · K · IVL · VIBIO · APRONIO rettulitque ad consules suffectos a. p. Chr. 8, quamquam praenomina consulum certe scriptor non tacuit. Falsa fortasse.

759

OLYMPVS
PETILLI
SP · N · FEBR
M · LEP · T · STAT · COS u. c. 764 = p. C. 11.

Manut. orth. p. 76 (inde Grut. 334, 9). Cf. Marini Arv. p. 823 et Ritschl mus. Rhen. nov. 9, 160.

760 Florentiae in museo Mediceo n. 1532.

ATHAMANS
MAECENATIS
SP · K · IAN
C · SIL · L · MVN · COS u. c. 766 = p. C. 13.

Ritschl tab. III N. Vidit Friedlaender. Montfaucon diar. (Paris. 1702) p. 357 (inde Mur. 300, 1; Orell. 624); Gori inscr. Etr. I, 74, 209.

761 fuit apud Franciscum Vettorium. Nunc Londinii in mus. Brit. *Zumpt.*

CAPRATINVS
C V · CIORVM
SP · ID · IVN
DRVS · C · C · NORB · COS u. c. 768 = p. C. 15.

Cardinali mem. Rom. II, 132; dipl. n. 205 ex schedis Vettorianis. Descripsit Zumpt. — 2 CVRCIORVM Card. Fuitne SOCIORVM ut n. 755? — 4 DRVS · C · C · NORB · CO Zumpt; DRVS · C · NORB · COS Card.

762 nunc Cortonae in museo, cui dono dedit card. Ioach. Besuzius.

CHRYSANTHVS
SAVFEI
SP · ID · AVG
DRVS · C · M · SIL · COS u. c. 768 = p. C. 15.

Ritschl tab. III L. Descripsi. Gori symb. litt. dec. Flor. vol. VIII p. 48.

763 Romae apud Capranesium, deinde apud Kestnerum.

FORTVNATVS
CRVSTIDI
SP · K · DEC
DRVS · C · M · SIL · COS u. c. 768 = p. C. 15.

Ritschl tab. III S. Descripsi. Borghesi *Giorn. Arc.* LIV p. 70 ab Amatio. *Ann.* XX p. 288. Roulez *Bull. de Brux.* t. VIII (1841) 1, 100.

764 Romae in museo Bellorio. *Caus. Fabr.*

FRVCTVS
SEXTI
SP · K · FEB
M · SIL · L · NORB · COS u. c. 772 = p. C. 19.

Causeus de la Chausse museum Romanum sect. VI tab. 8 aere expressit. Fabrett. 39, 200. Labus *tessere* p. 52 aere expressit.

765

REPENTINVS
CANINI
SP · N · IAN
SER · COR · L · VIS u. c. 777 = p. C. 24.

Manut. orth. p. 76, inde Grut. 334, 10.

766 Romae apud Capranesium, mox apud Kestnerum.

PINVS
DOMITI
SP · N · SEP
M · ASIN · C · PET u. c. 778 = p. C. 25.

Ritschl tab. III Q. Descripsi. Borghesi *Giorn. Arc.* LIV, 66 acceptam ab Amatio edidit et ad hunc annum revocavit. Roulez *Bull. de Bruxelles* t. VIII (1841) 1, 101. — 4 ET om. Roulez.

767

CELER
CLODI
SP · ID · IVL
L · ASPR · A · PLAVT u. c. 782 = p. C. 29.

Norisius epist. cons. 1683 p. 11, cui misit Fabrettius; Malvasia p. 368 (inde Mur. 302, 3) ex ms. Carpineis; Fabrett. 39, 193 ex schedis Peniae. — 3 ASPRO Malv.

768 Romae apud Saulinium.

LIBANVS
VALERI
SP · N · OCT
L · ASPR · A · PLAVT · C u. c. 782 = p. C. 29.

Henzen *Bullett.* 1860 p. 173.

769 Romae emit Tolley Anglus.

CARVS
HOSTILI
SP · VII · K · APR
CAM · ARR · CN · DOM u. c. 785 = p. C. 32.

Borghesi *ann.* XXII, 358. Henzen 6165.

770

MYRTILVS
ATTIAE
SP · III · N · IVN
L · SVLL · L · SVLP u. c. 786 = p. C. 33.

Malvasia p. 368 ex ms. Carpineis; Norisius epist. cons. 1683 p. 18 (inde et ex schedis suis Mur. 303, 1) a Fabretto; Fabretti 39, 192 ex schedis Peniae. Ad suum annum revocavit post Norisium Borghesius *annali* XX, 232. — 1 MYRTYLVS Mur. sched. — 4 L · SVIL Malv.

771 in eburnea tessera apud me *Ursin.*

....
....
....
L · SVLP · L · SVLLA u. c. 786 = p. C. 33.

Ursin. in notis ad Tacit. (ad calcem fragm. hist. coll. ab Ant. Augustino) p. 434 citat; repetivit inde quod sciam nemo.

772 Romae in villa Panfilj rep. cum n. 734; possedit Lelli abbas.

PINITVS
ALLEI
SP · K · FEB
TI · CL · CAES · II
C · CAEC · a. c. 795 = p. C. 42.
COS

Marini Arv. p. 823.

773 Romae in coemeterio rep.

S A L V I V S
C A L P V R N I
SP · XIII · K · AVG ·
L · FLAVIO · FIM · C ATI a. c. 824 = p. C. 71?

Boldett. p. 515 (inde Mur. 295, 1. 611, 3). — 4 FICMATI Mur. 611. — Borghesius *Giorn. Arc.* LIV, 72 animadvertit eosdem consules L. Flavium Fimbriam et Atilium Barbarum nominari in titulo Neapolitano C. I. G. n. 5838 atque pertinere videri ad annum supra indicatum.

774 Romae apud Depolettium fuit, est Parisiis in museo Noeli des Vergers.

MAXIMVS
VAL E R I
SP ID IAN
T · CAES · AVG · F · III · AELIAN · II a. c. 827 = p. C. 74.

Henzen *Annali dell' Inst.* 1859 p. 5 sq.

775 Londinii in museo.

....
SCRIBONI
SP · A · D · V · ID · IAN
....

Osann in Fleckeiseni *Jahrb.* 77, 651. — Satis antiqua est, cum adsit *a. d.*; vide ad n. 735.

776 in museo dominae ducis Sermonetae.

C V R T I V S
P R O C V L V S
SP VIII K D E C
M VETTIO M AR//

Borghesi *Bull.* 1842 p. 31 (inde Henzen 6161), qui scriptam credit imperante Claudio; M. Vettium Nigrum enim pro cos. Asiam rexisse regnante Nerone. Collega ignotus est.

Tesserae consulares suspectae et falsae.

a Romae apud Fulvium Ursinum *Sada*.

HILODM · DOSSE
A · D · X · K · NOV
SPECT
M · EREN · C · CAS a. c. 681.

Dion. Oct. Sada *dialoghi di Agostini intorno alle medaglie* (Rom. 1592 fol.) p. 71 (apud Augustinum ipsum deest) aere expressit. Schottus nodi Cic. (Antverp. 1612) l. II c. 6 p. 73 (inde Reines. V, 24). Malvasia p. 368 ex ms. Carpineis (inde Mur. 291, 3). Fabrett. 39, 195 ex schedis Peniae. — HILODM Sada, PHILODAM Schott., PHLODAAVS Malv. Fabr. — DOTIS Malv. — 2 NON Malv. — 3 Γ Sada solus. — 4 TBEN Sada solus. — D · CAS Malv. — Mihi suspecta est et propter *spect.* plene scriptum, de quo supra dixi, et propter versuum ordinem perperam confusum neque satis aequabilem dispositionem linearum et propter nexus contra usum huius aetatis admissos et propter servi dominique nomina praeter consuetudinem tesserarum non plene perscripta.

b Romae apud Hieronymum Aleandrum iuniorem *Peiresc.* apud Pignorium *Pign.* apud Io. Rhodium Danum *Tomas. Urs. Fabr.*

in primo latere ΓILOMVSVS · ΓERELI ·
in secundo SΓECTAVIT ·
in tertio *tridens*
in quarto *palma iacens*

Peirescius in schedis bibl. publ. Paris. (cod. Lat. suppl. 101 A vol. II f. 212). Pignorius de servis p. 162 ed. 1613 aere expr.; Tomasinus de tesseris (Utini 1647) p. 72. 77 aere expr.; Ursat. mon. Patav. (Patav. 1652) p. 178; Reines. 5, 28 ex Pign. et Urs.; Fabrett. 38, 188; Furlanetto *lap. Pat.* p. 121 n. 114. — HILOMVSVS Fabr. — Equidem quin falsa sit non dubito.

c

DIOCLES · VECILI
S P E C T A V I T
A · D · V · K · FEBR
quartum latus vacuum est

Guasco *mus. Cap.* II, 67 a Sanclementio; delineavit Iul. Candiottus. Borghesius hanc ita tuetur, ut scripta sit ante consules creatos, quos supplere dominus voluerit nec fecerit.

d

MANLIVS
MARTIALIS
SP · K · IAN
TI · CATIO · P · CAELER

Tomasin. de tess. p. 72. 78 aere expr., cui dedit Cassianus a Puteo. Malvasia p. 368 e schedis Fabrettinis. Fabrett. 38, 191 ex schedis Peniae. — 1. 2 MARTIALIS · MANLII Fabr. — 3 IVN Malv. — 4 T · et CELER Malv. — Damnavit Cardinali dipl. n. 218, ideo quod consules hi ordinarii videlicet in fastis desiderantur.

e insculpta cylindro e Sarda gemma apud Iannm Plancum medicum Ariminensem, deinde apud Senensem quendam.

F E L I X
A N T O N I
SP · K · IVN
FVLVO · COS ·

Gori III praef. p. XXXI. Bianchius Nov. Flor. 1743, 732; inde Donat. 159, 3. Borghesius *Giorn. Arc.* LIV p. 68 narrat repperisse se in litteris eius aetatis narrationem, cur gemmae antiquae insculpi iusserit Bianchius falsum titulum hunc; quod rescivit iam Gorius, v. Hagenbuchii epist. epigr. p. 382. Bianchius N. F. 1745, 519 defensionem edidit.

f ex Borgiano museo transiit in Neapolitanum.

SPECT
IOLLA · SALVIENI
IV N MART
NER · CLAVD · T · QVINT · CO///

Marini Arv. p. 26. C. I. N. 6304, 2; ubi de falsitate non debui dubitare. Recte damnarat Marinius.

g in museo Neapolitano.

PHILOXENVS · METEL
SPECT
IMP · CAE · X · C · NORB
K · IVL ·

I. N. 6304, 1. Henzen 6163. Hanc quoque recte videtur damnasse Marinius.

h rep. prope Romam.

MARCELLINVS · Q · MAX ·
TASVCIO · V ·
M · SIL · L · NO · B · COS ·
A · D · X · K · NOV ·

Caylus *rec.* t. III p. 290 tab. 79 n. 1, inde Orelli n. 2560. Damnavit Borghesius l. c.

Sequentes quae extant Arimini in museo Gervasoni Angelini Olivierius et Borghesius l. c. damnaverunt omnes:

i P · PERELIVS | ANTELIVS | P · K · IAN | TI · AVRIVS · COS

k DEMETRIVS · SECESTVS | TERZVLVS | SPECT | Q · CAES · M · AVR · COS

l M · FELIS | ANTONI | SP · PR · ID · QVI | VENNO · COS

m L · MANLIO | T · PETRONI | SP · III · N · IVN | VENNO · COS

n C · MEMMI | MEMMIVS | P · K · FEB · PALMA · COS

o MARTIALIS | PETILLI | P · K · IVN | CORVO · COS

p SEXTIS | MAMA | P · K · FEB | FRISCO · COS

q MARCIVS | CELR | SP · K · APR | M · MEMI · L · A

r CESTIVS | PERELI | P · K · NOV | ANTONINVS · AVG

s FA · VI · DIVI | C · FABI · C · F | A · M · DIV | . . O · AV · AD

Neque meliores sunt itemque damnatae ab ipso editore Cardinalio ex schedis Vettorianis excerptae hae:

t PAMPHILVS | SERVILI | SP · PR · ID · QVI | M · SILANVS

Londinii in mus. Britannico vidit Zumpt. Cardinali *iscr. ant. ined.* n. 318; *Giorn. Arc.* XI, 231; dipl. n. 234.

u C · SEXTI | PETRVLIVS | SP · K · IVN | L · SABINVS

Cardinali *i. a. i.* n. 319; *Giorn. Arc.* XI, 231; dipl. n. 235.

v TI · SENTIVS | C · ANTONI | SP · K · APR | L · ALBINVS

Londinii in mus. Brit. vidit Zumpt. Cardinali dipl. n. 236. Zumptius sic: L · ALPINVS | SP . . . . APR | M . . A . TIVS | C · ANTONI.

w M · CATIO · TI · F | TI · CLAVDIO | SECVNDI | SP · K · APR

Londinii in mus. Brit. vid. Zumpt. Cardinali dipl. n. 237. — 1 L · F, 3 SECVNDO Zumpt.

x PETILLIVS | PETICI | SP · K · FEB | C · TAMVDI

Cardinali dipl. n. 217, qui nescio quomodo hanc tuetur. Cf. n. 727. 759.

Ex eodem genere sunt etiam hae:

y PHOEBVS | FABI | SP · K · IAN | T · STAT · C · SAL

Cardinali dipl. n. 219, qui vidit apud Petrum Viscontium.

z SVAVIS | POBLICI | SP · K · IVL | SER · LENT · Q · IVN · COS

In Anglia extat. Cardinali dipl. n. 222 a Petro Viscontio.

aa ALBINVS | SP · K · IVN | TI · ANTIO | Q · VISIO

Londinii in mus. Brit. vidit Zumpt. Cardinali mem. II, 151 ex schedis Vettorianis, denuo dipl. n. 216, qui hanc defendit. — 3 T · ANTTIO Zumpt.

bb Romae in museo Dodwelliano olim, nunc in Monacensi.

BATO
M · VALERIO
KAL · XV · I · M
C · MVZIO

Contuli et damnavi. *Notice du musée Dodwell* p. 49. Hefner *Oberbair. Archiv* 7, 287 = *röm. Baiern* p. 294 n. 592, qui item damnat.

cc Nuperrime Romae Castellanius aurifex hanc proposuit venalem:

L · SEIANVS · COS
L · LEC · XXXVI ·
COS · VII · T · P · P · P · C ·
LEC · C // V I I V I

Henzenus misit et damnavit.

776 *a.* Addam hoc loco tesseram ineditam opinor multis nominibus memorabilem, quam sero reperi in libro ms. Lanthelmi Romieu Arelatensis scripto a. 1574 servatoque hodie Lugduni Bat. inter Voss. Germ. Gall. Q. 1. Legitur ibi f. 88 sic: *Ores ie commence icy à fere mention des Epitaphes d'Arles — — et en premier lieu ie veux reciter l'escrit memorable, qui se list clairement en une piece d'ivoire ou plustot de corne de cerf que i'ay, qui a esté nouuellement trouuée icy a la poincte au bord du Rosne, laquelle est si menue et estroicte, qu'elle n'est pas plus longue, ne plus large, que la moytie du petit doigt de ma main, estant percée à l'un des bouts: ou est faite mention de Ciceron, et de Caius Antonius — — — et y a ainsi:*

u. c. 691. MENSE · FEBR · M · TVL · C · AT · COS · ACHIAL · SIRTI · L · S · SPECTAT · NVM ·

Haec omnino genuina est; nam qui eam profert auctor non optimus, sed simplex et nequaquam doctus nec talia fingere potuit neque aliam eius generis tesseram novisse videtur ullam adsuntque praeterea in hac notae tesseris non urbanis propriae, mensis omisso die adscriptumque *cos.* Unde iam videtur constare legendum esse *spectat . . . . . .*; at quid subsit, denique quid sibi velit *num . . . . .* adiunctum ad *spectat . . .* in tessera Arelatensi, non magis assequor.

776 *b* in museo Campanae.

HERMES | VIBI | SP KAI AVG | PATERC ET SALIN u. c. 813 = p. C. 60.

Misit Henzen. De consulibus cf. legem de civitate veteranorum apud Henzenum n. 6407 datam *a. d. VI non. Iul. Cn. Pedanio Salinatore L. Velleio Paterculo cos.*

In cod. Lugd. Scal. 32 reperi descriptas tesseras penes Fulvium Ursinum servatas has n. 721. 745. 746 (CEN pro CENS). 753. 754 (OCTO pro OCT). 759. 765. 770 (unde constat ab hac n. 771 non fuisse diversam). *susp.* a (fere ut Sada dat).

FIGLINAE CONSVLARES VELEIATES.

Consules anni signandi causa adscripti cum adhuc in tegulis fabricae Romanae nulli reperti sint anno u. c. 863 = p. C. 110 anteriores, in municipiis quibusdam consuetudo haec antea iam obtinuit. Ita prodierunt figlinae anni u. c. 846 = p. C. 93 in pago Coldipepe inter Perusiam et Tuder et Tudere (Vermiglioli I. P. p. 597, 2. Marini figl. n. 297 a. 531) et anni u. c. 854 = p. C. 101 item Coldipepe (Vermiglioli l. c. p. 597, 3); item Tiferni ad Tiberim (*Città di Castello*) duae, quas ex ephemeridibus Patavinis m. Ian. a. 1804 Marinius figlinis inseruit n. 296 a. b., haec anni 760 = p. C. 7:

Q CAECIL . . . .
A LICINIC N . . . .
M GRANII . . . .

et altera u. c. 768 = p. C. 15:

DRVSO CAESARE M SILNO COS
GRANI

Longe vero superantur vel hae figlinis eruderatis Veleiae, quarum cum aliquot edidisset Lama (*tavola della Gallia cisalpina*. Parmae 1820) et Nicolli Fiorenzolanus in programmate libri qui non prodiit *archeologia universale Parmegiana* mihi non viso, multo et limatiorem et pleniorem syllogen instituit praefectus museo Parmensi Lopez, edidit sua opera castigatam Borghesius (*Annali dell' Inst.* XII 1840 p. 225—246. *Bullett.* 1841 p. 141). Praeter hunc commentarium ad manus fuerunt tabula Ritscheliana duodecima ad ectypa laterum musei Parmensis delineata et exempla earundem tegularum facta ab Ernesto Desjardins et nobiscum communicata. — Sunt autem tegulae quinque vel sex figulorum: C. Mu... a. 678—680 qui solus usus est litteris incusis, cum reliqui adhibuerint extantes; C. Venelii (cuius nominis duo exempla attulit Borghesius l. c. p. 227; cf. supra n. 580) a. 685—690, a cuius aut patre aut filio tegulae videntur proficisci quae magno numero Veleiae reperiuntur inscriptae C · VE litteris satis vetustis (*ann.* l. c. p. 246); L. Naevii a. 686—710; L. Naevii L. f. a. 718, si quidem diversus hic est a praecedente; L. Naevii Felicis a. 740. 741; denique Thumelici a. 743.

---

777 Parmae in museo; item Placentiae apud Bissium.

COS
CN · OC · C · SC u. c. 678.
C · MV

Ritschl XII *a*. Lama p. 68 n. 23. *Ann.* XII, 227.

778 Panzarae prope Placentiam rep.

COS
L · OC · C · COT u. c. 679.
C · MV

Vidit Bissi; ed. Nicolli l. c. Inde *Ann.* XII, 228.

779 Panzarae rep.; fuit apud Bissium.

C · MV
COS
L · LVC · M · COT u. c. 680.

Ann. XII, 228.

780 Parmae in museo.

C · VE
COS
Q HOR Q CAE u. c. 685.

Ritschl XII *b*. Lama p. 68 n. 22. *Ann.* XII, 228.

781 Parmae in museo.

L · NAEV
COS · L · AE
Q · MRC u. c. 686.

Ritschl XII *c*. Ann. XII, 228.

782 Parmae in museo.

L NAE
COS
M · ACHI u. c. 687.

Ritschl XII *d*. *Ann.* XII, 229. — *'Converrà credere che L. Nevio fosse della scuola dell' Arrio suo contemporaneo deriso da Catullo, perchè 'Chommoda dicebat si quando commoda vellet dicere'. Tuttavolta non è nuova l'erronea ortografia Achilius per Acilius, giacchè Achillius Glabrio Faustus chiamasi pure costantemente il console nel* 1191 *nel preambolo al Codice teodosiano fatto pubblico dal Closio, in cui viene ricordato più volte, e* RVTILIVS ACHILIVS SIVIDIVS *il console del* 1241 *nel dittico di Geronda'.* Borghesius l. c.

783 Veleiae rep. m. Aug. 1841.

L · NAE ·
CoS · MV ·
AEM · L · FO u. c. 688.

Ritschl XII *e*. *Bullett.* 1841 p. 141. — 3 L · FO *Bullett.* et Desjardins, quod Borghesius explicavit L · FO*latius*. LE tabula, quae admittit, ut de Lepido cognomine cogitemus; sed subsistendum erit in lectione eorum, qui laterem viderunt, cum praesertim in annis notandis tria consulum nomina non soleant poni.

784 Parmae in museo.

L · NAEV
COS · L · COTT u. c. 689.
L · MAN

Ritschl XII *f*. *Ann.* XII, 229. — 1 NAE tabula.

785 Parmae in museo fracta; Bacedasci prodiit integra.

C · VE
COS
L · M · L · COT u. c. 689.

Ritschl XII *g* exhibet fractam, item Lama p. 68 n. 20. Integram vidit Bissius. *Ann.* XII, 230.

786 Parmae in museo ter repetita.

C · VENEL
COS
L · IVL · C · MAR u. c. 690.

Ritschl XII *h*. Lama p. 68 n. 21 male. *Ann.* XII, 230. Tres lateres sic descripsit Desjardins:

C · VENEL COS ..VL C MAR	.VENEL .OS LVC · MAR	C O LIVL

787 Parmae in museo.

L · Naevi
Cos
L · PISONe u. c. 696.

Ritschl tab. XII *i*.

788 Parmae in museo.

L · NAE
CN · COR
L · M A*r* u. c. 698.

Ritschl tab. XII *k*.

789 Parmae in museo.

L · NAEV*i*
CO*s*
L · AEM · *c. mar* u. c. 704.

Ritschl XII *l*. Nicolli l. c. Paullo auctiorem vidit Bissius. Ann. XII, 230.

790 Parmae in museo.

cos
L *Aem*
C *Mar*
L NÆV u. c. 704.

Ritschl XII *n*. Lama p. 68 n. 24 male. *Ann.* XII p. 231. — 3 NÆ... Desj., NA... tabula.

791 rep. in montibus Placentinis; extat Parmae in museo.

L · NAEV*i*
COƧ C M*ar*
L · A*em* u. c. 704.

Ritschl XII *m*. *Ann.* XII, 231. — Sequor *Ann.* et Desjardins; tabula sic: L · NA·
CO*s*
LI

792 rep. in montibus Placentinis; extat Parmae in museo.

L · N*aevi*
COS · L A*em* u. c. 704.

Ann. XII, 231.

793 Parmae in museo.

L · N A*evi*
C*os*
C · CLA*ud*
L · CORN*el* u. c. 705.

Ritschl XII *o*. *Ann.* XII, 231.

794 apud Bissium.

l · NAEVI
COS
p · DOLABEL
m · ANTON u. c. 710.

Nicolli l. c.; *Ann.* XII, 232.

795 Parmae in museo.

M · COCCIO *sic*
L · GELLIO
COS
L · NAEVI · L · F u. c. 718.

Ritschl XII *p. q*. *Ann.* XII, 232.

796 Parmae in museo, item apud Bissium.

L · NAEV....
COS
CN · N*e* u. c. 718.

Ritschl XII *r*. Lama p. 67 n. 19. *Ann.* XII, 234.

3 sic ut supra dedi in latere legit Lopezius convenitque tabula et ectypon a Ritschelio mecum communicatum. C · IV · quod legerunt Lama et Desjardins pro CN ·, eo explicatur, quod post primum elementum in laterculo foramen est exiguum nequaquam id profectum ab eo qui laterculum scripsit, sed mero casu ortum, deinde littera *n* hanc formam habet IN partibus ut fit incuriose seiunctis. Nihilo minus lectio quam dedimus certa est et attente consideranti extra dubium posita. Recte igitur Borghesius (*Ann.* l. c.) profectus a lectione Lopeziana consulem in hoc laterculo agnovit Cn. Nerium eum, quem Cicero memorat ad Q. fr. 2, 3, 5 *(Cn. Nerius Pupinia)* cuiusque quaestoris urbani a. 705 extant nummi *(Neri q. urb.)*; nam ad consulatum hunc pervenisse etsi nemo tradidit, certe quominus fasces gessisse eum putemus ea cuius laterculus est aetate, nihil impedit. Hunc Cn. Nerium a. 719 suffectum credidit Borghesius, non aliam ab causam nisi quod hoc solo anno excepto de fastis ad annum usque u. c. 742 satis constaret. Contra Henzenius in adnotatione ad fastos Capitolinos quam infra edemus monuit in fastis huius aetatis dubitari adhuc non solum de suffectis a. 719, sed item de suffectis anni praecedentis; de suffectis enim anni 718 hoc tantum constare primum alterius utrius nomen gentilicium incepisse a littera N, quod ostendunt fasti Biondiani, deinde alterum utrum in fastis Capitolinis dici L · N ·; denique videri Cn. Nerium non a. 719 fasces rexisse, sed fuisse ipsum illum a. 718 consulem, cuius ex nomine primum elementum lapis Biondianus servasset. Cui obtemperandum fuit; videtur enim omnino verum invenisse.

797 apud Bissium.

M · CRASSO
CN · LNV · Cos
L · NÆVI · FELIC u. c. 740.

Ritschl XII *s*. *Ann.* XII, 233.

798 Parmae in museo.

*ti. ner*ONE
*p. qui*NCT Cos
L · NÆVI · FELIc u. c. 741.

Ritschl XII *t*. *Ann.* XII, 233. — 1 ... NE, 3 *nae*VIFELI· tabula.

799 Parmae in museo.

PA/L · FABIO
Q · AELIO T*ku*
M E L I*ce u s* u. c. 743.

Ritschl XII *u*.

800 ....
COS · FAB · *max*
*a*ELIO · TVBERONE u. c. 743.

Nicolli l. c.; sched. Bissi; ex utroque *Ann.* XII, 233.

SECTIO QVARTA.

TITVLI RELIQVI AETATIS MINVS CERTAE.

Sectionibus tribus quae praecedunt quoniam proposui populi Romani liberi etiamtum leges et nummos et elogia denique ea, quorum maxime ex ipso argumento cum rerum publice gestarum memoria plus minusve coniuncto aliquatenus aetas definiri posset, superest ut colligamus titulos destitutos ab eius modi aetatis indiciis, cum praesertim versentur in re privata et ab annalibus populi Romani aliena. Quorum titulorum componendorum provincia ita comparata est, ut ingens sit quo excurrat spatium, fines incerti, exitus nullus. Nam in publicis monumentis qui secernit libera re publica scripta ab aetatis imperatoriae reliquiis, etsi saepe anceps haeret, tamen de summa re fere ei constabit nec multa reperiet cum utraque rei publicae forma pari ratione concilianda. Contra est in titulis privatis, in quibus cum argumentum sua natura idem manserit, exceptis paucissimis cum anno adscripto et propter eam ipsam causam ad tertiam sectionem relatis non relinquitur ad aetatem definiendam nisi ut scripturae sermonisque mutationes indagemus; quod etsi potest fieri, tamen ut ita indagata in syllogae formam redigantur, hoc certe tempore nullo modo fieri potest. Nam eas quaestiones qui recte et ex arte solvere volet, is ante omnia in singulis exempla componet quantum fieri poterit omnia reiectis dubiis corruptis falsis, deinde quaenam horum exemplorum epocham habeant aliunde certa ratione definitam exquiret, denique ex certis his incertorum aetatem cum aliqua probabilitate efficiet; ita exempli causa definiet, quando *ei* pro *i*, *oe* pro *u*, *quom* pro *cum* scribi desierit, quando primum in usum venerit elementum V duplex, quod geminatum antiquiorem aetatem non admisisse notum est, quo tempore primum in titulis expressi sint pietatis sensus, a quibus extra carmina antiquior aetas abhorret, et sic deinceps reliqua pertractabit. At haec sperandum est fore ut aliquando enucleentur sylloge hac absoluta; in ipso operis principio vix seminibus iactis messis futurae talia qui sequitur, aut laqueos inexplicabiles ignorat, quibus adhuc tenemur irretiti, aut ubi novit, gladio utitur, quem scit plumbeum esse poenasque dabit aut impatientiae aut caecitatis. Quare quamquam vehementer desiderandum est, ut tituli aetatis indiciis praeterea destituti ad scripturae sermonisque leges accurate stabilitas ordinentur aliquatenus secundum aetatem eruanturque aliquando de quibus hodie suspicamur certa indicia titulorum liberae reipublicae aetate scriptorum, tamen hoc tempore quoniam ea ignoramus, si per muneris mihi iniuncti condicionem licuisset, a tali incepto omnino abstinuissem. Iam quoniam operis ratio cogebat, huius generis monumenta ea, quae ab hac sylloge abesse non debere intellegebam, ut potui composui invitus sane mihique ipsi vehementer displicens et in negotio eo, quod iusta ratione perfici nullo modo posset, arbitrium magis et qualemcunque legentium utilitatem secutus quam certas leges. Itaque titulos, quos Caesare antiquiores esse constare videbatur, recepi omnes, contra reieci quotquot quin post Caesarem incisi essent non dubitabam; eorum vero, qui et septimo et octavo saeculo videbantur posse attribui, quorum numerus longe maximus erat (nam praesertim inter titulos septimi saeculi octavique fines hodie certa ratione regi nequeunt), potiores selegi, id est indubiae antiquitatis, certae lectionis, argumenti non vulgaris titulos non praetermisi sciens, maxime quos in Ritschelianas tabulas receptos esse videbam, contra a dubiis corruptis incertis vulgaribus ut potui abstinui. Denique in hac parte commentarios addidi fere nullos; haec enim ratio est commentariorum supra propositorum, ut vel maxime spectent ad uniuscuiusque monumenti aetatem certa ratione definiendam, quod in his fieri non potest. Practerea grammaticum magis haec pars requirit quam in rerum explicatione versantem philologum. Ordinem secutus sum geographicum; sic enim non sine utilitate aliqua tanquam in tabella apparebit, quomodo sermo Latinus ex Latio in Italiam, ex Italia in provincias sese propagarit.

R O M A.

801 in lapide Tiburtino litteris quadratis et vetustis; rep. Romae trans Tiberim in hortis pone ecclesiam S. Mariae *dell' Orto*.

·*p*VPIVS·A·F·MAG·
*pa*G·IAN'COL·PORTICV
*ce*LLAM·CVLINAM
*ar*AM·DEPAGI·SENTEN
*fa*CIVNDV·COIRAVIT

Detlefsen descripsit ediditque *Bullettino* 1861 p. 48.

802 in pavimento operis Signini; Romae trans Tiberim in iisdem hortis ubi reperta est n. 801.

mag. P-A-G-I-I-A-N-I-C*olensis*
C·/ASTOS·ET·MACE*riam*
*de p*AG·SEN·FAC·COER·EIDEMQVE·P*rob*

Detlefsen descripsit ediditque *Bullett.* 1861 p. 49.

V. 2 primas duas hodie aliquatenus superstites litteras videri fuisse G (vel C) S (vel R), deinde deesse litteram unam A fortasse vel potius I vel L vel M adnotavit Detlefsenus. — 2 in . . . . *astos* quid lateat, frustra quaesivi. Vocabulum quod sequitur *maceriam* videtur fuisse, non *macellum*, quoniam hoc ad rem sacram non pertinet nec pagi magistrique eius partes fuerunt nisi in re sacra.

De montanis paganisve quoniam et in commentario de tribubus p. 15—20. 211—215 exposui et denuo in hist. Rom. 1, 109 ed. 3 rem retractavi, iam hoc loco ita agetur, ut requirunt tituli hoc loco explicandi. Sunt vero *montani pagani* proprii aetatis liberae rei publicae neque huiusce hominum urbanorum distributionis ullum reperitur post Augustum vestigium, ut e contrario remotior aetas ignorat regiones vicosque, quam divisionem institutam esse ab Augusto a. u. c. 747 scribit Dio (55, 8 collato Suetonio Aug. 30) lapidesque confirmant (Preller region. p. 83). Quamquam magistri vici aliqui fuerunt vel ante Augustum; nam ludos compitalicios multo antea ab iis factos esse auctores testantur (Liv. 34, 7; Ascon. in Pison. p. 7 Orell.; Dionys. 4, 15). At magistri vicorum ante Augustum facti nec certi videntur fuisse nec perpetui et sacrorum tantum ludorumque causa a vicinis constituti; quare propter eos non minus recte illa urbis distributio illorumque infimorum magistratuum in incendiis arcendis maxime occupatorum institutio ab Augusto coepisse dicitur et recte magistri a. 747 facti *primi* appellantur in titulis et sic deinceps numerantur. Apparet autem ab Augusto factam urbis divisionem in regiones vicosque successisse quodammodo in locum antiquioris distributionis in montes pagosve, quam et ipsam ad urbem universam pertinuisse auctorum testimonia (trib. p. 212) demonstrant. Sunt vero in hac divisione montani proprie urbani, pagani proprie qui degunt extra urbem, intra moenia tamen vel certe ibi ubi continenti habitatur; ut montanorum nomen proficiscatur ab antiqua Septimontii urbe, paganorum vero procedat a communi significatione, quo pagani sive rustici opponuntur oppidanis sive urbanis. Montanorum, quorum fuit et antiquissima urbs Palatina Suburanaque cum Esquiliis et huic adiecta altera in Quirinali collocata Collinorum cum Montanis proprie dictis contributorum, lapides supersunt nulli neque ipsorum neque ullius ex septem, quas auctores enumerant, partibus. Contra pagos novimus duos, Aventinensem ex titulo supra p. 186 relato A. Castricii Myrionis Talenti f., qui scribitur fuisse *tr. mil., praef. eq. et classis, mag. colleg(iorum) Lupercor(um) et Capitolinor(um) et Mercurial(ium) et paganor(um) Aventin(ensium), XXVI vir,* et Ianicolensem ex titulis duobus supra propositis. Putarim tamen ad hos duos pagos intramuranos proxime accessisse collegia duo de quibus dixi ad n. 805 Capitolinorum et Mercurialium. — Extra moenia ager similiter in pagos divisus fuerit necesse est coque referendi videntur exempli causa Succusanus pagus, a quo regionem urbis Suburam nomen habuisse grammatici scribunt (Varr. 5, 48; Fest. p. 309 cf. p. 302), Lemonius ad portam Capenam via Latina (Fest. ep. p. 115), Amentinus minor (Orell. 3796), Ulmanus Transulmanus Pelecianus (Orell. 111), suburbani omnes. — Magistri apud Latinos singulis pagis videntur praefuisse singuli. — Ceterum quidquid in contrariam partem narrat Dionysius (4, 15), pagi non pertinent ad rem publicam administrandam, sed ad sacra facienda pagique magister, plane ut aetatis antiquioris vicomagister, non magistratibus adnumerandus est sed sacerdotibus, quod vel maxime ostendit in simili titulo pagi cuiusdam suburbani Orell. n. 1495 cum magistro pagi coniuncta *magistra*, pertinentque omnino ad magistros hos pagorum suburbanorum quae supra p. 159 exposuimus de magistris pagorum Campanorum.

803 ara marmorea rotunda, Romae rep. in hortis Transtiberinis una cum n. 801. 802, nunc in museo Lateranensi.

L·F SORE*r*
P·ANNI·C·F·A·*n*
*po*STVMIO·A·F
*cn o*CTAVIO·CN·F Aid *cur*
*hae*C·ARA·RESTIT*uta*

Detlefsen ectypum misit. Idem edidit cum commentario meo *Bullett.* 1861 p. 74.

1 inter F et S nihil scriptum fuit. Deinde in lapide fuit aut SOTE aut SOPE aut SORE; hodie angulo effracto non superest nisi SO. Puto prius nomen longius fuisse quam quod uno versu caperetur itaque quadratarium cum per duos versus id divideret spatio superabundante inter patris nomen et cognomen locum vacuum reliquisse, ut sic fere in lapide fuerit:

herculi
l. v o l u s e n u s
L·F SORE*r*
P·ANNI·C·F·A·*n*

Post v. 2 in lapide lineola visitur quae priorem inscriptionem dirimit ab altera arae restitutae. — 3. 4 Aediles hi fuerint necesse est curules, cum prior eorum gentis sit patriciae. Alter autem cum sit plebeius neque ante saec. VII medium collegia aedilium curulium ex utroque ordine constituta inveniantur, huius aetatis lapidem esse apparet. Quocum consentiunt nomina; nam hac aetate et reperitur A. Postumius A. f. (supra n. 442) et ut Cn. Octavius Cn. f. cos. a. 667 excludatur eo, quod aedilitatem cum frustra petiisse Cicero (pro Planc. 21, 52) scribit, cogitari poterit vel de filio eius praeterea ignoto consulis a. 679 L. Octavii fratre maiore vel de filio Cn. Octavii M. f. cos. 678. Notabilis autem aedilium curulium commemoratio anni quo ara restituta est notandi causa; quod pertinet opinor ad procurationem aedium sacrarum (Cic. Verr. 5, 14, 36. Varr. 6, 81. Dionys. 6, 90. Becker *Handb.* 2, 2, 316). — 5 restitui ad exemplum arae Bovillensis n. 807 in qua est: *aara leege Albana dicata* alteriusque ibi citatae, ubi est: *Romano more dedicata*.

804 ara rotunda, quae quo loco inventa sit non traditur; extat Romae in museo Vaticano.

T · QVINCTIVS · Q · F · L · TVLLI · CALTILI · CALT · L
vir et mulier ad aram sacrificantes
MAG · DE · DVOBVS · PAGEIS · ET · VICEI · SVLPICEI

Ritschl tab. XCI A ad lapidem. Ed. non recte Marini Arv. p. 18.

Nec de nominibus interpretandis satis constat nec de magisterio. In illis explicandis quoniam anaglypho non adiuvamur — nam inscriptio viros nominat, in anaglypho cernuntur vir et mulier, magistra pagi haec opinor, de qua dixi ad n. 801. 802 — aut admittenda erit nominum ratio plane insolita aut quadratarii lapsus; nam praeter T. Quinctium Q. f., de quo dubitari non potest, quae sequuntur *L. Tulli(us) Caltili(us) Calt(iliae) l(ibertus)* si unum hominem significant, duorum nominum is fuit, quod quomodo excusetur hac aetate, non perspicio. Debuit scribi fortasse *L. Tulli [L. f., L.] Caltili Calt. l.* exciderunt que media. Deinde in eo quod sequitur *mag(istri) de duobus pageis et vicei Sulpicei* similiter laboramus. Primum *magister de pago* pro magistro pagi incommodum est, ferendum tamen, nam magister cum sacerdos tantummodo sit, non magistratus pagusque ad collegii sacri formam prope accedat, fieri potuit, ut magis cogitaretur de lectione magistri ex paganorum numero quam de pagi administratione ei commissa. Deinde si duo homines nominantur versu priore, quomodo factum sit ut duo pagi vicusque unus sub duobus magistris sint, explicationem idoneam non habet. Contra ubi tres viros perscriptos esse concedis, res facile procedit habemusque hic duorum pagorum singulos magistros ingenuos, vici denique magistrum libertum coniunctos. Duo pagi qui fuerint, titulus non enuntiat; erant tamen sine dubio ex numero extramuranorum, de quibus supra dixi. Vicum Sulpicii praeter hunc lapidem commemorat basis vicomagistrorum imperante Hadriano scripta (Preller Reg. p. 245) et quidem geminatum ea aetate vel potius bipertitum *Sulpici citerioris* et *Sulpici ulterioris* in regione prima portae Capenae; neque quidquam impedit, quominus extra portam Capenam eum fuisse statuamus. Videtur igitur huius vici magister una cum magistris pagorum quorundam duorum proximorum simul sacrum aliquod obtulisse et aram hanc consecravisse.

805 Mesae (ad Medias) in paludibus Pomptinis.

CLESIPVS · GEGANIVS
MAG · CAPI*tol* · MAG · LVPERC · VIAT · TR

Memorat Morcellius de stilo 1, 92 ed. 2: 'magistrum Lupercorum legi nuper in lapide, qui e Pomptina palude emersit'; ed. Henzen n. 6011 descriptam a Rossio et ex suo exemplo Detlefsenus *Bull.* 1861 p. 10.

1 CLESIPPVS Rossius.

Plin. 34, 3, 11 sq., quem locum cum titulo hoc composuit Detlefsenus, sic narrat: *Accessio candelabri fuit Theonis iussu praeconis Clesippus fullo, gibber et praeterea et alio foedus aspectu, emente id Gegania HS L milibus. Eadem ostentante in convivio emptum, ludibrii causa nudatus atque impudentia libidinis receptus in torum, mox in testamentum, praedives numinum vice illud candelabrum coluit — — vindicatis tamen moribus* (*morbus* Bamb.) *nobili sepulchro, per quod aeterna supra terras Geganiae dedecoris memoria duraret.* Eius ipsius sepulchri titulus hic est apparetque hunc libertum propter divitias ad honores qui quidem in hunc ordinem cadant maximos pervenisse. Nam fuisse hunc libertinum extra dubium ponit praenomen Graecum, de quo nuper dixi in museo Rhenano novo (15, 188 cf. p. 203. 328), quodque de patrona tacuit, fecit celandae causa condicionis libertinae. Praeterea viatores magistratuum, maxime tribunicii et aedilicii solent fieri ex libertinis, (mus. Rhen. nov. 6, 55); cf. Tacit. 16, 12: *liberto et accusatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios datur.* Contra ad lupercale sacerdotium libertinum admitti rarissimum est, quamquam non prorsus sine exemplo (Orell. 2253: *Q. Considius Q. l. Eros viator aed. pl. lege Papiria, Lupercus Quinctial. vetus, accensus cos., magister trium decuriar.*). Magister collegii Capitolinorum qui praeter hunc unus innotuit *A. Castricius Myrio Talenti f.* (v. p. 186; cf. Cic. ad Q. fr. 2, 5, 2) ingenuus quidem est, sed peregrini hominis filius civitate donatus. Omnia igitur elogii officia optime conveniunt in hominem ordinis libertini honoratissimum, qualis esse debuit Clesippus ille Geganius Plinii. — De aetate hominis neque ex Plinio neque ex lapide certiores facti hoc solum dicemus vixisse eum ante imperatores. Nam eo pertinet et praenomen Graecum et geminata littera consonans unico elemento significata et magisterium Lupercorum nusquam memoratum nisi in hoc titulo alteroque supra citato Myrionis supparis aetatis et Capitolinorum commemoratio, de quibus similibusque Mercurialibus quaedam addemus. Collegiorum horum duorum antiquissimorum illud institutum esse fertur post incendium Gallicum a. u. c. 364 teste Livio 5, 50: *(Camillus) senatus consultum facit — — ludi Capitolini fierent collegiumque ad eam rem M. Furius dictator constitueret ex iis, qui in Capitolio et in arce habitarent,* alterum antiquius etiam ab eodem 2, 27 constitutum scribitur a. u. c. 261: *certamen consulibus inciderat, uter dedicaret Mercuri aedem; senatus a se rem ad populum reiecit, utri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum — — mercatorum collegium instituere.* Utriusque collegii mentionem facit Cicero in epistula ad Q. fratrem 2, 5, 2: *M. Furium Flaccum equitem Romanum hominem nequam Capitolini et Mercuriales de collegio eiecerunt praesentem ad pedes unius cuiusque iacentem;* denique magistrum collegiorum et Capitolinorum et Mercurialium supra habuimus Myrionem, collegii Capitolinorum Clesippum hunc Geganium. Quae collegia quam prope accedant ad pagos intramuranos, neminem fugiet, qui non subitaria opera ad hunc locum tractandum accedit. Utrumque collegium locum habuit intra moenia, sed extra urbem propriam quattuor tribuum; nam et de Capitolio res certa est et aedes Mercurii fuit in imo Aventino (Becker Top. p. 471); nec sane sine causa factum est, ut intra urbem illam similia collegia memorentur nulla solaque inter tot templa urbis Romae Capitolini Iovis et Mercurii ad Aventinum tale collegium receperint. Deinde eos *qui in Capitolio et in arce habitarent* in collegium Capitolinum coiisse cum scribat Livius, non obscure significat collegium id incolarum fuisse, id est dempto nomine pagum; quod de Mercurialibus quamquam non traditur, tamen similiter potuit obtinere. Omnino quoniam pagum ad sacra dumtaxat rem publicam habuisse supra demonstravimus, collegium eiusmodi sacrorum causa institutum et pagus quid est quo differant praeterquam nomine? Denique ludi fiunt ab collegiis plane ut a vicis pagisque, et a magistris reguntur et pagi et collegia coniunguntur que fere cum in titulis tum apud Q. Ciceronem de pet. cons. 8, 30: *habeto rationem urbis totius, collegiorum omnium, pagorum, vicinitatum.* Quare ut in titulis Campanis pagorum collegiorumque similis ratio est vidimusque ibi pago Herculaneo sub magistro pagi constituto comprehendi conlegium magistrosve Iovii compagi duodenos, ita in urbanis etiam hoc dicendum erit intra urbem nec pagos fuisse nec nisi publica populi Romani collegia; loca vero intra moenia comprehensa non proprie urbana similiterque suburbana pagos collegiaque eiusmodi

habuisse et in arce maxime, quae in pagi formam sane redigi non potuit, Capitolinorum collegium tamquam pagi vices fecisse. Indidem factum opinor, ut post divisam urbem in regiones quattuordecim vicomagistrosque constitutos non solum pagorum memoria amplius nulla inveniatur, sed ne collegiorum quidem Capitolinorum et Mercurialium.

---

806 tabula ex topho in insula Lycaonia.

L · RVTILIVS · L · L · ARTEMIDO
A · CARVILIVS · L · L · DIODORVS
P · SVLPICIVS · Q · L · PHILOCOM
MAG · CONL · CAPRINA · GALL
EX · D · D · /AC · COERAVER

Fabretti 719, 402, qui videtur vidisse.

5 D · AC traditur.

De hoc collegio quid statuam nescio; hoc notandum titulum prodiisse et ipsum in parte urbis extra quattuor tribus posita.

---

807 ara quadrata cum basi formae peculiaris (v. tabula et Klausenus Aen. 2, 1084) ex lapide Albano. Bovillis (= *le Frattocchie*) rep. c. 1826. Accuratam temporis locique, quibus ara reperta sit, notitiam neque apud auctores reperi nec de ea re certa exploraverunt amici Romae degentes. Niebuhrius (hist. Rom. 1 n. 1240. 2 n. 421) titulum repertum esse scribit in theatro Bovillensi, de quo aliisque aedificiis publicis ibi detectis vide quae in *Giorn. Arc.* vol. 18 (1823) p. 371 sq. 400 sq. narrant Tambronius et Polettius et post hos Klausenus Aen. 2, 1083. Extat Romae in hortis Colonnarum Quirinalibus.



VEDIOVEI · PATREI
GENTEILES · IVLIEI

Ritschl tab. LVI F. Descripsi. Ed. ex *Gazetta di Milano* 12 Iun. 1826 q. n. v. Orelli 1287 (cf. ibi Henzenus vol. 3 p. 1291); Nibby *analisi* (1837) 1, 310; Gell *Rome and its vicinity* 1, 219 (inde Klausen Aen. 2, 1084 tab. 4 f. 4); Canina *via App.* 1, p. 209. 213. 232.

Antica et postica facile leguntur; contra inscriptio intuenti a dextra, satis explicari nondum potuit, quamquam Borghesius Henzenius ego iterum iterumque temptavimus. Litterae VED certae sunt. Has quae excipiunt Henzenio olim visae IN et sic in tabula quoque depictae, eas plane incertas esse nuper lapide denuo examinato idem ad me perscripsit. Deesse vero praeter has usque ad fracturam litterae quinque, quarum non satis certa vel potius nulla vestigia in tabula exhibentur. Deinde post fracturam constare de L (pro qua tabula habet C), post exiguum spatium sequi I (quod in tabula deest), deinde apparere \, id tamen num A olim fuerit, valde dubium esse (tabula A). De postremis litteris ARA constat. Puto sic fere in lapide fuisse: *Vediovei patrei genteiles Iuliei. Ved[iovei Iu]l[e]i. [A]ara leege Albana dicata.*

Bovillae, quae distant ab Alba longa c. VI milibus passuum, post Albam dirutam in eius locum ita videntur successisse, ut cura locorum sacrorum in monte Albano sacerdotumque Albanorum creandorum iis committeretur parsque agri Albani iis attribueretur; nam eo ducit quod in lapidibus aetatis imperatoriae appellantur incolae eius municipii *Albani Longani Bovillenses* (Orell. 119. 2252. 6019) decernitque de honoribus virginis Vestalis Albanae ordo Bovillensium (Orell. 3701), denique post excessum Augusti *sacrarium genti Iuliae*, quam Alba oriundam esse nemo ignorat, *effigiesque divo Augusto apud Bovillas dicantur* (Tac. ann. 2, 41 cf. 15, 23. hist. 2, 95. Suet. Aug. 100). Eodem loco antea quoque aetate liberae rei publicae gentem Iuliam sacra fecisse documento est hic titulus, quem vocalium geminatio ibi admissa septimo saeculo neque anteriorem nec posteriorem esse probat. — *Aara leege Albana dicata* scriptum est fere ut in ara parva Amiternina Henzeni n. 6118: *Larib(us) d(ono) d(ata), Romano more dedicata.*

---

808 in vinea olim Amendola urna quadrata lap. Tib. litt. ant.

MAVORTEI

Descripsit Henzen.

---

809. 810. in columnulis duabus ex lapide Albano effossis in Palatino.

MARSPITER

REMVREINE

Fabrett. 697, 195. 196.

In priore fortasse legendum *Marspiteri* vel *Marspitre;* cf. Priscian. 6, 39 ed. Hertz.: *Maspiter Maspiteris et Maspitris.* Primus casus explicationem non habet. — Deam Remurinam praeterea non novimus; videtur tamen ea coniuncta fuisse cum agro Remurino, quem a Remo possessum esse scribit Festi epitomator p. 276. Cf. Schweglerus hist. Rom. 1, 439.

---

811 in tabella aerea litteris antiquissimis scripto, quae extat in museo Parisino.

//ERERES CA

Huebnerus misit.

Legendum fortasse *[C]ereres ca(stae),* eo magis quod *castus Cereris* non semel nominatur (cf. Fest. p. 154 v. minuitur; Arnob. 5, 16).

812 lamella ahenea utrimque inscripta, quae Roma venit in museum Bononiense.

ab una parte

ITT
III
VII·
W A
ϘVON
VER
ϘVC
CAT

813 *ab altera parte*

*iunon*E · ⱶOVCINAI *m*
*die nef*ASTVD · FACITVD

Ariod. Fabretti misit utramque, secundam edidit in glossario p. 802 ligno expressam.

Antiquioris tituli quae perpauca supersunt elementa formam ostendunt vetustissimam, ut *e* (II), *a*, *r*, maxime *q* figura plane Graeca neque antea quod sciam observata in titulo Latino. — Recentioris, qui et ipse aetatis est satis remotae, versu secundo Fabrettius restituit *arnud castud facitud*, non recte opinor; ego quod posui, et spatio convenit et rei. Nefasti dies intelleguntur proprie sic dicti non religiosi (N), sed feriati (NP), quibus sacra fieri solita esse consentaneum est, quamquam inde minime sequitur non licuisse die comitiali vel adeo fasto sacrum Iunoni Lucinae facere.

814 in lapide rudi terminali oblongo *Winghe;* palus e Tiburtino *Smet.* trans Tiberim reperta *Pigh. Smet.* in hortis Carpensibus *Pigh. Smet. Winghe.*

DEVAS
CoRNISCAS
SACRVM

Pighii cod. Luzac. p. 98; Smet. 32, 13 (inde Grut. 88, 14) qui vidit; Winghe cod. Bruxell. II f. 27 v.; Sirmond ms. Paris. suppl. Lat. 1420 f. 98.

1 DEVAS Sirm., DEVAS Smet. Wingh., DEVAS Pigh. At cum litterarum contignationem in lapidibus haec aetas non admittat, contra E interdum reperiatur figura non quadrata, sed linea recta superius inferiusve paulo eminente, *devas* scriba dare voluit, non *deivas*. — A litterae formam servavit Pighius, o minorem Winghius.

Dativus est pluralis omissa *i*, ut saepe legitur *Fortuna* casu tertio similiaque; v. Ritschl de fictil. litt. p. 26. — De re cf. Festus ep. p. 64: *corniscarum divarum locus erat trans Tiberim cornicibus dicatus, quod in Iunonis tutela esse putabantur.*

815 columella sive basis rotunda Romae non procul a S. Marco *Smet.* vinea Catanea ad vallem Inferni *Fabrett.*

HERCOLI · CELERI · DAT
sertum ex hedera cum corymbis
A · RVTILIVS · P · L · ANTIOCV*s*

Smet. 23, 12; Grut. 45, 6 ex Smetio et mss. Pighii; Fabrett. 659, 502.

2 ANTIOCV Fabr., VTIO Smet.

816 Romae in aedibus Iosephi Costae in Burgo.

Q · MVCIVS · Q · L
TRVPHO · SER
voc
LEIBER · SOL
L · M
BONAE · DEAE
SACR

Gud. ms. 408, 1, ed. 54, 2.

3 addidi.

817 litteris punctatis scr. circa caput marmoreum Minervae ex clupeo prostans; extat Romae in museo Kircheriano.

SEX · Q · VESVIES · Q · SEX · F · D · D

Ritschl tab. I D *d* ad archetypum Marchii iussu delineatum. Ed. Maffei M. V. 261, 14; Brunati mus. Kirch. p. 51; Garrucci *Bull. Nap. N. S.* 1, 12.

Eiusdem patris filii quamquam saepissime sic efferuntur plurali, tamen diversorum patrum filios raro reperies sic coniunctos.

Sequuntur tabellarum plumbearum vel aerearum cum diris inscriptis ad sepulcrum infossarum quae adhuc inventae sunt Latine scriptae, quarum Romana prior et Cumana (quam ne a duabus similibus separarem, hoc loco extra ordinem collocavi) aut extremo liberae rei publicae tempore aut aetate Augusta exaratae sint necesse est; tertiam recentiorem addidi propter similitudinem. Comparandae sunt eiusdem argumenti papyrus Aegyptiaca (Petrettini *papiri Greco-Egizj* p. 1) tabellaeque Graecae (C. I. Gr. 538. 539. 1034 Atticae, 5858 *b* Cumana, *Rhein. Mus. N. F.* 9, 370 Alexandrina) nuperrimeque inventa lamina plumbea Osca (Bull. Nap. N. S. 5, 100). Ceterum non habeo quod addam iis quae de harum imprecationum usu locis citatis citandisve exposuerunt Boeckhius Franzius Henzenius Rossius.

818 lamina plumbea olim duplicata rep. D p. fere a Roma ad sinistram viae Latinae in vinea Manenti inter sepulcra, extat in museo Kircheriano.

pagina priore.

QVOMODO MORTVOS QVI · ISTIC
SIIPVLTVS IIST · NIIC · LOQVI
NIIC SIIRMONARII POTIIST · SIIC ·
RHODINII · APVD · M · LICINIVM
FAVSTVM · MORTVA SIT · NIIC
LOQVI · NIIC SIIRMONARII POSSIT
ITA VTI · MORTVOS · NIIC · AD DIIOS
NIIC · AD HOMINIIS ACCIIPTVS · EST
SIIIC RHODINII · APVT · M · LICINIVM
ACCIIPTA SIT IIT TANTVM VALIIAT
QVANTVM ILLII MORTVOS QVIII

pagina secunda.

ISTIC SIIPVLTVS IIST · DITE PATER · RHODI
TIBIII COMMIINDO · VTI · SIIMPIIR NII
ODIO SIT · M · LICINIO FAVSTO
ITIIM · M IIIIDIVM AMPHIONIIM
ITIIM C · POPILLIVM APOLLONIVM
ITIIM VENNONIA HIIRMIONA
ITIIM SIIRGIA GLYCINNA

Quomodo mortuos, qui istic sepultus est, nec loqui nec sermonare potest, seic Rhodine apud M. Licinium Faustum mortua sit nec loqui nec sermonare possit.

Ita uti mortuos nec ad deos nec ad homines acceptus est, seic Rhodine aput M. Licinium accepta sit et tantum valeat, quantum ille mortuos, quei | istic sepultus est.

Dite Pater, Rhodine tibi commendo, uti semper odio sit M. Licinio Fausto.
Item M. Hedium Amphionem.
Item C. Popillium Apollonium.
Item Vennonia Hermiona.
Item Sergia Glycinna.

Ritschl tab. XVII, 30. Ed. de Rossi *Bullett.* 1852 p. 21; Garrucci *Bull. Nap. N. S.* 1, 183 tab. XIII; Henzen n. 6114.

I, 2 Eadem plane formula redit in lamina Osca, ubi enumeratis compluribus nominibus primo casu subscribitur: *nep fatium nep deicum putians*, id est *nec fari nec dicere possint*. — 3 cf. Gell. 17, 2, 17: '*sermonari* rusticius videtur..., *sermocinari* rectius'. — II, 1 *Rhodine* postea additum esse, ut nomen in diris rediret ter, observavit Rossius.

---

819 lamina plumbea olim in volumen complicata filoque ferreo clausa rep. extra portam Latinam in vinea Aquariorum.

DANAII · ANCILLA · NOICIA	Danae ancilla noicia
CAPITONIS · ANC OSTIAM (H supra ANC)	Capitonis — hanc ostiam
ACCIIPTAM · HABIIAS ·	acceptam habeas
IIT · CONSVMAS · DANAII	et consumas Danae-
NII HABIIS IITYCHIAM (V supra IITYCHIAM)	ne. Habes Eutychiam
SOTIIRICHI · VXORIIM	Soterichi uxorem.

Descripsit ediditque Henzen Bull. 1849 p. 77, inscr. n. 6115.

Precatur quae haec scripsit Ditem Patrem, ut Danaen emptam nuper Capitoni ancillam tanquam hostiam acceptam habeat tabeque consumat, ut idem diris in Eutychiam aliquam scriptis ante satis fecerit. *Danaene* mihi accusativus est ut *Danaenis* genetivo, dativo *Danaeni* passim legitur, item hoc ipso casu *Helpine* in titulo Gud. ms. 234, 2 = Amaduzzi anecd. 4, 540: *quei me reliquit leiberta Helpine annorum natam XIII*; neque nisi propter rarum in lapidibus quarti casus usum factum existimo, ut in accusativo eius metaplasmi exempla inveniantur tam pauca. Haec mea est huius tabellae interpretatio, diversa ab ea, quam l. c. Henzenius exposuit.

820 parva lamina aerea olim duplicata et filo clausa, cuius foramina remanent; rep. Cumis in sepulcro, deinde Neapoli apud Iorium, nunc ibi in museo publico.

NOMEN · DELATVM
NAEVIAE · L · L
SECVNDAE · SEIVE
EA · ALIO · NOMINI
EST

Descripsi edidique I. N. 2915; aeri incidit Avellino Bull. IV tab. 1 n. 3, cf. VI p. 89. Inde Henzen n. 6116.

Nomen Naeviae Secundae apud deos inferos deferri iam intellegitur; cavit tamen dirarum scriptorum secutus usum forensem, falsa demonstratio ne noceret.

---

821 Romae retro S. Onofrium in Ianiculo in vinea *del Pesce* in Tiburtino rudi littera optima atque antiquissima.

'sic' Sm.
CIPPVS · DECMVS · A · CIPPO
DECMO · AD · PRĪMVM · PED
LXXXXVII ·

Smet. 8, 5 qui vidit; inde Grut. 197, 1.

OLLAE EX VINEA S. CAESARII.

'*Nella vigna di S. Cesario posta sulla destra della via Appia nell' uscire di Roma, di ragione dell Collegio Clementino, l'anno 1732 nel mese di Luglio diroccandosi le mura di antichi sepolcri si ritrovò in una camera sepolcrale quantità straordinaria di vasetti di terra cotta insieme uniti e ammonticchiati. Questi vasetti poco più poco meno erano tutti della medesima grandezza, capacità e figura: piccola base, corpacciutelli, collo stretto con labbro allargato, guerniti di un manico, d'once quattro incirca d'altezza: alcuni pochi leggermente inverniciati, qual di color nero, qual di rossigno, la più parte senza vernice, freschi e belli, quasi allora tratti dalla fornace. E notabile l'essersi trovati tutti con in corpo racchiuso un ossicello, scheggia e frammento d'osso umana di maggior mole, bruciato e calcinato e ei fatto entrare per forza, che allo scuotere del vaso imboccava, ma non usciva. Parecchi ne ho tratti fuora afferrandoli con le punte della forbicetta. Ma assai più notabile si è, che tutti erano scritti, ed o dintorno al collo o di sotto verso il maggior ambito del corpo incisi aveano con la punta dello stile caratteri esprimenti nomi per lo più di antiche famiglie Romane, con la data del giorno e del mese. Furono riposti, ma non andò guari, che se ne vide scemo il numero, in guisa che di trecento e più che erano al principio sono in oggi rimasti in numero di soli cento venticinque*'. *Baldini*. In his subtractis fuerunt quinquaginta vascula, quae aliqua apud patrem Contucci, aliqua (nempe n. 830. 880) apud equitem Franciscum Vettori, alia apud Franciscum Ficoroni vidit et exscripsit *Lupius*. Quae penes collegium Clementinum sive clericorum de Somascha remanserunt, hodie aut latent aut perierunt; unicum inde n. 978 habuit Cl. Cardinali. Contra extant in collegio Romano Lupianae pleraeque (exceptis Vettorianis n. 830. 880, item n. 989; cf. n. 881), praeterea nostrae n. 855. 999. Inscriptiones igitur accepimus ex hoc ollario vasculorum CLXXVIII.

Ritschl tab. XV exhibet retento fere ordine Lupiano titulos in collegio Romano superstites de quibus supra dictum est, ab Henzeno aliisque amicis Romae degentibus iterum tertiumque collatos cum vasculis ipsis. Eosdem repraesentavit Garruccius *Bull. Nap. nuovo* vol. 1 tab. XII p. 184 ordine tamen diverso; quam tabulam simillimam Ritschelianae hoc loco praetermisi. Ediderant antea quinquaginta partim incisas partim excusas Antonius Maria Lupi (Severae martyris epitaphium Panormi 1734. p. 86 sq.), centum viginti quinque incisas omnes Iohannes Franciscus Baldinius clericus Somascensis (*saggi della accad. di Cortona* t. II Romae 1738 p. 151 sq.). Quasdam ex utroque excerpsit Lanzi *saggio* 1, 162. Tabulas Lupianas repetiit Ritschl tab. XIV, Baldinianam tab. XIII. Ollis inscripta esse nomina defunctorum diemque facile apparet. Nominum ratio satis antiqua est; nam etsi praenomina vetustiora raro apparent (n. 840. 878. 918), tamen cognomina libertorum praesertim nondum satis invaluerant, cum haec scribebantur. Diem significari eum quo ossa lecta sunt cum similes

quamquam posteriores tituli docent (Mur. 301, 4), tum in ipsis ollis interdum adscribitur corpus positum sepultumve esse (n. 836. 868. 888. 953. 957). Invenitur quidem coniunctus cum die sepulturae mortis dies in olla plumbea Puteolis nuper reperta (Fiorelli *Bull. Nap. N. S.* 4, 106):

CHREMATINE
NVMISIAE ORNATRIX
OBIEIT · VI EIDVS · OCTOBR ·
PAVLLO · FABIO · MAXIMO · Q · AELIO ‖ COS u. c. 743.
OSSVA · CONLECTA · IV · IDVS · OCT
EISDEM COS
DIAPHVRVS · CONSERVAE

nec tamen, ubi unus dies solus nominatur, videtur recte intellegi obitus dies neque eius in his ollis reperi certum exemplum (cf. n. 853. 922. 938). Memorantur menses Quinctilis (n. 841. 870. 946. 958), Sextilis (n. 832. 860. 865. 875. 940. 941), intercalarius (n. 835. 899. 970. 984), semel pro die feriae Portunalinrum (n. 981). Quae non raro leguntur indicationes *a. d. nonas, idus, kalendas* (n. 822. 833. 846. 860. 863. 877. 880. 887. 935. 956. 990. 994) dubitari licet utrum significent nonarum iduum kalendarum an dies pridie, sed illud verum esse cum usus docet tum maxime quod interdum omisso *ante diem* solo quarto casu dies hi significantur (n. 835. 950) eodemque redit quod in olla modo citata scriptum est *Portunalia. A. d. II* quod bis reperitur n. 902. 979 corruptum magis videtur quam pro solito *pridie* positum. — Praeter nomen defuncti primo casu positum (exceptis duobus in quibus est genetivus n. 916. 952 cf. n. 855. 866) et diem rarissime alia adscribuntur: nomen eius qui sepelivit (850), tribus (957), in servis dominus: n. 868 *Petic.*, n. 942 *pub(licus)*; quo item fortasse pertinet *Circensis* n. 847. — Ad aetatem quod attinet, antiquae *o* in casibus secundae vestigium nullum reperitur (nam ex Graeci scriptoris consuetudine repetenda videntur quae huc trahi possunt n. 831. 857) et AI rarum est, sed geminatio plerumque, aspiratio semper fere omissa, nominativus secundae in *i* fere, non in *ius* terminans (cf. *röm. Münzwesen* p. 471), praeterea cognominum rarus usus titulos hos priori potius quam posteriori parti saeculi septimi adsignant. Denique hoc notandum vel ea aetate in his plebeiorum Romanorum titulis reperiri non solum titulum Graecum in hanc quoque syllogen receptum (n. 851), sed, quod multo magis animadvertendum est, Graeci sermonis indubia vestigia in titulis Latinis. Ita n. 857 litteris Graecis scriptus est totus, sermone ita Latino, ut in hoc quoque Δεκεμεω λιβερτωε pro liberto et ἐιω pro *diem* peregrinum scriptorem prodat. Eodem pertinet n. 844 *Dekem(bris)*, cum Latini *k* non retinuerint nisi ante *a* litteram solam, item fortasse *Alfenos Luci(us)* n. 831, *Cua(tus)* pro Quiuto n. 939. Quare quod secundae declinationis casus primus in titulis his non raro invenitur in *is* pro *ius* terminans (*Anaris* n. 832, *Caecilis* n. 842, *Clodis* n. 856, *Ragonis* n. 945, *Remis* n. 946, *Sextilis* n. 954, *Tusanis* n. 971), item rettulerim ad scriptores horum titulorum graecissantes. Nam Graecorum hoc esse Romana nomina in *ius* exeuntia sic mutilare, notum est probaturque maxime titulis bilinguibus, in quibus sociantur Αὐρῆλις et *Aurelius* (C. I. G. 6666), Λίτορις et *Litorius* (C. I. G. 3309); contra in Romanis titulis scriptis aetate linguae excultae et perfectae (nam de primordiis linguae hoc loco non quaeritur) quae reperiuntur similis nominativi rarissima exempla, remotis scilicet iis quae aut ex falsis vel male explicatis lapidibus prolata sunt aut a corruptis incertisve lectionibus repetuntur, ea omnia a scriptoribus graecissantibus proficisci aut certum est aut verisimillimum. Quod probaturum esse confido qui exempla eius nominativi a Ritschelio (de decl. recond. p. 6) composita diligenter examinarit.

---

822 (Baldini 24).

L · AIILI A · DIIIIDVS OCTOB	L. Aeli(us) a(nte) di(em) eidus Octob(res)

823 (Baldini 44).

C · AIIMILI · K · IVNI	C. Aemili(us) k. Iuni(s).

824 (Baldini 25).

D · AIMILNONI · OCTOB	D. Aimil(ius) noni(s) Octob.

825 (Baldini 114).

\A · AIIMILI · ADIXKDIIC	[M.] Aemili(us) a. d. IX k. Dec.

826 (Baldini 63).

A · D · XI K · APR SEX · AEMI	a. d. XI k. Apr. Sex. Aemi(lius)

827 (Ritschl XV 35; Lupi 35, qui non incidit, inde Mur. 1789, 18).

AIIMILIA · AD · III · NON · FE	Aemilia a. d. III non. Fe(bruarias).

828 (Ritschl XV, 41; Lupi 41, qui incidit, inde Mur. 1789, 17).

A · AETEI · A · D · VI · NON MARTIAS	A. Aetei(us) a. d. VI non(as) Martias.

NO Lupi.

829 (Baldini 106).

Q AFRAN · A · D IV N · NOV	Q. Afran(ius) a. d. IV n(on) Nov.

830 (apud Franc. Vettori; Lupi 29 ex parte incisa, inde Mur. 1789, 19; hodie desideratur).

C · ALB · RVTILIVS AD · VIII · K · APR	C. Alb(ius) Ruti[l]us a. d. VIII k. Apr.

C · ALB textus Lupii, CALB tabula. In re incerta malui vocabulum *Rutilius* ex Rutilo sive Rufillo sive Rufino corruptum habere quam praenomen aliquod cognomenve praepositum Galbae vel Calpi fingere, cum praesertim nomina in *-ius* perscripta in his titulis rarissime reperiantur.

831 (Ritschl XV, 34; Lupi 34, qui non incidit, inde Mur. 1789, 20; Garrucci ann. 1860 p. 236).

ALFENOS · LVCI A · D · XII · C · NOEM	Alfenos Luci(us) a. d. XII c(al). Noem(bres)

1 littera post *Alfeno* a Lupio omissa ambigua est inter *s* et *c*; illud praetuli cum Garruccio. Inscriptionem hanc scriptam esse ab homine imperito et fortasse semigraeco ad exemplum n. 844. 856 prodit C · pro K · positum in Kalendarum nota omnino soloecum (cf. n. 836); unde defuncti nomen quoque ita in vasculo effertur ut nullo modo cum Latini sermonis legibus concilietur. Equidem putarim eum dictum esse L. Alfenum, scriptorem vero Romani moris ignarum praenomen et nomini postposuisse et plene scripsisse (cf. n. 906).

832 (Baldini 104).

L · ANAVIS · L · F	L. Anavis L. f.
EIDIBVS · SEX	eidibus Sex(tilibus)

Est *Annavius*, quod postea factum est *Annaeus*.

833 (Baldini 70).

CACILIA	Cacilia
ANIA · A · D · K IAN	Ania a. d. k. Ian.
VITIIDVƆ	·ɐıןıɔɐϽ

Cacilia cognomen videtur; *Ania* est *Annia*.

834 (Baldini 90).

ANΓIA A · D · IIX K	Antia a. d. IIX k(al)
M	M(art.) *vel* M(ai.)

835 (Baldini 21).

DAPO 'NI	D. Aponi(us)
EIDVS INTER	eidus inter(kalares)
M · LVCRII ·	M. Lucre(tius)

836 (Baldini 87, vide tabulam).

PR KN APRONIA	pr(idie) k. N(ov.) Apronia
IKAONO	....
CALINTO	cal(endis) int(ercalaribus) o(ssa)

837 (Baldini 53).

BAEBIA · Q · L · A · D	Baebia Q. L; a. d.
IX · K · OCTOBRIS	IX k. Octobris.

838 Ritschl XV 1; Lupi 1, qui non incidit, inde Mur. 1789, 21).

C · BALONI · K · MAI	C. Baloni(us) k. Mai.

839 (Baldini 71).

C · CAECILIA · D · IV · NOC	C. Caecili(us) a. d. IV n(on) Oc(t).

840 (Baldini 32).

A · D · III · K · IAN	a. d. III k. Ian.
CRATEA · CAECILI · M · L	Cratea Caecili(us) M. l(ibertus)

Est Graecorum Κρατέας.

841 (Ritschl XV, 24; Lupi 24, qui incidit, inde Mur. 1790, 3; vide tabulam).

P · CAIICILIVS	P. Caecilius
A · D · VI · K · QVICTILIS	a. d. VI k. Quictilis.

Primum elementum pingi sic F testantur Kiessling et Henzen; unde recte videtur Lupius pro P habuisse. Tabula potius L litterae speciem praebet.

842 (Ritschl XV, 22; Lupi 22, qui incidit; inde Mur. 1789, 34; citat Garrucci *piombi antichi* p. 78. Vide tabulam).

Q · CAECILIS ·	Q. Caecilis
A · D · VII · IDVS NO	a. d. VII idus No(v.)

Q · LAECILISES Lupius legit.

843 (Baldini 41).

CAECILIA · PRI DIE N · APRI	Caecili apridie n(on.) Apri(les).

844 (Baldini 12).

Ͱ · KAI · ͰI ·	L. Kaili(us)
A · D · IIIEIDVSDEKEM	a. d. III eidus Dekem(bres)

845 (Baldini 94).

M · CAELI CF	M. Caeli(us) C. f.
ADVIIE · MART	a. d. VII e(dus) Mart(ias)

846 (Ritschl XV 14; Lupi 14, qui non incidit; inde Mur. 1789, 24.

M · CALIIO · M · L	M. Caled(ius) M. L
A · D · III DIICBR	a. d. ei(d.) Decbr(es)

1 COLAO Lupi. — 2 A · D · IN tab. — Ritschelius de decl. recond. p. 12 legit vel M · COLIO · M · L vel M . CALIIO · M · L, de dativo interpretatus, Garruccius ann. 1860 p. 236 M · CELIO · M · L, interpretatus de nominativo; ego temptavi: M · CALIID(*ius*) M · L, cum non raro O et D eadem plane forma repraesententur. Fortasse praeterea quae pro separatoria linea accipitur ante alteram M potius pro I littera habenda est, ut in vasculo sit CALIIDL

847 (Baldini 31).

CALIOPA CIRCENSIS	Caliopa Circensis?
A · D XII · K MART ·	a. d. XII k. Mart.

Circensis potest esse cognomen domini dominaeve; ludia nec recte, opinor, dicitur circensis neque officia in titulis his enuntiantur.

848 (Baldini 96).

CAꞁPTANA A · D · XV	Calptana a. d. XV [k.].....

849 (Baldini 60).

L · CANTIN · A · L · ADVIN · MAR

L. Cantin(ius) A. L; a. d. VI n(on.) Mar(tias).

850 (Ritschl XV, 30; Lupi 30, qui non incidit, inde Mur. 1789, 23).

L · CANTVLIVS · MAMERTI	L. Cantulius Mamerti
FECIT	fecit

Titulum similem in hoc columbario habemus nullum, in quo qui iusta fecerit enuntietur. Nota praeterea A Graecanicum.

851 (Baldini 18).

ΚΑΡΝΕΛΔ	Καρνεάδης
ΠΡΟΕΙΔΩΝΙΔ̄	πρὸ εἰδῶν Δ̄ (?)
MARTIΩN	Μαρτίων

852 (Ritschl XV, 16; Lupi 16, qui non incidit; inde Mur. 1789, 22).

CARTILIA · A · D · IX · K	Cartilia a. d. IX k.
MAI	Mai.

CARTIIIA Lupi.

853 (Baldini 58).

L · CATINI · M · F	L. Catini(us) M. f....
M	M(art.) *vel* M(ai).

854 (Baldini 79).

C · CINTI · PRIED	C. Cinti(us) pri(die) ed(us)
MAR	Mar(tias)

855 (Ritschl XV 53).

P CLAVDI M L · PHILOCRATIS	P. Claudi M. L Philocratis
A · D · III · K · NOVBR	a. d. III k. Novbri(s)

Sic emendavit Henzenus; PHILOCRATII et NOVBN tabula. Vereor, ne aliunde provenerit haec olla, nam et ignorat eam Lupius et inter ollas vere Somaschianas una sola est, quae Graecam aspirationem H admittit n. 975 (cf. n. 967) paucissimaeque quae nomen defuncti efferunt casu secundo.

856 (Baldini 55).

P · CLODIS · C · L · PAMPINI	P. Clodis C. l. Pampi[lus]

Pro LVS videtur male lectum esse NI, cum S et I in hac scriptura facile permutentur. Quare non recte olim ipse (dial. p. 230) nuperrimeque Ritschelius (de decl. quadam Lat. recond. p. 11) hoc potissimum titulo usi genetivum agnovimus in *-is* desinentem horum vocabulorum, qui nullus fuit.

857 (Lupi 6, incisa; cf. idem p. 89 n. 6).

CEΞCTOCKΛΩΔIOC
ΔЄKoMoYΛIBERTINOC
ANTIΔIONTЄPTIONNΩNAIC///Є///

Σιξστος Κλωδιος
Δεκεμου λιβερτινος
αντι διον τερτιον νωναις ..ε...

858 (Baldini 99).

COIILIA	Coelia
A · D · XKDIIC	a. d. X k. Dec.

859 (Baldini 100).

CORDIA LF	Cordia L. f.
ADXVK IANVAR	a. d. XV k. Ianuar.

860 (Baldini 30).

C · CORNELI · A · DEID . SEX	C. Corneli(us) a. d. eid(us) Sex(tiles)

861 (Ritschl XV, 23; Lupi 23, qui non incidit).

A · D · X · K · IAN CN · COR	a. d. X k. Ian. Cn. Cor(nelius)

862 (Baldini 14).

L · CORNII'	L. Corne[lius...

863 (Baldini 125, vide tabulam).

IIXSODIVMOI · C · DIICVNII	exsodium... C. Decu[mi](us)
A · PIDIVSIAS ·	a. [d] id. Iu[n]ias

Lectio et interpretatio incertae. *Exodium* num servi nomen sit an aliqua ratione ad exequias pertineat (possis ex sequentibus efficere *Ossa Posita*), non liquet.

864 (Ritschl XV, 18; Lupi 18, qui ex parte incidit; inde Mur. 1789, 25).

DEMETRIVS	Demetrius
P · K · IVN	p(ridie) k. Iun.

865 (Baldini 34).

DIDIA · NON · SEX	Didia; non. Sex.

866 (Baldini 82).

A · D · IV IIIDVS OCT	a. d. IV eidus Oct.
C · DOM DONATI	C. Dom(iti) Donati?

Nomen C. Domitii Donati huic aetati non satis convenit; magis placet *C. Pomponati(us)*.

867 (Baldini 27, vide tabulam).

AAN FABRICIA	Man(ia?) Fabricia
AD IIX IIIDV	a. d. IIX eidu(s)
SIIP'	Sep(tembres)

Praenomen *Mania* fuerit vel *Maior*.

868 (Ritschl XV, 42; Lupi 42, qui partem incidit; inde Mur. 1789, 27).

FELIX · PETIC · SP K FEB	Felix Petic(i) s(e)p(ultus?) k. Feb.
M · CAES · GALIVS	M. Caes(onius) Gal[l]us

M CAESO GALIVS Lupi. — Collata tessera gladiatoria n. 727 a. 694 (*Apollonius Petici sp. k. Apr. L. Afr. Q. Met.*) eius similem hunc quamvis ollae mortuariae inscriptum titulum olim credidi (Dial. p. 45 n. 4) versuque secundo legendum esse conieci CAESOnino GABinio COS, ut significarit scriptor consules a. 696 Pisonem et Gabinium. Quod male posui; neque, ut alia omittam, Caesonini cognomen sic recte usurpatur. Inscriptionem tamen nequaquam expedio, maxime SP neque satis commode explicatur *sepultus*, quamquam conferri potest SP n. 978 = Sept., neque PETIcianus servus publicus similiave probabilitatem habent. Ceterum Lupius iam et spectatus et sepultus proposuit.

869 (Baldini 113).

A · D · VII · EIDVS OCTO	a. d. VII eidus Octo(bris)
L FLAMM	L. Flam[ini](us)

870 (Baldini 3).

FLAVIA · M · F ·	Flavia M. f.
A · D · XVI · K · QVINCT	a. d. XVI k. Quinct.

871 (Baldini 73).

Q FLAVINI AD XKI	Q. Flavini(us) a. d. X[V]I
KAPR	k. Apr.

Malim *Flaminius*.

872 (Baldini 40).

A · FVLVIAAL	A. Fulvi(us) A. A. l.
ADVKAAAR	a. d. V k. [M]ar(tias)

873 (Baldini 67).

D · FOLVI	D. Folvi(us)

874 (Baldini 65).

FVLVIA GALA A · D · V · ID	Fulvia Gala a. d. V id.
OCT	Oct.

Gala est fortasse *Galla*; quamquam fuit etiam *Gali* cognomen in gente Sulpicia testantibus fastis Capitolinis ad a. 511. 588 (cf. triumvir a. a. a. f. f. sub Augusto *Galus* apud Eckhelium 5, 141).

875 (Baldini 9).

AD XIII · K · SIIX T · L · FVRI · L · L ·
a. d. XIII k. Sext. L. Furi(us) L. l.

876 (Ritschl XV, 2; Lupi 2, qui non incidit; inde Mur. 1789, 29).

C · GALI · AD · XII
K · MAR

C. Gali(us) a. d. XII
k. Mar(tis)

G · GALI Lupi. — *Galius* est *Gallius.*

877 (Baldini 54).

A · GELI · A · DNDII

A. Geli(us) a. d. n(on.) De(c.)

Gelius est *Gellius.*

878 (Baldini 16).

NOVI · GRAECI
A · D · IX · DECE ·

Novi(us) Graeci(nius)
a. d. [k.] Dece(mbres)

De praenomine Novii v. librum meum de dial. p. 282, ubi de hoc titulo male iudicavi, nominum ratione huius columbarii nondum satis perspecta.

879 (Baldini 93).

GVBVS · PK · IA
N

Gubus? p(ridie) k. Ia-
n.

880 (apud Franc. Vettori; Lupi 7, qui incidit, inde Mur. 1789, 32).

C · IVNI ALI
ADK IV

C. Iunius A. li(bertus)
a. d. k. Iu(nias)

881 (Ritschl XV, 51).

M · IVNI · A · D · XI
K · SEP

M. Iuni(us) a. d. XI
k. Sep.

Eadem fortasse Lupiana n. 10, non incisa, repetita apud Mur. 1790, 2, quae Ritschelio deest:

TI · MANLI
E · SEP ·

882 (Ritschl XV, 12; Lupi 12, qui non incidit; inde Mur. 1789, 33).

P · IVNI · PR · K · OCTO

P. Iuni(us) pr(idie) k. Octo(bris)

883 (Baldini 72; vide tabulam).

P · IVNI P‹L · A · D · E (P supra E)

P. Iuni(us) P. l.; a. d. e(dus) .....

884 (Ritschl XV, 44; Lupi 44, qui non incidit, inde Mur. 1789, 31).

IVNIA · C · F
A · D · IX · K · NVEM

Iunia C. f.
a. d. IX k. Nuem(bris)

885 (Baldini 119).

IVENTIA · PR · N · IVN

Iuentia pr(idie) n(on.) Iun.

886 (Baldini 35).

LAELIA XKN

Laelia X k. N(ov.)

887 (Baldini 120).

LAELIA ADK
CHORATI · A · D · VK SEP
N

Laelia a. d. k.
C. Horati(us) a. d. V. k. Sep.
N(ov)

Versus primus et tertius videntur iungendi.

888 (Ritschl XV, 50; Lupi 50, qui incidit; inde Mur. 1789, 36).

P LARCI · C L DECEM
HIL ADVIIK
P

P. Larci(us) C. l.
Hil(arus) a. d. VII k. Decem(bris)
p(ositus)

Ritschelius A · D · VII K; de VII dubitari vetuit Henzenus. Garrucci n. 23 nescio quo errore VI K bis posuit sic: — O ante P addit Lupi, commode sane.

DECEM
A · D · VI K
P · VVK

889 (Baldini 117).

PL · ATI · XVK
A · D · DIC

P. Lati(nius)
a. d. XV k. D[e]c.

Temptare possis etiam *positus L. Atilius.*

890 (Baldini 105).

LATIA · IIA AD KAP

Lati[n]ia a. d. k. Ap(rilis)

891 (Ritschl XV, 54).

P · IIC OR

P. Lic(inius) Or .....

II, non H in olla esse monuit Henzenus.

892 (Ritschl XV, 17; Lupi 17, qui incidit, inde Mur. 1789, 38).

LICNIA
A · D · K · MARTIAS
VIII

Licnia
a. d. VIII k. Martias

Scriptor videtur numerum inferius supplevisse.

893 (Ritschl XV, 33; Lupi 33, qui incidit bis, inde Mur. 1789, 35).

P · LIGVRIVS
A · D IV NONAS · APR

P. Ligurius
a. d. IV nonas Apr(iles)

APR in vasculo legi confirmavit Henzenus.

894 (Baldini 62).

LIVIA · AD X

Livia a. d. X .....

895 (Ritschl XV, 9; Lupi 9, qui non incidit, inde Mur. 1789, 37).

LIVIA
A · D · VI · N · O

Livia
a. d. VI n(on.) O(ct.)

VI . . NO Lupi.

896 (Baldini 1, qui vasculum incidi iussit, vide tab. Ritschelii XIV).

LVCILLA T · F
A · D · IV K · MAR

Lucil[i]a T. f.
a. d. IV k. Mar.

Et nominis ratio errorem arguit et consonans geminata.

897 (Baldini 118).

LVCRETIA A·D·XII K·MAA	Lucretia a. d. XII k. Ma(rtias?) (ias?)

898 (Ritschl XV, 4; Lupi 4, qui incidit, inde Mur. 1789, 28. 30).

C·LVRIVS·	C. Lurius
PR·EID DEC	pr. eid. Dec.

1 secundae litterae hastam longiorem esse in vasculo quam exhibeatur in tabula, potius tamen pro L quam pro F eam accipiendam monuit Henzen. — 2 IPR Lupi.

899 (Baldini 46).

C·LVTAT·A·D·IV·EID·	C. Lutat(ius) a. d. IV eid(us)
INTE	inte(rkalares)

900 (Ritschl XV, 40; Lupi 40, qui non incidit).

C·LVTATI QL	C. Lutati(us) Q. l.

901 (Ritschl XV, 11; Lupi 11, qui incidit; inde Mur. 1789, 39).

LVTATIA	Lutatia
AD·IV·KO	a. d. IV k. O(ct)
NAN	....

v. 3 NA Lupi.

902 (Baldini 81).

Q·MAC·ANT·D II III N	Q. Mac.... ant(e) d(iem) ...ei(dus) N(ov.)

903 (Ritschl XV, 48; Lupi 48, qui incidit; inde Mur. 1790 1).

P·MAECI·A·D·XVII·K·FE·	P. Maeci(us) a. d. XVII k. Fe(br.)

Punctum post FE in tabula deest, in vasculo adesse testantur Kiessling et Henzen.

904 (Baldini 121).

P MALIN A D IV K DE	P. Malin... a. d. IV k. De(cembr.)

905 (Baldini 49).

C·MAN	C. Man(lius)
VII IIID·MA	VII eid(us) Ma(rtias?) *vel* Ma(ias)

906 (Baldini 75).

LVCI AMNL	Luci(us) [M]anl(ius)
A·D XII K·NOVEM	a. d. XII k. Novem.

Cf. n. 831. 939.

907 (Baldini 110).

A MARC AD XII K	A. Marc(ius) a. d. XII k.
SE	Se(pt.) *vel* Se(xt.)

908 (Baldini 2).

A·MARCI L·A·D·III·EID·	A. Marc(ius) ... l. a. d. III eid.
NOV·	Nov.

Emendare praestat quam supplere *A. Marcil(ius)*.

909 (Baldini 98).

MARTVRA	Martura
A·D·IX·K·NOEM	a. d. IX k. Noem(bris)

910 (Baldini 6).

M·MEVI	M. Meri(us)
PR·N·DE	pr(idie) n. De(c.)

911 (Ritschl XV, 47; Lupi 47, qui incidit; inde Mur. 1789, 41).

A·MINATI·A·L	A. Minati(us) A. l.
NONII·NOVM	none(is) Noum(br).

912 (Baldini 45).

MINICIA	Minicia
A·D·III EIDS	a. d. III eid(us) S(ex.) *vel* S(ep.).

913 (Ritschl XV, 31; Lupi 31, qui incidit, inde Mur. 1789, 40).

A MINVCI	A. Minuci(us)
FS	
AD IV EIDV	a. d. IV eidu[s] F(ebruarias)

FS om. Ritschl.

914 (Baldini 43).

MINVCIA·AE·IV	Minucia [p](ridie) e(idus) Iu(nias)

915 (Baldini 78).

T·MVNATI·ADVKSEPT	T. Munati(us) a. d. V k. Sept.

916 (Baldini 59).

MVNIAE	Muniae
AD VII K DIICE	a. d. VII k. Dece(mbris)

917 (Baldini 92).

P·NAEVI·A·D·X·K	P. Naevi(us) a. d. X k.
SEX	Sex(tilis)

918 (Ritschl XV, 26; Lupi 26, qui bis incidit, inde Mur. 1789, 26).

DERCINA·NANALARIA	Dercina Nanalaria
IDIBVS·NOVEMBR	idibus Novembr(ibus)

919 (Baldini 97).

LNERI	L. Neri(us)
ADV·KNOV	a. d. V k. Nov.

920 (Baldini 28).

C NOVIVS·A·D XI·K N	C. Novius a. d. XI k. N(ov.)

921 (Baldini 36).

NVMETORIA	Numetoria
A·D·XVII K IVN	a. d. XVII k. Iun.

922 (Baldini 64).

P·NV MOR	P. Num[t]or(ius)
A·D·IV·K·IAVA	a. d. IV k. Ia[n]ua(rias)

Ne explica *mor(tuus)*; neque nomina rariora sic indicantur prima syllaba et facillime excidere potuit littera T fortasse in nexu, ut excidit N in IAVA.

923 (Baldini 42).

CN OBINI·A·D·XIIII·K·SEP	Cn. Obini(us) a. d. XIIII k. Sep.

924 (Baldini 48).

A · D · III · K NOEM	a. d. III k. Noem(bris)
ORATIA	Oratia.

925 (Baldini 10).

M ORBIVS · A · D · IIII · K · DE	M. Orbius a. d. IIII k. De(cembr.)

926 (Baldini 77).

P · ORCVNI · A · D · XV · K · DEC	P. Orcuni(us) a. d. XV k. Dec.

927 (Baldini 50).

M · ORVCVLE	M. Orucule(ius)
MARO	Maro
AD · VI · K · DEC	a. d. VI k. Dec.

Oruculeius est *Aurunculeius.*

928 (Baldini 23).

AD IIX · K SEP	a. d. IIX k. Sep.
OTACILA	Otacil[i]a
A'AI	mai(or?)

929 (Ritschl XV, 45; Lupi 45, qui non incidit, inde Mur. 1790, 4).

C · PACCI · C · L SALVI	C. Pacci(us) C. l. Salvi(us)
PR · NON IAN	pr. non. Ian.

930 (Ritschl XV, 37; Lupi 37, qui non incidit, inde Mur. 1790, 6).

PAPIRI · ARIDIIIDVS · DIICIIBRIS	Papiri(us) [p]rid(ie)eidus Decebris.

931 (Ritschl XV, 38; Lupi 38, qui incidit, inde Mur. 1790, 5).

P · PERCENNI AD · VIII EID	P. Percenni(us) a. d. VIII eid(us)
OCT	Oct(obris)

F (Febr.) pro OCT Lupi.

932 (Baldini 111).

M PERPEA	M. Perpe[n]a
A · D · VII K DEC	a. d. VII k. Dec.

933 (Baldini 26).

C · PESGENNI	C. Pes[c]enni(us)

934 (Baldini 57).

PETI · LIA · DIX K NO	Petili(us) a. d. IX k. No(vembris)

935 (Baldini 88).

TE XNA CLADIII DNO	.... a. d. eid. No(vembris)
PETROIVIA	Petro[n]ia

Initio fortasse legendum est *Tertia C. l.*

936 (Baldini 122).

D · PISID	D. Pisid(ius)

937 (Baldini 17).

POP	Pop(onia?) (ilia?)

938 (Baldini 22).

M · PRID · NON · NOVII	.... prid. non. Nove(mbris)
L · POPIL L · L ·	L. Popil(ius) L. l.

939 (Ritschl XV, 15; Lupi 15, qui non incidit).

CVN · POPONI	Cun(tus) Poponi(us)
A · D · IIII K · MAR	a. d. IIII k. Mar(tias)

CVN pro *Quinto* aperte prodit Graecum.

940 (Baldini 37).

C · PORCI · A · D · III EID · SEX	C. Porci(us) a. d. III eid. Sex.

941 (Baldini 85).

A · PORCI	A. Porci(us)
AD VI K SIIX	a. d. VI k. Sex.

942 (Ritschl XV, 28; Lupi 28, qui non incidit, inde Mur. 1790, 7).

PROTARCVS · P · K F	Protarcus p(ridie) k(al.) F(ebr.)
PVB	pub(licus)

943 (Ritschl XV, 3; Lupi 3, qui non incidit, inde Mur. 1790, 8).

P · PVBLIC · M L	P. Public(ius) M. l.
P · ROTIIM	Protem(us)

Cognomen PROTEMVS redit in Campana n. 571 bis alibique.

944 (Baldini 108).

QVINCTIA AD XIV K · OCT	Quinctia a. d. XIV k. Oct.

945 (Baldini 47).

L · RAGONIS	L. Ragonis

946 (Baldini 68).

C · REMIS AD · V · E · Q	C. Remis a. d. V e(dus) Q(uinct.)

Remis est *Remmius.*

947 (Baldini 8).

P · L · L	P · ROCIVS	P. L. l(ibertus)	P. Rocius
	ANT · DIII		ant(e) die(m)
	XI · K · MATI		XI k. Ma[r]ti(as)

948 (Baldini 84, vide tabulam).

RVFILIA	Rufilia
+|X	...

949 (Baldini 83).

A D XI K M	a. d. XI k. M(artias?) (aias?)
ROSC	Rosc(ia)

950 (Baldini 102).

RVBRIA	Rubria
EIDVS APRILIIS	eidus Apriles

951 (Baldini 11).

SAL · AL · L · N · AAI	Sal(via) A. L. l.; n(on.) Mai.

952 (Ritschl XV, 25; Lupi 25, qui non incidit, inde Mur. 1790, 9).

PAVLLAE · SALVIAE	Paullae Salviae

953 (Baldini 123).

SADXIIKOC	s(epulta?) a. d. XII k. Oc(t.)
SALVIA POSİVV	Salvia Posi[la]

954 (Ritschl XV, 5; Lupi 5, qui incidit, inde Mur. 1790, 10; Garrucci piombi p. 78).

M · SIICTILIS	M. Sectilis
A · D · VII · K · N	a. d. VII k. N(ov.)

1 post M punctum videri esse monuit Henzen. — 2 in fine N Garr. Ritschl; IV Lupi.

955 (Baldini 38).

SEIA A	Seia

956 (Baldini 112).

M · SIIPRONI · ADK SIIPTE	M. Sepronі(us) a. d. k. Septe(mbr.)

957 (Ritschl XV, 27; Lupi 27, qui incidit, inde Mur. 1790, 11).

A · D · IV · IIID · DEC ·	a. d. IV eid. Dec.
M · SEMPRONI · L · F · TER	M. Semproni(us) L. f. Ter(etina)
OSSIVA	ossiva

958 (Baldini 4).

TI · SEPR · AD XVI · QVI	Ti. Sepr(onius) a. d. XV [k.] Qui(nct.)

959 (Baldini 103).

CN SERVILII A · D · IV ·	Cn. Servil[i](us) a. d. IV
NONSE	non(as) Se(xt.) vel Se(pt.).

Punctum pro altero I habuit descriptor, nisi praestat emendare SERVILIS.

960 (Baldini 76).

SERVILIA · A · D · IIX ·	Servilia a. d. IIX
EIDV MAR	eidu(s) Mar(tias)

961 (Baldini 5).

A · D · V · K · APRILIS · SERVILIA	a. d. V k. Aprilis Servilia.

962 (Baldini 109).

SPVRIA · ALIB	Spuria A. lib(erta)
A · D · V · K · NOVM	a. d. V k. Noum(bris)

Cf. nummi supra n. 303 inscripti *A. Spuri.*

963 (Baldini 7).

T · SVLPICI · L · L	T. Sulpici(us) L. l.
A · D X K MART	a. d. X k. Mart.

964 (Baldini 33).

M · TERENTI · AD · VII · KD	M. Terenti(us) a. d. VII k. D(ecembris)

965 (Baldini 13).

TETTIA GVMNA	Tettia [C]umana
A · D · VI EID · F	a. d. VI eid. F(ebr.)

966 (Baldini 80).

L · TISA AD XII K SEP	L. Tisa .... a. d. XII k. Sep.

967 (Baldini 95).

TIHE NON · OCTO	Tithe (?) non. Octo(br.)

Graecum Τίτθη non comparaverim.

968 (Ritschl XV, 39; Lupi 39, qui non incidit; inde Mur. 1790, 12).

TITINIA · A · P · VII · K · MAR	Titinia a. [d.] VII k. Mar(tias)

969 (Ritschl XV, 13; Lupi 13, qui non incidit, inde Mur. 1790, 14).

Q · TITINI · A · D · IIX	Q. Titini(us) a. d. IIX
K · IVN	k. Iun.

AD · XII Lupi.

970 (Baldini 69).

TVRRANIA · A · D · VII · EID	Turrania a. d. VII eid.
INTERK	interk(alares)

971 (Ritschl XV, 19; Lupi 19, qui non incidit, inde Mur. 1790, 13).

T · TVSANIS	T. Tusanis
A · D · III · E · O	a. d. III e(id.) O(ct).

P · TVSANIVS Lupi.

972 (Baldini 19).

T · TVTILI · AD · IIXEID · S	T. Tutili(us) a. d. IIX eid. S(ext.?) (ept.?)

973 (Ritschl XV, 43; Lupi 43, qui non incidit, inde Mur. 1790, 15).

C · VALERI · C · L · BARNAES	C. Valeri(us) C. l. Barnaes
A · D · X · K · DEC	a. d. X k. Dec.

BARNAES, qua de lectione dubitari vetuit Henzenus de ea interrogatus, item reperitur in titulo Romano bonae aetatis Grut. 632, 1, quod adnotavit Ritschelius (de decl. recond. p. 21), quamquam plerumque legitur et apud Graecos et apud Romanos Βαρναῖος, *Barnaeus*. Idem (l. c. p. 8) illud recte videtur explicasse per contractionem, quamquam hoc fortasse addere debuit contractiones eiusmodi a Romana consuetudine alienas in Syrorum barbarorumque vocabulis efferendis se continuisse.

974 (Baldini 39).

CN · VALIIR	Cn. Valer(ius)
AD IIX EID DECMB	a. d. IIX eid. Decmb.

Incertum num legendum sit DECIIB an DECMB.

975 (Ritschl XV, 49; Lupi 49, qui partem incidit, inde Mur. 1790, 16 et 18).

L VALERIVS · SPINHHER	L. Valerius Spin[t]her
A · D · K · II · IVN	a. d. ... Iun.

Fortasse in vasculo esse SPINTHER notavit Henzenus. Pro K · II ·, quod et Lupius et Ritschelius exhibent, fortasse scribendum fuit III vel P · II, *eidus* vel *pridie eidus*.

976 (Baldini 101).

ADI · VII · IIIDVS · IVN	a. di(em) VII eidus Iun.
C	....
CN · VARCN F	Cn. Var.... Cn. f.

977 (Ritschl XV, 32; Lupi 32, qui non incidit, inde Mur. 1790, 17).

M · VERGVLEI ·	M. Verguleí(us)
A · D · VI · EID · MAR	a. d. VI eid(us) Mar(tias)

978 (Baldini 51; deinde apud Clem. Cardinali, v. *iscr. ined.* n. 118, *iscr. Velit.* p. 232).

Baldini	*Cardinali*	
VESPICIA AP	VESPICIA · PR	Vespicia pr(idie)
E	E SP	e(id)
SP		S[e]p.

979 (Baldini 107).

C VILI AD II K NO	C. Vili(us) a. d. II k. No(v)
IV	....

Villius est.

980 (Ritschl XV, 21; Lupi 21, qui non incidit, inde Mur. 1790, 19).

A · D · IIX · K · IAN	a. d. IIX k. Ian.
VINVLEIA ⁎	Vinuleia ..

Lupi sic edidit:

A · D · IX
VINVLEIA ⁎

Ritscheliana tabula v. 1 extremo KMA, quod emendaverunt Kiesslingius et Henzenus.

981 (Ritschl XV, 8; Lupi 8, qui non incidit).

PORTVNALIA
MARTA PLOTICA

Lupi FIOTICA. — Portunalia dies est XVI k. Sept. Cognomen notum est; nomen non extrico.

982 (Ritschl XV, 36; Lupi 36, qui incidit, inde Mur. 1789, 16).

HIMINIS · TERE ·
A · D · XIII · K · MAIAS

Hymnis Terentia fortasse subest; sed expectaveris HVMNIS.

983 (Baldini 86).

A D IV IIIDVS OCT
L
COMVSSVNTI

984 (Baldini 74).

F A R N V A
EID · INTERKAL

985 (Baldini 61).

LVNI · VLVI

986 (Baldini 115).

TORI · A · D · IIX K DEC

Fortasse Numitorii.

I

987 (Baldini 89).

A · D VIII ATol · KOΔ
EIDV ÆRIL

988 (Baldini 15).

RTELA · \A

989 (Lupi 46, qui incidit; hodie desideratur).

A · DIIIID · IV	a. d. III id. Iu(n.)
M BORI	M. Bori(us)

Lupius legit M · FLORI.

990 (Baldini 124, vide tabulam).

F · PR · II₂ NON
IAA A D K SEP

991 (Baldini 116).

SIIS A D XVII K NOV

992 (Baldini 56).

CIL · L · V
A · D · XIII K DEC

993 (Baldini 91).

IXIA
K NOVE

994 (Baldini 29, vide tabulam).

ILRARI ·
A · DEI ·

995 (Baldini 20).

AR · GA · I

996 (Baldini 52).

AM

997 (Lupi 20 qui incidit, melius Ritschl XV, 55; apud Garruccium n. 19 K OCT suum versum occupat).

HIRADXII K OCT
A

998 (Baldini 66).

A · D · VII K SEXTILIS
A · D · VII · K
SEXTI

999 (Ritschl XV, 52).

C · GEMVO
AD · VII · EI · IV

Genuo vel potius *Gemio* legit Ritschelius de decl. rec. p. 12, de dativo interpretatus. At tam incertae explicationis titulus, in quo etiam praenomen male scriptum offendit, non sufficit ut una cum gentilicio novo casum etiam tertium praeterea in ollis his nusquam repertum admittamus. Potius igitur, nisi scriptor plane nomen perturbavit, cogitarim de C. aliquo Gennonio.

28

Sequentes tres inscriptiones reperiuntur apud Caylusium (*recueil* 4, 200): *Je possède,* inquit ille, *trois petits vases de terre cuite écrits avec la pointe de quelque instrument.* Addit Roma se eas habuisse videnturque profectae ex columbario S. Caesarii, nisi ad earum ollarum exemplum fictae sunt. Incidit ex iis solam primam tab. 64 n. 5 in vase 2 poll. 10 lin. alto, 2 poll. 1 lin. lato inscriptam. Tam corruptae sunt omnes, ut ab iis emendandis abstinuerim.

1000 A · D · I · K · OCT
COSVACTIE
AQVILEIAE

1001 VC · C · X · A · D · V · EID · M

1002 FPIAIIIOL · ORIVANA
A · D · VIII · K · F ·

Idem fere valet de vasculis tribus cretaceis cum titulis inscriptis stilo, quae Regensburgi apud Steiglehnerum fuerunt, sunt nunc Monachi in antiquario.

1003 AA · FVRI · A · D · XVI
K · N ·

1004 hodie bipertita

LA+NRK
FP[illegible]

1005 CL · VALERIO
AD · IIIK · FEB

Contuli. Ed. Hefner *Verhandlungen des Regenkreises* XIII, 75 = *Oberbair. Archiv* 7, 293 = *Röm. Baiern* ed. 3 p. 279 n. 484—487. Tertia cum propter nomen Claudii Valerii inauditum tum propter dativum mihi creditur falsa; duae reliquae, maxime prima magis est ut genuinae sint.

1006 litteris saeculi fere septimi; Romae rep. in via Appia.

HOC · EST · FACTVM · MONVMENTVM
MAARCO · CAICILIO
HOSPES · GRATVM · EST · QVOM · APVD
MEAS · RESTITISTEI · SEEDES
BENE · REM · GERAS · ET · VALEAS
DORMIAS · SINE · QVRA

Ritschl tab. LXIX D. Ed. Henzen *Bullett.* 1851 p. 72; Ritschl *Rhein. Mus. N. F.* 8, 288; Canina *via App.* 1, 129. 226.

Affectatae antiquitatis, sed scite factum epigramma, quod sic legendum:

Hoc ést factúm monuméntum Maárco Caicilio
Hospés, gratum ést quom apúd meas réstitistei seédes
Bene rém gerás et váleas dórmiás sine qúra.

Nota cognomen omissum ad consuetudinem antiquissimorum.

1007 Romae in capite pontis S. Bartholomaei (sive Iudaeorum) *Iuc. Maz.* trans Tiberim apud domum Petri Matris *Citt.* p. 5 'in calcem redactum esse puto' *Smet.*

HOSPES · QVOD · DEICO · PAVLLVM · EST · ASTA · AC · PELLIGE
HEIC · EST · SEPVLCRVM · HAV · PVLCRVM · PVLCRAI · FEMINAE
NOMEN · PARENTES · NOMINARVNT · CLAVDIAM
SVOM · MAREITVM · CORDE · DILEXIT · SOVO
GNATOS · DVOS · CREAVIT · HORVNC · ALTERVM
IN · TERRA · LINQVIT · ALIVM · SVB · TERRA · LOCAT
SERMONE · LEPIDO · TVM · AVTEM · INCESSV · COMMODO
DOMVM · SERVAVIT · LANAM · FECIT · DIXI · ABEI

Iucundus cod. Ver. f. 9, cod. Magl. f. 33 r.; Mazoch. 154, 1 coll. addendis (notavi Maz. 1. 2); Apian. 241, 2 coll. add.; Cittadinus in cod. Veneto p. 5. 71, item *della vulg. lingua* f. 30 r. (notavi Citt. 1. 2. 3); citat Pierius Valerianus ad Virg. Aen. 4, 649; Manut. orth. 579, 1 (inde Augustinus dial. ed. 1587 p. 406); Smet. 127, 13 (inde Grut. 769, 9; Pigh. ms. f. 4 a Martino) qui negat se vidisse; Fabric. ed. 1587 p. 110; Boissard 4, 49; Burmann anthol. 4, 147 adhibitis exemplis codicum Moroniani, Medicei, Meermannianorum duorum, Perottiani, Bucheliani, Huydecoperiani; Osannus p. 529 ex cod. Riccardiano; Orell. 4848 ex Gorii xeniis; Meyer n. 1276; ut alios mittam.

Titulus cum ante Smetium interierit, reiectis auctoribus recentioribus omnibus schedarumque incertarum vulgarium corruptarum ingenti turba redii ad tria exempla, quae fidem habent, Iucundianum satis bene exceptum, Cittadinianum loci indicatione diversa a reliquis distinctum, denique Mazochianum ab addendorum auctore diligente et perito homine cum lapide collatum et sine dubio omnium, quorum mihi copia est, optimum.

1 DEICIO Citt. 1. — PAVLVM Citt. 1; firmat geminationem Pierius diligens descriptor, qui huius vocabuli causa citat. — PELLIGE Iuc. Maz. Pier., PELLEGE Citt. — 2 SEPVLCHRVM Iuc. Ver. (non Magl.) — HAEC pro HAV dicitur legi apud Iucundum, errore opinor. — PVLCRAI Iuc. Citt. 3, PVLCHRAI Maz. Citt. 1, PVLCRAE Citt. 2. — FEMINAE Iuc. Maz. Citt. 2, FEMINE Citt. 1, FEMINAI Citt. 3. — 3 NOMINARONT Citt. 3 itaque in ms. eius emendatum est. — 4 DILEXIT Iuc. (Magl.) Maz. 2 Citt. 1, DEILEXIT Iuc. (Ver.) Maz. 1 Citt. 2. 3. — SOVO Iuc. Maz. 2 Citt. 2. 3, SOV Maz. 1, SEVA Citt. 1. — 6 LIQVIT Iuc. Magl. — 7 om. Citt. 3. — AVTEM om. Citt. 2. — 8 LANAM om. Citt. 1. — ABI Citt. 1. — Animi causa adscripsi octo quos elaboravit Osannus senarios ut ait iambicos:

Hospes, quod dico paulum est, asta ac pellige.
Heic est sepulchrum heu! pulchrum pulchrae foeminae:
parentes nominaverunt Claudiam. Suum
maritum corde dilexit suo: duos
natos creavit; horum alterum
in terra linquit, alium sub terra locat.
Sermone lepido, tum autem commode domum
servavit, lanam fecit. Dixi: abi, vale.

quibus merito subscripseris nonum hunc:

Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcri carminis.

1008 Romae in hortis Caroli Stellae *Pier.* in domo D. Marci de insula *Maz.* in insula Tiberina *Man.* in insula Tiberina in saxo Tiburtino oblongo ad ostium figlinae cuiusdam transversim erecto *Smet.*

VLIA · QVINCTI · RANCI · FEILIA
IBERTI · PROTI · QVOI · FATVM · GRAVE
PARCAE · AC · FINEM · VITAE · STATVERVNT
ET · BIS · DECEM · ANNEIS · NATA · INDIGNITER
ONCEPIT · LEIBERVM · SEMEN · DVPLEX
PARERET · PATRONO · AVXSILIVM · AC · DECVS
TA COMMODA · ATQVE · INCOMMODA
MORS · ERIPVIT · SVEIS · PARENTIBVS
VMMO · IN · LVCTV · AC · SOLLICITVDINE
RIO · GNATAE · FLETVS · IN · DIES

EDVNT · SIBEI · ESSE · TALEM · EREPTAM · FILIAM
PATER · MEI · ET · GENETRIX · GERMANA · ORO · ATQVE · O
DESINITE · LVCTV · QVESTV · LACRVMAS · FVNDERE
SEI · IN · VITA · IVCVNDA · VOBEIS · VOLVPTATEI · FVEI
VIRO · ATQVE · AMEICEIS · NOTEISQVE · OMNIBVS
NVNC · QVONIAM · FATVM · SE · ITA · TOLIT · ANIMO · VO
AEQVO · VOS · FERRE · CONCORDESQVE · VIVERE
QVAS · OB · RES · HOC · MONVMENTVM · AEDIFICAVIT
SVAE · GNATAE · SIBEIQVE · VXORI · HANC · CONSTITVIT
AETERNAM · VBEI · OMNES · PARITER · AEVOM · DEGERE

Pierius Valerianus ad Virgil. Aen. 1, 594 affert 2, 2—5; Mazoch. 152, 1 collatis addendis (notavi Maz. 1. 2); Manut. orth. 474, 3; cod. Pigh. Berol. f. 4; Smet. 127, 10 (inde Grut. 979, 1) q. v.; Grut. 942, 2 (Petrus Victorius exscripsit primum, inde Metellus, ex cuius schedis descripsit Gutenstenius); codex Perotti apud Burmannum anth. 4, 234, in quo deest pagina prior; Meyer anth. n. 1341.

Optima exempla Pighianum Smetianum Manutianum Mazochianum alterum, minus bona Mazochianum prius Perottianum, pessimum Metellianum. — I, 1 IVLIA Man. Met. — Gentem Ranciam habet praeterea Fabrett. 641, 356. — FILIA Man., FEILI Maz. 1, FIL Met. — 2 ERT · EROTI Met. — 3 ARCAE Maz. 1, RCAE Man. Pigh. — 4 T Maz. 1 Met. — 5 NCEPIT Maz., CEPIT Met. — LIBERVM Met. Man. — DVPLEX om. Met. in lacuna. — 6 ARERET Met. — DECVS · ET · AVXVLIVM Met. — 7 TA om. Met. — ATQ · INCOMMODA .... Met. — 8 ORS Pigh. Man. — 9 MMO Pigh., VMMO Man., MMO Smet. Maz., MO Met. — SOLICITVDINE Maz. 1, SOLLIC ..... Met.

II, 1 EDVNT Pigh. Man. Perott., .. EDVNT Maz. Smet., ... EBVNT Met. — ESSE om. Perott. — FILIA Maz. 1. — 2 om. Perott. Met. — O in fine solus Pierius habet. — 3 QVESTVQ · Met. — 4 VOBIS IVCVNDA Perott. — VOBIS · VOLVPTATEIQ · FVI Met. — 5 ATQ · AMICEIS · NOTISQ · OMNIBVS ... Met. — 6 SE · FATVM Met. — TOLLIT Man. — 6 VO Maz. 2 Pigh. Man. Smet., V Maz. 1, VOLO Met. — 7 ET · CONCORDES Met. — VLNERE Maz. 1. — 8. 9 om. Met. in lacuna. — 10 VRBEI Man. — PARITER · AEVOM · DEGERE Pigh. itaque, sed DEGE, Man., item, sed DEGANT, Perott. Contra in PARITER finiunt Maz. Smet., in OMNES Met.

Pulchrum carmen ita supplevit et emendavit Hauptius:

Heic est sepulta Quincti Ranci feilia,
*Quincti le*iberti, Prot*e*, quoi fatum grave
crudeles Parcae ac finem vitae statuerunt,
*vix quom esse*t bis decem anneis nata, indigniter.
nam quod concepit leiberum semen duplex
quom iam patrono pareret, auxsilium ac decus
*futurum ad cun*cta commoda atque incommoda,
immitis mors eripuit sueis parentibus.
nunc illi summo in luctu ac sollicitudine
*prae desider*io gnatae fletus in dies
edunt, sibei esse talem ereptam filiam.
'pater mei et genetrix germana, oro atque *obsecro*,
desinite luctu questu lacrumas fundere.
sei in vita iucunda *ac* voluptatei fuei
vobeis viro atque ameiceis noteisque omnibus,
nunc quoniam fatum *se* ita tolit, animo *volo*
aequo vos ferre concordesque vivere.'
quas ob res hoc monumentum aedificavit *pater*
gnatae, sibique *et* uxori hanc constituit *domum*,
aeternam ubei omnes pariter aevom degere*nt*.

2. 'si primum versum recte restitui, in hoc altero nomen mortuae requiritur. itaque PROTI mihi videbatur esse *Prote*. Πρώτη anth. Pal. V 108, *Prota*, *Prote* inscr. Neap. 344. 1287. 1922. 2995. 3656'. *Hauptius*.

5sq. 'Proten inter pariendum extinctam esse servatae versuum partes satis ostendere videntur. cetera tum demum capio, si putamus eam patroni, cui geminos peperit, contubernalem fuisse. contubernio, non matrimonio, iunctam fuisse patrono propterea statuendum est quod contubernalis nomen reticeri potuisse facilius intellegitur quam coniugis'. *Hauptius*.

6. '*patrono pareret* mutato verborum ordine scribendum fuit propter numeros versiculi. traiectione verborum peccavit lapidarius v. 14 ss. hic ut peccaret in causa fuisse videntur eadem *patrono* et *pareret* vocabulorum initia'. *Hauptius*.

14. 15. 'hos duos versus restituit Schraderus in Burmanni anth. Lat. II p. LXX, nec dubitari potest lapidarium traiecto *vobeis* et omisso propterea *ac* utrumque versum pervertisse'. *Hauptius*.

18. 19. '*pater* necessario addendum esse Schraderus l. c. vidit, itaque *suae* non ad hunc versum retraxit, sed delevit, additum illud a lapidario qui ad numeros parum attendit'. *Hauptius*.

18—20. 'huius epitaphii tres ultimi versus post undecimum sunt collocandi; cohaerent enim'. *Schraderus* l. c.

1009 *'fu nella villa Hadriana nel theatro dell' achademia'* Ligor. fraude ut videtur. Ex aedibus Colotianis illata in domum Gentilis Delphinii ad forum piscarium *Smet. Manut. al.* in aedibus quae fuerunt Ursini *Gudius*, hodie in villa Altieria.

EVCHARIS · LICINIA*E* · *L*
DOCTA · ERODITA · OMNES ARTES · VIRGO · VIX*IT* · *AN* · *XIIII*
HEVS · OCVLO · ERRANTE · QVEI · ASPICIS · LETI · DOMV*S*
MORARE · GRESSVM · ET · TITVLVM · NOSTRVM · PERLEGE
AMOR · PARENTEIS QVEM · DEDIT · NATAE · SVAE
VBEI SE RELIQVIAE CONLOCARENT · CORPORIS
HEIC VIRIDIS · AETAS · CVM · FLORERET · ARTIBVS
CRESCENTE · ET AEVO · GLORIAM · CONSCENDERET
PROPERAVIT · HORA · TRISTIS · FATALIS MEA
ET DENEGAVIT · VLTRA VEITAE SPIRITVM
DOCTA · ERODITA · PAENE · MVSARVM · MANV
QVAE · MODO · NOBILIVM · LVDOS · DECORAVI CHORO
ET · GRAECA · IN SCAENA · PRIMA · POPVLO · APPARVI
EN · HOC · IN TVMVLO · CINEREM NOSTRI · CORPORIS
INFISTAE PARCAE · DEPOSIERVNT · CARMINE
STVDIVM PATRONAE · CVRA · AMOR · LAVDES · DECV*S*
SILENT · AMBVSTO · CORPORE · ET · LETO · TACENT
RELIQVI · FLETVM NATA · GENITORI · MEO
ET · ANTECESSI · GENITA · POST · LETI · DIEM
BIS · HIC · SEPTENI · MECVM · NATALES DIES
TENEBRIS TENENTVR · DITIS · AETERNA DOMV
ROGO · VT · DISCEDENS · TERRAM · MIHI DIC*AS* · *LEVEM*

Ritschl tab. LXXXI ex lapide hodie in v. 1. 2. 3. 16. 21. 22 effracto. Descripsi ipse. Exhibent cod. Victorii Monac. f. 114; Manut. orth. 480, 1; Ligor. ms. Taur. 23; Iacobon. app. ad Font. 123; Smet. 129, 1 q. v.; Augustinus dial. ed. 1587 p. 394 q. v.; Boissard 5, 100; Cittadini *della vulg. lingua* f. 30 v.; Grut. 655, 1 ex Smetio et Boissardo; Gudius qui vidit apud Burmannum loco citando; Bellori philosoph. poet. rhet. imag. (Rom. 1685 fol.) n. 47; Visconti *iconogr. Grecque* t. 1 p. 443 ed. Mediol.; Orell. 2602 ex Visconti; Burmann anth. 4, 353 adhibitis schedis Pighii et Gudii; Meyer n. 1437.

Ad ea quae extant v. l. non affero. Accentus v. 3. 9. primus animadvertit Ritschelius, nisi quod Boissardus ε in *leti* et *leto* v. 3. 17. 19 apice signavit. Effracta hodie ab antiquioribus ex ipso marmore excepta esse Smetii Gudiique aliorumque bonorum descriptorum auctoritas dubitare non sinit; quamquam mirum est vel antiquissimum inter eos Victorium, item Boissardum ad primos versus lacunae signa apposuisse. Fortasse quae ibi desunt hodie legebantur in frustulo a reliquo marmore separato et casu Victorio Boissardoque non viso. — 1 LICINIAE · L antiqui omnes praeter Victorium qui LICINIAE ... et Boiss. qui LICINI; LICINI/ deprehendi ego; LICINI{ tabula. — 2 VIXIT · (T eminentem notaverunt Smetius et Manutius et Gruterum emendans Gudius) AN · XIIII antiqui omnes praeter Victorium et Boissardum, qui VIX .... — 3 pro OCVLE, quod primum scripserat, quadratarius reposuit OCVLO, unde multi descriptores illud dederunt. — DOMVS antiqui omnes praeter Victorium qui DOMV .... — 15 INFISTAE cum tabula Manut. Smet. Boiss. — 16 DECVS antiqui, etiam Boiss. et ni fallor Victorius. — 17 TACENT, non IACENT, lapis. — 19 iunge: *et antecessi, genita post, leti diem*; quod moneo, quoniam quidam apud Orellium (non Viscontius) male emendavit *leti domum*. — 21 DOMV antiqui omnes cum Victorio, nisi quod Gudius DOMO, Boiss. DOMVS. — 22 DICAS · LEVEM antiqui omnes, etiam Vict., DIC ... unus Boiss.

De Graecis ludis exposui in hist. Rom. 3, 607 not. Errore Viscontius lapidem hunc, quem aetatem sive Ciceronianam sive Augustam incipientem spirare ipse agnovit, ad Neronis ludos iuvenales revocavit, eo motus quod ludos Graecos ante hos Romae factos esse non traditur. — Protomae quae circumfertur subscriptio ΕΥΧΑΡΙϹ ΛΙΚΙΝ (Visconti l. c. tab. XXXVII) sine dubio recens incisa est, quamquam eam Franzius male admisit (C. I. Gr. 6053).

1010 Romae in villa Peluccbi.

PRIMAE
POMPEIAE
OSSVA · HEIC
FORTVNA SPONDET MVLTA
MVLTIS · PRAESTAT · NEMINI · VIVE IN DIES
ET HORAS · NAM PROPRIVM EST NIHIL
SALVIVS ET EROS DANT

Oderici p. 41 qui descripsit cum Lesleo 1756. — Carmen hoc est:

Fors spondet multa multis, praestat nemini;
Vive in dies et horas, nam proprium est nihil.

1011 in lapide Tiburtino *Fabr.* Romae *'ritrovata nel* 1593 *in un antico sepolcro nella via di S. Agnese da man sin. un trar di pietra lungi dalle mura' Cittad.*; nostra memoria effossa ad portam Salariam via vetere Nomentana *Sirmond.*; in horto Sabunantiorum trans Tiberim *Don.* similiterque *Heins.*; in hortis ad Arenulam olim Sabunantiorum, hodie de Vecchis *Fabr.* apud Vecchios trans Tiberim *Ptol.* Videtur periisse.

// AVRELIVS · L · L
HERMIA
LANIVS · DE · COLLE
VIMINALE
HAEC · QVAE · ME · FAATO
PRAECESSIT · CORPORE · CASTO
CONIVNXS · VNA · MEO
PRAEDITA · AMANS · ANIMO
FIDO · FIDA · VIRO · VEIXSIT
STVDIO · PARILI · QVM
NVLLA · IN AVARITIES
CESSIT · AB · OFFICIO

AVRELIA · L · L

vir
stans

mu-
lier
stans
viri
dex-
tram
utra-
que
manu
prehendit

AVRELIA · L · L
PHILEMATIO
VIVA · PHILEMATIVM · SVM
AVRELIA · NOMINITATA
CASTA · PVDENS · VOLGEI
NESCIA · FEIDA · VIRO
VIR · CONLEIBERTVS · FVIT
EIDEM · QVO · CAREO
EHEV
REE · FVIT · EE · VERO · PLVS
SVPERAQVE · PARENS
SEPTEM · ME · NAATAM
ANNORVM · GREMIO
IPSE · RECEPIT · XXXX
ANNOS · NATA · NECIS · POTI
ILLE · MEO · OFFICIO ƐOR
ADSIDVO · FLOREBAT · AD · OMNIS

Cittadini *della volg. lingua* f. 29 v. (inde per Wonwerium Grut. 1046, 6); Sirmond. ms. Paris. suppl. Lat. 1419, 458 parum accurate (unde v. l. mihi non omnis notata est), idem ad Sidon. Apoll. 2, 8 citat 2, 1—6; Donius cod. Vat. 7113 f. 91 manu ignota, unde pendent Heinsii schedae apud Burmannum anth. 4, 160, quae dicuntur descriptae ex Ligorio, errore; Fabrett. 421, 388 ex lapide ubi anaglyphum buxo incisum exhibetur; sched. Ptolemaei 2, 503, inde male Mur. 1522, 2 addita uno loco v. l. Scarmaglii incisoque item anaglypho. Meyer n. 1289.

Exempla tria mihi suppetunt Cittadinianum Ptolemaeum, a quo Donianum vix diversum est, Fabrettianum. — I, 1 praenomen deesse nemo notavit. — 2 FILERMIA Ptol. Don. — 3 LANIVS Fabr., ENNIVS Ptol. Don., NVS Citt. — 5 FAXO Sirm. — 7 ONIVNXS · VNA Ptol. Don., CONIVX · VIVA Heins. ex emend. opinor. — 9 FEIDO · FEIDA Citt. — VEIXSII Don. — 10 QVIN Heins. ex em. puto. — 11 INAVARITIES Citt. Fabr., INAVARITIE Ptol. Don. — 13 AVRELIA · L · L cum alii tum Scarmagli; VREIIAII Ptol., VRELIAII Don.

II, 4 NOMINATATA Ptol. (non Don.) — 7 CONLIBERTVS Citt. — EE · VERO Citt. Fabr. Ptol. Don., E · PVERO Mur. ex emend. — 11 PAREIVS Ptol., PAREIIIS Don. — 15 NAATA Citt. — POT.. Ptol. — 16 extr. R om. Ptol. Don. — 17 ASSIDVO Citt. — OMNIS Citt., O... Fabr. Ptol. Don.

Carmina repetam minusculis:

Haec, quae me faato praecessit, corpore casto,
Coniunxs, una meo praedita amans animo,
Fido fida viro veixsit studio parili, quin
Nulla in avarities cessit ab officio.

Viva Philematium sum Aurelia nominitata,
Casta, pudens, volgei nescia, feida viro.
Vir conleibertus fuit eidem, quo careo eheu!
Ree fuit ee vero plus superaque parens.
Septem me naatam annorum gremio ipse recepit;
Quadraginta annos nata necis potior.
Ille meo officio adsiduo florebat ad omnis
. . . .

2 *una meo animo praedita* est *unice mihi amata*, cui respondet *amans*, ut mox *fido fida*. — 3 *quin* quamquam a coniectura profectum tamen recepi commendatum a Schradero et Hauptio. — 4 *amaritie* Schraderus proposuit probavitque Hauptius, ut *amarities* ita fere hoc loco ponatur ut *casus amaros* dixit Ovidius trist. 5, 4, 15. Certe sive *avarities* scribitur sive *avaritie*, subabsurdum est et vix videtur posse ferri ne in hoc quidem tam rudi et male facto carmine. — 8 *ee vero* etsi abundans, cum praecedat *ree*, et admodum durum (nam Sallust. Cat. 8: *fortuna res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque* quaeque alia exempla dictionis eius collegit Handius Tursell. 2, 655, similia magis sunt quam paria) tamen consensu testium iam firmatum retineri debuit.

1012 tabula marmorea alta c. p. $2\frac{1}{2}$, longa p. $3\frac{1}{2}$, effossa Romae in monte Caelio prope templum quattuor Sanctorum in vinea Iulii Herculani *Pigh.*; de loco tacet *Urs.* Pars superior (v. 1—3) fuit apud Passioneum; pars inferior (v. 5—8) hodie est in museo Vaticano.

C · CANINIVS · C · F
ARN · LABEO · PATER
OMNES · HEI · MEI · SVNT · FILIVS · ILLVM · MANV
ILLE · ILLAM · MERETO · MÍSSIT · ET · VESTEM · DEDIT
QVOAD · VIXSI · VIXSERE OMNES VNA INTER · MEOS
EVNDEM · MI · AMOREM · PRAESTAT · PVERILEM · SENEXS
MONVMENTVM · INDICIOST · SAXSO · SAEPTVM · AC · MARMORI
CIRCVM · STIPATVM · MOERVM · MVLTEIS · MILLIBVS

Ritschl tab. LXXX D dat qui supersunt v. 5—8. Integram exhibent Pighius in schedis ms. ad ed. 2 Grut. collatis et Ursinus de famil. p. 49 (inde Grut. 864, 4). Versus tres priores dedit Passioneus 6, 16. Ex inferiore parte quaedam enotavit Marinius Arv. p. 713.

3 IOM · NES MEI MEI Passionei. — 4 MERETO MÍSSIT Pigh., MERITO · MISSIT Urs. — 7 MÁRMORE, 8 STIPATVM Marini, sed ductus hos, priorem praesertim, in lapide nequaquam apicum speciem prae se ferre Roma ad me scripserunt amici neque ego eos adnotaram neque adsunt apud Ritschelium.

Narrat Labeo pater filii ante ut videtur defuncti libertum in suam se domum recepisse (v. 3) eidemque homini eiusque libertae et uxori monumentum fecisse (v. 1. 2.). Respondet filii libertus quod puer sibi debuisset a patre se habere (v. 4) eiusque rei indicium esse monumentum saxo saeptum et extrinsecus *(circum moerum)* marmore tectum magno sumptu vel, ut huic homini scribere placuit, *stipatum multeis millibus* (v. 5. 6). Quae omnia quam contorta pravaque oratione implicentur magis quam explicentur quivis videt; vereorque admodum, ne hic titulus litteris etiam scriptus minime bonis altam antiquitatem quam prae se fert totam mentiatur, profectus scilicet ab homine aliquo serioris aetatis laboriose magis quam scite docto, qui propter sermonis vetusti sollemnitatem sententiam pessumdederit. Certe saepius in inferioris infimaeque aetatis carminibus *quoius* similesque antiquitatis colores observavi; contra vere antiquum scriptorem *millibus* posuisse pro *milibus* non facile mihi patiar persuaderi.

In monumento formae quadrati inaequalis, cuius architecturam enarrat Canina *annali* 1838, p. 219 sq., anaglypha olim picta Otto Iahn ibidem p. 231 sq.; totumque refert opus pistorium. Extat Romae M fere P. ante portam Esquilinam in ipso fere bivio viarum Praenestinae et Labicanae, ut tamen illam solam attingat. Post extructum hoc pistoris monumentum viis illis superimpositus est arcus aquarum Claudiae et Anienis novae, a quo arcu pistoris sepulcrum non plus pedes antiquos Romanos IX distat (cf. l. c. *tav. d'agg.* L). Postea cum imperante Aureliano arcus hic in portae Praenestinae (hodie *Porta maggiore*) locum cessisset, in novis munimentis eidem sub Honorio ut creditur adiectis pistoris monumentum turre quadam rotunda ante portam extructa comprehensum est; qua deiecta a. 1838 rursus apparuit. Inscriptiones eius monumenti hae sunt.

1013 in facie iuxta viam Praenestinam, quae propterea primaria monumenti iudicanda est, quanquam plerique inscriptione carentem a dextra huius positam faciem frontem monumenti esse crediderunt.

*est hoc monimentu*M · MARCEI · VERGILEI · EVRYSACIS · PISTORIS · REDEMPTORIS · APPARET

1014 in facie sinistra arcum versus.

sic
EST · HOC · MONIMENTVM · MARCEI · VERGILEI · EVRYSACIs
PISTORIS · REDEMPTORIS · APPARET

1015 in postica.

EST · HOC · MONIMENTVM · MARCI VERGILI EVRYSACis

Ritschl tab. LXXXVIII A B C ad lapides; in tertio spatium non admittere nisi quod posui duarum litterarum supplementum observat Iahn l. c. p. 231. — Horum titulorum quaedam portio innotuit saeculo XVI neque id mirum est, cum turris rotunda auctore Canina (l. c. p. 212) *si conosce essere stata posteriormente ristaurata.* Unde in codice Peruzziano f. 55 (Florentiae *galleria degli Uffizj* n. 204) faciei posticae aliqua portio delineata est (inde *annali* 1841 p. 123 *tav. d'agg. G* 2; cf. Melchiorri *append. agli Arvali* Rom. 1855. 4. p. 57 n. 3) cum his litteris VERGILEVRYSAC....; item ex Veneto libro Cittadini p. 91 mihi enotata sunt haec lacera verba: IS · VERGILI · EVRYSAC et ENTVM; denique in Achillis Statii orthographia Latina (cod. Vallicell. B 104) p. 112 Rossius (annali 1857 p. 275) haec reperit lecta *fuora de la porta di S. Croce in Hierusalem a man diritta uscendo:* .... VERGILI EVRYSAC.... Post effossionem anni 1838 ed. Canina *annali* 1838 p. 219 sq. et Otto Iahn ibidem p. 231 sq. (inde Henzen 7267). Cf. *Bullett.* 1838 p. 143. 165.

1016 in tabula marmorea arcam quadratam et ornatam referente, qualem panibus servandis inserviisse probabile est (v. figura eius *annali* l. c. M 12); ibidem reperta est stetitque sine dubio olim ad Eurysacis sepulcrum. Non satis certa ratione Canina eam rettulit ad dextram monumenti faciem, quae reperta est tota rupta ac diruta (Canina p. 223), neque certiore eam coniunxit cum anaglypho viri et feminae item marmoreo ibidem invento, ut hic fuerit frons monumenti solus marmore exornatus. Praeterea vascula panaria lapidis Tiburtini ibidem reperta (l. c. p. 228) quamquam ad Eurysacis monumentum aliqua ratione pertinuerunt, tamen nulla causa est, cur Atistiae cineres in eorum alterutro collocatos esse credamus neque omnino cur panarium Atistiae indagemus, cum lapis inscriptus ipse panarii speciem prae se ferat.

FVIT · ATISTIA · VXOR · MIHEI
FEMINA · OPITVMA · VEIXSIT
QVOIVS · CORPORIS · RELIQVIAE
QVOD · SVPERANT · SVNT · IN
HOC · PANARIO

Ritschl l. c. D ad lapidem. Ed. Canina l. c. *tav. d'agg.* M 12, item Iahn l. c. (inde Henzen 7268).

1017 ibi prope repertum fragmentum et vicino parieti hodie affixum.

OGVLNIVS
PISTOR · SIMI*laginarius*
AMICVS

Ritschl l. c. E ad lapidem. Ed. Canina *Bullett.* 1840 p. 19.

1 extr. litterae S vestigia adnotavit ex lapide Henzen. — 2 extr. I non eminere monuit idem lapide denuo inspecto.

1018 ibi prope.

QVCIVS · FORMAT
VICERVNT · MORES · FI

Ritschl l. c. F ad lapidem. Idem scribit legendum sibi videri QVOIVS, non DVCTVS, recte opinor. Lapis nuperrime ablatus aut periit aut certe latet.

Eurysaces et pistor fuit et simul redemptor anaglyphisque monstrantibus cum magistratibus contraxit de panibus certo pretio publice praebendis. Praeterea apparuit magistratibus; ita enim extremum tituli verbum interpretandum esse dudum docui (Mus. Rhen. nov. 6, 20) adhibito titulo, qui nunc legitur apud Henzenum 6555, supparis aetatis, in quo est: *praeco ex tribus decuris qui cos. cens. pr. apparere solent; apparuit Caesari Augusto;* pro quo Eurysaces, qui vivus monumentum fecit et ut paulo antiquior ita brevior fuit, recte posuit simpliciter *apparet.* Praeconis denique condicionem a redemptore minime abhorrere constat. Contra *redemptor apparet(orum)*, quam explicationem Braunius Borghesio (Bull. 1838 p. 166) Henzenoque (l. c.) neque tamen Iahnio (l. c. p. 237) probavit, nullo modo consistit. Nam primum in titulo, ubi MARCEI perscriptum est, APPARET pro compendio haberi nequit. Deinde *apparetor* pro *apparitore* etsi in sexti saeculi titulo facile admitteretur, hac aetate nequaquam ferendum est. Praeterea apparitoribus magistratuum panem publice praebitum esse ex Frontino (de aquis c. 100) minime sequitur, sed contra apparitores publici liberi mercedem acceperunt, servi publici cibaria. Denique quomodo qui panem apparitoribus redemit praebendum, *apparitorum redemptor* Latine dicatur, nemo puto demonstrabit. Quam ob rem hanc explicationem reiciendam esse constat; Forchhammeriana autem (*annali* l. c. p. 238) *'apparet (ex monumento pistorem me fuisse)'* aut ludit aut ineptit. Reliqua aut per se intelleguntur aut cum artis operibus, quae hoc monumentum exornant (v. anaglypha in monum. Inst. vol. II tab. 58), ita coniuncta sunt, ut meam provinciam excedant. Arcu aquae Claudiae, qui factus est a. 52/3 p. Chr., pistoris monumentum anterius esse cum senatus consultum a. 743, quod ut circa fornices aquaeductus utraque ex parte vacui quini deni pedes paterent cavit (Frontin. de aq. c. 127), tum ipsa indicat sermonis indoles extremam liberae rei publicae aetatem vel certe Augustam spirans. Officiorum indicatio tam accurata solet quidem a monumentis huius aetatis aliena esse; sed singulari huius hominis ingenio cur non placuerit quod contra aetatis consuetudinem esset? Versibus vel certe sermone ad versus prope accedente scriptum esse titulum vel inde constat, quod praenomen omnibus litteris perscriptum est.

1019 tabula marmorea magna litteris vetustis, extat Romae in S. Pauli.

*n*AVIE · PVLCHRE · DECES *sum*
*co*STE · HOC · VOLVIT · MONVMENTO · AM
*r*OGAVI · VT · FACERET · MONVMENTVM · M*ihi*
*i*MPETRAVI · ID · ABEO · LAVDO · BENEVOLEN
tiam *v*NI · HEIC · ANIMO · DVO VT · ESSEMVS · SITÍ
PARÍ · CONIVGIO · VIRTVTE · SVMMA · INDVSTRIA
VIXSÍ · ET · FORTVNAM · QVOAD · VIXÍ · TOLÍ
TERTIA · QVOM · ESSEM · ME · PRIMAM · SPERAVÍ · FORE
QVOM · QVOD · SPERAREM · ECIEM (*sic*) · ME · RETINERE · POTESSE
SPE · AMISSA · VOLVIT · ME · FORTVNA · HEIC · RETINE *sic*
QVONIAM · ME · FORTVNA · INIQVA · NON · SIVIT · FRVI
NIHIL · TIMEO · NEC · CONFIDO · MORIVNDVM · SCIO
VIVAM QVAM ORNARE STVD*ui* ORNAVI MORTVA*m*

Descripsi diligenter. Ed. Nicolai *basilica di S. Paolo* p. 58 non recte.

Titulum hunc et absurde conceptum esse apparet numeris non minus pessumdatis quam sententiis et a quadratario ad exemplum male fortasse scriptum non sine mendis foedissimis expressum. In priore epigrammate loquitur uxor mortua, v. 9—13 vir superstes. — 5 coniuges unos animo pro uno animo coniugibus in tali scripture puto posse admitti. — 6 obversati sunt scribenti *coniuges pari virtute et industria.* — 8 quid subsit non assequor. — 10 extr. post *retine* spatium est non scriptum. — Numeros sic quoad fieri potest restituit Hauptius adnotans 1 *impetravi* cum prima brevi ex plebeia consuetudine excusari posse ut *inter*, *intus* similiter corripiuntur apud Plautum; 3 productam secundam in *coniugio* ita evitari, si scribatur *conubio;* 4 hiatum admissum esse post *vixsi:*

. . . .
impetravi id ab eo (laudo benevolen*tiam*),
uni heic animo duo ut essemus siti. pari
coniugio, virtute, summa industria
vixsi et fortunam quoad vixi toli,
tertia quom essem, me primam speravi fore.

Quom quod speraram *mecum* retinere potesse,
spe amissa volnit me fortuna heic retine*re*,
quoniam me *fors* iniqua non sivit frui,
nil timeo nec confido. moriundum scio.
vivam ornare studui, ornavi mortuam.

1020 Romae hortis Matthaeiis *Malv.* nunc in museo Capitolino.

M · AEBVTIVS · M · L ·
MACEDO · PATER
M · AEBVTIVS · M · L
CALLISTRATVS · F
V M · AEBVTIVS · M · L · EROS
V IVLIA · L · L · BERENICE F
IVLIA · L · L · HESVCHIVM
POMPONIA · L · L · SELENE
CLODIA · Ɔ L ANTIOCIS

Ritschl tab. XCII A ad lapidem. Ed. Malvasia marm. Fels. p. 68; Guasco mus. Cap. 2, 120. — Aetatis est opinor imperatoriae.

1021 in lapide Albano via Latina III lap. dextrorsum *all' arco travertino.*

L · AEMILI · L · F
IN · FRON · PED
XIIX · IN · AGR
PED · XX

Fabrett. 176, 349. 241, 646. — Videant qui postea ubi melius fieri poterit in titulorum horum aetatem inquirent, quando sepulcri longitudo latitudoque coeperit primum inscribi in cippis, mox certis notis notari. Equidem titulum nullum reperi hisce notis signatum, quem constet esse Augusto anteriorem videorque praeterea hoc mihi deprehendisse antiquissimos quosque titulos ita signatos a formulis postea receptis aliquantum recedere et pro notis fere adhibere vocabula scripta integriora longitudinemque et latitudinem magis proponere quam quousque et in frontem et in agrum sepulcrum excurrat. Cf. exempli causa n. 1073 ubi est *lat. ped. XX, lon. ped. XX.* Posteriore aetate mensurarum indicatio maxime in urbanis sepulchris tam sollemnis est, exceptis scilicet titulis in monumentis intus propositis et ab eiusmodi mensura alienis, quam olim vel nulla vel certe admodum rara; ut non sine causa suspicere de ea re Augustum edixisse legemve tulisse et aetate imperatoria hoc ius fuisse ut mensuras eiusmodi in sepulcris quibuscunque proscribi oporteret.

1022 tabula lapidis Tiburtini, Romae in coenobio S. Pauli.

D · AIMILIVS · L · L
DEIPHILVS

Exscripsit Kellermannus; ed. Nicolai *basilica di S. Paolo* p. 82.

1023 Sinigagliae in aedibus Bavierae, ubi qui extant tituli, Romae coempti sunt.

P · AIEDI · TRVP
HONIS · LOCV
SIBI · ET · SVEIS

Descripsi.

1024 Romae in Tiburtino quadrato lapide in Vaticano ad portam pertusam *Pigh.* in viridario summi pontificis *Manut.* hortis Vaticanis *Fabrett.*

L · ALFIO · C · L · L · PROTHVM
PATRONO · NOSTRO
L · L · ALFIEIS · L · L · HILARVS
ET · PROTHVMVS
LIBERTIS · DE · SVO
FACIVNDVM · COER
ET · LIBERTIS · LIBERTAB
QVE · NOSTRIS · IN · FR · PE
XII · IN · AGR · PE · XVI

Pigh. ms. f. 69; Manut. cod. Vat. 5253 f. 289 v. qui vidit et f. 352 manu ignota = orth. 418, 22 (inde Grut. 931, 1); Ligorius ms. Taur. 2, inde Gud. ms. 340, 7, ind. LXXX; Ptolemaeus in schedis 1, 192; Fabrett. 178, 364 eodemque exemplo, sed corrupto, Malvasia p. 68.

Ligurii et Malvasiae v. l. omisi. — 1 C · L · L Pigh., Man. ms. utroque loco, Ptol.; L · L · L Man. ed.; L · L Fabr. — 3 ALFIEI Fabr. — 4 PROTIS pro PROTHVMVS Ptol. — 6 COERA Man. — 7 LIBERTABVS Man.

1025 lapis Tiburtinus in museo Vaticano.

AQVILLIAE S
C · L · TERTIAE
C · AQVILLIVS
SOSANDER · L

Ritschl tab. XCI N ad lapidem. Refert titulum Marinius in schedis.

1026 titulus monumenti rotundi litteris magnis, rep. in via Appia.

L · ARELLIO · GLABRAI · L
DIOPHANTO
TITINIAI · NOBILI
VXSORI

Ritschl tab. XCIV C ad lapidem. Ed. Iacobini *mem. sullo scavo dell' Appia* (Rom. 1851. 4.) p. 6 cum notis Borghesii; Henzen ann. 1852, 311.

1027 rep. in via Appia.

HOSPES · RESISTE · ET · HOC · AD · GRVMVM · AD · LAEVAM · ASPICE · VBEI
CONTINENTVR · OSSA · HOMINIS · BONI · MISERICORDIS · AMANTIS
PAVPERIS · ROGO · TE · VIATOR · MONVMENTO · HVIC · NIL · MALE · FECERIS
C · ATEILIVS · SERRANI · L · EVHODVS · MARGARITARIVS · DE · SACRA
VIA · IN · HOC · MONVMENTO · CONDITVS · EST · VIATOR · VALE

EX · TESTAMENTO · IN · HOC · MONVMENTO · NEMINEM · INFERRI · NEQVE
CONDI · LICET · NISEI · EOS · LIB · QVIBVS · HOC · TESTAMENTO · DEDI · TRIBVIQVE

Ritschl tab. LXXX B ad lapidem. Ed. Henzen *annali* 1852 p. 311 cf. p. 303, syll. n. 7244. Canina Appia I, 163. 229.

Titulus, in quo cum plebeis locutionibus, ut est *ad grumum,* plebeisque sensibus, qualis est praedicatio amoris in pauperes, miscentur sollemnium sententiarum sepulcralium rudimenta quaedam corrupta et confusa, ut *hospes resiste* et formulae notae *rogo te mi viator noli mi nocere* (I. N. 3829) simile quid, prope accedit ad Eurysacis pistoris inficetas argutias. Buechelerus in Iahnii ann. 74 p. 73 tale fere carmen scriptori obversatum esse existimat:

Hospes resiste et hoc ad grumum respice,
Ubi continentur ossa hominis frugi et boni,
Rogo te, viator, monumentum hoc ne laeseris.

Animadvertendum Serranum hoc loco scribi pro Sarrano (v. supra ad n. 549).

1028 in lapide Tiburtino Romae in museo Vaticano.

P · ATINIVS · P · P · L
NICEPOR
MONVMENTVM
ME VIVO AEDIFIC
AVI ET IN MEO
MONVMENTO

Ritschl tab. XCII D ad lapidem. Exscripsit Kellermann.

1029 lap. Tiburt. litteris antiquissimis *Mar.* 'alle tre Fontane' *Ughelli.* 'in una vigna per la via Ostiense' *Mar.*

C · ATRIVS · C · F · VOT · HAR . . . .
ATRIA · C · L · ARBVSCVLA . . . . .
C · ATRIVS · C · L · EROS · VIVIT . .
C · C · L · BARGATES . .

ATRIA · C · L · EVCLE*sis* . . . .
C · ATRIVS · C · L · AESOPVS . . . .
C · C · L · APRODISIVS . . . .
EX · TESTAME · HS · ⸙ ARBIT . . .
. . . . ATRI . . .
. . . .

Marini Arv. p. 39 ex schedis Ughellii qui vidit 13 Dec. 1636; p. 482 ut ipse descripsit.

1 HAR om. Mar. — 2 ATRIAE Ugh. — 3 VX . . . pro VIVIT Ugh. — 4 post priorem C puncta Ugh. Mar. — BARC . . . . Mar. — 5. 6. om. Ugh. — 7 C · ATRIVS · C · L · APRODISIVS Ugh. — 8 TESTAMEN Ugh. — ARBITR Ugh. — 9 om. Ugh.

1030 Romae in villa Campanae.

C · AV . . . . .
LVSIA . .
APOLLONIA
FEILIA

Henzen descripsit.

1031 in vinea PP. praedicatorum via Salaria.

P · AVDASIVS
Ↄ · L · STEPANVS
LAMPYRINI
BENEVOLAE · SVEI

Fabrett. 717, 387.

Lapides Tiburtini, Romae rep. in vinea Moroni e regione sepulcri Scipionum, extant in museo Vaticano.

1032

M AVRELI*us m l*
NICEPOR PATRON
AVRELIA · M · L · TRVP
HERA · M · AVRELIVS
M · L · APOLLONIVS ·
M · AVRELIVS · M · L ·
ALEXSANDER
M · AVRELIVS · M · L ·
NICEPOR · M · AVRELI
M · L · RVFIO · M · AVREL
M · L · ACASTVS

Ritschl tab. XCII F. Ed. Marini Arv. p. 30. Descripsit praeterea Kellermann.

1033

M · AVRELIVS · M · L
NICEPORVS · PATRONV
AVRELIA · M · L · TRVPHER
M · AVRELIVS · M · L · APOLO
NIVS M · AVRELVS · M · L ·
*al*EXSANDER · M · AVREL*I*

Ritschl tab. XCII G. Ed. Marini Arv. p. 30. Descripsit praeterea Kellermann.

Pleniorem dant descriptores quam tabula, in qua desunt litterae inclinatae.

1034 in lapide Tiburtino reperto in vinea Monciatti II m. p. ab urbe via Portuensi.

A · CAECILI · A · L · OLIPOR
CN · CAECILI · A · *f* · SILONIS
CAECI*li*A · A · ET · CN · L · ASIA
A · CAECILI · A · CN · L · ALEXANDRI
POLLA · CAECILIA · SPVRI · *f*
A · CAE*c*ILI · A · F · PAL · RVFI
T · SVLPICI · T · F · CAECILI · SAC · ISID · CAPITOLI
PORCIA · T · L · RVFA · SAC · SVLPICI · CAPITOLI
T · PORCIVS · T · F · COL · MAXSIMVS
T · SVLPICIVS · T · L · PRIMVS
C · VALERIVS · C · L · *p*HILAR*g*VRVS
Q · LOLIVS · Q · *l* · STORRVFVS
D · AVRELIVS · D · L · . . . . . SEELLR
H · M · E NON · SEQ

Boldetti *cimiterj* p. 449 (inde Mur. 154, 2).

1 De Olipore vide ad n. 1076. — 2 CAECILIAE, 3 CAECILILIA, 5 SPVRIE, 6 CAECCILI traditur. — 7. 8 nescio quomodo emendem, nisi forte eiectis tanquam male repetitis vocabulis 7 CAECILI et 8 SAC CAPITOLI sic scribendum est:

T · SVLPICI · T · F
SAC · ISID · CAPITOLI
PORCIA · T · L · RVFA · SVLPICI

Cf. tituli Henzenianus 6385 item aetatis bonae: *Usia Prima sac. Isidis* et Orellianus 1878: *Cn. Domitius Cn. f. Firmus sacerdos Isidi triumphali* cet. Capitolina Isis praeterea non memoratur, nisi quod notum est extrema liberae rei publicae aetate, hoc est ea, qua inscriptio haec facta est, sacella Isiaca intra muros et maxime in Capitolio constituta senatus auctoritate disiecta esse (Tertull. apolog. 6: *Serapidem et Isidem et Harpocratem cum suo cynocephalo Capitolio prohibitos inferri — Piso et Gabinius consules — eversis etiam aris eorum abdicaverunt.* Preller röm. *Myth.* p. 727). — 11 F · HILARCVRVS, 12 QESTOR · RVFVS traditur.

1035 in lapide Albano magno, litteris antiquissimis. Romae in museo Campanae.

Q·CALIDIVS Q·L·PARNACIS

CALIDIA
Q·F POSIL

puella — *vir dextram puellae tenens* — *mulier*

MAR(ia)
Ɔ·L·
GLVCE
RA

Descripsi. Misit praeterea Henzen.

Mulieris nomen fuit *Maria mulieris l. Glucera;* quod est ante RA signum adiungit versum hunc ad superiorem.

1036 in arca aquae ut videtur recipiendae destinata ex lapide Tiburtino, artificii boni. Extat Romae in vinea Casali.

P·CALVI·PHILODA
ET·CALVIAE·PHILM
vir et femina stantes

Marini Arv. p. 31. Exscripsit praeterea Kellermannus.

1037 in puteali ex lapide Tiburtino ibidem.

D·AVILLIVS·PAMPILVS·Ɔ·L
T·SEXTIVS·HILARIO
P·SEPTICIVS·FAVSTVS
P·CALVIVS·PILODAMVS
CVRATOR
D·S·P

Marini Arv. p. 31.

1038 Romae in museo Capitolino.

CARFINIA M L M...
...VIXIT·AN X.....
..IVCVNDA SVEIS...
omNIBVS OFFICIOSA..
FVIT

Guasco mus. Cap. III, 68.

1039 in lapide Gabino, qui fuit in vinea Carpinea ad viam Aureliam.

C·CASSIVS·Q·L
APVLLONIVS
VIVONI
C·CASSIVS·C·F·COL
CASSIA·C·L
EPICARPIA
CASSIA·Ɔ·L·MVS
IN·FRONTE·P·XII
IN·AGRO·P·XIIX

Fabretti 347, 9.
3 VIVONE Fabr.

1040 scripta litteris Augusto antiquioribus *Henzen.* Romae in hortis Vaticanis *Grut.* Nunc in museo Vaticano.

T·CINCIVS·T·L·DORCO
LIBERTVS·IIX·TESTAMEN
FACIVNDVM CVRAVIT

Ritschl tab. LXXV c. Ed. Grut. 968, 4 ex Castalione.

1041 vinea Caramella via Aurelia.

A·CLODIVS·A·L
APOLLODORVS
VETTIA·Q·L·GLVCERA
A·CASCELLIVS·A·L
NICEPOR·MONV
FECERVNT·SOCEI
SIBI·ET·SVEISQVE

Fabrett. 175, 340. Melchiorri et Visconti *mem. Rom.* I p. 42.
3 GLVCERA Melch.

1042 in tabula lapidis Tiburtini, quae Gallinaro venit in coenobium S. Pauli.

L·CLODI·L·L·ARGENTILLI
CLODIAE·Ɔ·L·PHILOTAERAE
SIBI·ET·SVIEIS
Θ CLODIAE·L·Ɔ·L·HILARAE

Descripsit Kellermann. Ed. Margarinus n. 625 (inde Mur. 1578, 8) et Nicolai *bas. di S. Paolo* p. 95.

1 ARGENTINI Marg. — 3 SVIS... Marg. — 4 Θ om. Marg. Nic. — CLODIA·P pro CLODIAE Nic. — Recepi ad firmandam formam Philotaeri Philotaerae pro Graeco Φιλεταίρῳ; cf. supra n. 570, ubi bis redit, et infra n. 1213 *Menolaeus* item I. N. 1272 *(Philotaerus).* 3395 (*Tolomais* pro Ptolemaide) et Schneider *lat. Gramm.* I p. 13.

1043 Sinigagliae in aedibus Bavierae (cf. ad n. 1023).

P CLODI·PVLCHRI
L·FELICIS
SEMPER QVI FVIT
DVLCIS·SVEIS
V CLODI. PVLC·L·ATHENAIS

Descripsi.
5 in. V est *v(iva).* Recepi, quamquam patronus horum Pulcher potest fuisse P. Clodii tribuni plebis filius mortuus imperante Augusto.

1044 Romae in museo Vaticano.

FAMILIAE·L·COCCEI·ET LIBERTEIS
ET·EORVM
DASIVS·DISP·DE·SVO·FAC·COER

Ritschl tab. LXXXIX *d.* — Descripsi ipse misitque descriptam Henzenus.

1045 lapis Albanus magnus, rep. Romae in vinea Moroni e regione sepulchri Scipionum.

M·CORNELIVS M·L
APOLLONIVS LICTORIS
M·CORNELIVS·Q·L
MACEDONIS·LICTORIS·VIV
POMPILIA·C·F·VXSor

Ritschl tab. XLII M ad lapidem. Ed. Marini Arv. p. 269.

Lapicida cum in exemplo sibi tradito reperisset M·CORNELI·M·L·APOLLONI·LICTORIS·M·CORNELI·Q·L cet., deceptus ambigua scriptura in I, quae et primum et secundum casum significare potest, quod plene scriptum fuit, genetivum ut significaret, pro nominativo habuit et perperam solvit.

1046 Tusculi olim, nunc Romae apud Comm. de Rossi.

m. coRNELI · M · F · PVP
MAMVLLAI
M · CORNELI · M · F · F
MAMVLLAI
EPPVLEIAI · A · F · VXORIS

Ritschl tab. LXXV M. Vulpi Lat. IX, 53; Mur. 1662, 15 ex Dom. Matthaeio pessime.

1047 olim Florentiae apud Corsinium.

L · CORNELIVS · L · Ↄ · L · SETVS
CORNELIA · L · L · PileLEVTERA
OLAS · DVAS

Gori I, 183, 217 ex ms. Strozzi. Idem exemplum legitur apud Gud. ms. 809, 7, corruptum in ed. 355, 8.

1 SETVS est *Zethus*. — 2 PHILEVTERA traditur pro PILELEVTERA.

1048 titulus scalpro rasus. Romae in villa Pamfili.

L · CORNELI · L · L · SOCRATIS · CORNELIA · L · L · TRVPE

Henzen descripsit.

1049 Romae in villa Lecce *Mar.* s. l. *Suares.*

P · CRITONIVS · P · F · POLIO
MATER · MEA · MIHE
MONVMENTVM
COERAVIT · QVÆ
ME · DESIDERAT
VEHEMENTER · ME
HEICE · SITVM · IN
MATVRE · VALE · SAL
VE

Marangonius act. S. Victorini p. 167 (inde Mur. 2057, 9); Suares. cod. Vat. 9140 p. 4.

1 PEPOLI Mar. — 2 MIAE Mar., MIHI Suar. — 7 IM Suar.

1050 sub sepulchro Caeciliae Metellae in lap. Tiburtino.

CRITONIA · Ↄ · L · NICE
LOCVM · DAT · ET · PETILLIAE
L · L . . . . et . . . .
ALEXANDRO · VIVEIS
OB · FIDELITATE · ET
OFICEIS · MONVME
VIX

Fabrett. 70, 41. — 3 lacunam significavi ego.

1052 Romae apud Ficoronium.

N · DECVMIVS · N · F
COL · VAARVS · SCR
VOLVSIA · C · L · CELSA
C · VOLVSIVS · C · L · CHARIT
IN · FR · P · XIII · IN · AGR · P · XVI

Mur. 696, 2 a Ficoronio; 949, 5 a Como; Donat. 317, 9 e schedis Stoschianis.

1 DECVMVS Mur. utroque loco. — 2 VARRVS Mur. 949. — 5 AGRO Mur. 949.

1053 in mus. Vaticano Gall. lap. patron. I.

C · FIDVSTIO
· C · L
SIBI · ET · DIACONO · CONIVGI

Henzen descripsit.

1054 ad montem Iordanum in muro.

L · FIDVSTI · M · F
VOLTINIA

Fabrett. 241, 651.

1055 in tabella marmorea tenui litteris non primi saeculi, nedum aetatis liberae rei publicae, sed labentis saeculi secundi. — Romae in museo Casali vidit *Mar.;* in Vaticano inter repositos lapides *ego;* nunc est in museo Lateranensi.

ASIA · Q · L · FAVSTA · ET · FVRIA · Ↄ · L · TE..
e MERVNT · LOCVM · OLLARVM · XV · AF
LVCRETIA · SP · F · RVFA · SVM · OLLARVM
SVPERIVS · ET · INFERIVS · XXX ·

Henzenus descripsit et ectypum misit. Edidit Marini Arv. p. 233.

1 . . . SIA · Q · L · FAVITA et Ↄ · L · TER Mar.

Quamquam nullo modo huius aetatis est, tamen recepi extra ordinem, quoniam redit singulari casu vetustum *af* in hoc titulo aevi labentis.

1056 lapis Tiburtinus, Romae in coenobio S. Pauli.

sEX · GEGANI · SEX
F · COL · SIBEI ET
SVIS · LIBERTEIS
INFRONT · PEDES
XIIX IN · AGRO
PEDES · XXVI

Exscripsit Kellermannus. Ed. Nicolai *basil. di S. Paolo* p. 166.

1051 Romae in villa Pelucchi *Oderici*, deinde apud Chaupyum *Mar.*

VLTVMA
SVORVM
CVPEINNIA
L · F · TERTVLLA
FVVEIT · QVIVS
HEIC
RELLIQVIAE
SVPREMA
MANENT

Oderici p. 39 qui descripsit cum Lesleo a. 1756 (inde Orell. 4488, qui male confudit cum titulo plane diverso); *Nov. Fior.* 1757, 91 (inde Donat. 409, 10); Zaccaria *stor. lett.* 14, 92. Ex lapide Marinius in schedis Vatic.

3 puto lapicidam pro CVPIENNIA errore scripsisse CVPEINNIA, deinde emendasse CVPENNIA, I littera tectorio obducta. — 5 FVVEIT Mar., FVEIT Oderici Nov. Zacc., eodem fortasse exemplo hi usi omnes. Illud qui praefert, sic defendet, ut duplici *u* longam syllabam scriptor indicarit (cf. Priscian. 10, 2, 12 p. 504 Hertz.; Struve *lat. Decl.* p. 167); nam VV ut pro *uv* accipiamus, huius aetatis ratio scribendi non patitur. — 8. 9 *suprema manent* mihi est *suprema munera expectant.*

1057 in tabula lapidis Tiburtini Romae olim in museo Passionei, nunc in Vaticano.

L · HORATIVS · L · F
VOT · HOLITOR ·
SEX · HORATIVS · L · F ·
VOT · SEN · IN · FR
p . . . *I*N AGR P XX

Ritschl tab. XC E ad lapidem. Ed. Passionei 46, 38 (inde Donat. 365, 2).
5 I hodie deest.

1058 pila magna lapidis Albani octo laterum, litteris bonis et alte incisis. Extat Romae in villa Altieria.

C · HORDEONI · M · L
GAVSA
C · SEPVLLI · C · L
ABDAES
HORDIONIA · C · L
MARTA
IN · F · P · XII
IN · AG · P · XV

Descripsi. Ex Kellermanni apographo ed. Iahn spec. epigr. p. 138 (inde Henzen 6384).
2 CAVSA Kell.

1059 in museo Sartii, quod nuper emit senatus Romanus.

C · HOSTIVS · C · L · PAMPHILVS
MEDICVS · HOC · MONVMENTVM
EMIT · SIBI · ET · NELPIAE · M · L · HYMNINI
ET · LIBERTEIS · ET · LIBERTABVS · OMNIBVS
POSTEREISQVE · EORVM
HAEC · EST · DOMVS · AETERNA · HIC · EST
FVNDVS · HEIS · SVNT · HORTI · HOC
EST · MONVMENTVM · MEVM
INFRONTE · P · XIII · INAGRVM · P · XXIIII

Henzeno dedit Canina ab alio descriptam.

1060 in vinea PP. Praedicatorum in via Salaria.

Q · IVNIO · CN · L
LICTORE

Fabrett. 348, 15.

1061 Romae in Vaticano.

l. licinius S · LVCVLLI · L · APRODISI*us*
*et lici*NIA · L · L · ATHENAIS
*pro par*TE · DIMIDIA · SOCIA
*? tre*BIA · Ɔ · L · LAIS ·
*l. lici*NIVS · L · L · ARTEMA
*l. lici*NIVS · L · L · AVCTVS
*?*VIA · L · L · PRIMA
. . . . *ur*BANVS VINEIA · M · F · SABINA

Ritschl tab. XCII B ad lapidem. Descripsit Kellermann.

1062 lapis Tiburtinus, Romae in museo Vaticano.

C · LOLIVS · C · L · PILEROS
C · LOLIVS · C · L · SALVIVS
LIBERTVS · DE · SVA ·
PECVNIA · FACIVND
COERAVIT · PATRON
ET · SIBI · AMICISQVE
VOLMINIA · Ɔ · L · SALVIA
GALIO · M · L · EVCLIDA · GALIAE
M · L · HEDYLO · POPNIA · Q · L · FAVSTA
IN · FR · P · XVI · IN · AG · P · XX ·

Ritschl tab. XCIII A ad lapidem. Descripserunt Kellermann et Henzen.
8 GALIAE tab., GALIA descriptores. Omnino v. 7. 8. 9 postea adiecti perperam concepti sunt.

1063 in via Appia, litteris non admodum vetustis.

L LVCRETIVS L · L · PHILOSITVS
L · LVCRETIVS · L · L · ANTIOCVS
L LVCRETIVS · L · L · ANTEROS
L LVCRETIVS L · L · EROS ·
L LVCRETIVS L · L LIBO
L · P · DLABELLA · BVRDIVS · *sic*
IVLIA PRIMA IVLI MOSCAES L
IVLIA ELEYTHERIS IVLI MOSCAES L
LIBERTEIS ET · LIBERTAV

MARTA · POSTVMIA · M · L
TA
FVLVIA OPTA FVLVI SVRILLIONIS · L ·
SALVIA · SERVIA · M · L
IVLIA · AMMIA · M · L

INFR · P · XX
IN · AGR · P · XX
SIVE MEEIS SIVE VIRI MEHOC · M · SP ET

Henzenus qui vidit misit descriptam a C. Viscontio.

Insunt in hac cum quibusdam notis altioris antiquitatis, ut sunt nomen proprium muliebre primo loco positum *(Marta Postumia, Salvia Servia)* et orthographica quaedam *(liberteis, meeis, Antiocus)* commixta cum recentioris aetatis propria, maxime nomen viri omisso praenomine per nomen et cognomen sola elatum *(Fulvi Surillionis)* et gentilicium, Postumii fortasse, sola littera singulari notatum et admissum agnomen Burdii a burdone opinor declinatum, tum alia omnino soloeca, ut *libertae* et patroni praenomen post cognomen positum *(Iulia Ammia M. l.)*. IVLIMOSCAESL denique sive accipimus de Iulio Moscho Caesaris liberto duarum Iuliarum marito sive alia nescio qua ratione interpretabimur, commode certe nullo modo procedit. Titulum licet appareat scriptum esse post liberam rei publicae aetatem, tamen recepi, ut documento esset aliquoties vetustiora redire vel aetate posteriore in ipsis plebei sermonis sordibus.

1064 Romae in villa Pelucchi. A tergo est inscriptio, recentior omnino: C · LAELI · PHILOTAE

T · LVSCIO · T · L · PARNACENI
LVSCIAE · T · L · MONTANAE
T · ATTIVS · Ↄ · L · AVCTVS · COIVGI
T · LVSCIVS · Ↄ · L · CORVMBVS · PATR
ONAE · PRO · MERITEIS · DANT · VBEI
EORVM · OSSA · QVIESCANT

Oderici p. 38 et p. 332 (inde male Orell. 4488).
1 in. T om. p. 332. — 3 VATTIVS p. 332. — 3 COIVGI, 4 T · LVSCIVS · Ↄ · L · om. p. 38. — 5 VBET p. 332.
Aucti coniux, Corymbi patrona Montana fuit, cuius fortasse fuit patronus Pharnaces.

1065 Romae in museo Campanae.

C · QVINCTILIVS
C · L · PAMPHILVS
VNGENTARI
SIBI · ET · PATRONO
ET · LIBERTEIS SVIS
POSTERISQVE
EORVM · ET · FAVSTAE · L · NOSTRAE

L · L V T A T I V S
PACCIVS · THVRAR
SIBI · ET · SELEVCO
PAMPHILO · TRYPHON
PHILOTAE · LIBERTEIS
POSTERISQVE · EORVM

Descripsi. Ed. Iahn spec. 27, 24.

Romae in mus. Campanae.

EGO · SVM · L · LVTATIVS
PACCIVS · THVRARIVS
DEFAMILIA · REG · MITREDATIS

Descripsi. Ed. Iahn spec. 27, 23 non recte. — Mithridatem intellego Eupatorem Ponti regem mortuum a. u. c. 691, non Bosporanum, de quo a. 49 p. Chr. victoriam reportatam esse Tacitus (ann. 12, 15 sq.) scribit, nam Augusti aetatem tituli hi magis prae se ferunt quam Claudii.

1066 lapis Tiburtinus litteris permagnis satis vetustis olim in aed. Capponiis nunc in mus. Vat. Gall. lap. inc. II.

P · MANLI · P · F

Henzen descripsit.

1067 litteris antiquissimis, olim in museo Casali, nunc in Vaticano inter repositos lapides.

MENOPHILVS
LVCRETIANVS
SERVOS · PVBLICVS
EX BASILICA OPIMIA

Q · AEMILI
DIOPHANTI

P · VA
NA
HIC · POSIT

II, 1 P · M, 2 MA, 3 HIC · SIT Marinius.
Vidimus Henzenus et ego. Ed. Marini Arv. p. 212.

1068 similiter scriptus lapis ibidem.

OSSA SITA
P · POMPONI · P · L
RVFIONIS
MENOPILVS
ALF · SER · PVB
EX · BASILICA
OPIMIA

L · CORNELI
L · L · ALEXAE

Basilicam Opimiam memorat praeterea unus Varro de ling. Lat. 5, 156: *senaculum supra graecostasim, ubi aedis Concordiae et basilica Opimia;* quam extruxit sine dubio idem qui aedem Concordiae fecit in foro (Appian. b. c. 1, 26) L. Opimius Q. f. cos. a. 633. Postea cum non memoretur, sublatam puto restituta et ampliata aede Concordiae a Tiberio a. u. c. 747. Quare intra hos terminos titulus concluditur. Servum *atriensem de basilica Asinia* Reines. 11, 39 = Fabrett. 299, 269 contulit Marinius. Publicos servos binomines fuisse notum est; Menopilus *Lucretianus* et Menopilus *Alf(ianus)* iidemne fuerint an diversi, incertum.

1069 in vinea Galletti.

M · MVSTI · M · L
ARCHELAVS
SIBI · ET · SVEIS
HEREDIBVS

Marini Arv. p. 529.

1070 tabula marmorea in via Ostiensi non longe ab Ostia reperta.

C · NAEVI · C · L · ALEXSANDR
C · NAEVI · C · C · L · NEONIS ·
NAEVIA · C · C · L · HILARA ·
v C · NAEVI · C · C · L · ASCLEPIADES ·
FECIT · SIBI · ET · SVEIS ·
INFR · P · XX IN · AGR · P · XXV

Kellermannus, qui vidit, *Bullettino* 1834 p. 132, item in schedis; Nibby *analisi* 2, 610 ed. sec.
1 ALEXANDER *Bull.*; sed videtur quadratarius dedisse genetivum. — 2 C alteram et 4 v et v. 5 in basi scriptum om. *Bull.*

1071 in fragmento parvi sarcophagi marmorei litteris aevi recentioris; hinc illinc reliquiae figurarum pessimi operis. Extat Romae in villa Pamfili.

C·NVMITORIVS
ASCLEPIADES·
NVMMIA·L·L·
ZOSIMA·
'sic' HEIS·SVNT·DVO·
CONCORDES·
FAMAQVE·BONA
EXSITVQ·HONES·
FELIXS·

Henzen descripsit. Vetustatis est, ni fallor, affectatae; unde etiam explicandum, quod scriptor duas antiquorum epigrammatum lacinias *'heis sunt duo concordes'* et *'fama bona exsituq(ue) hones(to) felixs'* protulit male consutas.

1072 lapis Tiburtinus rep. via Ostiensi ad S. Pauli in vinea, deinde apud Marinium, nunc in museo Vaticano.

D·OCTAVI·D·L·MODIARI
D·OCTAVI·D·F·COL
PONTIA·VXSOR
FRVGE·BONA·PVDICA
AVE

Ritschl tab. XCII E ad lapidem. Ed. Marini Arv. p. 270.

1073 cippi duo Tiburtini in vinea nobilium de Puteo ad portam Latinam.

A OTACILI
I ˥LARG
LAT ΓED
XX·LVN
PED·XX

ıJ·L·AKG
LAT·P·XX
LON·P·XX

Fabretti 177, 361. 362.

Legendum *A. Otacili(us) Pilarg(urus). Lat(um) ped(es) XX, lun(gum) ped(es) XX.*

1074 litteris magnis et antiquis. Ostiis in via sepulcrali in hypogaeo nuper reperta inscripta ollario ex lapide Tiburtino.

C·OVI·AGĀ·C·OVI·AVG
C·OVI·MVS·OVIA·AGATE

C. L. Visconti *annali* 1857 p. 290.

1075 rep. c. a. 1848 in columbario ad viam Latinam, deinde apud Aloysium Arduinium, nunc Veronae apud Smaniam.

L·PEINARIVS	PEINARIA·L·	PINARIVS
L·L·SHAER/S	L·L·PHILA	L·F·RVFVS

De Rossi descripsit.

1076 Romae in via Latina nuperrime reperta.

M·PINARI·P·L
MARPOR

Detlefsenus *Bull.* 1861 p. 81. — Cf. Festus p. 257: *Quintipor servile nomen frequens apud antiquos erat a praenomine domini ductum ut Marcipor, Gaipor (gripor* cod.)*; quamvis sint, qui a numero natorum ex ancilla quinto loco dictum putent.* Plin. h. n. 33, 1, 26: *apud antiquos singuli Marcipores Luciporesve dominorum gentiles.* Quintiporis Clodii (non Clodiani, cf. Vahlen Varronis sat. p. 131) poetae bis meminit Varro apud Nonium p. 117. 448. Eiusdem satura sub Marciporis nomine edita Sallustiique locus hist. 3, 69 ed. Dietsch. satis ostendunt hunc usum ad extremam rei publicae liberae aetatem durasse. In lapidibus raro invenitur; cf. supra n. 1034 *A. Caecili A. l. Olipor* et I. N. 5149: *P. Rubrio Latino Sicinius P. por patrono suo b. m.*, qui titulus tamen nec satis certae est auctoritatis et ut sit genuinus, certe labem passus est in vocabulo Sicinii. Nomina haec proprie servorum retenta sunt a libertis, ita ut qui, cum servili loco esset, Marcipor audiret 'domini Marci gentilis', postea manumissus et Marcus dici inciperet nec desineret Marcipor appellari. Praenomen patroni Publii, cum servus appelletur et Marcus et Marcipor, tam ad alias causas referri potest quam ad manumissionem fideicommissariam; quae si facta erat, servum consentaneum est quamvis ab herede manumissum tamen et defuncti patroni praenomen accepisse et ab eo cognomen retinuisse.

1077 in lapide Tiburtino musei Vaticani.

POLLIO COL
*p*ATER
*solo in monumentu*M·INFERAN
*tur nisi lib. et fam*L IAE
*et qui he*REDES·ERVNT
in fronte p. IN AGRO XVI

Ritschl tab. XCIV D. Misit Henzen. Non puto huius esse aetatis. 4 LᴀᴍɪᴀE Henzen, L AE tabula. Locus in saxo corruptus vacuus videtur mansisse.

1078 Romae in S. Laurentio in Damaso in fenestra anticamerae card. Mantuani.

*cn. p*OMPEIVS·CN·MAGNI *l.....*
HEIC·SITVS *est*

Mazoch. 96; Apian. 313; Manut. cod. Vat. 5253 f. 314.

Versus confudit qui descripsit. — 1 ᴘᴏᴍᴘᴇɪᴠꜱ Ap. — ᴄɴ Maz. — 3 ʜᴀᴇɪᴄ Maz. — ꜱɪᴛᴠꜱ ᴇꜱᴛ Man. — Filii Gnaei, non patris libertus; v. ad n. 681.

1079 litteris vetustioribus. In repositis lapidibus musei Vaticani vidi ego; nunc est in museo Lateranensi.

SEX·POMPEIVS·SEX·*l*////
SALVI·LEVSIARVA
SEX·POMPEI·SEX·L·L·F
PHILOXENI·
//// ////
POSTEREISQVE·EIVS·

Descripsimus Henzen, Kiessling, ego, ut de lectione constet. — 1 extr. et L et *F* lapis admittit. — 2 extr. ᴠᴀ lectionis ambiguae; quod dedi, probaverunt Kiesslingius et Henzenus. — *Salvi(us)* videtur esse cognomen libertini hominis Sex. Pompei; in *leusiarva* vel *leusiarum* lateatne cognomen officiumve sacerdotiumve, ignoro; Graecum vocabulum prodit diphthongus *eu*. — 3 extr. potest esse *Sex(ti) L(ucii) l(iberti), f(ilii)*, ut fuerit Sex. Pompeius Philoxenus libertus duorum Pompeiorum Sexti et Lucii et eius qui praecedit Sexti Pompei Salvii filius.

1080 in parvo lapide forma parallelepipedi reperto ad portam Capenam illatoque in museum Casali.

POMPEIA·ASCLEPIAS·HEIC·SEPVLTA·EST
AMANTISSVMA·SVIS·FIDE·MAXSVMA·PIA *'sic' Mar.*

Marini Arv. p. 269.

1081 Romae.

PONTIA · PRIMA
HEIC · SITA · EST
NOLEI · VIOLARE

Mur. 1730, 1 (misit Ficoronius).

1082 tabula magna lapidis Albani litteris magnis et vetustis; extat in museo Vaticano.

/////////MMA
PVPIA · L · L · TVRA////
L · PVPIVS · C^F · VOT
A · RVBRIVS · A · F · COL
RVBRIA · A · L · ELEVTER
V · L · PVPIVS · L · L · EVTACTVS
V · PVPIA · L · L · STATIA

Descripserunt Kellermann et Henzen.

1083 Romae in museo Vaticano.

RVSTICELIA · Ɔ · L
TRVPHERA

Ritschl tab. XCII c. Vix huius aetatis.

1084 Romae rep. 1839 in cella sepulcrali vetustissima ad portam Latinam.

Q · RVVBIVS · C · F
POP

Marchius Borghesio, Borghesius mihi misit, ego Ritschelio, qui edidit in mon. epigr. tribus p. 29.

1085 litteris antiquis in museo Vaticano.

P · RVTILI · L · Γ *sic*
VIVIT
IN · FRONT
PED · XIIX
IN · AGR · P · XIIX

Descripsi.

1086 tab. marm. litt. magnis et bonis rep. a. 1794 in via Nomentana, extat in museo Vaticano.

O · L · L · SCVRRAE · HOMINI
...... *pi*SSVMO · MAXVMAE
probitatis OPTVMO · LEIBERTO
patronus FECIT

Descripsit Henzen.

1087 Romae olim in hortis Matteis, nunc in mus. Vat.

CN · CN · CN · SEPTVMIEIS · CN · CN · C · L
PHILARGVRVS · MALCHIO · PHILEROS · ARG
CORNVFICIA · Ɔ · L SELENIO
SEPTVMIA · CN · CN · L AVGE

Ritschl tab. XCIII D ad lapidem. Ed. Mur. 977, 5 ex sched. Ptolomeis; Maffei M. V. 267, 3; Donat. 427, 9 ab abbate Galletto.

1088 litteris antiquis in rudi cippo ex lapide Tiburtino reperto in vinea Moronia *Marini*. In museo Vaticano descripsit *Kellermannus*.

VIVIT
STEPHANI
SERVILIAI
SILA*ni* L ·
in fr. p. XII

Marini Arv. p. 93, item in schedis Vaticanis 84; Kellermannus in schedis qui vidit. Tractavit Borghesius *ann. dell Instituto* 1849 p. 18.

Servilia Silani haec filia est Q. Caepionis, uxor D. Iunii M. f. Silani cos. a. 692, mater Bruti, cui interfecto a. 712 superstes fuit. Quare quamquam vix huius aetatis est, tamen excludere nolui.

1089 Romae ad S. Petri.

ANTHVS · SVLPICIVS · POSTVMI · L
SVLPICIA · Q · L · VIXIT · ANN · VII
AELIAE · CONLIBERTAE · ET · SIBI

Sirmond ms. Paris suppl. Lat. 1417, 229 = 1420, 219, qui vidit (inde Grut. 1153, 8).

Recepi, quoniam antiquum morem servare videtur in nominibus, quamquam mihi conturbata potius videtur quam remotae antiquitatis. Certe AELIAE corruptum est.

1090 rep. in via Appia a. 1851.

l. ..... VS · L · F · POM · LICINVS
*? poll*A · TEIDIA · SEX · F · VXSoR
.... EIVS · L · F · CAPITO · FILI*vs*
*hoc sep*VLCRVM · HEREDEM · NON
*se*QVETVR

Ritschl tab. XC H ad lapidem. Ed. Borghesi apud Iacobinium *scavo della via Appia* p. 8; Henzen *annali* 1852 p. 315; Canina via Appia p. 140. 227.

Cogitari posse v. 1. 3 aut de Ateiis aut de Fonteiis Capitonibus, uxorem v. 2 videri filiam consulis a. 31 p. Chr. Sex. Teidii Catullini observavit Borghesius. Quare ne haec quidem ad liberam rei publicae aetatem videtur ascendere.

1091 Romae in via Appia rep. 1851.

C · L · P · TRE *boni*ORVM P P C *f*
THVRARIE*i sibi* ET · LIBERTEIS
P · TREBONIVS *c p* L NICOSTRAT*v*S
M · C · P · L · MALCHIO
D · C · L · OLOPANTVS
M · C · P · L · MACEDO
A · C · P · L · ALEXSANDER
TREBONIA · C · P · L · IRENA
TREBONIA · C · P · L · AMMIA

Ritschl tab. XCIII c ad lapidem. Ed. Henzen *annali* 1852 p. 310 et in syll. n. 6364 (cf. p. 508). Canina App. p. 224 n. 14.

1 praenomina paterna similiter habes coniuncta supra n. 817. — 2 THVRARIE*is et* LIBERTEIS Henzen, quod non sufficit ad spatium implendum. — 4. 5. 6. 7 litterae singulares cum vix praenomina hoc loco significare queant (quomodo enim a Gaio, Lucio, Publio dominis fiunt Marci, Decimi, Auli liberti?), vide num ad cognomina ubivis supplendum sit P · TREBONIVS et in spatio vacuo formula scripta *monumento dolus malus abesto*. — 5 vide ne sit DIOPANTVS, quod tabula fortasse admittit. — 8 C · D · L tabula; retinui quod legit Henzenus.

1092 litteris antiquis non bonis in topho reperto in via Appia 1851.

SEX L HILARA
SEX · TREBONI
VS · SEX · L ·
TRVPHO TVRA
REIS · INAGRO ·
P XX · IN FR·P XXIIX

Henzen *annali* 1852 p. 310 et syll. n. 6365. Canina App. p. 214 n. 15.

1093 rep. in via Appia.

TVRRANIAI · M · L · HELENAI · M · TVRRANIVS · M · L	
C · TVRRANIO · M · M · L	PAMPHILVS
HERACLEONI	TVRRANIA · FLORA
C · TVRRANIVS · C · L · RVFIO	TVRRANIA · M · L · PHILIA
TVRRANIA · C · C · L · CHILA	TVRRANIA · M · L · ITALIA

Ritschl tab. XCA ad lapidem. Canina Appia p. 222. Misit mihi Henzen. Nullo modo videtur esse huiusce aetatis.

1094 litteris antiquis in lap. Tiburtino apud Fabrettum.

VALERIA · A · A · L · RVFA
EMIT · AEDIFICAVIT
SIBI · ET · SVIS · A · VALERIVS
A · A · L · PILIIM

Fabr. 307, XXXIV.
4 PILII · M · Fabrettus. Est Pilemo.

1095 litteris magnis et antiquis in lapide Tiburtino Romae in villa Valentinia sive Marescottiana.

.... ERIVS
.. CLARVS
.cN · CN · L · ANTIOCV
.cN · CN · L · DIPHILVS
.. VALERIA · CN · L
.. PHILEMATIV
.cN · VALERIVS
.. CN · L · TVRPIO
INFR · P · XII
INAGR · P · XI

Exscripsit Kellermann.

1096 in operculo urnae rotundae marmoreae. Romae in villa Mattei.

HEIC · SVNT · OSSA
VARIAE · C · L · GLVCERAE
FEMINAE · SANCTISSVM

Henzen descripsit hieme a. 1856, postea frustra quaesivit.

1097 Romae.

T · VEDIVS · V · F	CAEDIA · C · F · VEL	VARIANA · C · F ·	VIB · VEDIVS
	SECVNDA ·	GAVA	SERT · F ·
	T · VEDIVS · T · F ·	PARENTIBVS ·	FECIT

Marinius in schedis Vatic. 81.

Vibii praenomen notum est; Sertoris Varro (apud auct. de nom. c. 4; cf. Fest. s. v. p. 340) quamquam recenset inter praenomina desuetudine abolita nominaturque Sertor Resius Aequiculanus (ib. c. 1; cf. Victor vir. ill. 5) et in titulis Umbris denique idem praenomen invenitur, tamen in Romano homine nunc primum prodit ex hoc titulo. Mulierum huius tituli nomina incerta sunt et fortasse corrupta; nam nec VEL illud habeo quo referam et offendit nomen Varianae.

1098 Florentiae in museo Strozziano.

C · VEIVS · T · F · MAI////	BASILIA · SP · F · POSILLA
HOMO · FRVGI · ET · TV	OPTVMA · FEMINA · SALVE

Gori 1, 369, 118.

1099 litteris antiquis, inter repositos lapides musei Vaticani.

L · VERGILIVS · L · F · SER	
TERTIA · BASILIA · L · F ·	CASSIA ·
CAS · PIA	A · LVTATIVS · A
	LVTATIA · A · L
	CASSIA · Ɔ · L
	CASsIA · Ɔ · L

Descripsi.

1100 in cippis duobus similibus ex lapide Albano, rep. ad viam Appiam.

[illegible]	DIPILI
DIPILI	IN · FRONT · P · XIIX
IN · FRONT · P · XIIX	IN · AGR · P · XX

Henzenus descripsit.

1101 litteris antiquis, Romae in columbario Campanae.

M · VICENSVMARIVS
M · L · AVCTVS
V · A · V

Descripsi.

1102 Romae in museo Vaticano.

Q · VOLVSIVS
Q · L · NICEPORVS
V · VOLVSIA
Q · L · RVFA

Ritschl tab. XCIIJ ad lapidem.

1103 Romae emit Chaupyus.

OSSA · HEIC · SVNT
VRBILIAE · PRIMI · MIHI · ME · PLVRIS
DECESSIT · AN · XXIII · CARISSVMA
SVIS

Marini *iscr. Alb.* p. 100.
2 *Primi* viri nomen est.

1104 rep. in villa Pinciana duobus exemplis.

L · VRSIO · L · L
PILEMONE
VRSIAE · L · L · NICE
IN · AGRO · L · P · XIIX
IM · FRONTE · L · P · XIIX

Guattani mon. ined. 1787 p. 88.

1105 in pavimento operis Signini Romae in insula Tiberina reperto m. Martio a. 1854 sub ecclesia S. Iohannis Calibitae.

C · VOLCACI C · F HAR · DE · STIPE IOVI I·VRARIO | *latent litterae circiter novem* | ONIMENTOM

Ex tabula Viscontiana actis academiae Romanae inserenda repetivit Ritschelius tab. LIX A indidemque ed. Canina *Bullett. dell' Inst.* 1854 p. XXXVII et Henzenius n. 5633 a.

Viscontius initio deesse *ex sententia* statuit, deinde legit suppletve IVRARIO *factum* MONIMENTOM; quae mihi tamen minime persuasit. Primum ab initio nihil videtur deesse, sed C · VOLCACI solitus est nominativus. Deinde Iupiter ὅρκιος mire quidem dicitur *iurarius*, sed potuit ut a ture turarius, a munere, vulnere munerarius, vulnerarius, ita a iure(iurando) declinari iurarius. Tabula tamen inter primam vocabuli litteram I dimidiatam et V monstrat tessellam insertam, qua videtur lectio labefactari. Admodum vero offendit MONIMENTOM in titulo, qui ne L quidem angulatam habet neque ullum praeterea valde remoti aevi indicium prae se fert. Praeterea Iovi monumentum fieri certe dicitur absurde. Quare aut legendum *aram cum monimento m(erito)* aut fortasse pro *monimento* substituendum erit *pavimento*. — Ceterum Iovis aedes in insula nota est (Becker Top. 1, 652) et recte praeterea Canina contulit inscriptionem eodem fere loco (nempe in domo D. Marci de insula) repertam vicini templi Aesculapii (Mazoch. 151, 8, inde Grut. 69, 11; Cittadin. ms. p. 103): .... VAL*erius* · L · F · FLACCVS · AID · DE | STIP · AESCVLAPI · FACIVNDVM (sic Citt., FACIVDVM Maz.) CVRAVERE · LOCAVER*e* | EIDEM · PROBAVERE (sic Citt., APROBAVERE Maz.). Lacunas post D et LOCAVE notavit solus Citt.

1106 lapis Tiburtinus Romae repertus, extat in museo Vaticano.

F A V O N I A · M · F
SACERDOS · CERERIS
PVBLICA · P · R · Q

Ritschl tab. XC J ad lapidem. Ed. Morcelli de stilo I p. 276 ed. pr.

Alterius eiusmodi sacerdotis titulus item urbanus legitur apud Orell. 2187 *(Casponia P. f. Maxima sacerdos Cereris publica populi Romani Sicula)*. Cf. Cic. pro Balbo 24, 55; Marquardt *Handb.* 4, 310.

1107 Romae in vinea pontificis.

A N V S · A L
DVOM · VIR
CONLEGI · ANVLARI
LOCVM · SEPVLCHR · M
IN FRONTE · PEDES · XXV
IN AGRO · PEDES · XXV
DE SVA · PEQVNIA
CONLEGIO · ANVLAR
DEDIT IO

Pighii cod. Berol. f. 152 (inde Beger spic. p. 81 et Mur. 2015, 5).

1108 in cippo Tiburtino praegrandi Romae.

CONLEGEI · SECTO*rum*
SERRARIVM

Sirmond. ms. Paris. suppl. Lat. 1417 n. 33 = 1419 n. 142 et 223.

Cf. Gloss. Philox. p. 116 Labb.: 'λιθοπρίστης, serrarius, lapidarius', item tituli Italicenses *stationem serrariorum* qui commemorant (Hübner *Monatsberichte der Berliner Akademie* 1861 p. 93). *Serrarium* genetivo ut supra n. 588 *sorom.*

1109 litteris rudibus; Ostiae rep. a. 1778.

I O V I · O P T V M O
M A X I M O · E X · V I S O
A R A M · A E D I F I C A V I T
P · CORNELIVS · P · L · TRVPO
MESOR
PREC

Marini sched. Vat. 80 = Arv. p. 26. Fortasse rudis potius quam antiqua. — 6 videtur esse *prec(ario)*, scilicet *loco*.

1110 in epistylio aediculae '*nella vigna a sinistra della via alla base di Monte Giove nel territorio di Civita Lavigna, sul principio della via che comincia sotto il detto monte, denominata delle selve vecchie. Dirimpetto alla vigna a destra della via vi sono ruderi, a cui la lapide può aver appartenuto' Rosa.* Falsum exemplum extat Basileae in museo per Hornerum pictorem eo adlatum Roma, quod repertum narrant in montis Palatini radicibus circum maximum versus.

Q · CAECILIVS · CN · A · Q · FLAMINI · LEIBERTVS · IVNONE · SEISPITEI
MATRI · REGINAE

Ritschl tab. LXII A lapidem genuinum proposuit, tab. LXI exemplum falsum. Illo latente adhuc hoc cum ad me adlatum esset non tam suspectum quam conclamatum propter recentem tabulae habitum litterarumque formas prorsus singulares, ego cum argumentum ita comparatum viderem, ut titulus a falsario confictus esse non posset, patrocinium eius suscepi in *Bull.* 1853 p. 170 et museo Rhen. novo 9 (1854) p. 450, sane non ignorans, imo diserte professus, aliquot elementa ita ut ibi figurata essent praeterea non inveniri, sed litteris nuper praeterea in tabula purganda refictis minus diffidens quam confidens rationibus ex tituli argumento deductis. Quo commentario edito prodiit mox exemplum genuinum (cf. inscr. Helv. n. 36*; mus. Rhen. nov. l. c. p. 639; Henzen n. 5659 a) itaque confirmavit utrumque et lapidem Basileensem incisum esse a manu recenti (id quod postea demonstravit Ritschelius in mus. Rhen. novo 14, 284—298) et titulum ipsum sincerum esse et incorruptum. Ego vero quamquam in ea re indicanda partem tantummodo veri vidi, tamen ut dicam quod sentio commentario illo non spernendum aequis iudicibus documentum proposuisse mihi videor, quam non sit vana haec quam profitemur ars critica epigraphica.

1 Q. Caecilium Gnaei et Auli Caeciliorum et Quinti Flaminii libertum esse significatur; cognomen deest more prisco. — De Iunonis cognomine primo cf. Festus p. 343: *sispitem Iunonem quam vulgo sospitem appellant antiqui usurpabant;* ubi apparet male Ursinum correxisse *sispitam*. Secundum cognomen ante hunc lapidem inventum non habebamus nisi prima littera notatum et in nummis et in lapidibus; quam ante inventum hunc lapidem male solutam esse neque *magnam*, sed *matrem reginam* dictam esse Iunonem Lanuvinam ex hoc demum titulo intellectum est.

1111 in lapide Tiburtino alto m. 1. 35, largo 0. 36. Extat Fidenis sub villa Spadae.

PVBLIC · FID ·
L · MANILI · Q · F
L · MARCI · L · F
DVO · VIREI · III
TERMINAVERE

Detlefsenus et Rosa descripserunt; ed. Henzen *Bullett.* 1860 p. 172.

1 PVBLICum FIDenatium Henzenus, citans syllogae suae 5148: *ad promuntur(ium) Veneris public(um) Circeiens(ium) usque ad mar[e]*. — 4 sub Gallieno qui reperiuntur praefuisse Fidenatium rei publicae dictatores duo (Orell. 112) abusive sic dictos esse dudum observatum fuit (cf. Henzenum in ann. inst. 1859 p. 195 meamque hist. Rom. 1, 333 ed. 3); iam titulus hic aliquot saeculis antiquior pristinam horum magistratuum appellationem ostendit.

1112 Tibure reperta in vico Iudaeorum, extat in aedibus Boschi.

FELICITATEI
T · CAVPONIVS · T · F · AED
C · AVFESTIVS · L · F

Cabral e del Rè *ville de Tivoli* (Rom. 1779) p. 127 (inde Henzen n. 5818).

3 ANTESTIVS malim.

1113 parva basis marmorea, Tibure in hortis collegii antiqui soc. Iesu a. 1736 reperta *Vulp.*

HERCVLEI
C · ANTESTIVS · CN · F
CENS
DECVMA · FACTA · ITERVM
DAT

Volpi *diss. Cortonesi* 2, 176 (inde Mur. 60, 1) et Lat. vet. 10, 151. De decuma vide supra p. 149.

1114 Tibure reperta *Oder.* Nunc in museo Vaticano inter lapides repositos.

SEI · DEVS
SEI · DEA

Descripsi cum Henzeno. Ed. Oderici p. 184. 285 (inde male Orell. 2137) ab amicis. Henzen 5952.

1115 in valle Gaudenti prope Tibur.

LAPIDES · PROFANEI · INTVS · SACRVM

Fabrett. 674, 14 ex schedis Holstenii.

1116 Tibure nuper reperta.

EQVITES · DEDERVNT
COIRAVERVNT
..plaVTIVS · T · F DE

Ritschl tab. LXXV H ad lapidem. Descripsi. Ed. Viola Tivoli p. 260, inde Bullett. 1849 p. 95.

3 malim DEdicavit quem DEcurio; nam eiusmodi munera hac aetate non solent enuntiari in titulis. Qui donant sunt opinor Tiburtini equites qui inter socios Latinos exercitus Romani meruerunt; ut sit titulus similis Corani n. 1148; cf. n. 1172.

1117. 1118 *La villa di Mecenate a Tivoli nella sua estensione intercettava la via Tiburtina, che obliquamente la tagliava; quindi si fece una specie di strada coperta, la quale sotto il nome di Porta Oscura esiste ancora. Nibby.*

1117 apud Tibur in fenestra quadam facta in muro fornicis cuiusdam maximi aedificii viam publicam obtegentis *Iuc. f.* 101 in quodam aedificio antiquo apud portam obscuram in fornice ipsius aedificii *Iuc. f.* 130.

C · RVSTIVS · C · F · FLAVOS · ITER
L · OCTAVIVS · L · F · VITVLVS
IIII · VIR · D · S · S ·
VIAM · INTEGENDAM
CVRAVER

Iucundus cod. Ver. f. 101. 130. Apian. 189, 3. Accursius ms. Smet. 1, 4, cui exscripsit Ant. Morillonius. Grut. 150, 1 ex Smetio et Apiano. Idem repetit 150, 3 confusam cum eiusdem generis alio titulo valde corrupto, qui seorsim legitur apud Mur. 1648, 21.

2 OCTAVIAS Acc.

1118 ibidem in alio lapide opposito *Iuc. f.* 130. Nunc in museo Vaticano.

L · OCTAVIVS · L · F · VITVLVS
C · RVSTIVS · C · F · FLAVOS · ITER
IIII · VIR · D · S · S ·
VIAM · INTEGENDAM
CVRAVER

Ritschl tab. LXXV K ad lapidem. Exhibent Ferrarinus cod. Veron. f. 146; Iucundus cod. Ver. f. 130; Apian 189, 1; Grut. 150, 2 ex Iacobonio et Apiano; Vulpi 10, 102. 222. 660; Cabral e del Re *ville* p. 39; Nibby *viaggio antiquario* 1, 173.

Tituli duo hi et tres qui sequuntur similes num sint huius aetatis, non definio. Certe n. 1119 eiusdem est qui hic nominatur L. Octavii.

1119 Tibure in basilica S. Iohannis apud eandem portam obscuram supra clibani os.

L · OCTAVIVS · L · F · CAM · VITVLVS
IIII · VIR · I · D · ITER

Iucundus cod. Ver. f. 130. Versuum divisio incerta.

1120 'sic ter scriptum est' *Iuc.* Tibure in vico Coccerini *Iuc. Fabr. Mur.*

TVL·TVLLIVS·TVL·F·P·SERTORIVS·P·F
CENSORES

Iucundus cod. Ver. f. 134; cod. Redii 126a 3 apud Gud. ms. 893 c; Fabrett. 242, 659 ex sched. Barb.; Mur. 751, 4 e schedis suis.

1121 Tibure in *torre del Conte* antiquo aedificio litteris grandibus *Acc.*

L·NONIVS·L·F·PANSA
TVL·TVLLIVS·TVL·F
IIII·VIR·D·S·S·F·C
C·MANIVS·C·F
L·MAGILIVS·L·F·ITERVM

Accursius ms.; Sirmondus cod. Paris. suppl. Lat. 1417 f. 43 (inde Grut. 1078, 13); Grut. 1080, 5 e Pighianis.
3 MANNIVS Acc. — 4 MAGILIVS Grut. 1080. — ITERVM om. Sirm.

1122 lapis ingens Tibure iuxta arcem, ubi per auctumnum follem agitant seminarii convictores.

TAMVLIVS·I
PONTVFEX

Vulpi Lat. vet. 10, 153, cui exscripsit Lesleus.

1123 litteris vetustis in ipsa rupe incisis, ad tullios Tiburtinos.

DAMOCRAt
COTTAE·L·S
HOC·OPVS·F

Marini iscr. Alb. p. 182 a Cabral.
2. 3 extr. puncta apposuit Mar.

1124 Tusculi.

iOVI·LIBERTAri
SACRVM
POSITVM·AEDIL
P·VALERI·BASSI
PRAEF·FABRVM


Ritschl tab. LXXVL ad lapidem. Ed. Nibby *viaggio* (1819) 2, 44; Orell. 1282; alii.
Nequaquam huius aetatis.

1125 *vasca di peperino con incastro per tubo di piombo e con foro rotondo per far uscire l'acqua.* Tusculi ad sinistram emissarii sub moenibus.

Q·COELiuS·Q·F·LATIN·M·DECVMIVs....
AED · DE·S·S

Ritschl tab. Lc ad lapidem. Ed. Nibby *viaggio* (1819) 2, 49 al.

1126 cippus quadratus e lap. Tib. Marini in vinea Io. Bapt. Valentis.



Amadutius in schedis bibl. Savignanensis, qui habuit ex schedis episcopi Trebiani Philippi Valenzae; Vignoli p. 324 (inde Mur. 481, 2).
2 PACILI Vign. — 5 CONLOCA Am.

Duo lapides, litteris aetatis liberae rei publicae; Nemi.

1127 LEICINIVS·L·F

1128 C VOCONIVS C F

Detlefsen misit.

1129 Praeneste *Iuc.* Male Tibure *Mur.*

CISIARIEI·PRAENESTINEI·F·P·D·D
MAG·CVR·T·OSENIANVS·L·L·LICIN
M·POMPEIVS·ᴵELIOD
MINISTREI·NICEPHORVS·C·TALABARAI·S
NICEPHORVS·MITREI

Codex Iucundi Ver. f. 169, Magl. f. 110; Mur. 108, 4 e schedis suis. Idem exemplum est.
Versuum divisio incerta est. — 1 CISARIEI Mur. — F·P Mur., F Magl., C Ver. — 2 TOSENIANVS Ver. Magl., EOSEMANVS Mur. — 3 FELIOD traditur. — 4 LICEPHORVS Mur. — TALABORAI Mur.

1130 Praeneste. *'Si leggeva mezza corrosa nell' arco esistente sulla strada superiore, che dall' occidente ascendeva alla sommità del tempio'* Cecconi.

COLLEGIV·MERCATOR......
PEQVARIORV·MAG·COIR·VVCIP...
C·PATRONICI......................
F·P·D·D·L·M.....

Cecconi *stor. di Palestr.* p. 38 (inde Petrini *mem. Pren.* p. 307 n. 39).
Videtur fuisse fere: *collegiu mercator[u] pequarioru; mag(istrei) coir(auere) [M.] Cip[i(us)] M. l.] C. Patroni(us) C. [l.] F(ortunae) p(rimigeniae)* vel *P(raenestinae) d(onum) d(ant) l(ibentes) m(eritae).*

1131 Praeneste retro palatium episcopi in basi humili rudique, sed littera pulchra *Smet.*

LANI·DANT·MAG·COERAVERE
L·LIGVRIVS·L·L·ANTIOCHVS
P·DINDIVS·P·L·DAVOS·CALIDVS
Q·PETRONIVS·Q·L·SALVIVS
SEX·PONTIVS·SEX·L·STABILIO

Smet. 13, 4 q. v. (inde Grut. 173, 3; Cecconi *stor. di Pal.* p. 38; Petrini *mem. Pren.* p. 294 n. 3).

1132 Praeneste ante paucos annos reperta *Cecc.*

G·MAG·COIr
NDER·PLAVTIVS·L·M
NVS·CORDIVS·A·S·T·P

Cecconi *stor. di Pal.* p. 101 (inde Petrini *mem. Pren.* p. 377 n. 72).
1 com traditur. — 2. 3 praenomina sunt ex eorum genere, quae postea abierunt in libertinorum cognomenta. In L·M·A·S·T·P latet fortasse *Libentes Merito Votum Solvunt Fortunae Primigeniae.*

1133 in interiore parte coronae foliorum palmarumque ex lapide vulgari *(pietra della montagna di Palestrina)*. *'Nella parte interna la corona si vede essere di fetture avvolte a spira, dalle quali partono foglie d'acanto. Nel prospetto si veggono fiori e tra i fiori de' bucherelli, entro i quali erano smalti, che rappresentavano gemme'.* Repertam Praeneste Ludovicus Vescovali dono dedit museo Kircheriano.

FORTVNA · PRIMe
sic L · DCVMIVS · M · F
DON · DED ·

Henzenus descripsit et misit. Ed. *Civiltà cattolica* 1857 ser. III vol. 8 p. 364.
1 id est *Fortunae primigeniae.* — 3 extr. punctum magis videtur esse quam littera I.

1134 in basi marmorea alta palm. 3 reperta Praeneste in vinea Petruccini *appiè del viale della Fontana. Cecc. Petr.*

C · TAMPIVS · S · F · SER — *in latere:*
TARENTEINVS · PR — N......
HERCVLE · D · D · L · M

Cecconi *stor. di Pal.* p. 59; Petrini *mem. Pren.* p. 309 n. 49.
1 S · F Cecc., C · F Petr. — SE Cecc. — Inscr. in latere om. Petr.

1135 Praeneste *a lettere palmari sul fregio de' due archi che formano i lati dell' ultimo semicircolo del tempio della Fortuna.*

in priore arcu
d|EC · POP *q praenes*TIN
in secundo arcu
|FA · COER · ET · SIGNA · RESTIT

Petrini *mem. Pren.* p. 323 p. 2.
Videndum num Praenestini tituli ii, in quibus pro senatu (n. 1138. 1139. 1142. 1143) praetoribusque (n. 1134. 1136. 1137) nominantur decuriones (v. praeter hunc n. 1140) et duoviri (n. 1140. 1141), aetatis sint recentioris.

1136. 1137 litteris vetustis *'in rozzo marmo nostrano' Cecc.* in cippis quadratis altis palm. 3 repertis Praeneste in foro antiquo, id est in vinea Torcioli Sancti sive Terzoli *Suares. Ceccon.* Interierant iam aetate *Petrinii.*

in altero
C · SAVFEIVS · C · F
FLACCVS
C · MAGVLNIVS · C · F
SCATO · MAXS
PR
SACRAVERVNT

in altero
C · MAGVLNIVS · C · F
SCATO · MAXS
C · SAVFEIVS · C · F
FLACCVS
PR
SACRAVERVNT

Suares. Praen. ant. (Rom. 1655) in add. p. 280; Mur. 132, 1 ex Suaresio et Oliverio; Volpi Lat. vet. 9, 175 omnino ex Suar.; Cecconi *stor. di Palestrina* p. 24 qui vidit; Chaupy *maison d'Horace* 2, 316. Ex prioribus Petrini mem. Pren. p. 294 n. 1.
n. 1136 v. 1 SAVFFEIVS Chaupy. — 2 om. Chaupy. — 3 in. G Cecc. — C · F om. Suar. — 5 PP Chaupy.

1138 litteris magnis et vetustis, extra Praeneste rep. in via Tiburtina.

L · SAVFEIVS · C · F · FLAC
Q
VIAM · STERNENDAm
D · S · S · CVRAVIT

Cicerchia ann. 1855 p. 87. — 1 num legendum C · SAVFEIVS?

1139 lapis integer est, etsi tituli altera pars deest. Rep. una cum praecedente, cuius simillimus est.

c. magulnius|C · F · SCATO · Q
cancell|OS · VIGLIAS
facienda rest|ITVENDA · S · C · C

Cicerchia l. c.
Puto de porta agi. Viglias, id est opinor vigilias, de ipsis excubitoriis praeterea non reperi.

1140 tabula lapidis Tiburtini, Praeneste rep. a. 1778 in foro antiquo *Petr.*, nunc Romae in museo Vaticano.

C · CAESIVS · M · F
C · FLAVIVS · L · F
DVOVIR · QVINQ
AEDEM · ET · PORTIC
D · D · S · FAC · COER
EIDEMQ · PROB

Ritschl tab. XCIII B ad lapidem. Ed. Marini Arvali p. 62; Petrini *mem. Prenest.* p. 330 n. 18.

1141 Praeneste rep. in ruinis thermarum ad eccl. S. M. de aquila; extat in aedibus Rischj *Petrini.*

Q · VIBVLEIVS · L · F
L · STATIVS · SAL · F
DVO · VIR
BALNEAS · REFICIVND
AQVAM · PER · PVBLICVM
DVCENDAM · D · D · S ·
COERAVERE

Ritschl tab. LIII B ad lapidem. Ed. Petrini *mem. Pren.* p. 354 n. 84.

1142 Praeneste ante urbem extra portam qua itur Albam ad sacellum quod est prope castellum aquarum *Smet.*

C · SAVFEIVS · C · F
M · SAVFEIVS · L · F
PONTENVS
AID · EX · S · C

Pighius cod. Berol. f. 212; Smet. 13, 8 qui vidit, unde sumpsisse se aiunt Grut. 129, 3, Cecconi *stor. di Pal.* p. 26, Petrini *mem. Pren.* p. 325 n. 7, neque magis lapidem videntur vidisse Suares. Praen. ant. p. 68 et Volpi Lat. vet. 9, 173.

1143 Praeneste rep. c. a. 1800.

M · SAVFEIVS · M · F · RVTILVS · Q
C · SAVFEIVS · C · F · FLACVS
CVLINAM · F · D · S · S · C · EISDEM
Q · LOCVM · EMERVNT DE
L · TONDEIO · L · F · PVBLICVM
EST · LONGV · P · CXↆVIIIS
LATVM · AF · MVRO · AD
L · TONDEI · VORSV · P · XVI

Ritschl tab. LIII A ad lapidem. Ad Akerbladii exemplum a Borghesio missum ed. Henzen *Rh. Mus. N. F.* 5, 464 et in syll. 6601 (cf. p. 512).

1144 in pinea; Praeneste rep. 1857 ad ecclesiam S. Mariae in Villa.

C · ANCHI · T · F

Henzen *Bullett.* 1858 p. 94 n. 10 cf. p. 96.

1145 Signiae apud Franciscum Cantorem *Lig.* nunc in curia.

P · HORDEONIVS · P · F
GALLVS · HERCOLEI
M · CAECILIVS · M · F · RVFVS
C · CLAVDIVS · C · F · PRISCVS
IIII · VIR · I · D · S · C · AVGVRES
AEDEM · REFICIENDAM · SIGNVM
TRANSFERENOVM · BASIM
PONENDAM · CVRAVE · P · P

Ritschl tab. LXXXIX D ad lapidem. Descripsi. Ed. Mur. 477, 2 ex Ligoria; Gerhard *annal.* 1829 p. 88.

Ipsa inscriptio narrat titulum eius qui signum dedicavit v. 1. 2 restitutum esse in basi nova sub signo antiquo.

1146 Signiae in pariete domus prope portam.

M' · MEMMIVS · M' · F
PR
SIGNA · BASEIS
DE · SVA · PECVNIA

Ritschl tab. LXXV F ad lapidem. Descripsit et edidit Henzen *Bullett.* 1851 p. 198 et syll. n. 7023.

1147 Signiae in aedibus canonici Toti.

C · VOLVMNIVS · C · F · FLACCVS } IIII · VIR · I · D
Q · VOLVMNIVS · Q · F · MARSVS }
CRVPTAM · ET · LOCVM · VBI · CRVPTA · EST · ET · AREAM
VBI · VIRIDIA · SVNT · MVNICIPIO · SIGNINO · DE · SVA · PEQ · DEDER

Ritschl tab. XC B ad lapidem. Ed. Gerhard *annali* 1829 p. 87.

1148 Corae.

Q · POMPONIVS · Q · F
L · TVLIVS · SER · F
PRAITORES · AERE
MARTIO · EMERV

Ritschl tab. L B ad lapidem. Ed. Henzen *annali* 1846 p. 254, syll. n. 7022 descriptam ab Ussingio et Stephanio.

Aes Martium est pecunia ex praeda redacta; pertinet igitur titulus ut Tiburtinus similis n. 1116 ad eam aetatem, qua Coranis utpote sociis, non civibus praedae pars attribui solebat, id est scriptus est ante legem Iuliam de civitate sociis danda. Eodem ducunt litterarum forma sermonisque indoles; nam cum propter *u* in declinatione secunda bellum Hannibalicum titulus non superet, tamen *L* acuta maxime, praeterea geminatio omissa aliaque vetustiora eum septimo saeculo priorem esse demonstrant. — 4 EMERV in lapide est, non EMERV', id est *emerut.*

1149 Corae in aede antiqua q. d. Herculis.

M · MANLIVS · M · F · L · TVRPILIVS · L · F · DVOMVIRES · DE · SENATVS
SENTENTIA · AEDEM · FACIENDAM · COERAVERVNT · EISDEMQVE · PROBAVERE

Ritschl tab. LXVIII C ad lapidem. Exhibent Iucundus cod. Ver. f. 63, Magl. f. 106; Apian. 184, 1 (inde Grut. 128, 7); Fabrett. 342, 258 ex vetere suo ms. optimae notae; Vulpius 4, 138 qui vidit (inde Mur. 147, 4); Winckelmann *stor. delle arti* 3, 52 ed. Feanae; Io. Anton. Antolino *l'ordine dorico ossia il tempio d'Ercole nella città di Cori* Rom. 1785 fol., ubi titulus incisus est; Piranesi fast. Capit. tab. V. IX; Chaupy *maison d'Hor.* 3, 385; Nibby *viaggio* 2, 209. Praeterea ex schedis Ursinianis, id est ex Ligorio circumfertur exemplum interpolatum (Grut. 43, 5), ubi in priore nomine pro Manlio legitur TVRPILIVS, praeterea post AEDEM inseritur HERCVLI, ut minora mittam.

1 MALLIVS Ap. Fabr., MANLIVS Iuc. Vulpi Nibby. — 2 SENTENTIA antiqui. — Winckelmannus l. c. aedem indicat esse aetatis Tiberii, quod sermonis ratio non admittit indicans potius aetatem Sullanam.

1150. 1151 Corae in templo Castorum.

1150 .. CALVIVS · P · F · P · N · C · GEMINIVS · C · F · MATEICLVS · AEDem
CASTORIS · POLLVCIS · DE · S · S · FACIENDAM · PEQVN · SACr · COERAVERunt
m · CALVIVS · M · F · P · N · C · CRASSICIVS · P · F · C · N · VERRIS · D · S · S · PROBarunt dEDICARQ

Ritschl tab. LXVIII A ad lapidem. Ed. Vulpi et in app. ad Ios. Fini *memorie di Cora* Rom. 1732, quem librum non vidi, et apud Calogeram 19, 145 (inde Mur. 1988, 3).

1 AEDEM Vulpi. — 2 COERAVERE Vulpi. — 3 ... EDICAR ... Vulpi.

1151 *c. geminius c. f. mateiclus ...calvius p. f. p. n. aedem* · CASTORI · POLLVCI · DE · C · S · FACIENDAM · PEQ · SACR COEr *a u e r u n t*
c. crassicius p. f. c. n. uerris M · CALVIVS · M · F · P · N *d. s. s. prob. dedq.*

Ritschl tab. LXVIII B ad lapidem. Ed. Vignoli col. Ant. p. 180 a Marsilio Cataldo Corano; Vulpius vet. Lat. 4, 131 (inde Mur. 147, 2), qui ibi tab. XII aere expressit; Mur. 142, 1 ex Ligorio; Chaupy *maison d'Horace* 3, 385; Nibby *viaggio* 2, 207, *analisi* 1, 501.

1152 Corae in fascia marmoris rubri in pavimento ex opere musivo 80 fere pedes longo ad aedem Castorum *Vulp.*

C · CVRTIVS · C · L · PHILO *reliqua sub muro latent*

Ritschl tab. LXXV B ad lapidem. Ed. Vulpi vet. Lat. 4, 131. Non huius aetatis.

1153 ara rotunda cum bucraniis et sertis Corae.

FORTVNAE · OPSEq
P · PEILIVS · L · F · C · CALVIVS · P · F
CENS

Ritschl tab. L F ad lapidem. Ed. Henzen *annali* 1846 p. 260 = syll. n. 5789 descriptam ab Ussingio et Stephanio. Descripsi et ipse.

1154 basis hexagona bucraniis rosisque inter triglypha ornata Corae.

M · A V L I V S · C · F
BVXSVS
L · SALEIVIVS · L · L
PHILOCLES
SIGNVM · BASIM
CONCORDIAE
DANT

Ritschl tab. XCII H ad lapidem, quem ipse descripsi.

1155 Corae *Iuc. Ap.* in aede Petri de Monte *Fabr.*

PAVL · TOVTIA · M · F · ET
CONSVPLICATRICES

Codex Iucundi Ver. f. 63, Magl. f. 106; Apian. 184, 2 (inde male Grut. 60, 7); Fabrett. 342, 527 ex vetere suo ms. Delineatur apud Piranesium in indice fastorum Capitolinorum nec tamen ex lapide, sed inter ornamenta varia prout scalptori placuit composita.

Duo exempla extant, Iucundi, quod expressit Apianus, et Fabrettiani codicis; versuum ordinem dedi ex hoc. — 1 TONTIA Magl. Ap. *Tutiae Clepani* (uxoris) titulus item Coranus legitur apud Iucundum l. c., Apian. 184, 4, Grut. 477, 2, Mur. 1106, 4. — 2 CONSVLPICATRICES Iuc. Ap. — Praecedit apud Iucundum Apianumque, sequitur apud Fabrettium alter titulus ibidem olim servatus, sed ab hoc separandus et recentioris aetatis hic: CERVARIA · SP · F · FORTVNATA ‖ MAGISTRA ‖ MATRI MATVTAE ‖ D · D.

1156 Corae *Iuc. itaque omnes praeter Donium, qui errore credo collocat* Praeneste. *'Questo frammento si vede in quel luogo dove dicono esservi stato il tempio della virtù'.* Lig.

IAE · SERVEIS · CONTVL · HS ΦΦΦↁV · MAG · X · DED · HS
S · SALEIVI · P · S · LEIBER · COERAVIT · TIMOTHEVS · POPLI · L · M · S
ANTIOCHVS · POP · S · LEIBER · COERAVIT · PETRO · FVRI · L · S
FVRI · L · P · C · S · ANTIOCHVS · VTILI · CN · S · LEIBER · COERAVIT

Iucundus cod. Ver. f. 63, cod. Magl. f. 106; Cittadinus cod. Ven. f. 13 a; Apian. 184, 3 (inde Grut. 896, 10); Don. cod. Vat. 7113 p. 51 v. = ed. 2, 9 ex libro antiquo ms. (inde Mur. 505, 16); Mur. 762, 1 ex schedis suis; Ligorius in sched. Vat. olim Barb. et apud Mur. 470, 5. Ligorii typum Muratorianum omisi.

Unicum exemplum superest Iucundi passim ab exscriptoribus corruptum. Versuum divisio incerta est neque indicantur lacunae. — 1 L · AE Citt., NAE Lig., LAC Mur. — CONSVL Don. — DDD Don., ΦΦ Mur. — ↁ servaverunt Iuc. Ver. et Citt.; Ψ Ap., quod idem est; Φ Lig.; om. Don. Mur. — MAG · X · DED · HS om. in lac. Lig. Scribendum fortasse MAG · DED · HS · X — 2 in. S · S (pro S) Ap., VS Lig., S om. Don. et Iuc. Magl. — SALEVI Iuc. Ver., SALENII Citt., SALERNI Don. — IIMOTVS Don. — POPILLI Lig., POPVLI Don. — 3 ANTI (pro ANTIOCHVS) Lig., ANTIOCNVS Citt. — COER Lig. — PATRO Don., TETRO Lig. — 3. 4 L · S · FVRI om. Mur. — 4 RAFVRI Lig. — VTILLI Lig. — C · A · S Don. — COER Lig., CONSECRAVIT Don.

1157 Corae.

L · PVBLILI| . .
L · PRO · NE| . .
IIII · VIR · QV|*ing*
PONTIFI|*ci*
PVBLIC|*e de sententia conscriptorum munic*

Ritschl tab. LXXV D ad lapidem. Descripsi. Ed. Vulpi vet. Lat. 4, 145 (inde Mur. 147, 3) ex schedis Corradini pessime interpolatam, melius Nibby *contorni* 1, 519.

Vulpius sic:

L · POBLILIVS · M · F
L · N . . . . PRON · III VIR
PONTIFIC · LVC · PVBL
DEOR · PVLVINARIA

1158 Corae.

. *pu*|BLILIO · M · F
. *n*. |PRO · N ·
fla|CCO · IIII · VIR ·
aug|˜VREI
i|I P V M Q
|AE

Ritschl tab. LXXV E ad lapidem. Descripsi. Ed. ex Ligorio Mur. 481, 6 pessime interpolatam, recte Nibby *contorni* 1, 517.

4 Ligoriana recensio haec est: *L. Poblilius L. f. Bibulo IIII vir pontif. X vir iurei dic. cur. municip. et incol. cur. pecun. pub. aedil. ad agr. dividend. term. d. d. ex s. c.*

In hoc lapide complures tituli eiusdem familiae videntur fuisse una subscriptione coniuncti. Extremo loco fuit fortasse: *pecuniam contulerunt cives et incolae.*

1159 litteris pervetustis Setiae.

Ⱶ · ΓACONIVS · TI · F · ΓR
DEDICAVIT

Ritschl tab. I. E ad lapidem. Ed. Henzen *Bullett.* 1853 p. 87, syll. n. 7024.

1160 Anaguiae in parte columnae quae stat pro basi baptisterii ecclesiae S. Pancratii inversis litteris.

M · ARRIVS · M · F · L · N
L · VITORIVS · C · F
AID · *d. s.* SEN · *cOer*

Marangoni acta S. Vict. p. 169 (inde Mur. 2015, 13).

3 AID · SEN · ɐOP Mar. quem DS bis scriptum videtur fefellisse.

1161 Ferentini in substructione aedium antistitis extant huius tituli duo exempla, quorum alterum uno versu absolutum legitur in fronte aedium aversa in parte meridionali, quo in exemplo quae sunt deleta inclusi [ ]; alterum in duos versus distributum incipiente secundo a vocabulo IDEM conspicitur in fronte aedium adversa in parte occidentali, quo in exemplo quae sunt deleta inclusi ( ).

(A · HI)RTIVS · (A · F ·) M · LOLLIVS · C · F · CES · [F]VNDAMEN[TA] · MVRO[S]QVE · AF · SOLO · FACIVNDA · COERA[V]ERE · EIDE(M)QVE · P(ROB)AVERE ·
IN · TERRAM · FVND(AM)ENTVM · EST · PEDES · ALTVM · (XXX)III · IN · TERRAM · AD · || IDEM · EXEMPLVM · (QV)OD · SVPRA · TERRA[M · SILICI]

in priore exemplo est COERA.ERE, *in posteriore tantummodo* COERAVE.

Ritschl tab. LXVII C et tab. LXVIII D ad lapides. Exhibent Marcanova Bernensis n. 304; cod. Iucundi Veron. f. 174; cod. Redii p. 129, 2 apud Gud. ms. 1087; Apianus 159, 1; Maunt. 421, 2; Smet. 7, 3; cod. Pighii Berol. f. 165, 3. 210; Grut. 165, 3 a Smetio et ex ms. antiquo; Mur. 477, 1 ex Boldetto; Chaupy *maison d'Horace* 3, 473; Hoare *class. tour* 1, 309; Dionigia p. 14; Bunsen *ann.* 1834 p. 144; Henzen *ann.* 1851 p. 8; Apographon inscr. Ferent. Gregorio XVI oblatum n. V; Garrucci Bull. Nap. N. S. 2, 36, quem vide de mensuris.

1162 ibidem in epistylio interiore portae per quam ad cryptas descenditur.

A · HIRTIVS · A · F · M · LOLLIVS · C · F · CES · FVNDAMENTA
FORNICES · FACIVNDA · COERAVERɅ · EIDEMQVE
PROBAVERE

Ritschl tab. LXVII A ad lapidem. Exhibent Marcanova Bern. n. 303; cod. Iucundi Ver. f. 174; Apian. 159, 2; Ursin. de fam. Rom. p. 108; Grut. 166, 1 ex schedis Ursini; Hoare *class. tour* 1, 309; Bunsen *annali* 1834 p. 145; Apographon cit.; Garrucci l. c.

2 COERAVERE antiqui omnes; hodie E deest.

1163 ibidem in epistylio exteriore portae per quam ad hortos itur.

M · LOLLIVS · C · F · A · HIRTIVS · A · F · CES · FVNDAMENTA ·
FACIVNDA · COERAVERVNT · EIDEMQVE · PROBAVERE ·

Ritschl tab. LXVII B ad lapidem. Ed. Amaduzzi anecd. 2, 466; Hoare *class. tour* 1, 309; Bunsen *ann.* 1834 p. 144; Apographon cit.; Garrucci l. c.

Aetas titulorum incerta. A. Hirtius A. f. num fuerit pater consulis a. 711, item M. Lollius C. f. num fuerit quaestor a. 689 (Plut. Cat. min. 16) paterque M. Lollii M. f. cos. a. 733, quod suspicatur Borghesius (apud Cavedonium *med. della Cirenaica, memorie di relig.* Mutinae 1843 t. 16 p. 316), quam sit incertum, neminem fugit. Lingua tituli satis antiqua aetatem indicat fere Sullanam.

1164 Ferentini olim in muris arcis affixa, nunc in hortis episcopi.

L·POPLILIO·C·F
FLACCO
POPLICE·STATVTA

Ritschl tab. LXXV c ad lapidem. Misit Alph. Giorgi. Ed. Apographon inscr. Ferent. n. XIII addens: 'titulum nuper homo ultra Alpes invita Minerva natus scalpro delevit' signaque hiatus apponens v. 2 extr. et v. 4—9. Quae haud scio an fabula sit; sententia enim perfecta est.

1165 litteris adhuc plerisque aere incrustatis. Ferentini in fronte aedium Bella ad S. Valentini; pavimentum grandibus lapidibus stratum in cella quadam vinaria non procul inde adhuc monstratur. *Smet.* Nunc in bibliotheca Vaticana.

P·M·SALONIEI·TI·F
AED
PAVIMENTVM
D·S·P·F·C

Ritschl tab. LXXXIII c ad lapidem. Ed. Smet. 13, 5 (inde Grut. 159, 11) qui vidit; Boldetti Roma subterr. p. 451; Mur. 483, 5 ex Ligorio et aliis; Hoare *class. tour* 1, 313; Apographon inscr. Ferent. n. VI; Henzen 6606.

1166 Aletrii in porticu templi S. Mariae *Man. Smet.*

L·BETILIENVS·L·F·VAARVS
HAEC·QVAE·INFERA·SCRIPTA
SONT·DE·SENATV·SENTENTIA
FACIENDA·COIRAVIT·SEMITAS
IN·OPPIDO·OMNIS·PORTICVM·QVA
INARCEM·EITVR·CAMPVM·VBEI
LVDVNT·HOROLOGIVM·MACELVm
BASILICAM·CALECANDAM·SEEDES
*la*CVM·BALINEARIVM·LACVM·AD
*p*ORTAM·AQVAM·IN·OPIDVM·ADQV*e*
ARDVOM·PEDES·CCCX↓·FORNICESQ
FECIT·FISTVLAS·SOLEDAS·FECIT
OB·HASCE·RES·CENSOREM·FECERE·BIS
SENATVS·FILIO·STIPENDIA·MERETA
ESE·IOVSIT·POPVLVSQVE·STATVAM
DONAVIT·CENSORINO

Ritschl tab. LII B ad lapidem. Pighius cod. Ber. f. 210; Manut. orth. 571, 1; Smet. 13, 6 (inde Grut. 171, 8) qui vidit; Ursin. de famil. p. 179; Cittadin. *della volg. lingua* (Venet. 1601) f. 18 r; Dionigia *viaggi* p. 33; Orell. 3892; Ritschl de titulo Aletrinati commentarius (mon. epigraph. tria Berol. 1852. 4) pp. XVIII, ubi additum est idem hoc exemplum lithographicum.

4 SEMITAS exempla; extrema littera in tabula non visitur. — 9 ... CVM Pigh. Smet. Urs., quam ob rem coniecturae tribuendum est LACVM Manutii aliorumque. — 10 PORTAM exempla omnia praeter unum Pighianum.

Titulum scriptum esse constat ante legem Iuliam de civitate a. 664, nam civitate accepta senatus Aletrinas iam non potuit civi suo vacationem concedere. Contra sermonis indoles, maxime vocalium geminatio adhuc non observata ante aetatem Grachanam facit ne ante a. 620 facile scriptus esse possit (Ritschl l. c. p. IV). — Ad v. 8 conferendae glossae Festi p. 47 '*calicata* aedificia calce polita' similesque p. 59. 75 Müll. — 10 ADQV*e* (sic enim in lapide est, non ut ante nos edebatur AOOV) ARDVOM Ritschelius p. III explicavit *et ad arduum*, id est *ad arcem*, recte. Fornices qui sequuntur, aquae ductum sustinuerunt. — 13 Censores civitatium foederatarum memorantur apud Livium 29, 37: '*deferentibus ipsarum coloniarum* (Latinarum) *censoribus*'; dixi de ea re in hist. Rom. 1, 417. — 16 Plane ut L. Betilienus Varus Aletrii dictus est Censorinus propter censuram bis gestam, Romae quoque C. Marcius Rutilus a. 489 iterum censor factus, quod huic soli accidit, '*in hoc honore Censorinus appellatus est*' (fast. Cap.) idque cognomen ad posteros transmisit (Plutarch. Coriol. 1. Val. Max. 4, 1, 3).

1167 Antrosani prope Albam Fucentem in ecclesia gentis Pace *Brunn.* codemque redit sine dubio 'Albae in sacello S. Leonardi in basi altaris', quod praescripsit *Phoebonius.*

NICOMACVS·SAF·L·S
PAAPIA·ATIEDI·L·S
DOROT·TETTIENI·I≡S
MENTI·BONAE
BASIM·DON·DANT

Ritschl tab. LX H ad lapidem. Edidi ex Phoebonianis exemplis I. N. 5611.

1 SA·F tabula, sed neque Brunnius punctum enotavit neque sententia admittit. — 2 scilicet Παπίας. — 3 videtur fuisse L·S.

1168 Celani *Mur.*, i. e. ad lacum Celanum. Cf. n. 1167.

MENTI·BONAE
D·D
SVRVS·TETTIENI·S
PHILONIC·MARCIAE·S
NICOMAC·ALBI·M·S

Accursius ms. (inde Mur. 90, 2; I. N. 5612).

1169 litteris altissime incisis, Massae prope Albam Fucentem in aedibus Fantauzzi.

homo tunicatus malleum et scalprum tenens	P·T·SEX·HERENNIEIS·SEX·F·SER SVPINATES·EX·INGENIO·SVO EPOINTE	*homo tunicatus gromam tenens*

Ritschl tab. LXX F ad lapidem. Edidi I. N. 5618 ad exemplum Brocchii imperfectum; recognoverunt Brunn et Garrucci.

3 EPOINTE quid significet ignoratur.

1170 *ad Aschi piccolo villaggio tra i Marsi.*

CDIMI
IOVII
SACRI
COSTI'
I'IIRT

Garruccius misit delineatam.

2 videtur nominare dedicantem, qui num vere appelletur C. Dimius, examinabunt qui aliquando lapidem denuo inspicient. — 3 SACRI corruptum videtur. — 4. 5 fortasse *C. Ostili(us) fert.*

1171 in herma quadrato sine capite rep. Marruvii Marsorum (S. Benedetto), deinde apud Phil. Placidi, qui vendidit Garruccio et Sorentino.

TITIDIA×TIT×F
B O × C I O
D×D×D×D×L
M

Edidi I. N. 5485 ad exemplum Brocchii; contulit Brunnius, delineatam misit Garruccius. Henzen n. 5827. Car. Mancini *Bull. Nap. nuovo* 7, 134 qui vidit.

1 TEIDIA Brocchi. — 2 BO×CIO cum puncto Garruccius et Mancinius, BOCIO priores. — 3 quartum D omisit Brocchi. — 4 om. Garruccius.

BO · CIO (duo enim esse vocabula iam constat) quid significet ignoratur. Dei nomen latere puto in siglis D · D, quae olim ex loco ubi titulus stetit certam interpretationem habuerunt, hodie varie explicari possunt *Deae Dianae* vel *Deae Diae* vel *Dis Deabus*. Cf. I. N. 6108 aliasque similes inscriptiones et supra n. 1130.

1172 prope Avezzanum in ecclesia S. Nicolai in fronte exteriore.

HERCVLEI · D///
MILITES · AFRICA/
CAECILIANIS
MAG · CVRAVIT
C · SALTORIVS · C · F

Ritschl tab. LXXVII L ad lapidem. Edidi post alios I. N. 5613 (inde Henzen 6733); contulerunt Brunnius et Garruccius.

1 DC in tabula est; nolui tamen recipere C, quod ex plurimis optimisque lapidis descriptoribus nemo agnovit. — Milites hi Africani qui fuerint, ignoratur; quamquam si *Caecilianis* prisco more accipere licet pro nominativo plurali secundae, fortasse cogitari poterit de militibus Marsis qui in Africa sub Metello Numidico vel alio nescio quo Caecilio stipendio fecerint. Cf. n. 1148.

1173 in Marsis *a S. Sebastiano nell' orto Grassi.*

PIITICIA · P · L · CHITIIRIS
CIIMIILVS · FILIVS · FEC

Garruccius misit delineatam.

1174 in Marsis *'in Bisegna all' aia di Giulia o sia a Pesco Pannolo' Garrucci.* ad S. Sebastiani IX p. a Pescina meridiem versus extare *Phil. Placidi* Trasaccensis Brunnio narravit. Trasacci in atrio eccl. S. Caesidii collocant *sched. Avezz.*

LIBO · TETDIVS · Z · T · LNMS
PAMPILA · ANAIA · P · L ·

Ex schedis Avezzanensibus edidi I. N. 5587. Postea misit Garruccius delineatam.

Exceptis punctis in exemplo Avezzanensi perperam positis duo exempla consentiunt; nisi quod v. 1 tres extremas litteras Garruccii exemplum non exhibet, recte fortasse, certe commode. Legendum igitur, ut olim conieci, *Libo Tet(i)dius mulieris et Titi libertus, Pampila Anaia (= Annaea) Publii liberta.*

1175 Sorae basis quadrata in hortis ecclesiae S. Restitutae. Ante ecclesiam iacet clava ingens, quae videtur pro sigilli alicuius basi fuisse. *Brunn.* (cf. *Bullett.* 1858 p. 78).

M · P · VERTVLEIEIS · C · F ·
QVOD · RE · SVA · DIFEIDENS · ASPERE
AFLEICTA · PARENS · TIMENS
HEIC · VOVIT · VOTO · HOC
SOLVTO · DECVMA · FACTA
POLOVCTA LEIBEREIS · LVBEN
TES DONV · DANVNT ·
HERCOLEI · MAXSVME ·
MERETO SEMOL · TE
ORANT · SE · VOTI · CREBRO
CONDEMNES

Ritschl tab. LII A. Reperit Brunnius. Edidit Henzen *Bull.* 1845 p. 71 et mus. Rhen. nov. 5, 70 et inscr. 5733; ego I. N. 4495.

1 init. P Ant., 'T potius quam P' Brunn; I tabula. — M (desunt tres quattuorve litterae) PIL· Brunn itaque tabula; M···L Ant. Videtur lapicida ex tribus L sese excipientibus omisisse unam. — 2 C·F hodie deest. — 3 MO PCI Brunn itaque tabula, sed L pro I; MA/ACI Ant. Scripsi MG·PAGI, nam *de vici scito magistros pagi* aliquid facere videtur ferri posse. — Mirum est libertum ingenuis in ordine anteponi.

1286 Castel nuovo prope S. M. Furfonensem *Garr.* in civitate Sidoniae supra caput ianuam intrantibus *Accurs.*

P·NOVELLEDIVS·V·F·T·COMINIVS·SA·F
A·V·F·O·D·V·S·C

Accurs. ms. Ambros. (inde Mur. 1717, 6.) Garrucci *Bull.* 1861 p. 40. Fortasse *m(agistri) v(ici) f(aciundum) c(uraverunt) d(e) v(ici) se(ito).*

1287 basis forma pyramidis superne truncatae, olim in castro Collettarae inter Forulos et Amiternum, nunc in museo Aquilano.

L·OFDIVS·L·F
PET·N·D·L·M

Ritschl tab. XLIX F ad lapidem. Descripsi edidique post alios I. N. 5765 (inde Henzen 6220).

Littera L certe altera et tertia ad angulum acutum inclinat.

1288 litteris cubitalibus, Amiterni in aedibus archipresbyteri.

HERCO|

Ritschl tab. LXXVII C ad lapidem. Descripsi edidique I. N. 5757.

1289 ara quadrata Cese prope Amiternum in aedibus sacerdotis. Frustra quaesiverunt Leosini et Brunn.

L·P·MODIES·C·F
H·D·D·L·M

Ad exemplum Antinorii edidi I. N. 5758.

1290 Bazzani II m. p. ab Aquila in coemeterio *Giov.*, ubi frustra quaesivit Brunnius.

*donum d*EDIT · L · AVFIDI · D
*f . . . de*C V M A · F A C T A
*hercol*I M E R · I T E R V M
simul TE · ORAT · TV · ES
sanctus DEVS · QVEI · TOV
am te P A C E M · P E T I T
ADIOVTA

Giovenazzi Aveja p. XXXVII (inde I. N. 5756, Henzen 6130).
Supra quoque fractam dedit Giov. — 3 *Hercul*[i] supplet Henzenius *Bull.* 1845 p. 75. — 5 supplevi ad exemplum similis carminis Mummiani n. 542: *tua pace rogans te*, quamquam in *tui* vocabulo *ou* praeterea quod sciam non usurpatur.

1291 Coppiti olim in dioecesi Aquilana in aedibus archipresbyteri, hodie apud Garruccium.

I T V S · A C T V S Q V E · E S T
IN · HOCE · D E L V B R V M
FERONIAI · EX · HOCE · LOCO
IN · VIA · P O P L I C A M ·
C A M P A N A M · Q V A ·
P R O X S I M V M · E S T
P ∞CCX

Ritschl tab. LXII B ad lapidem. Ed. Marini *iscr. Alb.* p. 91 ad exemplum Lupacchinii (inde Orell. 3315, I. N. 5753) versu extremo mutilum.

1292 in vico *Pettino*, II m. p. ab Aquila.

// · POMPONIVS · ST · F ·
S · SALVIENVS · TIT · F ·
MAG · COIR ·

Leosini *Bull. dell' Inst.* 1859 p. 116.
v. 2. 3 initio fracti dantur neque tamen litterae deesse videntur.

1293 *capitello di colonna scanalata*, olim Cirellae prope Amiternum, nunc in museo Aquilano.

//HELVI / / I E · T · A I C A S I /IV ////////////
MAG / / /I S T R E S · F A M I L I A *i coi*RAV*erunt*

Ritschl tab. LX L ad lapidem. Edidi I. N. 5764 ex schedis Antinorianis; recognovit Brunnius.
1 IELVI tabula; MELVI Ant.; 'potius HELVI' Brunnius. — Reliqua dedi ex Antinorio, a quo non dissentit Brunnius, nisi quod post CAS litterae I vestigium ex tabula adscivi. — 2 spatium inter MAG et ISTRES hodie corruptum olim scriptura vacuum videtur fuisse; nam *magistres et ministres* spatium non admittit. *Familiai* utrum tertius casus sit an secundus et omnino quid subsit, nescio.

1294 S. Vittorino in ecclesia *al sottocorpo.*

COIRA

Brunnius descripsit.

1295 Pizzoli in loco dicto Cavallari in ecclesia SS. Proti et Hyacinthi.

F · SABINO · PRAEF
*au*XSILIARIEI · HISPAN

Ritschl tab. LXXVII D ad lapidem. Edidi post alios I. N. 5778. Recognovit Brunnius. Henzen 6732. Cf. n. 1172.

1296 in museo Aquilano.

PROCVLEIVS · P · F
AED · LVD · F

Ritschl. tab. LXXVII A ad lapidem. Descripsi et edidi I. N. 5946.

1297 Preturi ad sin. ecclesiae S. Petri *Brunn.*; in castro Praetorio agri Aquilani gradibus intra S. Ioann. villae Petri *Accurs.*, non civita Tomassa in dextro latere aedis S. Iohannis.

P R O T O G E N E S · C ⱶ O V ⱶ
SVAVEI - HEICEI - SITVST
MIMVS · PⱶOVRVMA - QVE
FECIT - POPVⱶO · SOVEIS
GAVDIA - NVGES

Ritchl tab. XLIX G ad lapidem. Accursius ms. Edidi post Orellium 2623 et Meyerum n. 1441 et alios I. N. 5882 ubi vide quae proposuit Lachmannus. Iam lapide a Brunnio recognito poetam existimo sic scripsisse:

Protogenes Clouli suavis situs est heic mimus,
Plouruma que fecit populo soueis gaudia nuges.

usus duabus Lachmanni observationibus apud auctores vetustos adverbium *heice* non reperiri, semper efferri *heic*, item in carminibus huius aetatis *-us est*, non *ust* usurpari (v. ad Lucret. 1, 993).

1298 in museo Aquilano.

P · B R V T I V S · P · F · QVI
TERTIA · SAPIENA Ɔ · L
VXOR · POSIT
G A V I A · C A E S I D I A
PROBISVMA · F E M I N A
MATER · BRVTI

Ritschl tab. LX G ad lapidem. Edidi post alios I. N. 5820 (inde Henzen 6235).

1299 Amiterni rep. ad altare S. Victorini. Frustra indagavit Brunnius.

Q · C A E S I V S
Q · P · L · SETVS
B A C I S
CAESIAI

Giovenazzi Aveja p. CIX, inde I. N. 5825.
Setus est *Zethus*, *Bacis Bacchis*. Pro CAESIAI malim CAESIA · P · L.

1300 prope pontem Civita Tomassae.

P · NONIVS · P · L · ANOPTES
P · NONIVS · P · L · MALCIo
NONIA · P · L · CALITHVC·

Ritschl tab. LXXVI G ad lapidem. Edidi post alios I. N. 5854.

1301 Amiterni in ecclesiae pavimento.

L · S E R G I V S · L · L
RVTILA · F V L C I N I A
P · F · FRVGI

Descripsi edidique post alios I. N. 5891 (inde Henzen 6233); recognovit Brunnius. — 3 lege *probissima Femina*, ut supra n. 1298.

1302 Sassae.

M · VERGILIVS · SP · F
RVFVS
V E R G I L I A I · M · L
HILARAI

Ritschl tab. LXXVIII G ad lapidem. Brunnius descripsit.

1303 prope Introdocum agri Aquilani pro foribus aedis S. Mariae.

P O'L A · APONIA
VXSOR

Accursius ms. (inde Mur. 1389, 4; I. N. 5733).

1304 Civita Reale in eccl. paroch. S. Silvestri ex ruinis Falacrinis.

SEX · STAATIVS · SEX

I. N. 5740 ex Brunetti marm. Aprut.

1305 Carsiolis rep., deinde Pereti apud Vendittium, nunc Romae in museo Vaticano.

PHILARGVRVS · VILICVS · CORRI
AED · LAR · D · S · P · F · G *sic*

Ritschl tab. LXXVI J ad lapidem. Edidi I. N. 5684.

1306 in lapidibus quattuor rosis et bucraniis ornatis, rep. ad viam Salariam in agro Trebulae Mutuescae, mille passus a caupona q. d. *Osteria nuova* sive *Osteria de' Masacci* prope pontem *Vinto* Reate versus. Extant hodie Genzani in aedibus Caesariniorum.

bucranium *aves duae uvis vescentes* *bucranium*
protome *protome*
POSILLA·SENENIA·QVART·F · QVARTA · SENENIA · C · L ·

HOSPES · RESISTE · ET · PA*ruo*M SCRIPTVM PERLIG*e*
MATREM · NON · LICITVM · ESS*e uni*CA · GNATA FRVEI
QVAM · NEI ESSET · CAEDO · NESCIO *quei* INVEIDIT · DEVS·
EAM · QVONIAM · HAVD · LICITVM *est v*EIVAM · AMATRE · ORNARIE*r*
POST · MORTEM · HOC · FECIT · AEQ*ue* EXTREMO · TEMPORE
DECORAVIT · EAM · MONVMENTO · QVAM · DEILEXSERAT

Ritschl tab. LXXIX A ad lapidem. Gnattani Sabina 2, 94, quo libro cum caream, adhibui excerpta *annali* 1834, p. 107; Martelli *le antichità de' Sicoli* t. 2 p. 179 n. 65; Brocchius descripsit Borghesio (unde et ex Martellio edidi non bene *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1846 p. 303); Henzen 6237 ad exemplum Rossii et ectypum charta exceptum.

Guattani Martelli Brocchi matris nomen filiae praeposuerunt; inverso ordine exhibent Rossius Ritscheliusque. — QVART*ae Filia* quamquam contra consuetudinem est, tamen maluerunt ponere quam aut C · L · aut SP · F utpote minus honestum utrumque. — v. 1 cf. versum Dossenni monumento qui dicitur inscriptus fuisse: *Hospes resiste et sophian Dossenni lege* (Seneca epist. 89, 6; Ribbeck com. p. 232), aliaque similia complurium carminum initia. — 3 *licitum esse* apud Lucilium antiquioresque ante Ciceronem scriptores perfecti significatione usurpari ut in hoc carmine, cum apud posteriores praesentis ad usum deflexum reperiatur adnotavit Hauptius Philol. 1 p. 162. — CNATA tabula contra Rossium et reliquos. — 4 explevit Bergkius *Zeitschrift für Alterth.* l. c.

1307 columna Trebulae Mutuescae (Monteleone) pro foribus ecclesiae S. Victoriae Martyris.

Q · PESCENN...
COLOMNAS . III
DE · SVO · DAT
FERONEAE
ET · CREPIDINEM
ANTE · COLOMNAS
EX LAPIDE

Fabrett. 453, 68 qui vidit.

1308 columella Trebulae Mutuescae sub aedibus Tocciorum.

*f*ERON*iae*
C · MODIEIVS · C · F
C · N · MANC · DO

Fabrett. 453, 69 qui vidit.

1309 frustum columnae rep. Trebulae Mutuescae, deinde apud Fabrettium.

SEX · AVDIENVS · C · L
FERONIAE
D · L · M

Fabrett. 451, XIV.

1310 Sabinae (Curibus?) in monasterio.

D · SEGVLIVS
ALEXSA · A^V RVFEX

Smet. 96, 6 a Pighio (inde Grut. 639, 1).

ETRVRIA.

In Etruriae inscriptionibus antiquioribus recensendis ab operis legibus quas hucusque secutus sum aliquantum recedendum fuit. Nam cum nominis defuncti in sepulcro inscribendi consuetudo imperatoria demum aetate per Italiam propriam pervulgaretur, in Etruria iam anteriore aetate ita obtinuit, ut in plerisque sepulcretis nomina mortuorum aut scalpro inciderentur aut certe adscriberentur. Iam cum extrema aetate liberae rei publicae, maxime post civitatem Romanam universae Etruriae concessam nativa lingua exolesceret et Latinus sermo paullatim propagaretur, non potuit non fieri, quin utriusque linguae commixtio etiam ad sepulcrales eius aetatis inscriptiones quadam tenus perveniret; idque factum esse tituli demonstrant non pauci tam incisi in lapidibus quam picti in tegulis, maxime picti, quales fere reperiuntur in sepulcretis Clusinis vicinisque Montepulciani et Chianciani oppidis, quoniam inciderunt lapides quadratarii artifices, scripserunt autem in tegulis saepe sine dubio homines imperiti et a litteris plane alieni. Sunt autem titulorum ita hybridorum genera duo, scriptorum Etrusca lingua litteris Latinis et scriptorum sermone ita Latino, ut in eo Etrusci vestigia quaedam et reliquiae appareant. Illud genus quamquam ab hac syl-

loge alienum est, tamen utile erit aliquot eius exempla breviter perstrinxisse, ut lectores moniti discant ab iis abstinere nec pro Latinis eos usurpare. Ita in tegula musei Florentini apud Conestabilium libro propediem citando p. 217 n. 223 sic legitur scriptum:

MAI⅃VA) : ƎAϽ ⅃
LART CAII CAVLIAS

ubi utroque versu idem nomen recitatur utrobique sermone Etrusco, sed altero litteris compendiisque Etruscis, altero litteris Latinis et compendiis solutis. Similiter in altero titulo ibidem p. 219 n. 224 idem nomen bis scribitur, primum litteris pure Etruscis *larϑi lautniža presentś* (м significabo *s* littera, s littera *ś*), deinde repetuntur praenomen et nomen litteris Etruscis, cognomen Latinis, sed a dextra ad sinistram procedentibus sic: PRAESENTES. Frequentius quam eiusmodi duorum alphabetorum tituli inveniuntur Etrusci litteris Latinis, ut Montepulcianenses hi duo, nunc musei Florentini, in tegula alter alter in urna scriptus, apud Conestabilium p. 231. 232 n. 9. 10:

SIITHRII · CIIZARTLII · LR · L
SETRE · CEZARLE · LR · L

tertiusque adhuc servatus Montepulciano in domo Bucelliana (Maffei M. V. 367, 5; Lanzi 1, 173, 50; Dennis *cities and cemeteries of Etruria* 2, 414):

ARTABASSA
ARNTHAL · FRAVNAL

Eiusdem pariter indolis arbitror esse inscriptionem basis parvae aereae incertae originis, quam Brunnius Romae descripsit edititque Ritschelius et in mus. Rhen. novo 14, 382 et incisam tab. XXXVI B:



Nam cum elementorum quorundam forma et interpunctio duplex a Latina consuetudine abhorreant, tum maxime praenomen plene scriptum eo ducit qui haec scripsit eum non Latino, sed alio nescio quo sermone Italico uti voluisse, etsi elementa adhibuit pleraque Latina. — Alterum genus titulorum Latine scriptorum ita, ut vel in sermonis proprietate vel certe in tituli conceptione Etruscae consuetudinis aliquid resideret, in hac sylloge etsi praeteriri non debuit, tamen specimina magis proponere volui cum cura selecta quam totum recensere. Tituli enim huiusmodi tantum abest ut remotae vetustatis sint, ut ex antiquiore Latino sermone perpauca in iis inveniantur sintque fere saeculi septimi vel adeo octavi; unde sequitur, ut Etruscae linguae studiosi aliquantum inde proficiant, nobis in Latinis antiquitatibus versantibus non ita se commendent. Praeterea cum bosce titulos, maxime non incisos profectos esse magna ex parte a tenuioribus neque admodum litteratis hominibus supra iam viderimus (et habet omnino duarum linguarum commiscendarum consuetudo insitam quandam barbariam), permulti in eo numero reperiuntur tam male et concepti et conscripti, ut interdum dubites qui scripsit utrum certa aliqua lingua scribere se senserit an ex duabus linguis nescio quam colluvionem dicendi sibi effecerit nulli magistro probandam. Exempli causa qui scripsit in urna fictili Montepulcianensi apud Conestabilium (p. 232 n. 10 *bis*) sic:

SEX · ARRI · CEZTES

cum praenomine nomineque Romanis iunxit cognomen ne specie quidem Latina indutum; similem rem accidisse vidimus supra alteri homini eiusdem civitatis ei, qui cum cognomen *Presentes* insereret titulo praeterea Etrusco, vix opinor ipse satis novit, utrum Etruscum vocabulum Latinis litteris exararet an Latine sic loqueretur. Quam ob rem in Etruriae inscriptionibus vetustioribus Latinis digerendis hanc legem mihi dixi, ut praeter titulos pure scriptos, quales in his partibus solent esse et tituli Caeritum qui reliqua Etruria maturius Latinis moribus imbuti sunt, et coloniarum ut Lunenses, et publici civitatium, ex barbaris non reciperem nisi potiores et lectionis sententiaeque certae. Qua in re magnopere mihi profuit egregius liber Iohannis Caroli Conestabile Perusini: *iscrizioni Etrusche e Etrusco-latine, che si conservano nell' I. R. Galleria degli Uffizj edite a fac-simile* (Florentiae 1858. 4.), cuius beneficio factum est, ut de agri Montepulcianensis vel potius Clusini hodie in museo Florentino servatis tegulis lectu difficillimis iam satis constet. Hunc auctorem ubi sequi potui, variam lectionem omisi, contra a Lanzae Vermigliolique exemplis non satis fidis quantum fieri potuit abstinui.

1311 in tegulis tribus tectorio obductis minio scriptis; reperit eas Faleriis in sepulcro Guidius una cum tegulis aliis simillimis Falisce inscriptis.

C · CLIPEAI	HEIC	PLENES Q · F
M · F · HARAI	CVBAT	
SOREX · Q · D		

Orioli *Bull. dell' Instituto* 1854 p. XXI ad exemplum Guidii; melius Garrucci *Annali dell' Inst.* 1860 p. 277 tab. H n. 14.

C · CLIPEA M · F HABAA SOREX Q · B et PLENES Q · E Orioli.

Tegulae in sepulcris Faliscis repertae pleraeque Falisce inscriptae sunt admixtis Etruscis (l. c. tab. F n. 4. 5) et Latinis; qua de re dixi in actis menstruis acad. Berol. a. 1860 p. 451. Eiusdem gentis est Faliscarum in eadem tabula depictarum decima: *l. clipiai*; praeterea ignota est, quamquam in universum comparari poterunt Spurinnae nomen similiaque Etrusca. De Plenea nomine cf. n. 1313. *Sorex q(uaestor) d(at)* legeremus, si ex Latinorum titulorum legibus de hoc certum iudicium ferre liceret; idem Sorex redit in inscriptione sequente.

1312 tegula similis reperta ibidem; sub tectorio apparent vestigia tituli antiquioris Falisce scripti in tegula nuda.

M · CI	ᑭIIARION
ЯARISP	
SOR	VMBR
	C · F · VAC OR

Orioli l. c. p. XXII, ubi non datur nisi primus versus; Garrucci l. c. p. 279 tab. H n. 15.

M · CIPVARION Orioli.

Praecedentis similis. — 1 Garruccius vidit legendum esse M · CLIPEA, qui videtur fuisse harispex. — 3 SOR explendum est ex praecedentis v. 3: *Sorex q. d.*; male de Sorrinatibus cogitavit Garruccius. — Mulieris nomen item in hac adscriptum fuit, sed totum corruptum est.

1313 Faleriis in crypta excisa ex saxo vivo lectorum mortuariorum undecim: *'I sepolcri sono formati d'un portico a tre archi, dal quale si entra in piccola camera quadrata, che forma una specie di vestibolo alla grande stanza sepolcrale. In questa le arche pei cadaveri strette e basse trovansi incavate nelle pareti. Una di queste tombe mostra sulla parete a destra della porta per chi entra e sotto il portico in caratteri della grandezza di un palmo incirca, l'iscrizione'* *Henzen.*

L·VECILIO·VO·F·ET·
POLAE·ABELESE
LECTV·I·DATVS
C·VECILIO·L·F·ET·PLENESE
LECTV·I·MEIVS·NIHIL
INVITEIS·L·C·LEVIEIS·L·F
ET·QVEI·EOS·PARENTARET
NE·ANTEPOṄAT

Ritschl tab. LIX B ad lapidem a Brunnio delineatum. Ed. Henzen *Bullett.* 1844 p. 161 cf. p. 129 sq., syll. n. 7363. Dennis *cities and cemeteries of Etruria* 1, 132. *Garrucci ann. dell' Inst.* 1860 p. 279.

1 fortasse vol*usi filius*; vibi *filius* legit Henzen. — 2 *Abelese* ut 4 *Plenese* videntur esse nomina feminarum tertio casu scripta; *Plenes Q. f.* est in n. 1312, secundo casu ut videtur. *Abelisiae* et *Plenisiae* fortasse scripsissent posteriores. — 6 sq. Anteponuntur cadavera, cum in lectis, ubi corpora antea deposita sunt, alia denuo apponuntur; quod ut in his lectis iure fiat, requiritur consensus cum dominorum sepulcri universi L. C. Leviorum (sive Liviorum) L. f. tum eorum, ad quos Veciliorum parentatio spectat.

1314 Caere reperti tituli et Romam delati in villam Caelimontanam Campanae. *'Sono per la maggior parte colonnette di peperino, e le lettere non meno che la semplicità delle epigrafi ne attestano un' antichità sufficientemente rimota. Altre* (n. 1316. 1317. 1324. 1333. 1337. 1340) *sono di forma quadrilatera, superiormente foggiate sia a guisa di tetto aguzzo, un lato del quale vien occupato dello scritto, sia portanti quest' ultimo semplicemente inciso sullo stretto piano superiore'.* *Henzen.*

1315 (Ritschl n. 8).

T·ACILI·T·F

1316 (Ritschl n. 10; Henzen l. c.).

CAESIA
Ↄ·L·SVRISCA

1317 (Ritschl n. 11; Henzen l. c.).

POLONI T·CVP

Partes duae duorum titulorum in eodem lapide perscriptorum.

1318 (Ritschl n. 1; Henzen l. c.).

L·FALTINI·M·F·NIGER

1319 (Ritschl n. 12; Henzen l. c.).

M·FANI·L·F

1320 (Ritschl n. 9; Henzen l. c.).

FANNIA·L·F

ANNIA Henzen.

1321 (Ritschl n. 3).

L·GAVILI·L·L·MENOL

Legendum *L. Gavilius L. l. Menolavus* (cf. n. 1213).

1322 (Ritschl n. 4).

L·GAVILI·L·L·STATI

Ritschl tab. XLVII. Henzen *annali* 1855 p. 77.

Tituli similes Praenestinis, sed aliquanto recentioris aetatis.

1323 (Ritschl n. 5; Henzen l. c.).

P·GAVILI·L·F

1324 (Ritschl n. 6; Henzen l. c.).

GAVILIA·M·F

1325 (Henzen l. c.; apud Ritschelium deest).

C·HOSTILI·M·F

1326 (Ritschl n. 7).

LAVILIA·M·F

1327 (Ritschl n. 13).

C·MANLI·A·F

1328 (Ritschl n. 14; Henzen l. c.).

L·MANLI·A·F

1329 (Ritschl n. 15; Henzen l. c.).

A·NVMONI·A·F

1330 (Ritchl n. 16; Henzen l. c.).

C·NVMONI·L·F

A·F Henzen.

1331 (Ritschl n. 17; Henzen l. c.)

L·OTI·L·L·EROS

1332 (Ritschl n. 18).

C·PABATE·L·F

1333 (Ritschl n. 19; misit Henzen).

SECIA·L·F

SPCIA·L·F Henzen.

1334 (Ritschl n. 20; Henzen l. c.).

L·STATORI·A·F

1335 (Ritschl n. 21).

M·STATORI·A·F

1336 (Ritschl n. 22; Henzen l. c.).

L·TAMSINI·M·F

1337 (Ritschl n. 23; Henzen l. c.).

TELVTIA·L·F

1338 (Ritschl n. 24; Henzen l. c.).

L·TITIVS·C·F

1339 (Ritschl n. 2).

L·VILLONI·L·L·NIGER

1340 (Henzen l. c.; apud Ritschelium deest.

VOLSCI

1341 in ruinis coloniae Castri novi prope *Civitavecchia* reperta extat in museo Vaticano.

L · ATEIVS · M · F · CAPITO ·
DVOMVIR · QVINQ
CVRIAM · TABVLARIVM ·
SCAENARIVM · SVBSELIARIVM · LOCO ·
PRIVATO · DE SVA · PECVNIA · C · C · N · F · COERAVIT ·
PORTICVS · CENACVLA · EX · DECVRIONVM · DECRETO · DE ·
SVA · PECVNIA · C · C · N · FACIVNDA · COERAVIT · IOENQ · PROBAVIT

in latere angusto:
D · A · ↓ · IX ·

Ritschl tab. XCIV c. Ed. *Antologia Romana* III (1776) p. 410; Marini Arv. p. 527; Visconti mus. Vat. 1 p. 89; Orelli 2600.

Inscriptio post Caesarem exarata sit necesse est, cum memoret coloniam Iuliam Castrum novum (Orell. 1009) deductam ut videtur a triumviris. Eiusdem hominis alterum titulum ibidem repertum exhibent Anthol. Rom. IV (1777) p. 257 et Marinius Arv. p. 608:

L · ATEIO · M · F · CAPITONI · DVOM
VIR · QVINQ
M · LICVIVS . . . F · SER · RVFVS

3. 4. *tabularium scaenarium subsel(l)iarium* mihi est locus curiae adiunctus, ubi tam tabulae publicae reponuntur quam ludorum publicorum instrumentum scaena et subsellia. — 5 lege *c(oloniae) C(astri) n(ovi) f(aciendum) coeravit.* — 7 IOENQ Henzen et priores; IOENQY tabula. — Inscriptionem in latere marmoris angusto litteris rudibus scriptam memorant Anthol. et Torraca medicus, quo praesente lapis effossus est; fortasse agitur ibi de assibus LIX.

1342 Tarquiniis (Corneto) in crypta q. d. *del Tifone* scripta colore nigro.

AVRELIA · L · F · OPTVMA · FEMINA
VIXSIT · AN · XLV

Descripsi. Ed. Kellermann *Bullettino dell' Inst.* 1833 p. 57 tab. n. 11. Orioli *Annali dell' Inst.* 6 (1834) p. 155. Dennis *Etruria* 1, 306.

1343 Cosae (quae hodie Ansedonia est prope Orbetellum) reperta una cum statua marmorea.

. . . . . CONTVLERE MAG · COIRAVERVN . . . . .
. . . . . NIVS · L · F · CALPVRNI · T · F ·
. . . .
MATRONAE DE . . . .
MAGISTRAE . . . .
TITIA · L · F . . . .

Nov. Flor. 1759, 812.

1344 longa brach. ¾, larga brach. ½, litteris optimae aetatis; rep. a. 1756 ad viam Aureliam in loco qui dicitur Cerreto, 3 m. p. ab Orbetello; deinde Orbetelli apud Lottium.

L · DOMITIVS
AHENOB · L · PAPvS
DOMITIA · PAPEI · L
ARCHE

Nov. Flor. 1758, 85 (inde Donat. 424, 7).

1345 Orvieti apud Cosmum Puerinum. Haec inscriptiuncula scripta erat in lamina aerea intus capsulam siliceam effossa. Ibi caput aereum cum geminis vultibus, uno masculi et altero feminae; supra videbatur Molossus aperto ore. Ibi speculum ex metallo, anulus aureus, inaures et vascula quaedam sigillo hermetico clausa *Henriquez.* in aerea circulari tabella suppedanea aereae protomes bifrontis ex una facie virum barba ornatum seu Bacchum senem, ex alia adolescentulam repraesentantis *Brunati.* Hodie in museo Kircheriano.

CN · APRRIVS · MAGISTER · DONVM · DAT · TANIAE · DETRONS · VE · F

Ritschl tab. IV c. Mur. 1432, 2 cui misit Henriquez. Brunati mus. Kirch. inscr. p. 51.

Inscriptio quamquam gyro scripta, tamen quo loco incipiat satis apparet. — Cf. n. 1377 *Clandius Vel. f. Vesvia gnatus.*

1346 arca ex lapide Tiburtino Clusii in aedibus Paolozzi.

ꟼVH : IH8ꟼA : ꟼꟼ
⅃AИIAƆ
C · ALFIVS · A · F
CAINNIA · NATVS

Pasquini *Bullett.* 1833 p. 50 tab. n. 2; Vermiglioli *iscr. Per.* (ed. 2) 1, 156; Dennis *Etruria* 2, 354.

Etrusca, quae ex parte dubia esse Pasquinius scribit, sic lege: *vl. alfni. nuvi. cainal*; ubi apparet Alfii nomen apud Etruscos Alfeni potius formam adscivisse, fere ut n. 1349 Etrusco *cancna* respondet *Caesius.* In tegula musei Borgiani Lanzius (vol. 2 add.) legit: VHL · TITH · LARISAL · I° ‖ CAINAI NATVS

1347 tegula Montepulciani in museo Bucelli olim, nunc Florentiae in publico.

TAHNIA · ANAINIA
COMLNIAI · FIA

Gori I. E. 2, 431; mus. Etr. 3, 2, 140 tab. 29 n. 5. Lanzi 1, 172, 46 = 2, 422, 314. Conestabile p. 228 n. 3.

Scriba dare voluit opinor THANIA ANAINIA COMINIAI FILIA; quamquam Conestabile comparat *cumlnai* et *fia* vocabula Etrusca estque fortasse hic ex numero titulorum Etruscorum Latinis elementis perscriptorum. In alia tegula cum hac et reperta et adservata (Conestabile p. 234 n. 13) idem praenomen sic effertur THNIA nomine corrupto.

1348 in operculo et arca Clusii apud Claudium de Samuellis *Gori.* Urna postea academiae Cortonensi donata est.

in operculo:

C · BABIVS · C · F
ARHS

in arca:

C · BAEBIVS
L · F
ARRESPEX

Gori inscr. Etr. 2, 411 (inde Mur. 171, 5). 3, 304.

Omnino eadem inscriptio bis repetita (cf. n. 1363. 1368 al.); priorem sic corrige: C · BAEBIVS · L · F · ARRES.

1349 arca reperta Montepulciani a. 1749 *Maff.* Nunc Florentiae in museo.

AH‡HAƆ·O9A
AJƧIJAH9A9
C·CAESIVS·C·F·VARIA·
NAT

Maffei M. V. 367, 13; Lanzi 2, 342 n. 4 tab. 3 n. 11; Conestabile p. 216 n. 222.

Etrusca inscriptio sic legenda: *ar3 canzna varnalifla.* In altera bilingui Clusina (*Bull.* 1833 p. 50 tab. n. 3), ubi redit VARIA·NATVS, Etrusce redditur *varnal.*

1350 urna fictilis ex museo Bucellii Montepulcianensi inlata Florentiam in museum publicum.

VIILISA
CARTLIA

Gori I. E. 2, 431; mus. Etr. tab. 158, 4. Lanzi 1, 169, 13 = 15. Conestabile p. 230 n. 7.

Cf. titulus Montepulcianensis Fabrett. 645, 381 = Gori 2, 434: *Satellia C. f. Veliza.*

1351 urna ex lap. Tiburtino. Montepulciani in museo Bucelli olim, nunc Florentiae in museo publico.

C·PETRONIVS C·F·
HARISPEX
CRISPINIA · NATVS

Donat. 82, 2. Conestabile p. 247 n. 7.

1352 tegula musei antea Buccelliani, nunc Florentini publici.

O PIITKOVI
PIIILOMVSVS

Lanzi 1, 168, 9; Conestabile p. 234 n. 14; Garrucci *annali* 1860 p. 227.

Id est *Q. Petroni(us) Philomusus.*

1353 in lapide musei Florentini.

L·PETRONIVS
SEPPIA NAT
REBILVS

Lanzi 1, 172, 39. Conestabile p. 248 n. 8.

1354 tegula item olim Montepulciani in museo Bucelli, nunc Florentiae in museo publico.

C·ROEN·
TITAE·NA

Gori mus. Etr. 3, 2, 140 tab. 29 n. 10. Lanzi 1, 172, 44 male. Conestabile p. 235 n. 16.

Lege *C. Proeni(us) Titiae nat(us).*

1355 tegula eiusdem originis ibidem servata.

L·PROIINI
C·F·ARN

Gori mus. Etr. 3, 2, 143 tab. 30 n. 8. Lanzi 1, 170, 21. Conestabile p. 235 n. 17.

1356 tegula ad Montepulcianum reperta, nunc Florentiae in museo.

PHILΘMIINA
SATRIA

Lupi *epitaffio di S. Severa* p. 40; Gori I. E. 2, 430 et mus. Etr. 3, 2, 138 tab. 28 n. 8; Conestabile p. 235 n. 15; Garrucci *annali* 1860 p. 226.

1357 in arca ex lapide Tiburtino Chianciani a. 1782 ad portam Stilianensem in moenibus collocata.

AHIJI9 · I‡HƎƧ
J·SENTIA·SEX·F

Lanzi 2, 341, 2; Maggi apud Inghiramium *lett. di Etrusca erudizione* (Faesulis 1828) p. 56, quem librum non vidi.

Etrusca lege sic: *feuti vilinal.*

1358 in tegula musei Florentini.

SENTIA·A·F·THANNIA

Lanzi 2, 427, 335; Conestabile p. 241 n. 26.

SENTIA schedae Paolozzii Clusini apud Lanzium; ITIA hodie superest.

1359 tegula olim Montepulciani in museo Bucellio, nunc Florentiae in museo publico.

VEL SPEDO
THOCERONIA
NATVS

Gori I. E. 2, 429; mus. Etr. 3, 2, 138 tab. 28 n. 10. Maffei M. V. 367, 12. Lanzi 1, 172, 41 (inde Orell. 4702 c.) male. Conestabile p. 237 n. 20. — Adiungenda haec simul reperta Etrusca Latinis litteris scripta, fratris opinor:

A SPEDO
THOCERNA
CLA

Ediderunt hanc Gori I. E. 2, 431, mus. Etr. l. c. n. 11; Maffei *oss. lett.* 6, 150, M. V. 367, 6; Lanzi 1, 172, 42; Conestabile p. 237 n. 21. Hic citat ex Etrusca inscriptione Clusii reperta nomen *9ucerna.*

1360 tegula eiusdem originis ibidem servata.

VEL·SPEDO·CAESIAE

Gori I. E. 2, 431; mus. Etr. 3, 2, 138 tab. 28 n. 9. Lanzi 1, 172, 45. Conestabile p. 238 n. 22. — Intellegitur opinor *Caesiae natus.*

1361 tegula eiusdem originis ibidem servata.

Q·SPEDO·L·F

Gori I. E. 2, 431; mus. Etr. 3, 2, 139 tab. 29 n. 2. Lanzi 1, 170, 23. Conestabile p. 236 n. 18.

1362 tegula eiusdem originis ibidem servata.

Ŀ GAVIVS SPEDO
SEPTVMIA NAT

Gori I. E. 2, 429; mus. Etr. 3, 2, 139 tab. 28 n. 12. Maffei M. V. 367, 11. Lanzi 1, 172, 40. Conestabile p. 237 n. 19.

1363 in tegula ollaque, quae sunt in museo Florentino.

in tegula:

THANIA
SVDERNIA AR·F
TA SADNAL

in olla:

TAIIA SVDERNIA·SADNAL

Lanzi 1, 172, 47. 48. Conestabile p. 239 n. 23. 24.
Haec bilinguis est: *Tania Sadnal* Etruscum nomen, Latinum *Thania Sudernia Ar(untis)* sive *Ar(rii) f(ilia).* — Cf. bilinguem Chiancianensem (Maggi apud Inghiramium *lett. di Etrusca erud.* p. 50; Vermiglioli opusc. 4, 68), ubi Etrusco *arntnal* respondet Latine *Arria natus.*

1364 in lapide musei Florentini.

Q_TREBONIVS·C·F·CAICINIA
NATVS

Lanzi 1, 171, 34 male. Conestabile p. 240 n. 12.

1365 tegula ex museo Bucelliano allata Florentiam in museum.

VALISA·VIIDIA

Lanzi 1, 169, 14 male. Conestabile p. 229 n. 5.

1366 arca ex lapide Tiburtino Clusii apud Claudium de Samuellis, postea Cortonae in domo march. de Venutis.

L·VEISINNIVS·L·F·P
TITIA·GNATVS

Gori inscr. Etr. 2, 415 (inde Mur. 1762, 7). 3, 304. Donat. 2, 266, cui misit Phil. de Venutis.
1 VESINNIVS Donat. — 2 GRATVS Gori vol. 3.

1367 tegula Florentiae in museo.

A VENSI CALLI

Conestabile p. 242 n. 29.

1368 in operculo arcaque ex lapide Tiburtino repertis Clusii a. 1827.

in operculo:

C·VENSIVS·C·F·CAIVS
ƎJƧIJAH8:JAƎJI‡HƎ⅃:JƎ⅃

in arca:

C·VENSIVS·C·F·
CAESIA·NATVS

Pasquini *Bullett.* 1833 p. 49 tab. n. 1. Cf. Dennis Etrur. 2, 371.
Puto eiusdem hominis esse et in operculo legendum CAIIS pro CAIVS. Etrusca sic legenda: *vel . venzileal . fnalisle;* nisi potius scribendum *vel . venzne . alfnalisle.*

1369 arca ex lapide Tiburtino Clusii reperta a. 1827.

VOLCHACIA
L·F

Pasquini *Bull. dell' Inst.* 1833 p. 50.

1370 arca Perusiae reperta in sepulcro Casceliorum.

THANIA·ACHONIA·CASCELI

Vermiglioli *sepolcro de' Volunni* p. 51 n. 23. Conestabile *mon. di Perugia* 2, 126. 206.
Legitur modo *Achonia*, ut *Achonia* Ↄ. *l. Phile[m]atio Corneli [L]ache[t]is* apud Vermiglioliun *iscr. Per.* ed. 2 p. 32 n. 31, secundum pronuntiationem in his partibus usitatam, modo *Aconia*, ut *Aconia C. l. Pumpua* (*Bullett.* 1841 p. 67). Cf. Conestabile l. c. 2, 116. 182.

1371 arca Perusiae in museo Oddi.

THANNIA·ANCAAR
IA·LAR·F

Vermiglioli *iscr. Per.* ed. 1 p. 22, ed. 2 p. 24.
ANCAARIA ed. 1, ANCHAARAIA ed. 2.

1372 Perusiae in museo universitatis.

ANNIA·SEX·F
CASSIA·NATA

Ritschl tab. LXXIV Q ad lapidem. Descripsi. Ed. male Vermiglioli *iscr. Per.* p. 550.

1373 Perusiae reperta a. 1840 ad sepulcrum Volumniorum.

THANIA·ARNVSTIA

Vermiglioli *Bullett.* 1841 p. 68.

1374 Perusiae rep. a. 1822, extat in museo universitatis.

ARSINA AMPVDI

Ritschl tab. LXXIII D ad lapidem. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 32 n. 42.

1375 rep. a. 1763 Perusiae prope S. Constantii *Mar.*; extat ibi in museo.

THANIA·CAESINIA·VOLVMNI

Ritschl tab. LXXIII G ad lapidem. Exhibent Lanzi 2, 342 a Mariottio; Marini sched. Vat. 83 q. v. a. 1788; Vermiglioli *iscr. Per.* p. 23.

1376 arca Perusiae reperta in sepulcro Casceliorum prope Volumniorum monumentum.

SEX·CASCELIVS·CREONIA
NATVS

Vermiglioli *sepolcro de' Volunnj* p. 51 n. 22. Conestabile *mon. di Per.* 2, 126. 206.

1377 Perusiae rep. 1822, extat in museo universitatis.

CLANDIVS·VEL·F·VESSIA·GNATVS

Ritschl tab. LXXIII J ad lapidem. Descripsi. Ed. Vermiglioli opusc. 4, 65; *iscr. Per.* p. 32 n. 37.

1378 prope Perusiam in parochia Casagliae rep. 1845.

C·FVLGNI·POSE

Fabretti *Bullett.* 1849 p. 53.
Lege *C. Fulcini(us) pose(it).*

1379 Perusiae nuper rep.

PERRICA·GNATV.

Conestabile *Bullett.* 1858 p. 70.

1380 prope Perusiam ad pontem Felcinum reperta.

A · PETRONIVS · L · F · SVCIAE . CNAT

Fabrett. *Bullett.* 1849 p. 54.

1381 arca Perusiae in hypogaeo rep. 1844.

L · PETRONIVS · L · F · NOB ORSINIA

Ritschl tab. LXXIV N ad lapidem. Ed. Stephani *Bull.* 1845 p. 107.; Conestabile *mon. di Per.* 3, 13.
NOF Conest.

1382 in operculo arcaque Perusiae antea in museo Oddi, nunc in universitate.

in operculo:

L · POMPONIVS L · F ARSINIAE GNATVS · PLA VTVS

in arca:

L · POMPONIVS · L · F · PLOTVS

Ritschl tab. LXXIII C. B ad lapidem. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 20.

1383 urna rep. Perusiae 1802 in hypogaeo Salviorum. Extat in museo universitatis.

C · SALVIVS · CASSIAE GN

Ritschl tab. LXXIV P ad archetypum. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 30 n. 30. p. 32 n. 45.
C//SSIAE tabula.

1384 urna lapidis Tiburtini rep. Perusiae 1833 extra portam S. Angeli, extat in museo.

L · SCRIBONIVS
L · L · BARBA

Ritschl tab. LXXIV R ad lapidem. Ed. Vermiglioli iscr. Per. p. 555.

1385 urna lapidis Tiburtini rep. et servata cum praecedente.

L · SCRIBONIVS · L · F
CLODIAN
VS

Ritschl tab. LXXIV S ad lapidem. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 555.

1386 prope Perusiam reperta *nella villa del Palazzone.*

C · SOCCONIVS · C · L
OLIPOR

Fabretti *Bullett.* 1849 p. 52. Conestabile *mon. di Perugia* 3, 160. Cf. supra n. 1076.

1387 in operculo urnae Perusiae rep. 1822, extat in museo.

VELTIA

Ritschl tab. LXXIII K ad lapidem. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 32 n. 41.

1388 prope Perusiam reperta ad pontem Felcinum.

VIBIA · PTRONI

Fabretti *Bullett.* 1849 p. 54.

1389 in lapide Tiburtino Perusiae reperto ad ecclesiam S. Constantii, extat in museo *Verm.*

l VOLVMNI · L *l*
IASO

Ritschl tab. LXXIII H ad lapidem. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 21.
1 L · VOLVMNIVS Lanzi.

1390 in pyramide, quae in globum exit, super quadratam basim, rep. cum praecedente, deinde ex dono Galassii in villa Quiriniana in agro Patavino.

ab una parte pyramidis L · VOLVMNI · L — *ab altera* *l* IASO

Iac. Bianconi misit Marinio a. 1764 (cod. Vat. 9044; inde Henzen *annali* 1855 p. 77). Lanzi 1, 168, 5. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 21 n. 8 ex schedis.
L · VOLVMNI · L ‖ IIASO Bianconi: L · VOLVMNIVS ‖ IASO Lanzi; L · VOLVFN · AHL ‖ IASO Verm.

1391 urna lapidis Tiburtini rep. Perusiae in sepulcro Volumniorum, extat in museo.

L · VOLVMNI · L L THEOPILVS

Ritschl tab. LXXIII E ad lapidem. Descripsi. Bianconius misit Marinio a. 1764 (cod. Vat. 9044); Masinius (sched. Vat. 83) vidit a. 1788; Vermiglioli *iscr. Per.* p. 23.
LΛ ego, LAL Mar. Verm., E/A tabula. — THEOPILVS tabula; THEONIVS Mar. ego, THEO_NIVS Verm.

1392 sarcophagus Perusiae rep. in sepulcro Volumniorum.

in operculo:

ꓘAI+ABAƆ : VA : AHꟽI𐌍Ǝꟻ : ꟼVꟼ

in sarcophago:

P · VOLVMNIVS · A · F · VIOLENS
CAFATIA · NATVS.

Ritschl tab. LXXIII F *a b* ad lapidem. Ed. Vermiglioli *il sepolcro dei Volunnj* Perusiae 1840 p. 27. 28 tab. VII; *Bullett.* 1840, 122. 1841, 13; Dennis *Etruria* 2, 475; Conestabile *mon. di Perugia* 2, 99. 101.

Litterarum Latinarum forma est aetatis imperatoriae. Etrusca inscriptio, quae sic legenda: *pup. velimna. au. cahatial*, ita scripta est in dorso operculi per latitudinem, ut secundo loco eam esse, Latinam primariam statim appareat.

1393 terminus Perusiae in museo universitatis.

ITER DEBTVR AD
M O N I M E N T V
C CLANI C L
P H I L A R C V R I

Ritschl tab. LXXVIII F. Descripsi. Ed. Vermiglioli *iscr. Per.* p. 555.

1394 in plintha statuae cretaceae qua Larem domesticum sedentum canina pelle vestitum repraesentari scribit Fea, altae metr. 0, 76, prope Perusiam a. 1773 repertae.

C·RVFIVS·S·FINXIT

Ritschl tab. LXXIII M ad archetypum. Ed. Passeri *di un simulacro argillaceo* Perusiae 1774, quem librum non vidi; Fea ad Winckelmannum *stor.* 3, 239; Vermiglioli *iscr. Perug.* p. 597, 1 ed. 2 (inde Orell. 4281), ubi statua incisa est tab. 8, 1.

Sic videtur legendum esse; prima littera C cum puncto sequente mihi G est, deinde in tabula neque FI est neque PI, sed potius FI. Ita S est *servus*; certe quam vulgo sequuntur interpretationem *sigillarii* reiciendam esse quivis videt. — C·FVFIVS·FINXIT Fea.

1395 in operculo arculae fictilis repertae Cortonae, quam Gorio dono dedit Jo. Bapt. Deius archivii Florentini custos; hodie extat in museo Cataiensi. — Clusinam *Lanzius* dicit errore.

LARTHIA·OTANI F

Ritschl tab. LXXIII L ad lapidem. Ed. Gori mus. Etrusc. III, 2, 110 cl. IV tab. 24 n. 6 (inde Lanzi 1, 174, 61); Cavedoni mus. Cat. p. 15.

Extrema littera, quae adhuc pro S habita est, videtur potius esse F.

1396 lapis Tiburtinus Arretii in anteriore pariete ecclesiae S. Catharinae in platea S. Francisci.

A·PACCIVS·A·F
Q·GAVIVS·P·F
DVO·VIR
EX·D·D·PONTEM
5 FACIVND·COE

Ritschl tab. LXXV J. Gori inscr. Etr. 2, 312 (inde Mur. 481, 1). Mur. 666, 3 ex schedis suis. Descripsit Henzeno Redius.

1 extrema littera in tabula incerta est; A·F exempla. — 2 OAVIVS tabula. — P·F tabula, L·F exempla. — 4 PONTEM exempla, FONTEM tabula. — 5 littera N vix apparet.

1397 urna quadrata ex marmore Graeco pulcherrimo, rep. cum multis vasculis fabricae Arretinae Arretii.

C·CASSIVS·C·F
SATVRNINVS
ᕼAᒧƆ·Ɔ·I‡AƆꟻ

Ritschl tab. LXXIV O ad lapidem. Ed. Fabroni *Bullett.* 1834, 149.

Tertia littera Etrusca recte Fabronio visa est A paulum corrupta, sicut ultima littera item corrupta Kellermanno (*Bull.* l. c.) N. Legendum igitur *c. cazi c. clan.*

1398 Arretii in museo.

P·MP
PMP

Ritschl tab. IV D cui dedit Hübner.

Lege *P. Ampi Pamphili* vel similiter.

1399 tabula marmorea Lunae in fori ruinis reperta 1857.

M·MINATIO·M·F·GAL·
SABELLO·
DVOVIR·ITER·

Ritschl tab. XCIII E ad lapidem. Ed. Henzen *Bullett.* 1858 p. 11.

M. Minatium Sabinum confert Cavedonius *Bullett.* 1858 p. 76. Vide ad n. 1259.

1400 tabula marmorea Lunae in fori ruinis reperta 1857.

L·TITINIO·L·F·PETRINIANO·IIVIR.ITER
COLONI·ET·INCOLAE

Ritschl tab. XCIII F ad lapidem. Ed. Henzen *Bullett.* 1858 p. 11.

1401 Lunae in foro rep. 1857.

...... TITINIAE·L...
*l titini*VS·PETRINI*anus*

Henzen *Bullett.* 1858 p. 11 ad ectypon chartaceum.

1402 lapis quadratus altus p. 4, latus supra p. 2 *Accurs.* littera incondita incorrecta *Pigh.* Ameriae intra aedem S. Secundi *Accurs.* extra Ameriam in fulcro arae S. Antonii *Pigh.* Prope Aemiliam *Lipsius*, Aquilae *Manut.*, errore uterque.

epistylium rosis ornatum
IOVE
OPTVMO
MAXSVMO
T·PETTIVS·T·F·T·N
D·D·L·M

Accursius ms. bibl. Ambros.; Manuth. orth. 1561 f. 51; Pigh. cod. f. 10; Lips. p. 33 a Nic. Florentio; Grut. 16, 8 (cf. ed. 2), citans Pierium in Georg. Vergilii l. 4 extr., Lipsium, schedas Pighii et Borromaei.

Anaglyphum depinxit Acc. — 1 IOVI Pigh. solus. — 2 OTVMO Pigh., OTTVMO Man. — 3 MAXVMO Man. — 4. 5. T·N·D·D·L·M om. Man.

1403 in lapide magno vulgari litteris optimis et maximis; extat Interamnae Nahartium (Terni) in aedibus publicis.

L·LICINIVS·L·F
LVCVLLVS
IIII·VIR·I·D

Ritschl tab. LXX E. Ed. Donius 5, 55 (inde Mur. 715, 4) a Gabriele Castellio.

Borghesio titulus visus est convenire consuli a. 680 propter litterarum formam, nec nego; non ausus sum tamen eum recipere inter titulos aetatis certae, cum praesertim de Lucullorum consulum a. 680. 681 coniunctione aliqua cum Interamnatibus nihil prorsus tradatur neque aetate liberae rei publicae senatores populi Romani honores municipales facile videantur suscepisse, etsi saepe id fecerunt sub imperatoribus.

1404 tabula marmorea litteris maximis et antiquis Interamnae in aedibus publicis.

IVS·SEX·F·IIII·VIR
FAC·COER

Henzen descripsit.

1405 Terni eruta in coemeterio S. Valentini *Don.*, extat in curia.

sic P·MVSANOS·A·L·PAMPH*ilus*
P·MVSANVS·P·L·PHILOGEN*es*
VIVIT
P·MVSANVS·P·L·PHILOC*ates*
VIVEI FECERV*nt*

Ritschl tab. XC F ad lapidem. Henzen descripsit. Ed. Don. 14, 61, cui dedit Franc. Angelonius; Mur. 1714, 12 ex Angelonio.
1 ex MVSANOS lapicida fecit MVSANVS.

1406 litteris antiquissimis et rudibus Spoletii in aedibus publicis.

MINERVAE·DO
FVLLONES
MAGISTRI·QVINQVEI
CVRAVERE
C·FVVLI·C·L·STATIVS
P·OPPI·L·L·PILONICVS
L·MAGNI·L·L·ALAVCVS
PAMPILVS·TVRPILI·T·S

Descripsi. Exhibent Donius 8, 67 a Vossio; Mur. 951, 9 a Dionysio Sancassanio; Marini et in schedis Vat. et in Arval. p. 416 (inde Orell. 4091).

1 DC ego, DO Marini, DO... Don. Mur. — 3—8 om. Don.; 3 om. Mur. — 5 C·FVVLI ego, L·FVVLI Marini, C·EVVLIO Mur. — C·L·L Mur. — 6 POMPILI pro P·OPPI·L·L Mur. — PILONICVS ego Mur., FILLONICVS Mar. — 7 L·L·ALAVCVS ego Mar., FIL·ALANVS Mur. — 8 PAMPHILVS·TVRPILIVS Mur.

De fullonibus Minervae cultoribus vide quae diximus ego *Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 15, 328 sq. et Otto Iahn in actis soc. Lips. a. 1856 p. 296. Attributivum quomodo explendum sit non liquet; nam nec *dominae* nec *domesticae* Minervae satis convenit. Magistri videntur appellari quinquennales, quamquam fractum esse lapidem nemo adnotavit. Fulii nomen redit in Spoletina alia Mur. 1679, 1: *P. Fulio P. f. ex testamento L. Fuli P. f.*

1407 Spoleti in turri campanaria ecclesiae cathedralis.

M·LVVCIVS·M·F
C·VEIENVS·C·F
IIII·VIR·I·D·S·C
PONTEM·FACIV
CVR·PROBARVNQ

Marini sched. Vat. 88 ex schedis diversis. Simillima est Grut. 167, 12. 194, 6. Fabrett. 675, 21 sic descripta a Marinio uno versu: P·MARCIVS·P·F·HISTER·C·MAENIVS·C·F·RVFVS·IIII·VIRI·I·D·S·C·FAC·CVR·PROBARVNTQ. — Alias Spoletinas cum archaismis omisi, quoniam aut constat falsas esse (Grut. 114, 10) aut certe non constat esse veras (Mur. 1747, 10 e schedis Minervii: *Soolei Marcius Q. f. f.;* Mur. 600, 1 e schedis suis: *ioudices C. Lucilius Q. f. M. Mucius P. f. C. Actius C. f. Spo. P. Claudius P. f. tr.*)

1408 lapis Tiburtinus altus 75 centim., paullo minus latus, litteris punctisque profunde incisis, rep. 1839 extra Tuder in campo q. d. *il Mausoleo*, extat Romae in museo Gregoriano.

coi·IS
DRVTEI·F·FRATER
EIVS
MINIMVS·LOCAV
IT·ET·STATVIT
at eknati. trut
ikni. karnitu
artuaco koisis t
rutiknos

IIVIIEI VRDVM
*c*OISIS DRVTI·F
FRATER·EIVS
MINIMVS·LOCAVIT E*t*
*st*ATVITQVE
[at] eknati trutikn[i]
[kar]nitu lokan et
[tr]utiknos

Ritschl tab. LXXIII A ad lapidem. Ed. Grifi et Campanari *Giorn. Arc.* t. 81 (1839) p. 86—113 (unde cum meis observationibus repetita est in Höferi *Zeitschrift für die Wiss. der Spr.* I, 395, ex hoc ab Aufrechto et Kirchhoffio *umbr. Sprachdenkm.* p. 393 tab. X c.); Mus. Greg. Etrusc. f. 1 tab. CVI, quem typum neglegenter exceptum praetermisi.

In priore exemplo profundius inciso 1 ...IS Camp.; in tabula non satis apparet. — 8 elementum sextum quid indicet, nondum compertum est. — In altero exemplo 1 in. V in tabula deest. Reliqua litterarum vestigia eadem fere sunt apud Campanarium et Ritschelium, nisi quod tertium a fine elementum apud hunc D videtur esse, apud illum Г est. Quid significarint huius versus litterae, non extrico. — 3 ..RATER Camp. — 5 QVE tabula, QVI Camp.; mihi QV solum scalpro incisum visum est. — 6 Ɔ ante *eknati* tab., vix recte. — fin. KII tab., ..II Camp. — 7 post *lokan* in tabula est *et*, apud Campanarium KO..., quod multo faciliorem explicationem habet. — 8 ...*tiknos* Camp.

Titulus bilinguis est, Latine scriptus alphabeto sermoneque non ita vetustis, Umbrice alphabeto quod o Latinorum adscivit et pro A formae Umbricae antiquiorem Latinam admisit. Nominum ratio haec videtur esse, ut pater dictus sit Drutus Egnatius, filii maior Attus Egnatius, minor Coisis Egnatius; num Druti Coisisque praenomina Umbra cognata sint Romanis cognominibus Drusi Cossique, incertum est. De *Trutiknos* forma cf. supra ad n. 36. Umbrica explanare conatus est Kirchhoffius l. c.

1409 Tabula aenea eruta a. 1729 in Tiberis alveo prope Baschium *al Molinaccio,* quam emit loci archipresbyter Pennacchius exemplumque ad Ioanuellium misit; qui dum curat publico aere ut redimatur et in populi Tudertini tabularium condatur, audit tabulam Romam amandatam nec magno venundatam esse. *Ex Io. Bapt. Passeri antiq. Tudertinis ms. t. XIV n.* 241, *quae Pisauri adservantur in bibl. Oliveriana, mecum communicavit Borghesius.* Hodie Neapoli in museo.

. . . .

1 [*De quibus poenis ob iura sepulcrorum violata cautum iure Qui*]ritium comprehensumvs est uti dentur p(opulo) R(omano), u[*ti eaedem dentur colonis eius coloniae, ius*
2 *esto . . . . . . utique magistratus eius coloniae, si quis*] eorum, qui quoqus anno inferiarum sacri[*s fungentur, propter eam rem apud se damnatus erit, tantam pecuniam, quantam*
3 *is damnatus erit, ei coloniae d*]andam adtribuendam curent.

4 [*Quae quem ex hac rogatione agere facere opor*]tet, agito facito, neve quid adversus hanc rog[*ationem agito facito sciens d*(*olo*)*m*(*alo*). *Si quis quid adversus hanc rogationem egerit*
5 *feceri*]t sciens d(olo) m(alo), ei multa esto sestertium |X̄| eiusque pecuni[*ae qui volet*
6 *magistratus petitio esto . . . . . eamque pecuniam vel*] populi iudicio petere vel in sacrum iudicare licet[*o*.

7 *Si quis quid adversus alias rogationes*] huius rogationis ergo fécerit quodve ex earum
8 [*aliqua facere eum oporteret, huius rogationis ergo . . . . . . n*]on fecerit, id ei fraudi multae poenae ne esto.

9 | [*Ne quis hanc rogationem abrogato neve huic rog*]ationi obrogato neve de hac rogatione derogato, [*quod eius contra leges publicas populi Romani . . . . senatusve populi Romani*
10 11 *iu*]ssionem factum non erit. Quod aliter rogatum e[*rit in hac rogatione, e*(*ius*)] h(ac) l(ege) n(ihil) r(ogatur).

Ritschl tab. XXXV. Legitur in schedis Passerianis, de quibus supra rettuli, praeterea apud Mur. 576, 1, cui misit Franciscus Maria comes Campelli, et apud Goettlingium *funfzehn Urkunden* p. 22. Tractaverunt Kleuzius ad l. Servil. p. XX et Goettlingius l. c., neuter feliciter.

Quod plerique opinantur haec residua esse ex lege aliqua populi Romani refellitur et *rogationis* vocabulo, quo ipsa se peraeque appellat excepta formula tralaticia v. 11: [E·] H·L·N·R, et v. 1, qui cum nunc demum recte lectus sit, aperte tabulam ablegat inter leges municipales collegiorumve; cui opinioni neque formularum cum Romanis summam similitudinem neque populi iudicium (v. 6) obstare facile admittet, qui legem collegii aquae eiusque iudicium recuperatorium (cf. *Zeitschrift für gesch. Rechtswiss.* 15, 203. 345) probe norit et omnino quam accurate res publicae in Romana comprehensae ipsius Romae imaginem et re et verbis expresserint satis intellexerit. Conferenda est cum hac Tudertina lamina altera ahenea, quae quo loco reperta sit non constat, servatur hodie Florentiae in museo Riccardiano, quam post Gorium (inscr. Etr. 1, 88, 17) et Blumium (iter. Ital. 2, 87) a me editam (*Berichte der Leipz. Gesellschaft* 1852 p. 265 sq.) hic denuo supplementisque subinde emendatis repetere placet. Scripta est paginis duabus et fracta cum a parte superiore et inferiore tum a margine intuenti dextro.

. . . .

I, 1 | in res singulas HS. X̄ c(olonis) e(ius) c(oloniae) d(are) d(amnas) e(sto) [i]sque
2 3 locus, ubi | quis adversus ea humátus sepultusve erit, | púrus et religióne solútus estó
4 eumque s(ine) f(raude) s(ua) | qui volet exarátó. Item né quis alvos apium | . . . . .

. . . .

II, 1 2 [*cum II viro* | *praefe*]ct(o)ve de [e]a re cog[*noscere non licebit legibus*] | eius c(oloniae),
3 ita uti lege Aeli[*a . . . . cautum*] | est, d(ecreto) d(ecurionum) ad pr(aetorem) de eá re refe[*rto isque praetor proponere*] | édicereque
4 debetó eam [*rem . . . . .*

. . . .

Neutram legem aetate liberae rei publicae scriptam esse cum apices ostendunt tum scriptura nulla re a consuetudine Augustae aetatis recedens; recepi tamen hoc loco, cum quoniam prior legitur apud Ritschelium tum propter similitudinem inter hanc legem et publicas populi Romani supra relatas intercedentem. Florentinae laminae priorem paginam spectare ad agrum colonicum a privatis sepulcris privatorumve apium alvis defendendum (cf. Dig. 43, 24, 3, 4), alteram ad fines regundos inter municipalem praetorisque populi Romani iurisdictionem in iis fortasse iudiciis, in quibus colonia peteret a privato, satis videtur constare. Tudertina hoc significare videtur propinquos, nisi mortuo statis diebus parentarint, publice multari nec solum apud Tudertinos, sed etiam apud ipsum populum Romanum. Sequitur sanctio sollemnis.

v. 1 erosus admodum est; videor tamen mihi recte legisse. — 4 accentus initio dubius est neque recte convenit vocabulo OPORTET. — 5 |X| aes, quod est *decies*, v. e. c. abacum apud Grut. 224. — 6 cf. legis Siliae locum ad Bantinae v. 12 supra p. 48 allatum. — v. 7 cf. legis de imperio Vespasiani sanctionem: *Si quis huiusce legis ergo adversus leges rogationes plebisve scita senatusve consulta fecit fecerit, sive quod eum ex lege rogatione plebisve scito s*(*enatus*)*ve c*(*onsulto*) *facere oportebit, non fecerit huius legis ergo, id ei ne fraudi esto neve quit ob eam rem populo dare debeto neve cui de ea re actio neve iudicatio esto neve quis de ea re apud* [*se*] *agi sinito.* Quod est *caput tralaticium de impunitate, si quid contra alias leges eius legis ergo factum sit* (Cic. ad Att. 3, 23, 2). — v. 10 cum verbis *quod aliter* sq. cf. Cic. pro Caec. 33, 95: *si quid ius non esset rogarier, eius ea lege nihilum rogatum* (cf. de domo 40, 106) et Probum 3, 15: *si quid sacri sancti est quod non iure sit rogatum, eius hac lege nihil rogatum* et caput legis de Cicerone revocando apud Cic. ad Att. 3, 23, 3 ad fidem codicis: *si quid in hac rogatione scriptum est, quod per leges pl. ve sc. promulgare abrogare derogare obrogare sine fraude sua non liceat non licuerit, quodve qui promulgavit derogavit ob eam rem poenae multaeve* (malim *poena ei multave*) *sict, e. h. l. n. r.*

1410 in agro Hispellate.

DEVM
MAANIVM

Donat. 58, 3 e sched. Stoschianis.

1411 Hispelli.

V F SER · VEIVIV
SEX · F · PROVIN
OBEIT

Descripsi. Integra mihi visa est.

1412 Asisii in S. Rufini templo in ea muri parte, quae est ex saxo Tiburtino.

ΓOST · MIMESIVS · C · F · T · MIMESIVS · SERT · F · NER · CAPIDAS · C · F · RVF
NER·BABRIVS·T·F·C·CAPIDAS·T·F·C·N·V·VOLSIENVS·T·F·MARONES
MVRVM·AB·FORNICE·ADCIRCVM·ET·FORNICEM·CISTERNAAQ·D·S·S·FACIVNDVM·COIRAVERE

Smetius 7, 4 (inde Grut. 167, 8). Costanzo *disamina degli scrittori risguardanti S. Rufino* (Asisii 1797) n. 15. Descripsit Kramer partem anteriorem.

2 C·F pro primo T·F Smet. — 3 EXTER ... pro CISTER Kramer.

Sex viri Postumus Mimesius C. f., T. Mimesius Sertoris f., Nero Capidas C. f. Rufus, Nero Babrius T. f., C. Capidas T. f. C. n., V. Vo[i]sienus T. f. Marones haud scio an non fuerint cives Romani, cum adsint praenomina complura non civilia Neronis (cf. Suet. Tib. 1 al.), Postumi, Sertoris (cf. n. 1097). Accedit summa similitudo tituli alterius item Asisinatis Umbrice scripti litteris Latinis (Aufrecht et Kirchhoff mon. ling. Umbr. p. 389 sq.): *ager emps et | termnas oht | C. V. Vistinie, Ner. T. Babr. | Maronatei |, Vois. Ner. Propartie |, T. V. Voisiener. Sacre stahu*, quod vertit Kirchhoffius sic, in universum certe recte: *ager emptus et terminatus auctoritate C. Vistinii V. f., Ner. Babrii T. f. Maronis* (proprie *Maronatis*), *Vois. Propertii Ner. f., T. Voisieni V. f. Sacrum sto* (?). — Mimisia gens, quae Asisii non raro invenitur, Ti. Augusti aetate adeo pervenit ad honores publicos populi Romani teste titulo Tiburtino apud Apianum 186, 5 (inde Grut. 188, 1; Orell. 3141): *Post(umus) Mimisius C. f. Sardus tr. mil., q., aed. pl., pr., legatus Ti. Caesaris Aug. pro cos., prae[f.] f[ru]menti dandi ex s. c.* Gentile nomen *Capidas* simile est *Menatis*, de quo dixi supra n. 633. Cognomen RVF utrum referatur ad solum Neronem Capidatem an etiam ad praecedentes duos homines, dubitari potest; certe si scriptor hoc voluit, RVFI plene scribendum fuit. Contra MARONES pertinet omnino ad tria quae praecedunt nomina, cum in Umbrico titulo adsit *Nero Babrius T. f. Maronas. Volsienus* male exceptum videtur esse scribendumque ex titulo socio *Voisienus*. Quodnam officium sex homines huius tituli alteriusque quattuor sustinuerint, non apparet.

1413 litteris antiquis rudibus admodum Asisii ad aedem Minervae.

A V D I A II
H Y C I A II
Q · T · P · POS
C O I V G I
CARISVMAII
ET·NOMADI·SORO

Descripsimus Kramer, Henzen, ego. Ed. Mur. 1306, 4 a Camerinio pessime, de Costanzo l. c. n. 31.

1 AVIDIAII Henzen. — 4 COIVCI Henzen. — 6 SOR Henzen Kramer, SORORI Cost.

1414 Asisii ad aedem Minervae.

vir iacens in lecto, cui adsidet mulier
C · EGNATI · SAL · F

Kramer et Henzen descripserunt. Ed. de Costanzo l. c. n. 13.

1415 Asisii ad aedem Minervae.

NER · EGNATI · T · F
puer tunicatus equum ducens

Smet. 92, 12 = 137, 8 (inde Grut. 540, 4. 910, 5); de Costanzo n. 11; Marinius in schedis Vatic.

EGNATIVS Smet. — Anaglyphum sic descripsit Smetius: 'stat miles freno cohibens equum, leonina tectus' vel 'iuvenis barbarus (barbatus?) obesus equum leonina opertum freno tenens'.

1416 in Castronouo dioecesis Asisiensis *Mur.* Nunc Asisii ad aedem Minervae.

protome mutila
NVMISIA · SIIX · F
CN · CASSIVS · L · F

Kramerus et Henzenus viderunt. Mur. 1717, 14 (omisit Henriquez).

1417 Asisii ad aedem Minervae.

Q · POINISIVS · NER · F

de Costanzo n. 14.

1418 Sassinae. 'Hoc epitaphium est prope Sarsinam in quodam molendino Florentinorum' *Marc.*; 'hoc epigramma repperi equitando Sarsinam versus in flumine Samo (?) in molendino Florentinorum' *Mich. Reg.* Sarsinae in molendino Florentinorum *Mur.* extra Sarsinam in molendino propinquo Sorbano *Fantag.* apud Sarsinam in mola Sorbani *Piccart.* Sassinae *Spon.* *'a Romagnano nella casa degli eredi di Antonio Capello' Anton.*

. . . HORAtius . . f · BALBus
MVNICIPIBVS suEIS · INCOLEISQ
LOCA · SEPVLTVRAE · D · S · P · DAT
*EXTRA · AVCTOR*ATEIS · ET
*QVEI · SIBEI · LAQV*EO · MANVS
ATTVLISSENT · ET · QVEI
QVAESTVM f · SPVRCVM
*PROFESSI · ES*SENT · SINGVLEIS
*IN · FRON*TE · P · X · IN · AGRVM · P · X
*INTER · PO*NTEM · SAPIS · ET · TITV
*LVM · S*VPERIOREM · QVI · EST · IN
*FINE · F*VNDI · FANGONIANI
*IN · QVIB*VS · LOCEIS · NEMO · HVMA
TVS · ERIT · QVI · VOLET · SIBEI
*VI*VOVS · MONVMENTVM · FACI
ET · IN · QVIBVS · LOCEIS · HV
MATI · ERVNT · EI · D · T · QVEI
*H*VMATVS · ERIT · POSTEREIS
QVE · EIVS · MONVMENTVM
*FIER*I · LICEBIT

Integra dum fuit, descripta est bis: primum a Marcanova cod. Mut. f. 96 (inde pendent Michael Ferrarinus Regiensis, in cuius cod. Veron. legitur f. 90, item in Traiectino f. 44, item Mur. 1773, 8 e schedis Iacobi Valerii et Alexandri marchionis Capponii a me plerumque praetermissi, item ni fallor Ianus Fantagucius, in cuius sylloge ms. servata Ravennae in bibliotheca episcopali n. 135 mihique ibi visa legitur f. 15); deinde ab eo homine cui debentur exempla Piccarti n. 37 (inde Reines. 7, 20, Orell. 4404) et codicis Rediani apud Sponium p. 264 (inde Donat. 275, 9). Nemo horum versuum ordinem ad lapidem dedit. Fracta etiamnunc superest itaque eam descripserunt Antonino (*antichità di Sassina*. Sarsinae 1607) p. 36 (inde Fabrett. 672, 11) et qui mihi misit Rocchi Pisaurensis.

1 HORA ‖ BALB ‖ Marc. Ferr., HORA 'rupta' · P · BALBVS Fantag., BAEBIVS (BAEBLIVS Red.) GEMELLVS SARSINAS (SASSINAS Red.) Picc. Red., quae interpolatio nixa quodammodo *Balbi* cognomine fluxit ex noto titulo Sassinate Grut. 322, 3, in quo est *T. Baebius Gemellinus.* Ceterum de tribu Horatia cogitassem, si HOR, non HORA esset apud Marcanovam. — 2 MVNICIPIBVS ‖ EIS · INCOLEISQVE ‖ Marc., MVNICIPIB · EIS (EIVS Traiect.) INCOLEISQ Ferr., 'rupta' MVNICIBVS · MEIS · IN · COLEISQVE Fant., MVNICIPIBVS · SINGVLEIS · INCOLEISQ (QVE Spon.) Picc. Spon. Et *meis* et *singuleis* ex supplemento profecta esse apparet; puto etiam vocabuli *municipibus* primas litteras in marmore non superfuisse. — 3 LOCA · SEPVLTVRAE · D · (O Picc.) S · P · DAT Picc. Spon., fortasse ex supplemento; ‖ CA · SEPVLTVRA ‖ S · P · DAT Marc., EA · SEPVLTVRA · S · P · DAT Ferr., VNICA · SEPVLTVRA · S · P · DAT Fant. — 4 AVOS · ORATEIS Marc., AVOS 'rupta' ORATEIS Fant., AVCTORITATEIS Picc., AVTORATEIS Spon. — 5 SEIBEI unus Ferr. Ver., SIBEI reliqui, etiam Ferr. Trai. et Mur.; SIBI Picc. — QVEO Marc., . . . QVEO Fant., LAQVEO Picc. Spon. — MANV Ant. — 6 ADTVLISSENT Spon., ATVLISSE PRESENT Fant. — 7 nexas litteras VA ut supra 2 litteras LE, infra 12 litteras NE habet Fantag. — SPVRCVM Fant. — 8 SINGVLIS Picc. — post SINGVLEIS add. P Ferr. (non Marc.) — 9 IN · AGRVM · P · X om. Fant., IN · AGR · (AGRO cod. Ver.) P · X Ferr. (non Marc.), IN · AG · P · X Spon. — 11 QVEI Picc. Spon. — 12 FANGONIANI Picc. Ant. Rocchi, FAGONIANI Spon., TANCONIANI Marc. Ferr. Fant. — 13 QVIB · Ferr. (non Marc.), QVSIBVS Picc. Spon. — LOCIS Spon. — 14 QVEI Picc. — SIBI Picc. Spon. — 15 VIVOVS Marc. Mur. Fant. Picc., . . . VOVS Ant. Rocchi, VIVOS Ferr. Spon. — 16 QVSIBVS Picc., QVEIS Spon., QVIB Ferr. — LOCIS Ferr. — 17 QVI Picc. Spon. — 18 POSTERIS Marc. Ferr. Picc. Spon. — 19 Q · Picc. Spon. — 20 FLERIT pro FIERI Marc.

1419 prope Hatriam Piceni.

C · SANGVRI · C · F (Q
L · GARGONI · L · F (
SACELLVM · D · S · S
SAEPIVNDVM
COVRAVERVNT

Cherubini *Bull. Nap. N. S.* 3, 64; Garrucci *ann. dell' Inst.* 1860 p. 274.

1 C · ANGVRI Cher. — 3 extr. S om. Cher.

1420 Cuprae montanae.

C · CAMVRI · SAL · F

Sarti in sylloge Calogerana XXXIX, 1.

1421 Marani prope Cupram maritimam reperta; extat Firmi in museo Miniciano.

P · RVPILLIVS · A · F
L · MINICIVS · L · F
DVO · VIR
CAMPVM · ET · MACER
EX · D · D · FACIVNDV
COER · IDEMQ · PROB

de Minici *iscr. del suo museo* (Fermo 1855. 8) n. 71; *iscr. Fermane* (Fermo 1857. 8) p. 219 n. 655 coll. p. 386.

1422 basis magna in Urbisalviae ruderibus nuper rep. *Lanzi.* rep. in alveo fluvii Fiastra *Catalani.* Urbisagliae apud marchionem Alex. Bandini Collaterali *Col.*

C · TVRPIDI P · F HOR ·
C · TVRPIDIVS C · F SEVERVS F · V · A · XVI ·
PARENTIBVS PRAESIDIVM · AMICEIS · GAVDIVM
POLLICITA · PVERI · VIRTVS · INDIGNE · OCCIDIT
QVOIVS · FATVM · ACERBVM · POPVLVS · INDIGNE · TVLIT
MAGNOQVE · FLETV · FVNVS · PROSECVTVS · EST

Lanzi *saggio* 1, 158 (inde Orell. 4830) a marchione Bandini Camerinate; Catalani ablas per Odericium 5 Aug. 1780 misit Marinio. Colucci Piceno 12, 165. Meyer anth. n. 1527.
Colucci vv. male divisit. — 1 C · F Col. — 2 F om. Col.

1423 Maceratae prope Ricinam antiquam in muro S. Clarae.

T · CLODIO · PVP · L
protome viri

Marinius sched. Vat. 88 exscripsit.

1424 litteris maximis et pulcherrimis; Cinguli apud comitem Vanneccium *Mur.* in aedibus Simonetti *Reggi.*

*c. . . in*LIEI · C · F · II · VIR · ITER · BASIL
*faci*ENDAM · POLIENDAM
*ornand*AM · SVBAVRANDAM · D · S · P · F · C

Mur. 490, 4 (misit Cavallinus). Nov. Flor. 1749, 615, 7. Reggi (a. 1757) in schedis Vaticanis. Colucci Picen. 3, 130.
1 LIEI Reggi, IEI vel III reliqui. — BASIL . . . Mur.

1425 Senae Gallicae.

INCOLAE · OPIFICESQ · DEDERE
MAGIST · COIRAVER
Q · POPILIVS · C · L
L · PVPIVS · L · L
C · MANEIVS · Q · L

Mur. 693, 1 e sched. Valvasoniis.

1426 Pisauri in columnae frusto.

FANNIA · L · F · NASVLEI
BONAE · DEAE · DAT

Fabrett. 633, 285.

1427 Pisauri.

M · PLETVRI · PESN

Ritschl tab. XLIV F ad ectypum a Rocchio missum. Tres litterae extremae incertae lectionis sunt.

1428 Arimini pone ecclesiam cathedralem antiquam in moenibus antiquis reperta; extat ibi in curia.

C · OBVLCIVS · C · F
M · OCTAVIVS · M · F
DVOVIR
HOC · OPVS · FAC
CVRAVERVNT

Tonini Rimini p. 296 (cf. p. 335 not.). Eiusdem tituli alterum exemplum idem edidit p. 335 ex schedis Villani sic:

M · OCTAVIVS · M · F
C · OBVLCIVS · C · F
DVOVIR
HOC OPVS FACIVNDO
CVRARVNT

Ubi apparet v. 4 corruptum esse scribendumque FACIVND. Garruccius tamen hoc titulo similiter usus est ac n. 1222, ubi vide.

1429 Butrii inter Bononiam et Padum apud Franc. Bartolutium archipresbyterum.

TRVTEDIA · HIC
CVBAT · P · TRVTEDI
AMPHIONIS · LIB
NOMINE · SERVILE · APPIA
PATRONVS · EMIT · SIBI · ET
ILLAE · ET · SVEIS · IN · F · P · XIV
IN · AG · P · XIIII

Maffei M. V. 368, 9.

1430 lapis evanidus et lectu difficilis Cremonae in fundamentis curiae usque ad a. 1787, quo inde sublatus pervenit ad Biffium, deinde in villam Torre de' Picenardi *Bianchi.*

L LVCILIVS Q F
CN N QVI FVIT
CLA C LVCILIVS
C L STATIVS LOC
PATET AGREI SES
CONCIAM QVA
DRATVS ARCA IN
MEDIO EST

Mur. 1479, 2 ex schedis Farnesiis et Capponiis. Incidendum curavit Bianchi *marmi Crem.* p. 217 tab. XXX (inde Orell. 4563). Eiusdem Bianchii exemplum imperfectum extat in schedis Marinii Vaticanis, quod referre supersedeo.
Vv. ordinem Mur. non servat. — 1 C · LVCILIVS Mur. — 2 FVIT om. Mur. Cf. Marini Arv. p. 563: *M. Sextinius M. f. Vol. Celer n. an. V; fuit.* Interponitur inter nomen tribumque ut alibi sic inseritur nota Θ. — 3 Claudia tribus Cremonensium fuit, v. Orell. 3266. — 4 LOCVS Mur. — 6 CVNT · Mur. — 7 DRAT Mur.

1431 Cremonae rep. a. 1765 extra portam Margaritam in principio viae Mantuanae; extat apud Iul. Caes. Bonettium *Bianchi.*

M · STATIVS
M · L · CHILO
HIC
HEVS TV VIATOR LAS
SE QVI ME PRAETE
REIS
CVM DIV AMBVLA
REIS TAMEN HOC VE
NIVNDVM EST TIBI
IN · F · P · X · IN · AG
P · X ·

Bianchi per Odericum misit Marinio 23 Oct. 1765 (cod. Vatic. 9055); idem edidit nov. Flor. 1765, 694 (inde male Donat. 465, 6) et *marmi Crem.* p. 263; Zaccaria *istituz. ant. lett.* p. 270. Varia lectio nullius utilitatis est.

1432 litteris antiquis in museo Veronensi. De origine non constat.

L · CORNELIVS
L · F · SVLA · SIBI ·
ET · AMANDE
ET · MARCO
COMINIO · VI
NDICI · V · S ·

Ritschl tab. LX B. Maffei M. V. 153, 8.
Mihi magis quam remotae antiquitatis videtur barbara; certe praenomen omnibus litteris scriptum huic magis quam illi opinioni convenit. In fine legerim *vivus fecit sibi.*

1433 Veronae reperta est; fuit deinde in museo Moscardiano, nunc est in publico.

~~*sii*~~X · VALIIRIVS · SIIX · P
SIBI · IIT · SIICVNDAII ·
VALIIRIAII · M · P
VXSORI

Ritschl tab. LXXIV v. Mus. Moscardo 1656 p. 73; Fabrett. 397, 280 ex Blanchinio; Mur. 1415, 3 ex Mabillonio; Ritschl mus. Rhen. nov. 14, 303.

1434 in Tirolo meridionali prope vicum Lenzimae apud castrum Nemesino.

M A + V M A
A I M Ⱶ I A
C · R · A · Ⱶ + I

Stoffella *sopra i confini del Veronese e del Trentino* p. 22.

Litterae, quae bono isti homini Volscae creduntur, sunt Latinae antiquiores. — 1. 2 patet legendum *Maxuma Aimilia* 3 quid subsit non expedio; fortasse C · F · A · LII.

1435 in columna striata lapidis Patavini agri litteris pulchris; extat Peragae III p. a Patavio in ecclesia. Postea eidem columnae incisi sunt leones quattuor.

TAMPIAI
DIOVEI

Furlanetto *lap. Pat.* p. 435 n. 617.

Feminae gentis Tampiae hoc sacrum videntur posuisse Iovi.

1436 urna Ateste; Angelus Davò dedit Alessio; nunc ibi in museo.

SEX · QVSONI
Ↄ · L · ANCIALI
PRIMVS · L · POSIT

Alessi p. 166; Furlanetto *lap. Est.* p. 138, *lap. Pat.* p. 333 n. 392.

1437 Ateste.

PRONTANOS

Ritschl tab. XLIX D *d*. Descripsit Brunn.

Non intellego.

SORTES.

Ex septendecim quae sequuntur aereis lamellis testis omnium antiquissimus scriptor codicis Vaticani n. 5248 quindecim (n. 1439—1447. 1449—1454) affirmat uno eodemque loco repertas esse *a Bahareno alla Montagna ubi dicitur Casa Ceccio**), cum posteriores aut taceant omnino de loco, ut inter secundi ordinis auctores primarius Sirmondus, aut museis eas acceptas referant, aut ea ponant, quae aperte ex levibus coniecturis profecta gravissimo illi testimonio plane refragantur, ut neglegentissimus Suaresius quattuor tabellis n. 1438. 1441. 1447. 1454, quarum tres inter Baharenianas redeunt, ex museo Cassiano a Menetrerio ad se allatis praeterea praescripsit Romae eas nuperrime esse inventas. His igitur ut par est abiectis redit quaestio universa ad recte interpretandam indicationem illam sane obscuram et fortasse a transcriptore corruptam. Putarim tamen ea significari oppidum *Barbarano* inter Vicetiam et Patavium in mediis collibus Euganeis situm; eo enim ducit et quod in codice, de quo dixi, leguntur praeterea praecipue Venetae inscriptiones Patavinaeque et Vicetinae et ipsa res. Fuit enim in hoc agro olim aedes Fortunae sortibus trahendis vel maxime celebris. Sueton. Tiber. 14: *cum Illyricum petens iuxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos iaceret, evenit ut summum numerum iacti ab eo tali ostenderent; hodieque sub aqua visuntur hi tali***). Scilicet fabulabantur Herculem Geryonis boves ex Hispania in Graeciam agentem hoc loco arasse et ita ducto sulco calidas illas aquas emersisse (Cluver. Ital. p. 148 sq.). Aponae aquae cum fuerint ibi, ubi hodie est vicus Abano, miliario fere geographico a Patavio inter meridiem et occidentem, oraculum item Geryonis ibi prope quaerendum est solentque topographi id collocare ad vicum S. Petri mille p. ab Abano (Cluver. p. 151). Eo ipso loco, nempe in vico S. Pietro Montagnon prope Abanum, repertus est titulus solitis aquarum Aponiarum anathematis simillimus, nisi quod pro A · A in hoc legitur F, id est *Fortunae* (Furlanetto lap. Pat. p. 48 n. 52); quae inscriptio non solum ostendit Fortunae deae cum balneis coniunctionem, unde posteriore aetate prodiit Fortuna balnearis (Fronto de orat. p. 173 Mai.; Henzen n. 5796. 5797), sed etiam quod supra posuimus omnino confirmat, cum praesertim numinis indicatio solitaria littera non dubium indicium sit Fortunae sacra ibi primarium locum tenuisse. Itaque sortes hae adhuc Praenestinae dictae sine ulla causa (nam Suaresius, per quem primum vulgo innotuerunt, egit quidem de eis in tractatu de Fortuna Praenestina nec tamen Praenestino oraculo eas attribuit), iam probabilius dicentur Patavinae; nam de n. 1438. 1448. quamquam testimonium deficit, tamen una cum reliquis et has prodiisse neglectasque a codicis Vaticani scriptore postea demum in museis descriptorem invenisse sana ratio suadet. — Forma sunt longiores quam latiores, ut bini versus vicenarum circiter litterarum commode in singulis scribantur. Similis est quae in nummo M. Plaetorii Cestiani repraesentatur tabella incripta SORS (Cohn. tab. 32 Plaet. 7), nisi quod haec utrimque manubrium habet ornatum, contra in Patavinis ibi tantum, ubi versus incipiunt, aeri adhaeret orbis exiguus non scriptus perforatus; certe sic comparatae sunt tabellae n. 1438. 1448—1450, cum n. 1447 utrimque manubrio careat, de reliquarum forma non constet. Videntur igitur sortes hae olim funicillo colligatae fuisse et fortasse pependisse, quamquam Praenestinae certe non suspendebantur, sed servabantur in arca (Cic. de div. 2, 41, 86; Sueton. Tib. 63). Quo pertinet etiam notum prodigium sortium extenuatarum vel attenuatarum (Liv. 21, 62. 22, 1) excidentisve ex iis unius (Liv. 22, 1); nam cum suspenderentur densa serie stipatae, si aut solutae pen-

*) Locorum nomina in codice tam ambigue scripta sunt, ut Kellermannus legerit *Babareno* et *Casasecico*, Rossius *Bahareno* et *Casaleccio*, ipse in ectypo a Rossio mecum communicato id quod supra dedi mihi deprehendere visus sim.

**) Quos cum hoc Suetoniano componere solent locos vitae Claudii Gothici c. 11, ubi de oraculo *in Apennino* sermo est et vitae Firmi c. 3: *Apenninis sortibus aditis* (non *additis*), in iis male emendavit Casaubonus *in Aponino*; nam intellegitur Iovis Apennini templum ad Iguvium, quod in ipsa tabula Peutingeriana indicatur pariterque ut vicinum Clitumni sacrarium (Plin. ep. 8, 8) fatidicum videtur fuisse.

derent aut una ex ordine excidisset, praeter naturam id videbatur evenisse. Quare recte omnino sortem derivarunt grammatici quidam a serie et serendo, ut fors venit a ferendo, mons ab eminendo, fons a findendo, pons a pendendo. — Ex aere hae sunt, cum in templo Fortunae Praenestinae sortes, de quibus loquitur Cicero (de div. 2, 41, 85) 'in robore priscarum litterarum notis insculptae' fuerint; scilicet in hac re consuetudo variavit. — De sortium usu adeundus Marquardtius in enchiridio 4, 103 quique ibi citantur; de his ipsis tabellis exposuit maxime in metra inquirens Ritschelius in mus. Rhenani nov. vol. 14 p. 389—418. Non admodum vetustas has sententias esse quivis intelleget. Dicta cautum magis quam cordatum vatem produnt; pleraque enim nisi a deo essent, inter hominum locos communes referrentur neo magnopere hypotheta digna est frequens consultorum perversitatis accusatio numinisque querulum patrocinium (n. 1449—1454). Hexametri vulgari licentia facti, quorum similes praeterea vix extant, et ipsi posteriorem aetatem indicant; nam sortes antiquiores non versibus longis scriptas fuisse et per se apparet et ostendit Falisca illa, quam ad a. 537 annales memorant (Liv. 22, 1 cf. Plut. Fab. 2):

Mavors telum suum concutit.

Quamquam labentis aetatis sortes Vergilianas et similes (Marquardt l. c. 4, 112 cet.) sane carmina oraculi Patavini longe antecedunt et manu linguaque scribam produnt aetatis fere Ciceronianae, qui antiquiora exempla neque accurate neque perite expresserit; prorsusque convenit cum horum carminum indole quod ait Cicero (de div. 2, 41): *Hoc quidem genus divinationis vita iam communis explosit. Fani pulchritudo et vetustas Praenestinarum etiamnunc retinet sortium nomen et id in vulgus; quis enim magistratus aut quis vir illustrior utitur sortibus? ceteris vero in locis plane refrixerunt.*

1438 s. l. *Sirm.* Romae nuperrime inventam(?) delineavit Claudius Menetrier; extat in museo abb. Cassiani de Puteo *Suares.* Romae in museo Rondaniniorum *Gud.* in museo Chisio *Fabrett.*

CONRIGI·VIX·TANDEM·QVOD
CVRVOM·EST·FACTVM·REDE

Sirmond ms. Paris. suppl. Lat. 1417 n. 12. Suaresius Praen. ant. (Rom. 1655) p. 36 dedit aeri male incisam (inde Mur. 493, 10; Kircher Lat. vet. p. 94; Vulpi Lat. vet. 9 ad p. 117; Orell. 2485 *c*; Ritschl tab. II Q). Gud. ms. 640, 3 qui vidit. Fabrett. 669, 530, qui solus lamellae formam aliquatenus repraesentat. Tractavit Ritschelius mus. Rhen. novi vol. 14 p. 391. 410 n. 3.

Fractam a dextra intuenti tabellam exhibuit Gudius. — 1 CONRIGE Gud. — QVOD TE Suar., marginis vestigia in exemplo indicata pro littera habens. — 2 CVRVM Suar. solus. — REDE Gud. Fabr., REDET Sirm., REDETE Suar. ut supra. — Sic constituit Ritschelius:

Cónrigi vix tandém, quod cúrvom est fáctum, [c]réde.

1439 '*ritr. delle iscrizione delle tavolette di metallo trovate a Bahareno, alla Montagna ubi dicitur Casa Ceccio, e forse servivano per metter le sorti o vero per dare responsi o sono sentenze.*' Haec sic praescripta sunt in codice, de quo infra dixi.

CREDIS QVOD DEICVNT NON
SVNT ITA NE FORE STVLTV

Reperi in apographo facto manu Kellermanni codicis Vaticani 5248, olim Aldi Manutii Pauli f., ubi post Patavinas quasdam sic inscriptas: *inscr*[ni] *Patav. MDLXVI agli XI di Genn. in Venetia* et Romanas et musei Grimaniorum Venetorum Aquileienses lapides extremo loco leguntur sub eo quem supra rettuli titulo sorticulae quindecim, id est exceptis duabus (n. 1438. 1448) omnes quotquot adhuc innotuerunt, quarum haec in ordine est sexta. Easdem inscriptiones denuo ex eodem codice mea causa descriptas postea misit Rossius. Inde Ritschl l. c. p. 392. 411 n. 11.

2 *sunt* et *ne* Rossius, male *smit* et *re* Kellermannus. — Ritschelius sic:

Crédis quód deicúnt: non e[cin] t[e] ita ré fore stultu[m]?

Aliter amicus quidam, qui hisce suis lusibus nomen adscribi vetuit:

Credis quod deicunt. Non sunt ita. [Cr]e[de]re stultum.

1440 reperta cum n. 1439 *Vat.*

DE INCERTO CERTA NE FIANT
SI SAPIS CAVEAS

Cod. Vat. 5248 n. 14; inde Ritschl l. c. p. 392. 413 n. 16.

2 SAPIS Rossius, SAPIO male Kellermannus. — Ritschl sic:

De incertó certá ne fiant si sapis cáveas.

Putarim tamen ita quadratarium corrupisse quod poeta dedisset *certum ne fiat*, quod cum metrum flagitat tum sententia. Cf. n. 1441.

1441 reperta cum n. 1439: *Vat.* Romae nuperrime inventam(?) delineavit Claudius Menetrier; extat in museo abb. Cassiani de Puteo *Suar.* deinde in museo Belloriano.

DE VERO FALSA NE FIANT
IVDICE FALSO

Cod. Vat. 5248 n. 5. Suaresius l. c. in tabula male incisa (inde Mur. 493, 9; Vulpi l. c.; Orell. 2485 *b*; Ritschl tab. II R). Bellorius quo loco ediderit, frustra quaesivi. Beger mus. Brand. 3, 414. Ritschl l. c. p. 391. 411 n. 5.

Ritschl sic:

Dé veró falsá ne fiant iúdice fálso.

Hic quoque poetam scripsisse puto *falsum ne fiat.* Cf. n. 1440.

1442 reperta cum n. 1439 *Vat.*

EST EQVOS PERPVLCER SED TV
VEHI NON POTES ISTOC

Cod. Vat. 5248 n. 2; inde Ritschl l. c. p. 391. 411 n. 9.

Ritschl sic:

Ést equos pérpulcér; sed tú vehi nón potes ístoc.

1443 reperta cum n. 1439 *Vat.*

EST VIA FERTILIVOM QVA VI
SEQVI NON

Cod. Vat. 5248 n. 15; inde Ritschl l. c. p. 392. 413 n. 17.

1 *fertilivom* Rossius in codice esse testatur; *fertilivorum* Kellermannus. — Ritschl sic:

Ést via fértili[ór]; qua v[éstigáis], sequi nón [ést].

1444 reperta cum n. 1439 *Vat.*

FORMIDAT OMNES QVOD
METVIT ID SEQVI SATIVST

Cod. Vat. 5248 n. 3; inde Ritschl l. c. p. 392. 411 n. 10.
Ritschl sic:

Fórmidát omnés: quod métuit, id sequi sátiust.

1445 reperta cum n. 1439 *Vat.*

HOMINES MVLTI SVNT
CREDERE NOLI

Cod. Vat. 5248 n. 12; inde Ritschl l. c. p. 392. 413 n. 15.
Ritschl sic:

[Fállacés] hominés multí sunt: crédere nóli.

vel *méndacés* pro *fallaces.*

1446 reperta cum n. 1439 *Vat.*

HOSTIS INCERTVS DE CERTO NISI CAVEAS

Cod. Vat. 5248 n. 9; inde Ritschl tit. Mumm. p. XVI; Mus. Rhen. l. c. p. 392. 412 n. 12.
Ritschl sic:

Hóstis incertús de cérto [fít], nisi cáveas.

Amico illi talis fere sententia visa est subesse:

Hostis [fit] certus de [non] certo, nisi caueas.

1447 reperta cum n. 1439 *Vat.* s. l. *Sirm.* Romae nuperrime inventa (?) *Menetrier.* delineavit Claudius Menetrier; extat in museo abbatis Cassiani de Puteo *Suares.* in museo Rondaniniorum *Gud.* in museo Mediceo *Gori* ibidemque hodieque adversatur.

IVBEO · ET · IS · EI · SI · FECERIT
GAVDEBIT · SEMPER

Ritschl tab. II M ad aes. — Cod. Vat. 5248 n. 4; Sirmondus ms. cit. n. 11; Menestrier cod. Paris. Dupuy 667 f. 280; Suares. l. c. in tabula male incisa (inde Mur. 493, 11; Kircher l. c.; Vulpi l. c.; Ritschl tab. II *m*); Gud. ms. 640, 2, ed. 64, 5 qui vidit; Gori I. E. 1, 73, 202; Ritschl tit. Mumm. p. XV, Mus. Rhen. l. c. p. 390. 413 n. 1.

De lectione iam constat; notandum tamen incorruptam esse Sirmondianam Gudianam Gorianam, contra v. 1 pro ET · IS in cod. Vat. exhiberi EX · HEIS, apud Suaresium pro ET · IS · EI per transpositionem legi EI · ET · IS. — Ritschl sic fere:

Iúbeo [u]t i[ús]sei: si f[ax]it, gaudébit sémper.

Quod si legis: *iubeo [o]eti; sei si[c] fecerit, gaudebit semper* sententia commode procedit errorisque praeterea origo intellegitur in oetendi vocabulo sculptori imperito insolito.

1448 apud Fulvium Ursinum *Winghe.* olim apud Fulvium Ursinum, nunc in museo Farnesiano uti scribit Aleander *Suares.*

LAETVS · LVBENS · PETITO · QVOD
DABITVR · GAVDEBIS · SEMPER

Winghe cod. Brux. f. 89 v. melius quam Suares. l. c. (inde Mur. 493, 7; Orell. 2485 *e*).

Tractavit Ritschl tit. Mumm. p. XV, Mus. Rhen. l. c. p. 391. 411 n. 7.
Ritschl sic:

Laétus lubéns petitó: [d]abitúr: gaudébis sémper.

1449 reperta cum n. 1439 *Vat.* ex museo Andreino illata in Mediceum *Gor.* ubi adhuc extat.

NON · SVM · MENDACIS · QVAS · DIXTI
CoNSVLIS · STVLTE

Ritschl tab. II N ad aes. Cod. Vat. 5248 n. 7; Gori I. E. 1, 264, 50 (inde Mur. 493, 12; Orell. 2485 *f*; Ritschl tab. II *n*) in aes incidit accurate. Tractavit Ritschl l. c. p. 391. 410 n. 2.

Veram lectionem et Vaticanus et Gorius exhibuerunt. — Ritschelius cum ante temptasset:

Nón sum mendacis, qua[e] dix[e]i: cónsulis stúlte

postea Stollii coniecturam probavit hanc:

Non sum[us] mendacis, quas dixti: consulis stulte

nec tamen intellegendas esse Fortunas duas *συννάους*, sed ipsas sortes mendaces se negare recte monuit amicus.

1450 reperta cum n. 1439 *Vat.* apud Ursinum *Winghe;* olim apud Fulvium Ursinum, nunc in museo Farnesiano, uti scribit Aleander *Suares.*

NVNC · ME · ROGITAS · NVNC
CONSVLIS · TEMPVS · ABIT · IAM

Cod. Vat. 5248 n. 8; Wingh. cod. Brux. 1, 89 v.; Suares. l. c. (inde Mur. 493, 7; Orell. 2485 *d*). Tractavit Ritschl tit. Mumm. p. XV, mus. Rhen. l. c. p. 391. 411 n. 6.

2 ABIT Vat. Wingh., HABVIT Suar. — Ritschl sic:

Núnc[ine] mé rogitás, nunc cónsulis? témpus abit iam.

1451 reperta cum n. 1439 *Vat.*

PERMVLTIS PROSVM VBEI
PROFVI GRATIA NEMO

Cod. Vat. 5248 n. 10; vide Ritschl l. c. p. 392. 412 n. 13.
Ritschl sic dubitans:

Pérmultis prosúm: ubei prófui, grátia némo.

Quod esse *gratia(m) nemo,* ut verbum *habet* cogitatione suppleatur, monuit amicus.

1452 reperta cum n. 1439 *Vat.*

POSTQVAM CECIDERVNT SEI SVM
CONSVLIS TVN ME

Cod. Vat. 5248 n. 11; inde Ritschl tit. Mumm. p. XV; mus. Rhen. l. c. p. 392. 412 n. 14.
Ritschl sic:

Póstquam céciderúnt s[pe]s [ó]m[nes], cónsulis tún me?

Malim tamen:

Postquam ceciderunt, sei sunt mala, consulis tun me?

ut sic repellatur qui sero vel etiam denuo ad sortes provocat, fere ut n. 1450. 1454.

1453 reperta cum n. 1439 *Vat.*

QVOD FVGIS QVOD IACTAS TIBEI
QVOD DATVR SPERNERE NOLEI

Cod. Vat. 5248 n. 1; inde Ritschl Mus. Rhen. novi 8, 491; 14, 391. 411 n. 8.
Ritschl sic emendavit:

Quód fugis, quód iactás, tibei quó[m] datur, spérnere nólei.

Possis etiam sic:

Quor fugis? quor iactas, tibei quod datur? spernere nolei.

At ferri posse quod traditur:

Quod fugis, quod iactas, tibei quod datur, spernere nolei.

recte monuit amicus.

1454 reperta cum n. 1439 *Vat.* Romae nuperrime inventa (?) *Menestrier.* delineavit Claudius Menetrier; extat in museo Cassiani de Puteo *Suares.* Nunc Parisiis in museo publico.

QVR · PETIS · POSTEMPVS · CONSILI
QVOD ROGAS · NON · EST VM

Ectypum misit Huebnerus. Cod. Vat. 5248 n. 13; Sirmondus ms. cit. n. 10; Menestrier cod. Paris. Dupuy 667 f. 280; Suares. l. c. in tabula male incisa (inde Mur. 493, 8; Kircher l. c.; Vulpi l. c.; Orell. 2485 *a*; Ritschl tab. II o). Tractavit Ritschl l. c. p. 391. 410 n. 4.

1 QVR Sirm. Suar., CVR Vat. — POSTEMPVS Sirm. Suar., POST TEMPVS Vat. — CONSILIVM hoc v. Vat. — 2 ROCAS Suar. — Ritschl sic:

Qúr petis pós tempús consilium? quód rogas nón est.

Malim *roges.*

1455 in portu Romatino (Caorle prope Concordiam, quae hodie est Portogruaro) *a Turre.* Foroiuli (Cividale) apud Iulium Severum *Fabr.*

C · FVLVIVS · S · F
M · MVTIENVS · A · F
L · IVVLIVS · C · F
L · TROSIVS · M · F
5 MAGISTREI

a Turre mon. vet. Antii p. 400 (inde male Mur. 954, 11). Fabretti 242, 664.
2 MVTTENVS a Turre.

1456 Aquileiae in museo Bertoliano nunc comitis Cassis.

.IS · SACR
M · COIR
D
ETIVS · V · F
5 ATIVS · L · F

Descripsi. Bertoli Aquil. p. 113 n. 101 non sine errore.
1 prima littera aut L aut E fuit; male *par*CIS Bertoli.

1457 litteris quae aetatem liberae reipublicae spirant, Aquileiae in foro S. Iohannis reperta et homini extero vendita.

MENERVAE

Kandler *Istria* 1852 p. 100.

1458 prope Aquileiam ad Monasterium nuper rep. *Bert.*

C · APPVLEIO · C · F · TAPPONI
PONTVFICI
SEPSTINIA · VXOR

Mur. 152, 3 a Beretta. Bertoli Aquil. p. 128 n. 121.
1 APPVLLEO Bert.

1459 litteris antiquis Aquileiae in baptisterio.

PHILVS
*si*NE · AVARITIE
*ra*IT · AD
ditem VENIT · VALE

Descripsi. Ed. Steinbüchel *Wiener Jahrb.* 47 (1829) p. 70. Kandler *Istria* 1849 p. 83. 1852 p. 96.

1460 in curia domus fratrum Bruneti de Tileo agri Aquileiensis.

L · MVLVIO · L · F · PRIMO
ST · MVLVIO · P · F · STABILIO
C · MVLVIO · P · F · FRATRI
SIBI · ET · SVIEIS ·

Cortenovis cod. ms. p. 41 manu non sua.

1461 prope Aquileiam in vico Gonars in angulo ecclesiae.

L · TREBLANO · L · L
ACASTO
GRATA · PLOTIA · CN · L
PATRI · V · F
5 L · IN · F · P · XX · IN · AGR · P · XX

Cortenovis ms. p. 47.

1462 in epistylio templi rep. Praprodi prope S. Pelagium in monte Karst, nunc Tergeste in museo.

L · L · AGATO · PORTITOR · SOC · S
COLVMNASQVE MAG · FI
*li sui et s*VO MENERVAI D D L M

Ritschl tab. LXXI D ad lapidem. Descripsi. Ed. Kandler *iscr.* n. 521.
1 fuit olim PORTITOR · SOC · S, deinde portitoris ingrata appellatio sublata est factumque SOC · S primis litteris aut erasis aut mutatis, reliquis calce opinor obductis. — 2. 3. explico .... *columnasque mag(isterio) fi[li sui et s]uo Menervai d(onum) d(at) l(ubens) m(erito).*

1463 rep. ibidem, extat item Tergeste in museo.

ABENNAEVS · CAT I · M · S · MACERIEM
PINNAS ET AVSTIA · DES O FECIT · MINERVAE · DE

Ritschl tab. LXXI C ad lapidem. Descripsi. Ed. Kandler *iscr.* n. 516. 517.
Austia mihi sunt *ostia*, ut *ausculum*, *auscularі* antique pro osculo et osculando.

1464 litteris antiquis, rep. in lapicidinis Sestianis prope Tergeste parata ut collocaretur. Extat Tergeste in museo.

VIEAM
PRECAREM

Ritschl tab. LXXI B ad lapidem. Descripsi. Edidit Kandler *Istria* 1852 p. 81, *iscr.* n. 519.

1465 locus ignoratur, sed non potest quaeri extra Histriam Carniamve.

VEICAE
NORICEIAE
A · POPLICIVS · D · L · A////
5 P · POSTVMIVS · Đ · PAV
COIR

Kandler ms. ab Hattingero.

1466 in Oberlaibach in pariete exteriore ecclesiae parochialis *Aug.* (*cf. n.* 1467). Non extat *Schönl.* 1, 95. 218.

P · PETRONIVS · P · L ·
AMPHIO
C · FABIVS · C · L ·
CORBO
MAG · VICI · AEDEM
AEQVOR · DE · VI
S · F · COIR

Augustini codex f. 72. n. 6 (inde Lazius r. r. p. 1195, ex hoc Grut. 128, 8).

3 in. C om. Laz. — 7 S · P · COIR Laz.

Ad v. 6 conferendi sunt tituli hi reperti a. 1820 prope Labacum in monte *Schlossberg* ibidemque in lyceo extantes, editi post alios ab Henzeno (n. 5868—5870) sic a me descripti:

AVCTVS
AECORNÆ
VSL *sic*

C · AEMILIVS
FELIX · AECVR
V · S · L · M

C · CL · PRI
AM · AEC
V · S · L · M

Aequornae sive *Aecornae* sive *Aecurnae* deae nomen ab aequore declinatum est, ut eburnus et acernus ab ebore et acere, et significat deam fluctus maritimos regentem, loco omnino aptam. Nauporti enim, quem vicum ibi fuisse constat ubi hodie est Oberlaibach et omnium harum partium antiquissimum et florentissimum adeoque teste Tacito (ann. 1, 20) *municipii instar* fuisse, merces Aquileia terra allatae partibus ad Danuvium vel Euxinum sitis destinatae navibus imponi solebant per Nauportum fluvium Savumque Danuviumque ad Pontum usque devehendae (Strab. 4, 6, 10 p. 207 Cas.), ut locus medius inter Adriaticum mare et Ponticum utrumque quodammodo coniungeret. Eandem ob causam ipsi Argonautae navibus pervenisse credebantur Nauportum (Zosim. 5, 29) vel adeo Emonam, hodie Laibach, quo apparet aetate posteriore Nauporti commercium ipsamque cum eo deam Aequornam transiisse.

1467 in Oberlaybach in pariete exteriore ecclesiae parochialis haec duo epygrammata a me Augustino reperta et antea non visa pulcherrima quidem *cod. Augustini.* Labaci in palatio episcopali extat hodie lapis immuratus in medio ambitu qua ad chorum tenditur *Schönl.* Diligenter, sed nequiquam quaesivi.

Q · A N N A I V S . Q · L
T O R R A V I V S
M · F V L G I N A S · M · L
P H I L O G E N E S
MAG · VICI · DE
VIC · S · PORTIC · F · COIR

Augustini codex f. 72 n. 5 (inde Lazius r. r. p. 1105, ex hoc Grut. 172, 9); *Schönleben* 1, 96. 216 cf. 218.

1 Q · F Schönl. p. 96. — 2 TORAVIVS Lazius solus. — 5 DI Schönl.

Ad v. 3 cf. titulus ibidem repertus mihique visus Grut. 872, 4 *Q. Fulginatis M. f.*

1468 Naronae (hodie Viddo) in Dalmatia rep., deinde Patavii apud Marsilium prof. botan. *Polc.*, nunc in museo Obiciano Cataiensi.

Q · VIBIVS · L · F
DIANAE · V · S
EISDEM · ARAM
D · S · F · C

Ritschl tab. LXJ ex lapide. Ed. Lucich marm. Mac. ed. 2 p. 17; Polcastro inscr. (1774) p. 199; Furlanetto *lap. Est.* p. 127, *lap. Pat.* p. 18 n. 16; Cavedoni *mus. di Catajo* p. 108; Orell. 1446.

1469 e Narona Dalmatiae a. 1759 delata Venetias in museum Nanianum.

P · ANNAEVS · Q · *l*
EPICADVS
AEDEM · LEIBERI
PATRVS · FACIVND
CoIR · LVB · MER

Mem. del Valvasense Iun. 1753 p. 16; Passeri *osservaz. sul mus. Nani* 3, XXV q. n. v. (inde Donat. 64, 7); Driuzzo catal. mus. Nan. n. 65, ubi aeri incisum est.

1 Q · F Mem. Idem Epicadus nominatur n. 1471. — 4 PATRYS 'sic' Mem.

1470 Naronae rep. a. 1795, extat apud Lucichium.

L · *l*AETILI
LIBER · P*atris*
EISDEM

Lucich marm. Macar. ed. 2 p. 60.

Fracturam notavi ego. — 1 I · AETILI Luc.

1471 Naronae in Dalmatia in arce.

Q · SAFINIVS · Q · F
SEX · MARIVS · L · L
MAG · NAR
Q MARCIVS · Q · F
P · ANNAEVS · Q · L
Q EPIC
TVR · FAC · COIR

Wilkinson 2, 130 ligno incidit. Devit *lap. del. Polesine* p. 114 qu vidit.

3 ≡ MAC Wilk. — 6 om. in lac. Devit. — 7 IV · V · FAC · CVR Devit.

1472 Narona Dalmatiae a. 1759 advecta Venetias et illata museo Naniano.

S I V S
RIVS · M · l
VEIC · COI
M FACIVN
NIVS · F
C G · M
PV

Driuzzo in catal. mus. Naniani n. 179 aere expressit.

1473 Clitore Arcadiae.

PACONIAE · Q · F · VXSOREI · GEMIN

Le Bas 2, 359.

1474 Syracusis rep. a. 1675 in foro D. Margaritae litteris ex tessellis opere lithostroto *Gualt.*

GN OCTAVIO · A · F · MI · NICONOR · BOLONAR
VELIC · VENER · TARIC · PAVIMENTVM · SEDI
LIA · FECIT · AEDEMQVE · REFICIENDO · COIR

Gualterus n. 105 (inde Spon. p. 40, Mur. 129, 10, Torremuzza 2, 3) cui exer. Ios. Caietanus. Cf. Saxius miss. 3, 19.

Fuerit fere: *Cn. Octavi(us) A. f. Mai. Nicanor pecunia public(a) Vener. Heryc. pavimentum sedilia fecit aedemque reficiend. coir.* Punctum aliquoties acceptum videtur esse pro o.

1475 in monte Eryce in monachio D. M. de Carmelo paulo infra tectum *Gualt.*

VENEREI ERVCINA . . .

Gualterus n. 155 (inde Torremuzza 1, 19 ed. 1, 1, 20 ed. 2) qui legit scalis admotis. Antonius Cordicj Ericino († 1666) *istoria della Citta del Monte Erice* (ms. bibl. publ. Panormit.) f. 47, unde excerpsi ego. Eadem fortasse Reines. 1, 91 ex Fazello:

DEAE · VENERI · ERYCINAE
SACRVM

1476 litteris aetatis liberae rei publicae, reperta Castulone (hodie Cazlona inter oppida Linares et Baezam), nunc Granadae in museo universitatis.

M · FOLVI · GAROS
A · VNINAVNIN · VE
BAG · MARC · LA · L ·
VNININIT
SIEROVCIV

Huebner vidit et edidit in actis menstruis acad. Berol. 1861, p. 32.

Lectio certa est; puncta sunt quadrata. Recepi propter v. 1; nam quae sequuntur, evidenter non sunt Latina, sed Iberica scripta litteris Latinis.

1477 Cartagenae in turri castelli conceptionis loco altissimo.

M · PVVPIVS · M
SEX · LVVCIVS
SEX · L · CAEN
M · PROSIVS · M
N · TITIVS · L · L · NV
C · VEREIVS · M · L
ANTIOC · BRVT
EL TERENTI · C · S
PILEMO · ALEDI · L · S
ALEX · TITINI · L · S
ACERD · SAPO · M
MAGPILAS · II · ET ·
FVNDAMENTO
AEMENT · FACI
ERAVER

Huebnerus legit summa cum difficultate telescopio adiutus. Antiquiorum exemplorum Montanarii in schedis ms. (qui non legit nisi v. 6. 7. 8) et Lumiaris in inscr. Valentianis p. 65, 22 et Vargae Poncis in schedis ms. et anonymi cuiusdam in schedis ms. bibl. Olisiponensis non opus est mendas recensere.

Lectio certa est, nisi quod v. 11 utrum SAO on SAO in lapide sit Huebnerus dubitavit; CERDO . . . M . . . . Lumiares, CERDSFOM/ Vargas; CERD · SAONI anon. Olisip. — 15 sic ut supra dedi Huebnerus: COPPIVE P · F Vargas.

Legenda sic fere: *M. Puupius M. [f.* vel *l.], Sex. Luucius Sex. l. Caen(us?), M. Prosius M. [l.], N. Titius L. l. Nu[m](pio), C. Vereius M. l., Antioc(us) Bruti [. . s.], El(euter) Terenti C. s., Pilemo Aledi L. s., Alex(ander) Titini L. s., Acerd(o?) Sap(piorum?) Q. (?) M. [s.] mag(istri) pilas II et . . . . . [a] fundamento [c]aement(icias) faci[und](as) coeravere.* Decem sunt magistri, quinque liberti totidemque servi.

1478 basis quadrata alta *vara* 1½, larga *v.* ½, ita scripta, ut vv. 6. 8. 9. 10. 12 litterae extremae in latus intuenti dextrum excurrant. Reperta leugis duabus a Carthagine nova 1736 et inbente civitate in curiam advecta *Talamanco. 'Cartagena junto à la fuente de la puerta de Murcia, llevada de la cueva del tesoro 2 leguas da Cartagena, en el cerro de Mozquito, junto à cabo de Palos' Velazquez.* Frustra quaesivit *Huebner.*

HEISCE · M
AGISTRIS
COIRAFVNE
C · POPLICI · C · F
L · CERVI · L · F
M · CAEICI · N · C · L
L · TALEPI · A · L
CN · TONGILI · PVL
L · PAQVI · LONGI · L · SIL
Q · VERATI · CIS
PIL · PONTILI · M · C · S
Q · CLAVDI · POS . . . C · S ·

Nic. Montanáro in schedis ms. de antiquitatibus Cartagenae (inde Lumiares *inscr. de Carthago nova* p. 115 aliique); Fr. Iuan Talamanco *diario de los literatos de España* 3, (1737) 412; Velazquez in schedis ms. cui misit Burriel ab amico qui vidit descriptam. Ex his Huebner in actis menstr. acad. Berol. 1860, p. 445.

3 COIRAVN traditur. — 4 C · E, 5 L · E Mont. — 6 M · GAECIANI · C · L Velazquez. Cf. nummum n. 378 inscriptum *L. Cassi(us) Caecianu(us).* — 7 T · TALEPI · A · L Velazquez. — 8 TONGILI Vel., TONEILI Tal., TONGIL Mont. — PVL est *Pylades.* — 9 LON | I · L · S · D Vel., L · P · N · L · SIL Mont., L · P · N · SIL Tal. — 10 CIS . . . Vel., C · S Tal. Mont. — 11. 12 om. Mont. — 11 sic Tal., P · ILPO . . . Vel. Lege PILEMO PONTILI*(orum?)* M · C · S*(ervus).* — 12 sic Vel.; Q · CLAVDI · PV · S/ Tal. Puto spatio deficiente in hoc versu duo nomina liberti alterius, alterius servi perscripta fuisse; nam decem fuisse magistros probabile est collata n. 1477.

1479 Carthagine nova in curia.

PLOTIA · L · ET · FVFIAE · L · PRVNE · HA · *voci*
TATAST · ANCILLA · HEIC · SITAST · *quae*
QVALIS · FVERIT · CONTRA · PATRON*um patro*
NAM · PARENTEM · CONIVGEM · MO*numen*
TVM · INDICAT SALVE · SALVO*s ire*

Huebner descripsit et edidit in actis menstruis acad. Berol. 1860 p. 450.

1480 Carthagine nova antea in monasterio S. Francisci, nunc, postquam nuper in fundamentis monasterii eius denuo inventa est, in curia.

L · SVLPICIVS · Q · F · Q · N
COL · HIC · SITVS · EST
ILLE · PROBATVS · IVDICIEIS
MVLTEIS · COGNATIS · ATQVE
PROPINQVEIS

Huebner descripsit et edidit in actis menstruis acad. Berol. 1860 p. 449. Ed. antea Morales f. 79 (inde Occo f. 12 et Grut. 923, 13), cuius variam lectionem omisi.

1481 in massis plumbi, quae ad numerum triginta simul dicuntur repertae esse prope Carthaginem novam in Hispania; una earum pendit supra LXXII libras Hispanicas. Extant singulae Cartagenae in aedibus privatis et Madriti in museo academiae et apud Aurelianum Guerram et Londini in museo Britannico et in Gallia in oppido Pau in aedibus Tastu.

M · P · ROSCIEIS · M · F · MAIC

Ritschl tab. III *a b*. Edidit Kandler in Istria 1847 p. 40. 41, unde repetivi in mus. Rhen. novo 9, 453. Egit de titulo Huebnerus in actis menstr. acad. Berol. 1860 p. 444.

1482 Lucenti (hodie Alicante) in Hispania Tarraconensi.

I T A D I V S · M · F
RVF · PRAEF · TVR
FACIVN*d* · COER

Lumiares *inscr. del reyno de Valencia* p. 14 = Lucentum p. 51. Inde reliqui: Masdeu 6, 462, 1239; Cean-Bermudez *sumario* p. 45; Huebner in actis menstruis acad. Berol. 1860 p. 434.

1 lacuna non indicatur. — 2 praefectum turmarum non diversum existimo a praefecto alae aetatis imperatoriae; quamquam haud scio an in lapide fuerit PRAEF · IVR · D. — 3 FACIVN traditur.

1483 Tarracone fuit pro puteali in domo quadam viae quae dicitur *la calle mayor;* hodie ibidem apud Bonaventuram Hernandez.

. . VLV . . . .
L · F · SCAP
SELEVCVS · L · DE · SV
FACIENDVM · COER

Invenit a. 1860 et cum Huebnero communicavit Hernandez.

1 *fulvius* supplet Huebner. — 2 Scaptiam tribum in Hispaniis rarissimam esse adnotat Huebnerus.

1484 *en Lerida en las huertas de Pedro Gort en una piedra redonda miliaria.*

Q · FABIVS · Q · F · LABEO
PRO · COS
XCII

Antonius Augustinus in schedis ipsius manu scriptis bibliothecae publicae Barcinonensis f. 7 v. Reperit ibi mecumque communicavit Aem. Huebner.

1485 columna similis ab Ilerda occidentem versus inter Fragam et Candasnos. In parte aversa legitur inscriptio Augusti similis Grut. 1020, 1 anni u. c. 746.

Q · FABIVS · Q · F · LABEO
PROC . .
XCIIII

Zurita cod. Vat. 7113 f. 57 *b*. Dedit item Huebnerus.

Titulos ante aetatem imperatoriam scriptos esse ostendit vel solum proconsulis nomen; citerior enim Hispania inde ab Augusto imperatoria facta parebat legato. Idem confirmat inscriptionis simplicitas. Eius autem quod in titulis legitur nominis novimus homines duos Q. Fabium Q. f. Q. n. Labeonem cos. a. u. c. 571 aliumque huius fortasse filium, cuius extant nummi inscripti *Q. Fabi Labeo* (supra n. 343; *Röm. Münzwesen* p. 542) quemque iuris et litterarum et antiquitatis bene peritum praedicans Cicero (Brut. 21, 81) componit cum A. Albino cos. 603, Ser. Fulvio cos. 619, Q. Metello cos. 611. Ille praetor a. u. c. 565 classem sortitus quamquam nulla re gesta, tamen de Creta insula navalem triumphum egit (Liv. 37, 47. 50. 60. 38, 47. C. I. G. n. 2561 *b* vol. II p. 1100 sq.), consul Ligures provinciam sortitus (Liv. 39, 45) nihil memorabile gessit (Liv. 39, 56. cf. 40, 1) nec diu post annum suum provinciam videtur obtinuisse, cum consulibus anni insequentis item Ligures provincia decreta sit. Hispaniae citeriori per biennium 570. 571 praefuit A. Terentius Varro (Liv. 39, 42. 56. 40, 16), per biennium insequens Q. Fulvius Flaccus (Liv. 40, 16. 30—33. 35. 36. 39. 40. 43), praetor, mox pro praetore uterque. Unde apparet Labeonem proconsulem a. 572 viam in Hispania citeriore nullo modo facere potuisse; nam et diversam provinciam consularem Labeo habuit et Hispania citerior eo anno sub praetore fuit neque omnino rerum memoria permittit ut credamus Labeonem proconsulem et Flaccum praetorem provinciam Hispaniam citeriorem ita simul rexisse, ut rexerunt eam a. 559 M. Cato cos. et adiutor ei datus praetor P. Manlius (Liv. 33, 43). Quare cum de hoc Labeone non videatur posse cogitari, praeterea vero consul alius eius nominis fuerit nullus, videamus, num viam fecerit Q. Fabius Labeo aliquis, sive consulis a. 571 filius sive alius praeterea plane ignotus, praetor sive ex praetore pro consule. Namque iis, qui in praetura vel ex ea provinciam administrabant, saepe praesertim extrema aetate liberae rei publicae decretos esse fasces duodecim et nomen proconsulare notissimum est; id quod Plutarchus (Paul. 4) refert contigisse L. Paulo praetori misso in Hispaniam ulteriorem a. 564: *ὁ Αἰμίλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς, οὐχ ἓξ ἔχων πελέκεις, ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες, ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα* (cf. Marquardt enchir. 4, 276) idemque in provincia Asia usu venisse demonstrant cistophori supra relati n. 520. 521. Haec opinio videtur vera esse, cum praeterea miliarios lapides in Hispania citeriore inde ab a. 572 statuisse Romanos prudentiores, etiamsi non immemores sunt loci Polybiani 3, 39, non facile admissuri sint, et tituli Ilerdenses septimum magis quam sextum saeculum prae se ferant. Itaque de aetate eorum hoc tantummodo constat scriptos eos esse ante a. 727. Milia numerari a summo Pyrenaeo coniecit Huebnerus probabiliter; comparari poterit quod a summo Pyrenaeo Barcinonem itinerarium p. 397 Wess. numerat milia passuum XCVII.

1486 columna miliaria mutila reperta a Barcinone septentrionem versus ad aquas calidas *de Mombuy al costal de la porta de casa Vendrell de Sª. Eulalia.*

M · SERGI · M · *f*
PRO COS
XXI

Antonius Llobet y Valllosera Barcinonensis dedit Huebnero.

1 MA SERGIMA traditur

Nota est patricia gens Sergiorum, quam etiam praenomine Manii usam esse ostendunt fasti Cap. ad a. 350. 352. 357; Varr. de l. Lat. 6, 90; Polyb. 31, 9, ubi commemoratur legatus in Graeciam a. 590 M'. Sergius. Consul eius nominis nullus fuit; unde sequitur M'. Sergium M'. f. Hispaniam citeriorem rexisse praetorem pro consule. Aetas eius incerta est pariter ac Q. Fabii Labeonis; quamquam scriptura *Sergi* indicium est aetatis magis remotae. Viae haec videtur esse diversae, maritimae ni fallor a Rhoda fortasse Emporiisque Tarraconem.

1487 tabella parva Palmae in insula Majorca apud comitem S. Mariae de Formiguera.

Q·CAEICILIVS
AETARA · FVISTI
VALE

Bover et Quadrado descripserunt et dederunt Huebnero.

1 cf. supra n. 547 *L. Caeicilius.* — 2 formula *fuisti vale* alibi vix usitata non semel reperitur in titulis Palmensibus.

1488 Narbone ex moenibus extracta et inlata in museum.

Q·VIBIVS·Q·F·MAXVMVS·M·VARIVS·L·F·
CAPITO·PR·IIVIR·ARAM·VOLCANO MACERIAQ
AREAM·SAEPIENDAM·PISCINAMQVE·EX·D·D
DE·PECVNIA·PVBLICA·FACIEDA·COER 'sic' *Herzog.*
Q·V*ib*IVS·Q·F·MAXVMVS·PROBAVIT

Ed. Herzog descripsit et misit una cum reliquis inscriptionibus praetorum sive praetorum II virum in Narbonensis provinciae peragratione diligenter a se collectis, unde apparet hoc nomine sub primis imperatoribus usos esse magistratus Narbone, Aquis Sextis (*Bullett. dell' Inst.* 1860, 220), Vasione Vocontiorum (Millin *voyage* 4, 152; Long *mém. prés. à l'Acad.* ser. II t. 2 p. 378), Avenione (*Revue arch.* 1844, 478; Garrucci *Bullett.* 1860, 220: *T. Carisius T. f. pr. Volc. ar. dat*, ubi qui contulerit Grut. 1014, 4, non cogitabit cum editoribus de praetore Volcarum, sed de praetore aram dedicante Volcano). Titulorum eorum antiquissimus videtur esse supra relatus, quamquam ne hic quidem ante imperatores videtur scriptus; cuius aetatis esse constat titulum Narbonensem alterum simul et repertum et servatum item ab Herzogio mecum communicatum hunc: C·COMINIO·C·F | VOLT·BITVTIONI | PRAIT·C·I·C cum nominet coloniam Iuliam Claudiam; nam sic notas recte interpretatus est Herzogius collata Henzeniana n. 5232. Recepi tamen, ne Narbonensis provincia in hac sylloge plane desideraretur.

1489 Narbone in moenibus.

VIVIT VIVIT
Q·VAARIVS·C·C·L·NICEPOR·PECCIO EVARIA·C·C·L·PAAPHLA
HIC REQVIESCENT

Cod. Lugd. Scaliger. n. 61 ubi bis legitur = cod. Romieu (vide supra n. 776 *a*), ubi item bis legitur f. 123. 126. Grut. 998, 10 ex schedis Scaligeri et Gundelschi.

Versuum divisionem ita institui, ut indicat VIVIT VIVIT apud Romieu f. 123 principio praepositum; in reliquis exemplis VIVIT alterum inseritur post PECCIO. Minora peccata praetermisi. — 2 VARIVS Scal. I. II. — ..ARIA exemplum secundum (Scal. II Rom. 126), Q·ARIA prius (Scal. I Rom. 123) — PAARHL exemplum secundum, PAARHELA prius.

1490 Murvieli reperta extat in museo Montpellierensi in hortis. Pertinet ad Sestantionem.

SEX·VETTO·C·PEDO·AED
VIAM LACVM EX D D
REFIC COER

E. Herzog descripsit et misit.

Nomina sediles omiserunt.

1491 in patera aerea crassa et gravi quae extat Berolini in regio museo.

A·SEPTVNOLENA·PETR·MAISIO·DONO·

Ritschl tab. II H ad aes. Ed. Beger thes. Brandeburg. 3, 383 (inde per Morcellium Orell. 4308, 5).

Lege *A(ula) Septunolena Petr(onio?) Maisio dono;* quamquam circulo scripta est, tamen principium indicatum est spatio intermisso. Aulae praenominis praeter hoc certum exemplum mihi in promptu est nullum; nam in lapide ex Scipionum monumento extracto n. 39 *Paulla* fuit, non *Aulla*. De PETR· cf. n. 1287: *L. Ofilius L. f. Pet. n.* Deinde legi potest et *Maisio* et *Amisio;* de *Numisio* ne cogitaveris. Denique *dono* mihi sextus casus est, quamquam quartum consuetudo requirit; nam scriptura non valde antiqua, L maxime formae vulgaris quominus de quinti saeculi forma *donom* cogites obstat.

1492 in tessera quae videtur, extat Romae in museo Kircheriano.

D D
INGENVIIS
QVI AD SVBFRA
GIA
DESCENDVNT

Ritschl tab. II L ad aes.

Fuit sine dubio collegii alicuius administrati a decurionibus, in quo ius suffragiorum soli ingenui habebant.

1493 in galea aerea, rep. in vico q. d. *il Foro* 25 m. p. a Reate; extat Monachi in museo ex Dodwellianis.

Q·COSSI·Q

Contuli. Ed. Hefner *Oberb. Archiv* 7, 283 = *röm. Baiern* p. 268 n. 386.

Magis placet explicare *Q. Cossi(us) Q. (f.)*, omisso scilicet a Graeco artifice filii vocabulo, quam *Q. Cossi quaestoris.*

1494 in basi protomae marmoreae reperta in sepulcro quodam Etrusco una cum patera cretacea similiter inscripta.

DAMIO

Ritschl tab. XI L ex Braunio ann. 1855 p. 52, qui formam litterarum antiquissimam esse testatur. Ne tamen remotae antiquitatis credas, obstat lapidis genus.

1495 tegula Neapoli in museo ducis de Noja.

VENERVS·HERVC

Marini Arv. p. 418 (inde Orell. 1364; I. N. 6306, 1).

1496 tegula musei Kircheriani litteris vetustis.

GRC

Misit Henzenus.

1497 tegula Romae in museo Borgiano.

C·L·TOSSIEIS·C·F
C·TOSSIVS·C·L

Marini figl. ms. n. 1342, unde edidi mus. Rhen. nov. 9, 454.

1498 tegula Tusculi in villa Rufinella reperta, extat Romae in Kircheriano.

M·TVKI

Henzen descripsit. Marini figl. ms. n. 1349 a card. Zelada.

1499 in manubrio follis invento in sepulcro picturis exornato Volcis.

P·CAISI

Ritschl tab. XI K ex Garruccio *graffiti de Pompei* p. 25. Misit Henzen.

CLARORVM LIBERAE REI PVBLICAE VIRORVM

ELOGIA

EDITA A TH. MOMMSENO.

FASTI ANNI IVLIANI

EDITI AB EODEM.

FASTI CONSVLARES AD A. V. C. DCCLXVI

EDITI A GVIL. HENZENO.

CLARORVM LIBERAE REI PVBLICAE VIRORVM

ELOGIA.

Clarorum liberae rei publicae virorum elogia quoniam subnectere placuit, pauca praemittenda sunt de hoc genere titulorum eorumque origine et natura. Nam quamquam patrocinium eorum contra perversam condemnationem a Maffeio aliisque superioris aetatis viris prolatam hodie suscipere supervacaneum est (acta enim ea res est et dudum iudicata), tamen hodieque non pauca de elogiis traduntur incerta contraria falsa neque satis faciunt quae de ea re disputarunt Morcellius (de stilo inscr. l. I c. V ed. 2 p. 256—278) Zelliusque (*die römischen Elogien und König Ludwigs Walhallagenossen.* Stuttgard. 1847. 8), quorum ille pro sua aetate docte et acute rem pertractavit, hic indocte temereque Itali librum expilavit multis nominibus non leviter reprehendendus, nisi ipse iam iustam poenam sibi imposuisset in pistrinum istud ablegans se simul Ludovicianorum elogiorum laudandorum. Agimus autem de titulis iis qui nec sepulcrales sunt neque honorarii, quorum argumentum non ex praesenti re memoriave recenti, sed ex tabulariis privatis publicisve vel adeo ex annalibus repetitur. Elogia haec ut a mortuariis nullo negotio discernuntur, ita ne cum honorariis quidem facile confunduntur, cum sit praesertim historicorum elogiorum haec quasi nota omnium communis, ut quorum sunt eorum nomina primo, non tertio casu scribantur, quod non fit in honorariis exceptis antiquissimis paucissimis (supra p. 147 n. 538. 539); praeterea elogia illa raro singularia procedunt, sed ad seriem aliquam pertinent statuarum protomarum imaginum certo consilio ordinatam. Itaque separandi sunt ab hoc genere tituli aetate imperatoria urbium conditoribus dedicati, qualis est Saguntinus Huebnero iudice saeculo p. Chr. fere tertio conscriptus, editus ab eodem in actis acad. Berol. a. 1860 p. 423:

P · SCIPIONI · COS
IMP · OB · RESTITV
TAM SAGVNTVM
EX · S · C · BELLO · PV
NICO · SECVNDO

similisque in patria C. Marii Cereatis Marianis (hodie Casamari) repertus Arpinique in aedibus Cardelliorum adservatus (I. N. 4487; Henzen 5352; Ritschl tab. LXX B ad lapidem):

[illegible]
COS · VII · PR · TRIB · PL
Q · AVG · TR · MIL

Hi enim tituli cum neque ab honorariorum consuetudine formaque discedant et iis locis reperiantur, ubi antiqui illi viri conditores vel certe conditorum fere loco habiti etiam post multa saecula honorari potuerunt et debuerunt, mere sunt honorarii nec recte referuntur inter elogia historica de quibus agimus. Denique elogia historica, etsi pleraque eorum incisa sunt sub imperatoribus, tamen non pertinent nisi ad homines liberae rei publicae nec perveniunt ad imperatores ipsos eosve qui sub iis vixerunt; nam etsi divorum imperatorum saepe ordo similiter dedicatus est, tamen inscriptiones efferuntur fere casu tertio neque magistratus gestave adscribuntur. — Vera elogia illa originem traxerunt ex stemmatis. Nam cum nobiles familiae inde ab antiquissimo tempore suorum memoriam aliquam in scriptum referrent et in tabulariis servarent, unde effecti sunt quasi quidam commentarii de familiis nobilibus perpetui continuoque aucti, laudationum funebrium origines et fundamenta (cf. Gell. 13, 20: *cum et laudationes funebres et [librum] commentarium de familia Porcia legeremus*), mox hoc accessit, ut familiae stemma in atrio pingeretur nominibusque eorum, qui ad curules honores pervenissent, et hi ipsi honores et imagines adiungerentur. Inscriptiones hae proprie dicuntur *indices* vel *elogia*, ab indicando vel eligendo (nam ut a *tegendo toga*, a *serendo* et *ferendo sors* et *fors* fiunt, ita *elogium* ab *eligendo* derivatur erraveruntque plane, qui vocabulum nec nomine nec re Graecum a Graeca origine repetunt); scilicet respiciunt tituli hi commentarios illos ampliores gentilicios in scriniis servatos et sunt quasi quidam indices rerum summarum inde electarum. Eiusmodi elogia aetatem tulisse nulla constat nec potuit aliter accidere; pingebantur enim in parietibus, non in lapide insculpebantur. Quomodo vero concepta fuerint, facile et per se intellegitur et apparet ex antiquissimis titulis sepulcralibus, quos demptis scilicet carminibus ex Graeca consuetudine adscitis expressos esse ex indicibus istis vel elogii nomen utrique generi commune satis ostendit: recensebantur mera nomina primo casu additis solis honoribus curulibus, quales legimus in antiquissimo titulo L. Scipionis consulis a. 495: *aidiles cosol cesor.* — Ab his elogiis privatis postea eo res pervenit, ut in opere sacro vel publico faciendo is qui faceret suorum imagines additis elogiis simul dedicaret. Quod primum fecisse Ap. Claudium Caecum cos. u. c. 447. 458 auctor est Plinius h. n. 35, 3, 12: *clipeos in sacro vel publico dicare privatim primus instituit Ap. Claudius qui consul cum P. Servilio fuit anno urbis CCLIX, posuit enim in Bellonae aede maiores suos placuitque in excelso spectari et titulos honorum legi**); nam quod Ap. Clau-

*) Cf. de imaginibus in clipeis pictis inscriptio Mariniana (Arv. p. 654): *permiserunt in clupeo quod ei posuerun[t ante] templum novum pingere effigiem - - [soro]ris suae.*

dium cos. 259 pro Caeco nominavit, error Plinii est facile inde emendandus, quod Bellonae aedem a Caeco factam esse constat. Tales certarum familiarum statuarum imaginumve cum suis elogiis dedicatarum ordines maxime labente liberae rei publicae aetate complures per templa urbis sparsos extitisse et auctores docent et ipsa monumenta. Ita Asconius de M. Marcello cos. u. c. 588. 599. 602 sic refert (in Pison. p. 12): *cum statuas sibi ac patri itemque avo poneret in monumentis avi sui ad Honoris et Virtutis, decore subscripsit: tres Marcelli novies consules**). *[Consul] avus quinquies, pater semel, ita neque mentitus est et apud imperitiores patris sui splendorem auxit.* Similiter Cicero (ad Att. 6, 1, 17) de nescio quo opere in Capitolio effecto a Metello Pio Scipione: *De statua Africani ὢ πραγμάτων ἀσυγκλώστων! sed me ipsum delectavit in tuis litteris. Ain tu? Scipio hic Metellus proavum suum* (P. Scipionem Nasicam Sarapionem cos. u. c. 616) *nescit censorem non fuisse? Atqui nihil habuit aliud inscriptum nisi cos.* (*censor* cod.) *ea statua quae ab Opis parte posita in excelso est. In illa item quae est ad Πολυκλέους Herculem inscriptum est cos.; quam esse eiusdem status amictus anulus imago ipsa declarat. At mehercule ego cum in turma inauratarum equestrium, quas hic Metellus in Capitolio posuit, animadvertissem in Sarapionis subscriptione Africani imaginem, erratum fabrile putavi, nunc video Metelli. O ἀναπεραντίαν turpem!* Conturbarat scilicet Metellus imagines et subscriptiones ita, ut ad elogium P. Africani maioris *(cos. cens.)* adiungeret Sarapionis imaginem, ad Sarapionis elogium *(cos.)* imaginem Africani. — Inter elogia huius generis quae aetatem tulerunt primum locum sibi vindicant tituli ex fornice Fabiano relicti, quos quamquam supra p. 177 n. 607 proposui, tamen cum ne hoc quidem loco omitti potuerint, infra n. I. II. III denuo recitantur. Qui sequuntur tituli Iuliorum duo, Octaviae Liviaeque gentis singuli, denique Claudiorum patriciorum tres, simillimi inter se omnes remanserunt omnino ex sacrario aliquo domus Augustae, in quo imagines stirpis imperatoriae coniunctarumque familiarum propositae erant. Subieci denique quae praeterea huius generis reperi elogia Aemiliorum (n. XI), Caeciliorum (n. XII. XIII), Corneliorum (n. XIV), Valeriorum (n. XV), quamquam ad quem ordinem pertinuerint haec quoque in loco steterint, hodie ignoratur. Elogia haec omnia videntur esse ex genere gentiliciorum privatorum in sacro vel publico dedicatorum. Iam singula recensebuntur.

*) Inter inscriptiones haec relata est apud Piccartum n. 93 et Reines. 6, 64.

Romae in arcu Fabiano c. a. u. c. 698 restituto (cf. p. 177 n. 607).

I

L · AEM*il*IVS · L · F · PAVLLVS
CO*s ii* CENS · AVGVR — cos. 572. 586. cens. 590.
TR*i*VMPHAVIT · TER — tr. 573. 587.

Paullus quoniam ter imperator appellatus est (v. nummum n. 473 quaeque ad eum notavi *Röm. Münzw.* p. 633), pro duobus triumphis tres ei tribuuntur cum in hoc elogio c. a. 698 inciso tum apud Velleium 1, 9. Pertinet hoc ad *augentes*, ut Livius ait (22, 31), *titulum imaginis posteros.* Praeterea cf. infra n. XXX.

II

P · CORNELIVS · PAVLLI · F · SCIPIO
AFRICANVS · COS · II · CENS — cos. 607. 620. cens.
AVGVR · TRIVMPHAVIT · II — 612. tr. 608. 622.

Augurem Aemilianum fuisse constat ex solo elogio. Reliqua nota sunt.

III

q FABIVS · Q · F · MAXSVMVS
AED · CVR

De hoc supra diximus p. 177. Unica haec extat ni fallor vivi inscriptio ad imaginum exemplum concepta.

IV Romae in pariete quodam infra palatium antiquum iuxta aedem S. Basilii *Iucundus*; basis plana Romae iuxta S. Basilium *Maz. Ap.*; in palatio Nervae *Smet.*

C · IVLIVS · L · F · CAESAR
STRABO
AED · CVR · Q · TR · MIL · BIS · X · VIR — aed. cur. u. c. 664.
AGR · DAND · ADTR · IVD · PONTIF

Iucundus Ver. f. 21; Mazoch. 49; Apian. 213, 1; Panvin. fast. ad a. 664; Manut. orth. 28, 1; Smet. 65, 6 q. v.; Augustinus dial. ed. 1587 p. 384; Grut. 421, 5 (viderunt Smetius et Metellus; additur in ed. 2 v. l. Ligorii).

De lectione constat per consensum Iucundi (nisi quod hic 3 TRIB) Mazochii Smetii Manutii aliorumque bonorum auctorum, unde deteriorum v. l. omisimus.

C. Iulius L. f. Sex. n. Caesar Strabo aedilis curulis fuit u. c. 664 (Cic. Brut. 89, 305) neque ultra processit (Ascon. in Scaur. p. 24); pontifex C. Iulius L. f. memoratur in senatus consulto a. 655 (Gell. 4, 6). Quae praeterea in elogio leguntur, aliunde non comperimus ac ne hoc quidem scimus quinam agri per illos annos publice dati attributi sint; nam de X viris agris dandis attribuendis ex lege Livia a. 663 creatis (cf. n. VII) vix potest cogitari, cum et ordinaria et extraordinaria munera in elogiis soleant recenseri secundum temporis ordinem itaque Caesar Strabo ante tribunatum militarem adolescentulus decemviratum agrarium videatur capessivisse. Ceterum de Strabone hoc et in re publica potentissimo et in litteris claro exposuit Drumannus hist. Rom. 3, 126.

Tabulae marmoreae fragmentum in hortis Colotianis ad aquae Virginis ductum *Maz. Smet.*

V

c. iulius c. f. c. n CAESAR
avus augusti
.....x vir lit. iud IC · Q · PR
............pro COS · IN · ASIA

VI

C · OCTAVIVS · C · F · C · N · C · PR*on*
PATER · AVGVSTI
TR · MIL · BIS · Q · AED · PL · CVM
C · TORANIO · IVDEX · QVAESTIONVM
PR · PRO · COS · IMPERATOR · APPELLATVS — pr. u. c. 693.
EX · PROVINCIA · MACEDONIA

Mazoch. 100 vv. confusis; cod. Accursii Ambros. f. 18 a.; Smet. 65, 3 (inde Grut. 225, 7) q. v.; Manut. orth. 746; cod. Pigh. Berol. f. 210; Panvin. fast. ad a. 710 (omisso titulo fracto); Ursin. ad Cic. p. 151; Augustinus dial. ed. 1587 p. 386 (omisso titulo fracto).

I, 2 I non habent Maz. Pigh. — 2 C pro IC Maz. — 4 ASIA' Pigh., ASIA reliqui. — II, 1 P pro PRON Acc. Maz. Aug.

Prioris tituli supplementa incerta sunt, eo tamen defensa, quod Caesarem hunc iuxta Augusti patrem collocatum et ipsum cum Augusto proximo vinculo coniunctum fuisse non immerito suspicere quodque Augusti avum praetorium Pisis decessisse relatum est (Plin. 7, 53, 181). V. 4 initio intercidisse videtur, quo officio Caesar in praetura functus sit. — Secundum elogium patris Augusti naturalis nomina honoresque continet. Abavum Augusti Gaium praeter elogium nominat Suetonius (Aug. 2), qui idem proavi avique mentionem facit illumque scribit in Sicilia a. 549 tribunum militum meruisse, hunc municipalibus magisteriis contentum fuisse; de praenominibus eorum solum elogium certiores nos facit. — Patris Augusti honores ante praeturam captos item comperimus ex elogio solo, nisi quod Suetonius (Aug. 27) et Appianus (b. c. 4, 12 cf. c. 18. 95) inter proscriptos a triumviris memorarunt C. Toranium, tutorem quondam Augusti eiusdemque patris Octavii collegam in aedilitate (cf. Drumannus 4, 230 n. 25 addito loco Damasceni in vita Caes. c. 2). *Iudex quaestionum* (quo munere ea aetate aedilicios fungi consuevisse notum est, v. Rudorff *Rechtsgesch.* 2, p. 337) hoc solo loco, ni fallor, reperitur; *iudex quaestionis* et in lege Cornelia fuit (Ulp. collat. 1, 3; Cic. pro Cluent. 54, 148; Dig. 48, 8, 1, 1) et solent ita loqui cum auctores tum lapides (Orelli Henzen 3109. 6450). Praetor Octavius factus est a. u. c. 693 (Cic. ad Q. fr. 1, 1, 8; Vell. 2, 59; Suet. Aug. 2). Post praeturam sortitum eum esse Macedoniam provinciam et ex ea imperatorem appellatum complures tradiderunt (Drumannus 4, 230); pro consule cum provinciam obtinuisse elogium solum docet.

VII Romae.

tr. pl. 663.

M · LIVIVS · M · F · C · N · DRVSVS · PONTIFEX
· TR · MIL · X̄ · VIR · STLIT · IVDIC
TR · PL · XVIR · A · D · A · LEGE · SVA
ET·EODEM·ANNO·V̄·VIR·A·D·A·LEGE·SAVFEiA
IN · MAGISTRATV · OCCISVS · EST

Codex Redii apud Gud. ms. 891, 1; codex Piccarti n. 91 (cf. Reines. ad Rupert. p. 375; inde male Reines. 6, 58, ex hoc Orell. 544).

Versuum divisio incerta est. — 1 C · N Red., CN Picc. — 2 X̄ · VIR Red., XVIR Picc. — 4 EOD · Picc. — V̄ · VIR Red., VVIR Picc., XVIR Rein. — SAVFEL'A Red., SAVFELIA Picc.

M. Livius M. f. C. n. Drusus (cf. Cic. Brut. 28, 109) pontifex (Cic. de domo 46, 120) post tribunatum militarem et X viratum litium iudicandarum quaestor in Asia fuit, mox aedilis (Victor 66); qui duo magistratus cum in elogio post decemviratum scribi deberent, exciderunt quadratarii librariive culpa. Tribunatus eius notus est. De compluribus coloniis in Italiam Siciliamque decretis dudum ante nec tamen deductis (iis ipsis duodecim opinor de quibus pater rogarat in tribunatu a. u. 632) denuo tulisse eum et agro promisso plebis favorem sibi conciliasse Appianus scribit (b. c. 1, 35; cf. Liv. ep. 71 et Vict. 66) videturque Drusus praeter Siculum totum qui etiamtum in Italia superfuit agrum publicum colonis destinasse, quoniam ipse dixit nemini se ad largiendum reliquisse praeter caelum et caenum (Vict. l. c.). Qua ratione colonias illas deduci voluerit, ignoratur, nisi quod ex elogio comperimus X viros agris dandis adsignandis eum creavisse et in his se ipsum. Contra in lege agraria a. 643 v. 77. 81 qui nominantur *X viri qui ex lege Livia facti createve fuerunt,* eos ad agrum in Africa dandum adsignandum pertinuisse ostendi supra p. 99, neque omnino possunt esse non diversi a X viris huiusce elogii creatis ex plebiscito lato a. 663. Sane cui placet X viros illos Africanos referri ad M. Livium tr. pl. a 632, ea defensione uti potest, ut filius huius tr. pl. a. 663 paternam legem rettulerit itaque decemviri illi ex utraque lege Livia descendant; quae opinio quamquam vera esse potest, a simplicitate certe minime commendatur. Lex Saufeia deinde non solum alibi non commemoratur, sed ne hominem quidem eius nominis novimus, cui probabiliter attribuatur; videtur tamen a collega aliquo in tribunatu M. Livii Saufeio lata esse et pependisse a legibus agrariis Liviis. De quinqueviris agrariis Cicero (de lege agr. 2, 7, 17): *toties,* inquit, *legibus agrariis curatores constituti sunt III viri, V viri, X viri;* quinque viros lege Iulia de agro Campano dividendo commemorat idem (ad Att. 2, 7, 4; de priv. cons. 17, 41) egique de iis in gromaticorum vol. 2 p. 224; denique Praeneste et Venafri agros assignatos esse a V viris gromatici (p. 236, 14. 239, 7) scribunt.

VIII Romae.

AP · CLAVDIVS
Q · VRB
COS · CVM · P u. c. 259.
SERVILIO · PR*isco*

Codex Redii p. 26*a* 2, inde Gud. ms. 927, 8, ed. 121, 1.

Paternum praenomen fortasse propterea deest, quod hic homo a. 250 demum in civitatem receptus credebatur itaque patrem habuisse non civem Romanum. De quaestura libri tacent.

Romae ad S. Martini e regione montium *Manut.* in S. Silvestri et Martini in montibus in pavimento *Tolet. similiterque Holst.* marmorea tabula, qua stratum est limen ecclesiae S. Silvestri et Martini in montibus *Suares.*

IX

p. claudius ap. f. p. n. pulcher
*c o l o n o*S · ADSCRIPSIT · CALES · COS · CVM
cos. u. c. 570 *l. porcio iii*VIR · COLONIAM DEDVXIT GRAVISCAM

X

c. claudius ap. f. c. n. pulcher
Q · III VIR · A · A · A · F · F · AED · CVR · IVDEX · Q · VENEFICIS · PR
REPETVNDIS · CVRATOR · VIS · STERNVNDIS · COS cos. u. c. 662
CVM · M · PERPENA

Integram descripsit Suaresius solus in schedis olim Barb. nunc Vatic. 9140 p. 147 (inde Fabrett. 748, 553 et Marinius Arv. p. 186. 822, ex his Orelli 569); priorem titulum item Manutius cod. Vat. 5241 p. 681; utriusque versum priorem Holstenius, cuius exemplum ex cod. Tolet. 103, 6 misit Halbertsma editumque est in notis ad Cluver. p. 254.

I, 1 in. S solus habet Manut. — DSCRIPSIT Tolet., DESCRIPSIT Holst. ed. — 2 in. V . . . R Man., . . . R Suares. — II, 1 Q · post IVDEX habent Tolet. Holst., om. Suares.

In priore elogio quod scribitur paulo ante a. 570 colonos adscriptos esse Cales alibi non traditur, quamquam similes adscriptiones complures ea aetate factas auctores commemorant (v. Liv. 31, 49. 32, 2. 33, 24; Plutarch. Flamin. 1; hist. Rom. meae 1, 659. 816). — De colonia Graviscana sic Livius 40, 29 ad a. u. c. 573: *colonia Graviscae eo anno deducta est . . . tresviri deduxerunt C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Istra;* quo loco adhibito cum ex iuxta posito titulo hunc quoque intellectum esset Claudii esse alicuius, primus Fabrettius eum ad consulem a. 570 revocavit.

Secundum elogium tractavimus Marinius l. c., Borghesius *dec. num.* 14, 9, denique nuper ego (*röm. Münzwesen* p. 367 cf. p. 562). — Cum duobus M. Perpenis duo C. Claudii Pulchri quoniam

consules fuerunt a. 624 et a. 662, uter hic intelligendus sit, non satis constat; videtur tamen recte Borghesius cogitavisse de minore. Nam et denarius supra n. 380 relatus inscriptus C · PVLCHER eiusdem omnino, quem elogium IIIvirum monetalem appellat, multo melius medio saeculo septimo convenit quam incipienti; et consulem a. 662 aedilem curulem fuisse diserto testimonio constat; et, quod rem decidit, de pecuniis repetundis ad C. Gracchum usque praetor peregrinus quaesivit nec suum praetorem quaestio ea accepit nisi lege a. 632 supra explicata (v. p. 65). — Vitam huius C. Pulchri enarravit Drumannus, bipertitam tamen errore (2, 182 n. 29 = 2, 184 n. 46). De quaestura eius aliunde non constat. — De triumviratu monetali praeterea nummum n. 380 testari modo diximus; magistratum vero illum ea aetate extraordinarium fuisse ex hoc praesertim elogio ostendi in libro citato. — Aedilitatem curulem a. 655 adscribit Plinius h. n. 8, 7, 19 ex Fenestella; praeterea aliquoties memoratur propter elephantorum spectaculum aliaque insignia. — *Iudex q(uaestionis) veneficiis* quod post aedilitatem c. a. 656 fuit C. Claudius, notatu dignum est; nam eo solo testimonio constat et fuisse ordinariam de his criminibus quaestionem ante Sullam, cuius est lex postea retenta de sicariis et veneficis, et iam tum huic quaestioni praefuisse iudicem non praetorem, quem iudicem praecipue pertinere ad quaestionem de sicariis et veneficis (Cic. pro Cluent. 54, 148; pro Sex. Roscio 4, 11; Sueton. Caes. 11; Ulp. coll. 1, 3) periti non ignorant. — Praetorem eundem fuisse a. 659 Cicero scribit (Verr. 2, 49, 122); de repetundarum quaestione ei oblata supra vidimus. — Curator viis sternundis fuit inter praeturam et consulatum munere extraordinario conferendo cum cura Capitolii restituendi Q. Catulo iniuncta (vid. p. 171 ad n. 592).

XI marmor quadratum *Smet.* pulcherrimis litteris *Pigh.* Romae in domo quondam Ioh. Coritii in foro Traiani *Smet.*; in Vaticano in hortis card. Caesii *Panv. Pigh. Aug.*

M · AIMILIVS · Q · F · L · N
BARBVLA · DICTATOR

Panvin. fast. ad a. 433; Smet. et in cod. Neapol. 138 et in libro edito 65, 1 (inde Grut. 348, 3) qui vidit. Pighius, qui item vidit, ann. 2, 133 et in cod. Berol. f. 127. 210. Manutius cod. Vat. 5241 f. 63 fortasse ex libro Ursini. Augustinus dial. ed. 1587 p. 438. Fabrett. in emend. ad Gruterum.

1 AEMILIVS Pigh. ed. — Q · F Pigh. ms. Manut. Fabrett., M · F Smet. Panv. Pigh. ed. Utramque lectionem affert Aug.

Magistratus aliunde non notus, frater fortasse minor Q. Aemilii Q. f. L. n. Barbulae cos. 437. 443.

XII litteris oblongis Romae ante Rusticorum aedes *Smet.*

C · CAECILIVS · Q · F — cos. 641.
METELLVS · IMP

Panvin. in fast. ad a. 641. Smet. 65, 9 qui vidit. Grut. 377, 6 ex Smetio et Ursino. Pighius cod. Berol. f. 210 e libro Martini = ann. 2, 113.

Infra integra est secundum Panvin. et Smet. idque verum videtur; deesse finem indicant Ursinus et Pighius.

C. Caecilii Metelli Caprarii est, qui consul fuit a. u. c. 641, triumphavit ex Thracia a. u. c. 643. Cf. ad n. 595.

XIII 'cippus quadratus *di peperino tuscolano, volgarmente chiamato sperone*' *Nibby.* Tusculi in villa Rufinella.

Q · CAECILIVS
METELLVS
COS

Ritschl tab. LXIX F lapidem. Ed. Nibby *viaggio* (1819) 2, 37, *analisi* 2, 351; Canina Tusculo p. 117, al.

Consules huius nominis fuerunt a. 548. 611. 631. 645. 656. 674. 685. 694. 697. 702; cuiusnam ex his fuerit, non apparet.

XIV Voconiani in Sabinis *Man.* '*se hallo fuera de Roma en tierra de Sabinos y creo que Fulvio Ursino la hizo traer*' *August.* (Romae) in palatio del Duca basis *Winghe.*

p. cornelius p. f.
SCIPIO · AFRICANVS
COS · BIS · CENSOR — cos. 549. 560.
AEDILIS · CVRVLIS
TRIB · MIL

Manut. orth. 23, 2 (inde Grut. 397, 4). Augustinus dial. ed. 1587 p. 436. de Winghe cod. Brux. II f. 29.

P. Cornelius Scipio Africanus maior consul fuit u. c. 549. 560, censor u. c. 555, aedilis curulis u. c. 541 (Liv. 25, 2; Polyb. 10, 5), tribunus militum u. c. 538 (Liv. 22, 53). Ex eo quod quaestura non commemoratur, P. Scipionem eam omisisse non sequitur; elogium enim potest exceptum esse ex annalibus iis quibus imperatoria aetas uti solebat eosque tantum honores commemorasse, qui apud Livium reperirentur.

XV hermae inscriptum *Boiss.* Romae apud Maffeios *Panv. Smet. Man.*

P · VALESIVS · VOLESI · F — cos. a. 245. 246. 247. 250.
POPLICOLA

Panvin. fast. a. 245; Man. 620, 1; stat. vir. inl. 1569, ubi aeri incisa est; Smet. 133, 10 (inde Grut. 480, 4) addens 'hoc an viderim, non memini'; Faber imag. ill. n. 147; Pigh. cod. Berol. f. 143; Augustinus dial. ed. 1587 p. 410 q. v.; Boissard 6, 48.

2 POPLICVLA stat. — Honores cum videantur defuisse in cippo, fortasse rectius referetur ad secundum elogiorum genus.

Inde fictus videtur alter titulus apud Panvinium l. c., Ursin. de famil. p. 193, Augustinus l. c., Grut. 6, 5 ex Panvinio Ursino Augustino, Orell. 547 ex Grut., qui dicitur erutus in via sacra ante basilicam S. Cosmae et Damiani; quem aperte iam ex schedis sumpsit qui primus edidit Panvinius neque quisquam bonorum auctorum vidisse se testatur:

P · VALESIVS · VOLESI · F
POPLICVLA
IOVI · IVNONI
SAC
P · PETRON · RESTITVIT

Secundum elogiorum genus subscriptorum statuis hermisve ad musea bibliothecasve ornandas factis totum Graecum est, adeo ut plerumque in talibus titulis vel sermo Graecus retineatur, recensetque Graeca huiusmodi elogia ex aedibus villisque nobilium Romanorum extracta Franzius C. I. Gr. 6017—6123. Latina rarissima sunt nec mihi suppetunt certae antiquitatis huius aetatis virorum nisi quae sequuntur; quibus fortasse addi poterunt supra n. XV relatus titulus P. Valerii Poplicolae gemmaque inscripta C·MARIVS·VII·COS edita a Viscontio in iconographia Romana. Nam cippi quattuor ex lapide Albano reperti Tusculi in villa Rufinella editique post Nibbyum *viaggio* (1819) 2, 38 aliosque a Ritschelio tab. XCI GHIK hi:

ORESTES | IASO TELEGONVS | TELEMACHOS | DIPHILOS POETES

vix recte accensentur Latinis; certe primus tertius quartus item Graeci sunt etsi perscripti litteris Latinis. In secundo duplex nomen ita videtur explicandum, ut statua Iasonis postea domino villae Tusculanae ita iubente facta sit conditoris Tusculi oppidi Telegoni nomine mutato, priore scilicet calce contecto. — Carminum huius generis, qualia composuerunt Varro, Atticus, alii, in lapidibus vestigium quod sciam reperitur nullum, nisi quod Miltiadis habemus hermam (C. I. Gr. 6088) cum inscriptione nominis Graeca, carminibus adscriptis et Latino et Graeco.

XVI sub protome Romae inde a saec. XVI in museo Capitolino.

P·COR·SCIPIO·AFR

Visconti *iconogr. Rom.* t. I cap. 2 §. 9, ubi aeri incisa est tab. III. Recte videtur credi effigies Africani maioris.

XVII in herma, si fides *Boissardo;* idque per se probabile est. — Romae ad forum mali aurei infra Capitolium *Man. Grut.*

M·PORCIVS
CATO
CENSORIVS

Manut. 621, 2 (inde Augustinus dial. ed. 1587 p. 432); Boissard. 6, 46; Grut. 458, 4 a Gutenstenio ex Ursini schedis.

3 CENSORINVS Grut.

Ad hoc genus elogiorum ideo rettuli, quoniam desunt honores.

XVIII in herma, quem reperit cardinalis Alex. Albani.

QVINTVS HORTENSIVS

Visconti *iconogr. Rom.* t. I cap. 4 §. 2, ubi aeri incisa est tab. XI. Praenomen omnibus litteris perscriptum, cum de tituli sinceritate non videatur iure posse dubitari, certe prodit artificem Graecum.

XIX sub protome Ciceronis oratoris egregii operis; extat in museo publico Matritensi.

M·CICERO AN·LXIIII

Descripsit E. Huebnerus, et protomen et inscriptionem omnino genuinas esse testatus.

Restant elogia ducum clarorum publice primum ab Augusto in foro Augusto Romae dedicata, deinde per municipia repetita. Dedicationem illam testantur loci qui sequuntur. Dio 55, 10 ad a. u. c. 752 inter privilegia aedis Martis Ultoris: τάς τε γνώμας τὰς περὶ τῶν νικητηρίων ἐκεῖ τὴν βουλὴν ποιεῖσθαι καὶ τοὺς πέμψαντας αὐτὰ τῷ Ἄρει τούτῳ καὶ τὸ σκῆπτρον καὶ τὸν στέφανον ἀνατιθέναι, καὶ ἐκείνους τε καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς τὰς ἐπινικίους τιμὰς λαμβάνοντας ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦς ἵστασθαι. Suet. Aug. 31: *proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque — statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus edicto commentum id se, ut ad illorum velut exemplar et ipse dum viveret et insequentium aetatium principes exigerentur a civibus.* Horat. carm. 4, 8, 13: *incisa notis marmora publicis, per quae spiritus et vita redit bonis post mortem ducibus.* Quae scripsit poeta paulo antequam diem obiret (u. c. 746) aede nondum dedicata. Lamprid. vita Alex. c. 28: *statuas colossas vel pedestres nudas vel equestres divis imperatoribus in foro divi Nervae — — locavit omnibus, cum titulis et columnis aereis quae gestorum ordinem continerent; exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocavit additis gestis.* Sibi etsi Augustus locum non dedit ipse in hoc ordine, tamen ex s. c. in foro Augusto quadrigae ei positae sunt (mon. Ancyr. 6, 26) cum inscripto patris patriae nomine eodem quo forum dedicatum est anno ei delato; quibus sub quadrigis ad exemplum statuarum in porticibus collocatarum res ab Augusto in bello gestas inscriptas fuisse arguit Vellei locus 2, 39: *divus Augustus praeter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis forum eius praenitet, paene idem facta Aegypto stipendiaria quantum pater eius Galliis in aerarium reditus contulit;* eodemque rettulerim Horatii carm. 4, 14: *quae cura patrum quaeve Quiritium — — tuas, Auguste, virtutes in aevum per titulos memoresque fastos aeternet?* ubi sequitur victoriarum eius longa series. Ex statuis autem memorantur apud auctores Aeneae, Romuli, regum Albanorum, Valerii Corvi, Scipionis Aemiliani. Ovid. fast. 5, 563 Martem describens ex templi sui fastigio forum quaeque in eo sunt perspicientem: *Hinc videt Aenean oneratum pondere caro et tot Iuleae nobilitatis avos; hinc videt Iliaden umeris ducis arma ferentem claraque dispositis acta subesse viris.* Unde apparet in altera porticu Aeneam, in altera Romulum primum, id est templi foribus proximum locum tenuisse; de qua re etiam Horatius videtur cogitavisse, cum in carmine citato de bonis ducibus dicta mox illustrat exemplo allato Romuli. Denique multos istos Iuleae nobilitatis avos fuisse reges Albanos confirmat maxime Taciti locus (ann. 4, 9) de funere Drusi: *funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Iuliae gentis Aeneas omnesque Albanorum reges et conditor urbis Romulus* (cf. Dio 56, 34) — — *longe ordine spectarentur.* Gellius 9, 11 postquam enarravit victoriam a M. Valerio Corvo tribuno militum a. 405 corvi auxilio de Gallo reportatam, addit: *statuam Corvino isti divus Augustus in foro suo statuendam curavit; in eius statuae capite corvi simulacrum est rei pugnaeque quam diximus monumentum.* Plinius h. n. 22, 6, 13: *Aemilianum Scipionem Varro auctor est donatum obsidionali (corona) in Africa Manilio consule, tribus cohortibus servatis totidemque ad servandas eas eductis, quod et statuae eius in foro suo divus Augustus subscripsit.* Ex quibus testimoniis inter se collatis apparet non clarorum virorum, sed illustrium ducum triumphatorumque fere statuas Augustum, ut par erat, in Martis aedis porticibus collocavisse, refelliturque ita quod adulescenti Borghesio olim excidit (*Giorn. Arcad.* I, 1819 p. 57 sq.) libellum de claris viris qui sub falso Aurelii Victoris nomine circumfertur ex his fori Augusti

elogiis originem traxisse. Imperatoria aetate ad Traianum usque statuas laureatas inter reliquos triumphales honores a senatu decretas (Tac. ann. 4, 23; hist. 1, 79; Agric. 40. Plin. ep. 2, 7. Henzen 5448) collocatas esse in foro Augusti praeter Dionis locum supra allatum aliumque Taciti (ann. 15, 72: *triumphales in foro imagines*, cf. ann. 4, 15) ostendit elogii fragmentum (Don. 5, 49 = Orell. 3187), quod ad A. Cornelium Palmam cos. a. 109 (cf. Dio 68, 16) pertinere pervidit Borghesius (*annali* 1846 p. 342): *senatus supplicationes dis immortalibus [et auctore] imp. Caes. Nerva Traiano Aug. Germ. Dacic. senatus ornament(a) triumphal(ia) decr(evit) statuamq. in foro Aug(usto) ponendam censuit.* Gesta tamen ad statuas has vivis ducibus positas addita esse non crediderim; nam et insolentiam quandam id habuisset maxime tali aetate neque ulla huius generis monumenta supersunt. Post Traianum cum reliquis honoribus triumphalibus sublatis statuae eiusmodi etiamtum decernerentur illustribus viris, collocabantur eae plerumque in foro Traiani (cf. Borghesi l. c. p. 346 sq.) — Horum elogiorum ab Augusto Romae dedicatorum unicum hodie superest certum, non integrum C. Marii n. XXXII, quod Romae effossum est inter campum Martium extremum et ecclesiam S. Thomae litterisque suis optimis et maximis et pulcherrimis prae se fert saeculum Augustum. Eiusdem fortasse aetatis sunt tituli L. Albinii et L. Furii Camilli. Duo similia elogia M. Furii Camilli et L. Papirii Cursoris et ipsa Romae eruderata, scripta ea litteris minoribus et minus insignibus, videntur esse aevi posterioris et post incendium aliquod ruinamve fori Augusti restituta (cf. Spart. Hadr. 19). — Ad haec Romana accedunt Arretina septem M. Valerii Maximi, Ap. Claudii Caeci, Q. Fabii Maximi, L. Aemilii Pauli, Ti. Sempronii Gracchi, C. Marii, L. Licinii Luculli, quae ad eandem elogiorum seriem pertinere inde constat, quod C. Marii elogium integrum id ipsum est, cuius partem Romae effossam esse supra diximus. Praeterea frequentia in Arretinis elogiis fabrilium erratorum, ut *primus* pro *prius*, *Tyrrho* pro *Pyrrho*, qualis non solet reperiri in lapidibus, facile explicatur, si quidem tituli hi ad exemplum librorum pluribus exemplis descripti sunt et ab operis repetiti. Quo loco Arretii steterint statuae hae, non apparet; nam cum duobus titulis saeculo iam quarto decimo repertis praescribatur 'Arretii in basilica', potest quidem eo tempore superfuisse aedificium eius modi, quocum ducum statuae coniunctae fuerunt, nec tamen illa inscriptio extra dubium posita est (vide ad n. XXIX). Postea qui effossi sunt 'partim e fundamentis antiquae arcis, partim ex aliis urbis ruderibus' (Gori I. E. 2, 224), de antiquo statuarum loco nihil docuerunt. — Deinde nuper Pompeiis in ipso foro duo tituli reperti sunt Aeneae et Romuli, quos ad eandem seriem referre non dubitavi. Nam non solum elogiis ab Augusto Romae propositis haec simillima sunt, sed etiam supra vidimus Ovidio teste incepisse ea ab ipsis his duobus titulis Aeneae Romulique; nec casu factum est, ut hi soli reperti sint Pompeiis, sed apparet Pompeianos in foro post primum terrae motum instaurando occupatos eo usque pervenisse, ut ex titulis istis primos duos suis locis collocarent, cum nova clade supervenients forum denuo obrueretur. Quam ob rem non sine causa huc referentur Plinii verba h. n. 34, 5, 17: *in omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse coepere prorogarique memoria hominum et honores legendi aevo basibus inscribi, ne in sepulchris tantum legerentur*, quamquam sane etiam de honorariis statuis cogitavit nec de sola clarorum virorum memoria ex annalibus repetita. — Porro Laviniensem titulum Silvii Aeneae in eundem ordinem rettuli, quoniam constat Ovidii testimonio supra explicato Silvios reges omnes opinor in Martis foro stetisse; hoc enim si non haberemus, Lavinienses existimarem in suae originis memoriam Silviorum statuas in foro dedicavisse. — Restat denique titulus L. Albinii Romae repertus omnibus nominibus his elogiis similis, nisi quod scrupulum inicit argumentum; nam qui Vestales Caere deduxit et inde Romam revexit, sane non propterea recipi debuit inter claros populi Romani duces. Nihilominus et hunc placuit admittere; nam pertinet ad rem in bello gestam neque hodie scimus, utrum Augustus legem operis stricta ratione secutus sit an admiserit quosdam viros cum Martis opere non tam arte coniunctos. — Contra excludendi fuerunt omnino tituli quicunque vel ex scriptorum locis similibus immutati sunt vel alia ratione conficti. Illius generis sunt P. Decii (Mazoch. 80; Orell. 546) descriptus simpliciter ex Victoris qui dicitur vir. ill. c. 27; L. Siccii Dentati (Mazoch. 18, 2; Reines. 6, 106) descriptus ex Plinii h. n. 7, 28, 101, 102 cum ipsis librariorum naevis; L. Caecilii Metelli (Mazoch. 19, 1; Grut. 377, 4) descriptus similiter ex Plinii h. n. 7, 43, 139. 140; Cn. Pompei (Osann p. 516) petitus item ex Plinii h. n. 7, 26, 97. Paullo diversa nec tamen meliore ratione ficti sunt tituli Pauli Aemilii (Mazoch. 19, 3; Mur. 1802, 2) et M. Valerii Corvini (I. N. 370*; Henzen 5346), ad quem excogitandum impulit Gellii locus supra relatus. Haec cur falsa sint, docebunt ii qui in actis diurnis exagitandis morantur et in excutiendis similibus rebus, de quibus inter peritos constat, imperiti quid sentiant, non refert; mihi sufficit ea commemoravisse.

Ex actis igitur gestisve clarorum ducum populi Romani, quae statuis eorum in foro Martis Augustus subscripsit, in libris lapidibusve aliqua memoria superest horum sedecim: Aeneae (Pomp., Ovid.), Silvii Aeneae (Lavin., Ovid.), Romuli (Pomp., Ovid.), M. Valerii Maximi dict. a. 260 (Arret.), M. Furii Camilli trib. mil. 353 (Rom.), L. Albinii (Rom.), L. Furii Camilli cos. u. c. 405 (Rom.), M. Valerii Corvi cos. u. c. 406 (Gell.), L. Papirii Cursoris dict. u. c. 429 (Rom.), Ap. Claudii Caeci cos. 447 (Arret.), Q. Fabii Maximi cos. 521 (Arret.), L. Aemilii Paulli cos. 572 (Arret.), Ti. Semproni Gracchi cos. 577 (Arret.), P. Scipionis Aemiliani cos. 607 (Plin.), C. Marii cos. 647 (Rom., Arret.), L. Licinii Luculli cos. 680 (Arret.). Quorum de origine aetateque in summa re Morcellium (l. c. p. 258) iam verum vidisse non est silentio praetereundum, quamquam de veris titulorum locis saepe deceptus est neque raro verum defendit rationibus non veris. Elogia igitur quae sequuntur quam locupletem auctorem habeant quoniam ostendimus, hoc quoque addemus rerum gestarum memoriam in iis contineri probam et antiquam et summopere dignam, ad quam viri docti magis etiam attendant quam adhuc fecerunt. Nam quam antiqui annales memoriam propagaverunt non intemeratam sane et multis nominibus corruptam, sed tamen unicum veritatis fontem, ea maximam labem cum passa sit per scriptores saeculi septimi exeuntis Valerium Antiatem praesertim et Licinium Macrum propagatam auctamque deinde per scriptores saeculi Augusti, elogia locum tenere post Diodorum et Ciceronem et profecta esse ex annalibus optimis Livianisque aut aequandis aut fortasse etiam praeferendis quae ad ea adnotavi ostendent. Ipsa vero minime conscripta sunt ab homine curioso doctoque, imo saepe male res narrant et rerum ordinem maxime temporisque incredibiliter conturbant, quarum turbarum luculentum exemplum praebet elogium Q. Fabii Maximi. Quare errant omnino, qui ea referunt modo ad Verrium Flaccum modo ad ipsum Augustum; videorque potius in iis eandem manum mihi agnoscere a qua habemus tabulas Capitolinas (cf. chronolog. p. 116), semidocti quadratarii potius quam antiquarii, optimis fontibus usi sine iusta doctrina rerumque publicarum plena notitia.

XX rep. Pompeiis in foro; extat Neapoli in museo Borbonico.

A E N E A*s v e n*ERIS
ET ANCHISA*e filius troia*NOS
QVI·CAPTA·TR*oia et incensa s*VPER
*sr*ANT IN I*taliam adduxit*
M·S·V

*a*LB*a*
oppidum lavinium CON*didit et*
*ibi regnavit an*NOS·TRIS·I*nde*
*cum proelio fact*O·NON·CON
paruisset, dictus EST·INDIGENS
*et in deorum n*VMERO·RELATVS

Descripsi edidique post Avellinium I. N. 2188 (inde Henzen n. 5345).

De morte Aeneae antiquissimus auctor Cato (apud Serv. 4, 620 cf. 1, 259. 9, 745; p. 6 Jordan): *Turnus Mezentii auxilio renovavit proelium, qui idem victus est ab Aenea. Aeneas autem in ipso* (fortasse scr. *Aeneas autem finito*) *proelio non comparuit. Ascanius vero postea Mezentium interemit — — — Postea dictus est inter deos receptus, quem Iovem indigetem dixere.* Dionys. 1, 64: *μέχρις δὲ γενομένης καρτερᾶς — — τὸ Αἰνείου σῶμα φανερὸν οὐδαμῇ γενόμενον οἱ μὲν εἰς θεοὺς μεταστῆναι εἴκαζον* et q. s. — 10 *Indigens* pro *indiges* hoc solo loco reperitur, ni fallor ex fabrili errato, quamquam id defendit Schweglerus hist. Rom. 1, 328 n. 3; nam quod post vocalem longam saepissime vel omittitur vel inseritur *n* littera, non pertinet ad vocalem brevem nec raras esse in his elogiis einsmodi mendas supra notavi. — 11 in *deorum numero referre* similiter scripsit Cicero de n. d. 1, 12, 29.

XXI Praticae (Lavinii) in basi.

SILVIVS·AENEAS
AENEAE·ET·LAVI
NIAE·FILIVS

Vulp. vet. Lat. 6, 119 qui vidit et aere expressit; Nibby *analisi* 2, 237.

Post Ascanium regnum Albae suscepisse referunt Silvium Aeneae et Laviniae filium (ita enim auctores omnes uno excepto Livio 1, 3 collato Dione fr. 4, 10, qui errore suo Ascanii filium Silvium dixit, non Aeneae eamque ob causam iam a Servio reprehenditur ad Aen. 6, 760), hoc mortuo successisse Aeneam Silvium, deinde Latinum Silvium; de quo ordine consentiunt Livius, Diodorus, Dionysius, Appianus, omnes denique posteriores, nisi qui seriem imperfectam vel conturbatam exhibent ut auctor de origine gentis Romanae Barbarusque Scaligeranus. Primum vero illum Silvii nominis regem, quem reliqui auctores plerumque simplici gentilicio appellant, raro addito Postumi praenomine, in elogio appellari nomine tertii regis Silvium Aeneam si ex una parte inde commendatur, quod qui primus ordinem hunc confinxit Silviorum, eam legem et sequi debuit et praeterea videtur secutus esse, ut omnes Silvios faceret addito suo cuique praenomine vel cognomine, e contrario inde moleste accidit, quod post patrem Silvium Aeneam filius Silvius Aeneas in tali commento nequaquam videtur posse tolerari. At succurrit, qui in hoc laterculo referendo auctorem facile secutus est iis quos supra recensui omnibus antiquiorem, Ovidius; qui cum duobus locis eum referat (fast. 4, 35 sq.; metam. 14, 609 sq.), solus*) utrobique pro Silvio illo Aeneaque Silvio unicum habet inter Ascanium Latinumque interpositum Postumum Silvium Latini patrem. Unde crediderim has fraudes duplici origine ortas esse, scilicet primum, ut impleretur numerus annorum 432 vel deductis Aeneae tribus annorum 429, fictos esse reges tredecim, quorum cum singulis solito computandi more tertia saeculi pars adscriberetur, effectus est sic (13x33=429) summa quae requirebatur; eamque narrationem repraesentant Ovidius elogiumque Laviniense propter hanc ipsum causam non enuntians, quot annos regnarit Silvius Aeneas. Quae cum postea displicuisset, bipertito Silvio Aenea Aeneae filio postumo auctus est regum numerus, ut fierent quattuordecim, diversique facti regnorum anni summa manente.

*) Mythographus Vaticanus primus l. 3 §. 204 metamorphoseon librum exscripsit.

XXII reperta basi infixa Pompeiis in foro ante aedem q. d. Mercurii, extat Neapoli in museo Borbonico.

RÓMVLVS·MÁRTIS
*f*ILIVS·VRBEM·RÓ*mam*
*condi*DIT·ET·REGNAVIT·ANNOS
DVODEQVADRAGINTA·ISQVE
PRIMVS·DVX·DVCE·HOSTIVM
ACRONE·REGE·CAENINENSIVM
INTERFECTO·SPOLIA·OPIM*a*
IOVI·FERETRIO·CONSECRAV*it*
RECEPTVSQVE·IN·DEORVM
NVMERVM·QVIRINVS
APPELLATVS *est*

Descripsi et post Orell. 534=5053 aliosque edidi I. N. 2189.

Tralaticia omnia, nisi quod cum plerique Romulo adscribant annos XXXVII, elogii auctor addito anno interregno (vide chronol. meam p. 139) annos numerat XXXVIII, in quo praeter auctores aliquot minoris momenti (Plutarch. Rom. 29; Zonar. 7, 4) convenit cum chronographo a. 354 (p. 645 ed. meae) et maxime cum Diodoro (apud Euseb. 1, 392 Auch., unde pendent laterculi Eusebiani et inde descripti alii plerique), id est cum ipso Fabio. — 4 sq. de Acrone a Romulo interfecto (cf. Schwegler 1, 461) Livius et Dionysius tacent; sed Augustus cum in restituenda Iovis Feretrii aede ad spolia templi eius attendisset (Liv. 4, 19), et poetae (cf. Propert. 5, 10) et viri docti eius aevi (Fest. v. opima p. 186; Val. Max. 3, 2, 3) spolia illa opima celebrarunt. Unde etiam in fori Augusti gestis ea comparent.

XXIII tabula marmorea alta ped. Rom. 1⅓, lata unc. 14, rep. Arretii a. 1688 ad portam *Colcitrone* in muro quodam diruendo; extat Arretii in museo Bacci *Gori*.

M' · V A L E R I V S
VOLVSI · F
M A X I M V S
DICTATOR · A V G V R P R I M V S · QVAM *sic* u. c. 260.
VLLVM · MAGISTRATVM · GERERET
DICTATOR · DICTVS · EST · TRIVMPHAVIT
DESABINIS · ET · MEDVLLINIS · PLEBEM
DESACRO · MONTE · DEDVXIT · GRATIAM
CVM PATRIBVS · RECONCILIAVIT · FAE
NORE · GRAVI POPVLVM · SENATVS · HOC
EIVS · REI · AVCTORE · LIBERAVIT · SELLAE
CVRVLIS · L O C V S · IPSI · POSTERISQVE
ADMVRCIAI · SPECTANDI · CAVSSA · DATVS
EST · P R I N C E P S · INSENATVM · SEMEL
LECTVS · EST

Ritschl tab. XCVIA. Ed. Gori Etr. 2, 235 (inde Mur. 1801, 2, Orell. 535 additis emendationibus Henzenii qui vidit vol. 3 p. 52).

Res fabulave nota est, neque in eam ipsam inquiremus, sed quae in hoc elogio aperte ex vetustis annalibus excepto leguntur videbimus quomodo conveniant cum reliquis narrationibus ex eodem fonte ductis omnibus; quae res ad elogia haec recte aestimanda momentum non minimum habet. Et ut primum de nomine videamus, *M'. Valerius Volusi f. Maximus* in elogio legitur, *M'. Vol.....* in tabula triumphali ad a. 260, denique in consularibus fastis ad a. 298 huius filius sic scribitur: *M. Valerius M'. f. Volusi n. Maximus.* Similiter est Μάνιος Οὐαλέριος Οὐολούσου υἱός apud Dionysium 6, 69 eodemque praenomine apud eundem aliis locis 6, 23. 39. 57. 71. 77. 7, 54. Contra in libris Livianis 2, 30 legitur *M. Valerius Volesi f.* et in eodem praenomine consentiunt Cic. Brut. 14, 54; Oros. 2, 5; Plutarch. Coriol. 5; Zonar. 7, 14; unde plerique sibi persuaserunt in dictatoris huius praenomine annales dissentire et quem Marcum antiquissimi scripsissent auctores, eum recentioribus factum esse Manium (cf. Schwegleri hist. Rom. 2, 247). Mihi tamen eorum opinio magis probatur, qui quod in hoc praenomine variatur, non auctorum culpae tribuunt, sed librariorum. Nam primum cum in tali quaestione diiudicanda Latinorum librorum exceptis antiquissimis nulla sit auctoritas, Graecorum scriptorum eorum, qui Latinis voluminibus recentioribus et subinde corruptis usi sunt, non magna, inscriptionum autem summa, iam apparet lapides consentire in Manio, iis accedere Dionysium, ab altera parte praeter Livii Ciceronisque et Orosii codices recentiores omnes non stare nisi Graecos scriptores duos, qui ex Livio pendeant et facillime decipi potuerint lectione apud eum turbata. Accedit quod huius M'. Valerii saepius commemoratur frater Marcus cos. a. 249 omnino ab hoc distinguendus cum propter auctorum et maxime elogii de gesto a dictatore a. 260 consulatu silentium vel adeo contrarium testimonium, tum propterea quod Marcus scribitur cecidisse in pugna apud lacum Regillum a. 258; nam qui hunc eundem credunt ac dictatorem a. 260 et ad rem expediendam postea demum dictatorem ex Marco factum esse Manium, auctores fraudis insimulant praeter necessitatem. Itaque stemma Valeriae gentis saeculi tertii sive verum sive ita creditum hoc videtur fuisse, ex parte simile propositi a Borghesio in fastis 1, 57:

Volusus Valerius.

- *P. Valerius Vol. f. Poplicola*, cos. a. 245. 246. 247. 250, mortuus a. 251.
  - *P. Valerius P. f. Vol. n. Poplicola*, cos. 279. 294.
    - *L. Valerius P. f. P. n. Poplicola Potitus*, cos. a. 305.
  - *M. Valerius*, occisus a. 258. (Dion. 6, 12. 5, 64. ubi delenda sunt verba Μάρκον Οὐαλέριον et Ποπλίου et ἀδελφός).
- *M. Valerius Vol. f.*, cos. a. 249, occisus a. 258.
  - *M'. Valerius M. f. Volusi n.*, secundum quosdam dictator primus a. 253 (Liv. 2, 18. Fest. p. 198).
  - *L. Valerius M. f. Potitus*, quaestor a. 269, cos. 271. 284.*)
- *M'. Valerius Vol. f. Maximus*, dict. a. 260, mortuus a. 291.
  - *M. Valerius M'. f. Volusi n. Maximus*, q. a. 296 (Liv. 3, 25, ubi pro *Valeri f.* scrib. *Mani f.*), cos. a. 298.

Maximum appellatum esse dictatorem a. 260 ob discordias ordinum sedatas scribunt Cicero Brut. 14, 54, et Plutarch. Pomp. 13, ob res in bello gestas Zonar. 7, 14. — Dictatorem omnes eum appellant, augurem elogium solum, nisi quod probabiliter huc refertur, quod in peste a. 291 cum aliis claris viris M. Valerium augurem mortuum esse Livius (3, 7) scribit; nam huius nominis, id est Marci Maniive Valerii, clarus vir, qui diem obiisse possit a. 291, alius nullus innotuit neque quidquam tribuo Dionysio, qui dictatorem a. 260 appellat septuagenario maiorem (6, 44). — Ceterum versu quarto *primus* pro *prius* lapicidae error est. — Triumphasse M'. Valerium de Sabinis et Medullinis quod elogium scribit, conveniens est narrationi Dionysianae, nam etsi in rebus a dictatore illo gestis referendis Sabinos tantum commemorat (6, 42. 43) pariter ac Livius (2, 31), tamen paullo ante (6, 34) narravit eo anno Medullinos defecisse et cum Sabinis coniuravisse. — In plebis de sacro monte deductione, ordinum reconciliatione, fenoris liberatione similiter Dionysius nisi primas, tamen secundas fere post Agrippam Menenium partes tribuit M'. Valerio, quem et in deliberatione senatus inducit post Agrippam plebis causam tuentem (6, 58) et primum eum nominat inter legatos ad plebem de reconciliatione missos (6, 69) et primarium locum in ipsa reconciliatione ei adsignat (6, 71. 88) et fenus ut remittatur facit senatus nomine plebi pollicentem (6, 81; cf. Schwegleri hist. Rom. 2, 259). Contra Livius solo opinor brevitatis studio ductus in his rebus

*) M. f. hic scribitur apud Dionysium 8, 87, neque ob id solum reicienda fuit Borghesii opinio, qui Volusi f., P. M. M'. fratrem eum fuisse existimat, sed etiam propter aetatis rationes. — Quid statuendum sit de trib. mil. a. 339. 347. 350 C. Valerio L. f. Volusi n. Potito Voluso, nescio; certe non fuit Volusi principis huius gentis nepos propter aetatem.

narrandis et Valerii nomen plane suppressit et de fenore levato verbum nullum fecit. Quod legitur apud Ciceronem (Brut. 14, 54) fortasse solum (nam qui idem praeterea referunt citati a Schweglero 2, 246 videntur aut pendere ex Cicerone aut minus caute locuti esse) M'. Valerium dicendo sedavisse discordias dictatorem, non occurrit in elogio, quo loco Valerius fuerit dum ordines reconciliat omnino non significante. — Quae de loco in circo dato elogium habet, et apud Livium memorantur 2, 31: *super solitos honores locus in circo ipsi posterisque ad spectaculum datus, sella in eo loco curulis posita*, et apud Festum p. 344: *sellae curulis locus [M' Valerio Volusi f. Maximo dicta]tori posterisque [eius . . . . in circo pro]xime sacellum Mur[ciae . . . . datus est, unde despi]ciebant specta[cula]*. Quocum ut conferantur merentur Val. Max. 4, 4, 8: *sedecim eodem tempore Aeli erant, quibus una domuncula erat — et unus — fundus — inque Maximo et Flaminio spectaculi locus; quae quidem loca ob virtutem publice donata possidebant* et ad rem theatralem quod attinet E. Huebnerus *annali dell' Inst.* 1856 p. 55. 1859 p. 123. Praeterea autem comparanda sunt universa a Schweglero l. c. 2, 87 docte composita testimonia de publice tributis honoris causa genti Valeriae antiquissimo tempore domo loco in circo sepulcro. Teste Valerio Antiate (apud Ascon. p. 13) *Valerio Maximo* (scilicet dictatori a. 260) *inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio, cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est extra privatum aperiretur.* Idem post Antiatem huius narrationis antiquissimum auctorem multi rettulerunt nominibus causisque diversis. Ita M. Valerio cos. a. 249 propter res in bello gestas aedes illas tributas esse scripsit Varro (apud Ascon. l. c.) indeque Dionysius (5, 39) et Plutarchus (Poplic. 20). Eandem domum infra Veliam ad Vicae Potae in infimo clivo P. Poplicolae publice aedificatam esse adempta alia in summa Velia sita populo obnoxia Cicero (de har. resp. 8, 16) scribit et Livius (2, 7), quem ut solent recentiores plerique sequuntur (Ascon. l. c. Plutarch. Popl. 10). Denique utrique fratri Marco et Publio hunc honorem habitum esse Plinius (h. n. 36, 15, 112) auctor est. Locum in circo vidimus communi consensu ad Maximum referri. Contra de gentilicio Valeriorum sepulcro publico in foro item ad Veliam qui scripserunt Varronis assecla Plutarchus (q. R. 79; Popl. 23), Cicero (de leg. 2, 23, 58), Dionysius (5, 48), eius honoris originem a Poplicola repetere maluerunt. Quibus fabellis omnibus veri hoc solum inesse apparet fuisse inde ab antiquissima aetate genti Valeriae et domum et sepulcrum ad Veliam (cf. Servius ad Aen. 5, 64. 6, 152: *apud maiores omnes in domibus suis sepeliebantur*) et locum in circo intimo sella curuli insignem; quorum honorum causam indagantes homines varia et diversa excogitaverunt et ut cuique maxime placebat, ex tribus fratribus gentis auctoribus modo Publium modo Marcum modo Manium narratiunculis cohonestarunt. — Principem senatus Maximum lectum esse, in censu a. 289 opinor, praeterea non memoratur.

XXIV Romae pavimento superioris et subdialis ambulationis circa hemisphaerium Pantheonis insertum *Fabr.* similiterque *sched. Ambr.* et *Lig.*; nunc in museo Vaticano. Locum non indicat *Manut.*

l. a l b i n i u s . . . f
*cum hostes galli ob*IDERENT · CAPITOLIVM u. c. 364.
*virgines ve*STALES · CAERE · DEDVXIT
*ibi sacra at*QVE · RITVS · SOLLEMNES · NE
*intermitte*RENTVR · CVRAI · SIBI · HABVIT
*urbe recup*ERATA · SACRA · ET · VIRGINES
*romam rev*EXIT

Henzenus et Rossius descripserunt. Accursius ms. vol. 3 f. 51*b* (inde Mur. 491, 1); Manut. orth. 728 (inde Grut. 492, 7); Fabrett. de aquis p. 54 = inscr. 751, 584 (inde Orell. 537); Mur. 172, 4 ex Ligorio; Borghesi *Giorn. Arcad.* t. I (1819) p. 58 sq.; contulerunt Kellermannus apud Orellium anal. epigr. p. 35 et Henzenus vol. 3 p. 52. 495.

1 IDERENT Acc. Borgh. Henz. Rossi; male ADERENT Kell. — CAPITOLIVM Acc. idque comprobavit Rossius qui mea causa lapidem examinavit scalis admotis; CAPITOLIV reliqui. — 3 accentum notaverunt Acc. Rossi. — 5 ERATA plerique, OERATA Man., DERATA Acc., PERATA Rossi, qui adnotat primam litteram admodum incertam esse, accentum autem supra A conspici nullum, potius lapidem ibi casu scarifatum esse. — Supplementa fere sunt Niebuhriana (hist. Rom. 2 p. 606 n. 1201). Ad L. Albinium Fabrettius refert, Borghesius adstipulante Schweglero (hist. Rom. 3, 250) ad flaminem Quirinalem, quem cum virginibus onere partito sacra ex urbe extulisse refert Livius 5, 40. Mihi illa opinio magis probatur; nam quod opponit Borghesius Albinium 'de plebe Romana hominem' sacra facere non potuisse, verum quidem est, at hoc lapis minime dicit, sed providisse illum quisquis fuit ne sacra intermitterentur. Contra eius, cui haec memoria posita est, nomen celebre olim fuerit necesse est, quod non cadit in flaminem istum ne nomine quidem notum annalibus neque ullo singulari officio insignem. L. Albinium non sine specie veri Niebuhrius suspicatur eundem esse qui inter tribunos militum a. 375 numeratur L. dictus apud Diodorum (15, 51), etsi Livio (6, 30) appellatur M. Albinius. Conferendus praeterea est L. Albinus vel potius Albinius, quem Livius 2, 33 inter primos tribunos plebis nominat solus, nam ex Livio hausit Lydus de mag. 1, 44, quique praeterea eorum tribunorum nomina rettulerunt, etiam Asconius in Cornel. p. 76, L. Albinium praeterierunt.

XXV tabula alta centim. 28½, lata cent. 25. Romae in aedibus Iulii Thomaroti in regione S. Eustachii *Accurs.*; Romae apud Alexandrum antiquarium *Manut.*; postea Florentiae in museo Riccardiano, ubi est adhuc.

m. furius l. f. camillus
. . . .
. . . .
VEIOS · POST · VRBEM u. c. 364.
CAPTAM · COMMIGRA
RI PASSVS · NON · EST
ETRVSCIS AD · SVTRIVM u. c. 365.
DEVICTIS · AEQVIS · ET
VOLSCIS · SVBACTIS
TERTIVM · TRIVMPHA
VIT · QVART SE*vere in* u. c. 368.
VELITERN*os animad*
vertit . . . .

Detlefsenus descripsit mea causa. Exhibent Accursius ms. f. 48*b*; Manutius cod. Vat. 5253 f. 140; Gud. ms. 678, 2; Don. cod. Vatic. 7113 f. 76; Reines. 6, 43 e Lindenbrogianis; Gori Etr. 1, 96 (inde Mur. 1802, 1; Orell. 536).

Variam lectionem, quae nulla fere est, accuratum exemplum nactus abieci.

Ex elogio M. Furii L. f. Sp. n. Camilli, qui censor fuit a. u. c. 351, tribunus militum a. 353 (I). 356 (II). 360 (III). 368 (IV). 370 (V). 373 (VI), dictator a. 358. 364. 365. 386. 387, triumphavit a. 358. 364. 365. 387, non superest nisi exigua pars pertinens ad a. 364. 365. 368. Veios cives commigrare passus non est Camillus in dictatura secunda a. 364. Sequuntur quae gessit in dictatura tertia a. 365 plane eadem quae narrat Livius 6, 2—4 (inde Plutarch. Camill. 33. 34), nisi quod Livius inverso ordine post victos Volscos et Aequos subactos tertios Etruscos numerat ad Sutrium fusos. Diverse veroque propius Diodorus (14, 117) post captam urbem Gallosque pretio accepto domum regressos Volscos rebellasse scribit et adversus eos eodem anno 364 M. Furium dictatorem creatum Volscos et Aequos Sutriumque obsidentes Etruscos vicisse, denique ipsos Gallos redeuntes aggressum fudisse, de triumpho autem dubitari aliis dicentibus impeditum eum esse a tribunis, aliis actum de Etruscis. Gesta igitur secundum Livium in dictaturis secunda et tertia Diodorus conclusit in secundam omnia; in quo dissensu elogium contra Diodorum cum Livio facit, cum de Gallis taceat et triumphum de Volscis Aequis Etruscis tertium numeret. Nam cum triumphare nequeat nisi magistratus curulis, necesse est qui elogium scripsit non minorem dictaturarum numerum posuerit quam posuit triumphorum itaque quod de dictatura a. 364 narrat Diodorus, cum Livio et Plutarcho in duas dictaturas a. 364. 365 dispertierit. — 8 QVART significet oportet *quartum tribunus*, quamquam dura admodum est tribuni omissio et fortasse quadratarii culpae tribuenda. Ceterum in eo magistratu a. 368 Livius refert Camillum devicisse Volscos a Latinis Hernicisque adiutos et Etruscos ad Sutrium, ut annales videantur hoc loco anni 365 res gestas errore iteravisse; de Veliternis nulla memoria in iisdem superest, mussitasse tamen Latinos Hernicosque Livius scribit (6, 10) pauloque post Veliternos primo clam, mox aperte a Romanis defecisse (Liv. 6, 13. 21), quocum optime conciliatur, quod iam a. 368 dictator Romanus severe animadverterit in Veliternos. Quod qui scripsit, certo Veliternos cum Livio habuit pro civibus Romanis; nam si Latini fuissent, res ab eis repetitae essent, animadverti sic non potuisset. Re tamen coloniam eo deductam Latinam potius fuisse videri quam civium alibi (*röm. Münzwesen* p. 312 n. 67) docui.

XXVI est scriptum in quodam lapide marmoreo murato in quodam pariete sito prope domum Cecchi Rapilatii *Signor.*; elogium ex saxo fracto apud aedes cardinalis Reatini *Apian.*; in campo Martio in angulo cuiusdam domus trans aedem S. Machari *Anon. Hisp.*; prope palatium Capranicense *Maz.*; in venerandae antiquitatis fragm. retro palatium Capranicense *Urs. ms. Neap.*; in atrio aedium Vallorum *Aldus* 5253 f. 379; non procul a Pantheo e regione domus Capranicae fragm. marmoreum optima littera *Smet.*

CONSILIIS · PVBLICIS · CONSVLES
ANNVM · EXPLETVRVS APPII CLAVDII — u. c. 405?
MORTEM · EIVS · IVSTITIO · PER · CONSILIVM
OMNES · LVXERVNT · CENSVRAM
INSIGNIBVS · DECORATA · CVAM

Signorili n. 53 (Rossi *le prime raccolte* p. 84; sequor cod. Catan. Chis. Traiect.); inde pendent Ferrarinus f. 92 cod. Traiect. et Apianus 231, 1 (inde Orell. 538). Ex lapide Mazoch. f. 72 et Smet. 65, 13 (ex hoc Grut. 493, 2) q. v. Legitur praeterea apud Anon. Hisp. cod. Chis. f. 294 v. et in Ursini cod. ms. Neap. et apud Aldum cod. Vat. 5253 f. 177 = 5237 f. 177 qui vidit; item cod. 5253 f. 379 v. manu ignota. Mazochius et Smetius fracturas indicant versuumque distributionem servant. Quae extra lineam leguntur, apud eos desunt veniuntque a Signorilio solo. — 1 CON... Man. Smet. Ald. 5253 f. 177; COI Ald. 5253 f. 379, om. Ald. 5237 f. 177, CONSVLES Sign. Ferr., COS Ap. — 2 ANVM Ald. 5253 f. 177. — ANNVM · LX · EXPLETVRVS Ald. 5237 f. 177 solus. — EXPLETTVRVS Maz. — 3 TITIO pro IVSTITIO Ald. 5237 f. 177 solus; IVSTITIO om. Sign. et asseclae eius. — 5 DECORATAM QVAM Sign. Ap., DECORATAM · QVA · Ferr., DECORATA · CV reliqui nisi quod C\ Ald. 5253 f. 379.

Signorilius etsi titulum sine dubio nec plene legit nec bene, tamen quae eius consuetudo est, vix ex ingenio eum supplevit, maxime Ap. Claudii nomen non de suo infersit. Pertinet igitur elogium ad collegam consulis alicuius Ap. Claudii in ipso magistratu mortui; quod cum acciderit uni Ap. Claudio cos. a. 405, collega ille fuerit necesse est L. Furius Camillus dictator factus a. u. c. 404 (Liv. 7, 24; Zonar. 7, 25), consul anno sequente (Cic. Cat. 12, 41; Liv. 7, 24—27; Gell. 9, 11*), in quo magistratu mortuo collega Gallicum bellum solus extra sortem administravit et post singulare certamen inter M. Valerium postea Corvum dictum et Gallum provocantem Gallos dispersit (Liv. l. c.; Polyb. 2, 18 cf. 1, 6) nec tamen triumphavit teste tabula triumphorum hoc loco integra. Postea non memoratur; nam L. Furius dictator a. 409 (Liv. 7, 28) fuit potius eiusdem nominis consul a. 416. 429 ab hoc nostro omnino diversus. — Ut recte haec posuerimus, tamen quae in elogia scripta fuerunt neque ex lapide male habito et male descripto satis apparent neque ex iis qui hodie supersunt annalibus suppleri possunt. Videtur L. Camillus non multo post victoriam decessisse, quocum fortasse coniungendum est, quod comitiis consularibus habendis dictator praefuit (Liv. 7, 26) Camillo fortasse aegrotante quodque de pestilentia eo anno grassante annales scripserunt (Liv. 7, 27). Extrema spectant fortasse ad funeris censorii honorem Camillo habitum (cf. Polyb. 6, 53; Tac. ann. 4, 15).

*) Mira diversitate apud Diodorum 16, 59 huius anni consules dicuntur M. Aemilius, T. Quinctius. Apud Ciceronem quoque l. c. in quibusdam codd. pro Camillo est Aemilius.

XXVII in fragmento parvae tabellae, littera optima et antiqua, Romae apud Fulvium Ursinum *Grut.*; apud Feam *Fea*; nunc in museo Parmensi *Henzen* vol. 3 p. 52.

l. papirius sp. f. cursor
. . . .
BELLO · SAMNITIVM — u. c. 445.
CVM · AVSPICII · REPE
TENDI · CAVSSA · ROMAM
REDISSET · ATQVE · INTE
RIM · Q · FABIVS · AMB*ustus*
MAXIMVS · MAG*ister*
EQVITVM · IN · IV*ssu*
*eiu*S · PROELIO · C*on*
flixisset . . . .

Ectypon per Henzenum misit Lopez. Grut. 298, 4 a Gutenstenio (inde Orell. 540); Fea fast. p. XXXV n. 11. Quae minusculis adscripsi novicia quidem, sed ad ipsum lapidem adiecta Gruterus tanquam ex lapide protulit.

L. Papirius Sp. f. L. n. Cursor consul fuit quinquies a. 428 (nam qui hoc anno Mugillanum scripserunt pro Cursore Liv. 8, 23, et laterculis refelluntur ex tabulis Capitolinis excerptis et ipsis Cursoris consulatibus qui sequuntur). 434. 435 (cf. chronol. mea p. 112 n.). 439. 441, dictator bis a. 430. 445, triumphavit ter a. 430. 435. 445. Res nota est iisdemque fere verbis narrata a Livio 8, 30; hoc unum notandum Q. Fabium hunc et in Capitolinis tabulis et ab auctoribus reliquis omnibus appellari Q. Fabium M. f. N. n. Maximum Rullianum sive Rullum (Liv. 24, 9. 30, 26; cf. 8, 29 et Dio fr. 36 Bekk.) sine Ambusti cognomine quamquam paterno (nam pater eius fuit M. Fabius N. f. M. n. Ambustus cos. 394. 398) et fraterno (nam fratres eius fuerunt M. Fabius Ambustus mag. eq. a. 432 et C. Fabius M. f. N. n. Ambustus mag. eq. a. 439). Nisi forte dictator a. 433 Q. Fabius Ambustus (Liv. 9, 7) praeterea ignotus fuit ipse Q. Maximus Rullianus et cognomen ex vetustioribus annalibus hoc uno loco relictum effecit, ut diversus ab eo haberetur.

XXVIII tabula marmorea alta ped. Rom. 1 unc. 3, lata ped. c. 1, '*trovata in Arezzo sono intorno a XX anni mentre cavando fondamenti nella parte più alta della città*' *Borgh.* rep. Arretii a. 1555 in fundamentis propugnaculi S. Iohannis sub porta Colcitronis *Gori*, ubi in anno error est; nam a. 1551 iam titulum Florentiae apud Petrum Victorium exscripsit *Panvinius*; in marmore nuper in agro Arretino reperto et Florentiam translato *Man.* Hodie in museo Florentino.

APPIVS · CLAVDIVS
C · F · CAECVS
CENSOR · COS · BIS · DICT · INTERREX · III — cens. 442. cos. 447. 458.
PR · II · AED · CVR · II · Q · TR · MIL · III · COM
PLVRA · OPPIDA · DE · SAMNITIBVS · CEPIT
SABINORVM · ET · TVSCORVM · EXERCI
TVM · FVDIT · PACEM · FIERI · CVM · TYRRHO
REGE · PROHIBVIT · INCENSVRA · VIAM
APPIAM · STRAVIT · ET AQVAM · IN
VRBEM · ADDVXIT · AEDEM · BELLONAE
FECIT

Henzen descripsit. Panvin. fast. ad a. 467 q. v. (inde Smet. 163, 1; Grut. 389, 4); Manut. cod. Vat. 5237 f. 138 = orth. 761, 5; Borghini *discorsi* 1, 186; Augustinus dial. ed. 1587 p. 412; Gud. 373, 1; Gori Etr. 2, 237 (cf. Mur. 1801, 3) ex lapide (inde Orell. 539).

7 TYRRHO 'sic' Gori; TVRRO 'sic' Borghini; PYRRHO Aug. Gud. Henzen. — 10 AIDEM Gud. — BELLONA| Gori, BELLONE Gud.

Ap. Claudius C. f. Ap. n. Caecus censor fuit a. u. c. 442, consul a. 447. 458; de reliquis magistratibus ab eo gestis ex solo elogio constat, nisi quod a. 456 interrex fuit primus Livio (10, 11) teste alteriusque ab hoc diversi interregni anno non significato meminit Cicero (Brut. 14, 55), praetor denique, iterum opinor, factus est a. u. c. 459 (Liv. 10, 22. 24. 25). — 5 sq.: '*plura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit*' pertinent ad gesta eius in consulatu altero collega L. Volumnio. Livius etsi bellum eo anno in Samnio gestum et Murgantiam Ferentinum Romuleam oppida capta P. Decio consuli prioris anni, cui imperium prorogatum esset, adscribit, tamen in fine addit: *huius oppugnatarum urbium decoris pars maior in quibusdam annalibus* (Fabii?) *ad Maximum trahitur: Murgantiam ab Decio, a Fabio Ferentinum Romuleamque oppugnatas tradunt. Sunt qui novorum consulum hanc gloriam faciunt, quidam non amborum, sed alterius L. Volumnii; ei Samnium provinciam evenisse.* Ex quattuor his narrationibus elogium sequi apparet tertiam. Ingravescente mox bello in Etruria eodem Livio (10, 18) teste Ap. Claudius cum duabus legionibus eo missus est et post varia certamina a L. Volumnio collega adiutus Etruscos perculit. Samnites Gellio Egnatio duce una cum Etruscis pugnasse idem tradit; de Sabinis tacent omnes praeter elogium et Victorem vir. ill. c. 34: *Sabinos Samnites Etruscos bello domuit.* — Orationem, quam habuit a. 475 adversus Cineam, nemo ignorat. — De via Appia aquaque factis a. u. c. 442 sq. item res pervulgata est neque minus obscura aedis Bellonae dedicatio, quam vovit cos. II a. u. c. 458 (Liv. 10, 19; Ovid. 6, 203; Plin. h. n. 35, 3, 12; Becker topogr. p. 606).

XXIX tabula marmorea alta ped. Rom. 1 unc. 7, lata p. 1. — Ipso decimo quarto saeculo titulum hunc eruditis viris notum fuisse Gorius I. E. 2, 264 sq. inde ostendit, quod sub imagine Iohannis Acuti mortui a. 1393 picta a Paulo Uccellio († 1432) verba adscripta sunt ex hoc titulo petita: 'dux aetatis suae cautissimus et rei militaris peritissimus habitus est'; idque inde confirmatur, quod vel in duabus antiquissimis epigrammatum Latinorum syllogis Signoriliana scripta ante a. 1389 et Poggiana duo haec elogia inveniuntur deinceps in nulla fere paullo pleniore scripta editave desiderata. — Arretii in basilica collocant *Poggius* et sylloge *Rediana* scripta a. 1474, item cod. *Capponianus* (Gori l. c. p. 261) aliique posteriores; locum verum esse evincit reliquorum similium elogiorum ibidem inventorum consensus, quamquam de basilica quod traditur, fortasse erratum est librariorum debuitque esse, quod in titulo C. Marii n. XXXII habet codex Gaddianus, non *in basilica*, sed *in basi*, statuae scilicet. — Petrus Victorius repperit in agro Florentino hanc inscriptionem in quodam marmore plus minus pedem longo, lato dimidium habetque domi, cuius exemplum Iacobi f. manu mihi dedit 1545' *Metellus* (ad Mazoch. cod. Vat. 8495 apud Rossium *le ant. racc.* p. 72). A. 1551 Florentiae apud Victorium vidit *Pancinius*. Hodie est Florentiae in museo publico. — Errore ex nota male intellecta *Ar.* orto collocat Arimini *Signorilius*, qui error inde propagatus est in plerosque libros inscriptionum saeculorum XV. XVI. 'Arretii et Arimini' *Cenninius* ms. n. 18, scilicet ex duplici fonte hauriens, Poggiano et Signoriliano. — Florentiae in theatro cum statuae capite effossam scribit *Borghinius*, omnino errore. — Sine loco, sed inter epigrammata urbis posuit *Mazochius*. — Propter turbas has in loco adscribendo commissas plerique de pluribus tituli exemplis cogitaverunt, quod sine causa factum est neque ullum umquam a recentioribus visum praeter Arretinum olim, hodie Florentinum.

q · f a b i u s
Q·F·MAXIMVS

DICTATOR · BIS · COS · V · CEN	cos. 521. 526. 539. 540. 545.
SOR · INTERREX · II · AED · CVR	cens. 524.
Q · II · TR · MIL · II · PONTIFEX · AVGVR	
PRIMO · CONSVLATV · LIGVRES · SVBE	u. c. 521.
GIT · EX · IIS · TRIVMPHAVIT · TERTIO · ET	u. c. 539. 540.
QVARTO · HANNIBALEM · COMPLVRI	
BVS · VICTORIS · FEROCEM · SVBSEQVEN	
DO · COERCVIT · DICTATOR · MAGISTRO	u. c. 537.
EQVITVM · MINVCIO · QVOIVS · POPV	
LVS · IMPERIVM · CVM · DICTATORIS	
IMPERIO · AEQVAVERAT · ET · EXERCITVI	
PROFLIGATO · SVBVENIT · ET · EO · NOMI	
NE · AB · EXERCITV · MINVCIANO · PA	
TER · APPELLATVS · EST · CONSVL · QVIN	u. c. 545.
TVM · TARENTVM · CEPIT · TRIVMPHA	
VIT · DVX · AETATIS · SVAE · CAVTISSI	
MVS · ET · RE · MILITARIS · PERITISSIMVS	
HABITVS · EST · PRINCEPS · IN · SENATVM	
DVOBVS · LVSTRIS · LECTVS · EST	

Henzen descripsit. Signorili n. 38 apud Rossium p. 70 (unde pendent Tonini Rim. p. 358 ex cod. Rigazziano et Bovio; Mazochi f. 18; Apian. 157, 2; Osann p. 526 ex cod. Paris. 4833); aliunde Poggio n. 73 apud Rossium p. 168; Panvin. fast. ad a. 524 q. v. (inde Smet. 163, 2); Manut. orth. 382, 1; Borghini *discorsi* (Flor. 1583) 1, 185; Augustinus dial. ed. 1587 p. 419 ex Panvinio ut videtur; Grut. 406, 7 ex Onufrio et Borghinio aliisque; Gorius Etr. 2, 241 (inde Orell. 541; cf. Mur. 1801, 4).

Variam lectionem antiquorum exemplorum referre opus non est; hoc noto, ut dignoscantur exempla a Signorilio derivata, legi in omnibus iis v. 12 ADAEQVAVERAT · EXERCITVI vel EXERCITV. — Supra fractam esse adnotavit nemo. — In vv. div. secutus sum Henzenum. — 2 *cvll* Henzen. — 4 II post MIL om. Borgh. — 18 RE Borgh. 'sic' Gori (cf. p. 259).

Q. Fabius Q. f. Q. n. Maximus Verrucossus scribitur in tabulis Capitolinis; secundum cognomen Verrucossi, ut item in avo Rulliani (cf. n. XXVII), elogia haec ignorant videnturque ea agnomina fuisse mere personalia nec nisi aetate imperatoria discriminis causa in sollemnem usum admissa. Dictator II fuit a. 537, ubi de iteratione et Capitolinae tabulae testantur et Livius (22, 9); de priore dictatura non constat nisi intra triennium a. 533. 534. 535 eam collocandam esse, nam his exceptis huius aetatis fasti integri supersunt nec dictaturam illam agnoscunt (cf. Pighius ann. 2, 132). Eodem fortasse pertinent quae narrat Valerius (1, 1, 5): *occentus soricis auditus Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam praebuit*, quamquam Plutarchus (Marc. 5) eandem rem narrans dictatorem appellat Minicium neque hodie scitur, uter auctorum erraverit. De altera huius dictatura ita Livius (22, 31): *omnium prope annales Fabium dictatorem adversus Hannibalem rem gessisse tradunt, Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit; sed et Coelium et ceteros fugit uni consuli Cn. Servilio, qui tum procul in Gallia provincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris; quam moram quia expectare — civitas non poterat, eo decursum esse, ut a populo crearetur qui pro dictatore esset; res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentes titulum imaginis posteros ut qui pro dictatore [fuisset, dictator] crederetur, facile obtinuisse.* At ipse eam rem antea sic narrarat (22, 8): *quia et consul aberat, a quo uno (dictator) dici posse videbatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteras mitti**), *quod numquam ante eam diem factum erat dictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum et magistrum equitum M. Minucium Rufum.* Dictatorem eum item dicunt cum reliqui auctores tum Polybius (3, 87) et elogium; nec dubium est hanc esse ab antiquo traditam appellationem, de qua Augustae aetatis periti viri, eo severiores

*) Eieci ineptam glossam, quam libri inserunt petitam ex c. 31: *nec dictatorem populus creare poterat.* Vulgata emendatio *prodictatorem populus creavit* vel hoc nomine reicienda est, quod Rufus magister equitum appellatur, non pro magistro.

iuris publici facti exactores, quod res publica ipsa nulla iam superarat, cum dubitare coepissent, Livius, ne ab istis reprehenderetur, nota illa non alios magis quam se castigavit. Simili ratione in fastis Capitolinis Maximus dictator quidem dicitur nec tamen ut debuit *rei gerundae*, sed *interregni caussa*, quod si quid video absurdum est et plane perversum, neque enim tum interregnum fuit consule vivo et si fuisset, sane non propter id locus fuit dictatori. — Consul fuit quinquies a. 521. 526. 539. 540. 545, censor a. 524. — Praetorem eum non fuisse notatu dignum est; nam confirmatur inde certum ordinem magistratuum ea aetate nullum fuisse. — Interregnorum Q. Fabii auctores quos habemus nullum memorarunt; neque omnino per totam Fabianam aetatem constat nisi de interregno uno (cf. chronol. mea p. 102 sq.) a. 537/8, cuius duos interreges neque in his Q. Fabium recenset Livius (22, 33. 34). Praeterea vero a. 546/7 consule utroque in magistratu defuncto, licet superesset ab altero eorum dictus dictator, tamen putaverim interregem creandum fuisse tumque inter alios interregem proditum esse Q. Fabium nihil vetat. — De magistratibus minoribus a Q. Fabio gestis hodie ex uno elogio constat; nam Q. Fabius aedilicius qui ob pulsatos legatos Apolloniatibus deditus est c. a. n. c. 485 (Val. Max. 6, 5, 5 al.), certe diversus est. — Pontificem fuisse Fabium Livius scribit inde ab a. 538 (23, 21) ad a. 551 (30, 26) eundemque idem tradit per duos et sexaginta annos (490—551) fuisse augurem (Liv. l. c.; Val. Max. 8, 13, 3 ex Livio; Plin. h. n. 7, 48, 156 ex Val. Max.) — Quae sequuntur tralaticia sunt neque iis immorabimur. Hoc notandum res non solum male inverti ab elogii auctore consulatibus tertio et quarto praepositis dictaturae, sed etiam de illis praedicatam cautam cunctationem proprie pertinere ad dictaturam. — 10 M. praenomen excidit opinor inter duplicem M ut iterum v. 18 scriptor peccavit RE scribens pro REI. — Principem senatus Q. Fabium lectum esse primum a. 545 neglecta cousuetudine eius legendi, qui ex iis qui viverent primus censor fuisset et praeterito censore a. 523 tum adhuc superstite C. Manlio Torquato Livius refert (27, 11). Iterum lectus a sequentibus censoribus a. 550 (Liv. 29. 37) paulo post diem obiit.

XXX marmorea tabula alta ped. Rom. 1 unc. 11, lata unc. 13. Arretii in foro maiore *Don.* in parastata xysti maioris plateae *Gori.*

L · AEMILIVS
L · F · PAVLLVS
COS · II · CENS · INTERREX · PR · AED — cos. 572. 586. cens. 590.
CVR · Q · TR · MIL · TERTIO · AVG
LIGVRIBVS · DOMITIS · PRIORE
CONSVLATV · TRIVMPHAVIT
ITERVM · COS · VT · CVM · REGE
perse BELLVM · GERERET · AP*u*
*pulo fa*CTVS · EST · COPIAS REGI*s*
*in dieb*VS · QVIBVS *mace*
doniam obtinuit su DELEVIT
regemque cum filiis CEPIT

Ritschl tab. XCVI B. Exhibent Don. cod. Vat. 7113 f. 39; Gori Etr. 2, 244 (inde Mur. 1801, 5; Orell. 542); Pococke 76, 2.

In tabula quae non dignoscuntur, sed sunt apud Gorium et Pocockium, addidi litteris inclinatis. — 8 SE REMVM GERERET AR Poc. — 9 CORIAS REGIS Poc. — 10 QVIBVS MAC Poc., QVIBVS . . AC Gori. — 11 DEI Gori, PII Poc. — 12 SCEI Gori, OPT Poc.

L. Aemilius L. f. M. n. Paullus consul fuit a. 572. 586, censor u. c. 590, praetor u. c. 563 (Liv. 35, 24. 36, 2. 37, 46. 57), aedilis curulis u. c. 562 (Liv. 35, 10. 39, 56. Plutarch. Paul. 3), denique augur (Plutarch. Paul. 3). Idem supra n. *I* scribitur *co[s. II] cens. augur.* De interregno, quaestura, tribunatibus tribus aliunde nihil comperimus. Reliqua vulgaria sunt. V. 10 supplevi ad Diodorum exc. Vat. p. 94: *ἐν Δελφοῖς καλλιερήσαντα τῷ θεῷ μετὰ πέντε ἡμέρας εἰς Μακεδονίαν γενέσθαι καὶ παραλαβεῖν τὰς δυνάμεις, ἐν ἡμέραις δὲ ταῖς ἁπάσαις πεντεκαίδεκα βιάσασθαι τὰ στενὰ κατὰ τὴν Πέτραν καὶ παρατάξασθαι καὶ νικῆσαι Περσέα.* Eadem fere Livius 45, 41 (inde Plutarch. Aem. 36) et Appianus Maced. 19, ex Polybio omnes.

XXXI in tabula marmorea. Elogii fragmentum esse agnovit qui vidit Brunnius. Reperta Arretii extat ibi in museo.

*ti. s*EMPRONIVS P F — cos. 577. 591.
GRACCVS

Ritschl tab. LIV B. Vidit Brunnius. Ed. Gori 2, 234 (inde Mur. 1743, 6. 1801, 1).

XXXII 'litteris optimis et grandibus et pulcherrimis. Tempore Pomponii Laeti inter Augustam [i. e. mausoleum Augusti in campo Martio extremo] et ecclesiam S. Thomae in vinea fratrum S. Mariae de populo positam effossa fuere multa marmora cum statuis et columnis dirutis cum lapide marmoreo et semidiruta inscriptione hac . . . . Quem lapidem vidi in Quirinali in aedibus Pomponii Laeti a lapicida quodam Flor. emptum auctore Andrea Fulvio Praenestino viro doctissimo Pomponiique amicissimo auditore' *Albertinus;* idem coniectura addit stetisse epigramma olim in arcu C. Marii sive eo, qui vulgo dicatur arcus Domitiani [i. e. in arcu qui fuit M. Aurelii, Nibby Rom. 1, 471, Becker top. p. 598] sive in altero ei vicino. — Romae in aedibus Pomponii Laeti *Panv. Smet.* Nunc Neapoli in museo publico.

VGVR · TR · MIL · EXTRA
VGVRTHA · REGE · NVMID
TRIVMPHANS · IN
· ANTE · CVRRVM · SVVM
NSVL · APSENS · CREATVS
ONORVM · EXERCITVM
IMBROS · FVGAVIT · EX · IEIS · ET
HAVIT · REM · P · TVRBATAM

Descripsi. Ediderunt Franc. de Albertinis de mirabilibus Romae (Romae 1510) quat. P. f. 1, Panviu. fast. a. 647, Smet. 65, 4 (inde Grut. 436, 2) q. v., Augustinus dial. ed. 1587 p. 391, denique dedi ego I. N. 6802. Mazochianum exemplum f. 5 (inde Grut. 436, 3) ex Romano fragmento tituloque Arretino Albertini opera coniunctis fluxisse demonstravit Rossius *le prime raccolte* p. 73, sed iniuste, ni fallor, fraudis accusavit Albertinum, qui post ea quae supra relata sunt sic pergit: '*Fragmenta cuius repperi in alio loco; ex quo facile coniecturam facio illius dictionis* [v. 5 in. Romani fragmenti, ubi Alb. legit SVL] SVL *non pro Sylla, ut Pomponio placet, cui fragmenta erant incognita, sed pro* CON *dictione, salvo semper iudicio aliorum. Nullum unquam reprehendi auctorem nec Pomponium ipsum, cui gratias infinitas ago, reprehendo, qui dixit: 'Sullam non Syllam scribere debemus': in qua opinione semper ante fragmenti reperti notitiam fui. Litterae fragmentorum hae sunt.* In quibus versuum divisionem restitui, qualem voluit Albertinus, a typothetis quibusdam locis pessumdatam.

C. Marii. C. Marius
Cos. VII. TR · PL · Q · A
Urbem cum
Cos gestis cum cepit
in secundo consulatu
duci iussit. III. Con.
IIII. Consul. Theuto
delevit. V. Consul C
Theutonis iterum triump
Seditionibus ex. P. L. et praetor. V. Q. armati.
Capitolium occupaverunt. VI. Consul vindicavit
post. lxx. annum. patria per arma civilia pulsus
armis restitutus. VII. Consul factus est de manubiis
Cimbricis et Theutonis.

Erant et alia fragmenta, e quibus nil certi comprehendere potui. Scilicet extremam partem non intellexit Albertinus propterea, quod vocabulum FECIT exciderat in exemplo Signoriliano ab Albertino usurpato. *Quas quidem litteras per ordinem in epitaphiorum opusculo connectam.* Quod mox praestitit in sylloga quae dicitur Mazochiana, cuius editorem fuisse Albertinum Gorius (Etr. 3 p. XXIII) dudum demonstravit hodieque notum est. Iam non dicit Albertinus, quod si dixisset, sane falsi merito condemnaretur, 'fragmenta' illa petita esse ex lapidibus Romae sibi visis, sed simpliciter alio loco ea se reperisse, scilicet in epigrammate Arretino apud Signorilium lecto. Quo invento apparet eum ad marginem exempli ex fracto Romano lapide excepti quae in Arretino praeterea legebantur adscripsisse eaque sic edidisse confusa quidem et corrupta sive sua culpa sive descriptorum typographorumve neglegentia, ut tamen consilium satis appareat neque, quod nostra vel maxime interest, fraudis ulla suspicio remaneat apud antiquum et optimum auctorem.

XXXIII Arretii in basi statuae C. Marii; in statua C. Marii haec scripta sunt litteris antiquissimis *cod. Gadd.* Arretii in basilica *Poggius cod. Vat. et ex codd. Rediano et Capponiano (cf. p. 261) Gorius.* Arimini *Signorili* quique eum sequuntur, male omnino; titulus enim quem Signorilius cum asseclis ad hunc adsuit M. Ulattii, adhuc extat Arretii (v. Gori 2, 264). Post Poggium nemo lapidem vidit.

c. marius c . f
COS · $\overline{VII}$ · PR · TR · PL · Q · AVG · TR · MILITVM · EXTRA — cos. 647. 650—654. 668.
SORTEM · BELLVM · CVM · IVGVRTA · REGE · NVMIDIAE
COS · GESSIT · EVM · CEPIT · ET · TRIVMPHANS · IN
SECVNDO · CONSVLATV · ANTE · CVRRVM · SVVM
DVCI · IVSSIT · TERTIVM · COS · ABSENS · CREATVS
EST · $\overline{IIII}$ · COS · TEVTONORVM · EXERCITVM
DELEVIT · $\overline{V}$ · COS · CIMBROS · FVDIT · EX · ILLIS · ET
TEVTONIS · ITERVM · TRIVM*pharit* · REM · P · TVRBATAM
SEDITIONIBVS · TR · PL · ET · PRAETOR · QVI · ARMATI
CAPITOLIVM · OCCVPAVERVNT · $\overline{VI}$ · COS · VINDICAVIT
POST · LXX · ANNVM · PATRIA · PER · ARMA · CIVILIA · EXPVLSVS
ARMIS · RESTITVTVS · $\overline{VII}$ · COS · FACTVS · EST · DE · MANVBIIS
CIMBRIC · ET · TEVTON · AEDEM · HONORI · ET · VIRTVTI
VICTOR · FECIT · VESTE · TRIVMPHALI · CALCEIS · PATRICIIS
in senatum venit

Duo extant exempla Signorilianum (Rossi n. 39) et Poggianum (Rossi n. 74), quorum illud sincerum exhibent codices Catanensis, Chigiani duo melior I, VI. 204 et alter I, V 168, Ottobonianus 2970, Traiectinus, Rigazzianus, huius veram incorruptamque formam cognovi ex codicibus Vatic. 9152 f. 36 et Gadd. plut. 90 sup. 65 f. 96 *b* (unde non satis accurate edidit Bandinius cat. vol. VI p. 649). Reliqua exempla praetermisi omnia utpote contaminata fere et incerta neque novi et boni quidquam afferentia; pendent autem pleraque magis ex Signorilio. Ita in cod. bibl. Angelic. D. 4. 18. in quo syllogas Signorilianam et Poggianam extare coniunctas Rossius observavit, titulus hic legitur secundum Signorilium paucis adsumptis vel pro v. l. adscriptis ex Poggio. Ab Albertini exemplo supra commemorato, quod olim male commendavi, cavendum esse recte monuit Rossius; nam non est nisi ipsum Signorilianum ad fragmentum eiusdem tituli Romanum interpolatum. Nec meliora sunt exempla Michaelis Regiensis f. 72 cod. Traiect.; Apiani 157, 1; Osanni p. 527 ex cod. Paris. 4833, alia. Contra ad Poggianum exemplum magis accommodavit se Gorius Etr. 2, 248 (inde Orell. 543; cf. Mur. 1801, 6), secutus scilicet codicem Redianum, nec tamen alterius generis exempla plane praetermisit. Ego dabo Signorilianam lectionem secundum codd. Catanensem Chigianum meliorem (spreta quae in hoc adscripta est a manu recenti v. l. ex coniectura magis petita quam ex Poggiano exemplo) Traiectinum, Poggianam secundum codd. Vaticanum et Gaddianum, quorum quinque exemplorum plenam et certam notitiam mihi paravi. Versuum distributio cum prorsus incerta sit, commodum visum est fragmentum Romanum quatenus licuit sequi. — 1 C · MARTIVS · C · F Pogg. cod. Vat., C · MARIVS (om. C · F) cod. Gadd., GAIVS (CAIVS Trai.) MARIVS (om. C · F) Sign., ex supplemento opinor omnes. — 2 CONSVL Gadd. semper. — TR · Pogg., TRIBVNVS Sign. — QVESTOR (om. AVG) Gadd. — 3 NVMIDIE Gadd. — 4 COS (CONSVL Gadd.) GESSIT Pogg., VVOS · GESTIS Cat. Chig., QVOS · GESTIS Trai. et ita fere reliqua exempla Signoriliana, COS · GESTIS Albert. in mirab., VEL · PROCOS · GESSIT idem in epitaph., ex interpolatione. — COEPIT Gadd. — ET om. Sign. — 5 IOVIS · AVTEM ante SECVNDO inserit Albertinus in epitaphiis, nescio unde quove consilio; a mirab. abest. — CONSOLATV Chig. — 7 QVARTVM Gadd. — CIMBROS · FVDIT ante TEVTONORVM inserit Poggii cod. Vat. (non Gadd.), quod neque cum rerum memoria convenit nec cum spatii ambitu testato ex marmore Romano. — TEOTONORVM, item 9. 14 TEOTONIS Sign.; THEVTHONORVM Gadd. — 8 V · COS · Trai. solus; Q · COS Cat. Chig., COS (om. V̄) Pogg. Vat., QVINTVM · COS Gadd. — EX · ILLIS Sign. Gadd., EX · II Pogg. Vat., EX · IEIS Romanus lapis. — 9 EOTONIS Trai. — TRIVM ex Pogg. Vatic., ex Signorilianis Trai.; TRIVMPHANS Cat. Chig., TRIVMPHAVIT Gadd. — REM · P · Trai., REM · PVB · Pogg. Vat., REGEM · P · Pogg. Gadd., REM · PVBLICAM Cat. Chig. — 10 SEDICTIONIBVS Trai., SEDICIONIBVS Gadd. — ET om. Chig. — PRAETOR · Pogg. Vat. (om. Gadd.), PRAETOR · V · Sign., quod videtur ortum ex *praetorū*. — 11 OCCVPAVERVNT antiqui omnes nisi quod OCCVPANT Gadd.; OCCVPAVERANT recens em. in Chig. et Albert. in epitaph. — V̄I (SEXTVM Gadd.) COS Pogg. et ex Signorilianis Traiectinus; om. Cat. Chig. — VINVINDICAVIT Gadd. — 12 SEPTVAGESIMVM Gadd. — EXPVLSVS Pogg., PVLSVS Sign. — 13 RESTITVS Chig. — SEPTIMVM · CONSVL Pogg. Gadd., VI · COS Pogg. Vat. — MANVBRIIS Gadd. — 14 CIMBRIS · ET · TEVTON (THEVTHONIS Gadd.) Pogg., CIMBRICIS · ET · TEOTONIS Sign. — EDEM Gadd. — 15 ET · VICTOR Pogg. — KZ pro CALCEIS Gadd. — PATRICEIS Pogg. Vat., PATRICIIS Pogg. Gadd. Trai., PATITIIS (sic) Cat. Chig., PVNICEIS Albert. male emendans. — In fine addunt Signoriliana exempla (Poggius non habet abiecitque Albertinus) MVLATIVS ME FECIT, scilicet lapidem Arretinum alium ab hoc diversum editum a Gorio 2, 264 et apud Ritschelium incisum tab. LIV c:

M · VLATTIVS · M · F

C. Marius C. f. consul fuit septies u. c. 647. 650—654. 668, praetor u. c. 639 (Cic. de off. 3, 20, 79 al.), tribunus plebis u. c. 635 (Plut. Mar. 4), tribunus militum a populo (Sallust. Iug. 63), denique augur (Pseudo-Cic. ad Brut. 1, 5, 3). De quaestura auctores quos habemus non tradiderunt. Eundem honorum laterculum exhibet inscriptio Cereatina supra p. 277 relata, nisi quod ibi male auguratus inseritur inter quaesturam et tribunatum. Aedilitatem frustra eum petivisse, quod scriptores referunt (Cic. pro Planc. 21, 51; Plutarch. Mar. 5), iidem lapides confirmant. — Gesta pleraque nota sunt. Quod in primo consulatu bellum Iugurthinum gessisse dicitur extra sortem, significat provinciam Numidiam datam ei esse plebiscito Manlio neque obstare locum Sallustii Iug. c. 73 nuper docui in hist. Rom. ed. 3 vol. 2 p. 150 n. — 10 Significari L. Appuleium Saturninum tr. pl. et C. Servilium Glauciam praetorem nemo ignorat nec ferri potest lectio exempli Signorilio oblati *praetorum*. — 12 *post LXX annum* consulem Marium factum esse elogium scribit; similiter Plutarchus (Mar. 41): ὑπὲρ ἑβδομήκοντα γεγονὼς ἔτη (cf. c. 45: ἔτη ἑβδομήκοντα βεβιωκώς). — 13 aedes Honoris et Virtutis de manubiis Cimbricis Teutonicisque a C. Mario facta aliquoties commemoratur videturque fuisse in Capitolio (cf. Becker Top. 1, 405 sq. cf. p. 539). Eandem praeterea Victoriae consecratam fuisse quoniam nemo auctorum innuit, deserenda fuit lectio Poggiana *et Victor(iae)* retinendaque Signoriliana quamquam paullo durior. — 15 Liv. ep. 67: *Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat.* Plutarch. Mar. 12: μετὰ δὲ τὴν πομπὴν ὁ Μάριος σύγκλητον ἤθροισεν ἐν Καπετωλίῳ καὶ παρῆλθε μὲν — ἀγροικότερον ἐν τῇ θριαμβικῇ κατασκευῇ, ταχὺ δὲ τὴν βουλὴν ἀχθεσθεῖσαν αἰσθόμενος ἐξανέστη καὶ μεταλαβὼν τὴν περιπόρφυρον αὖθις ἦλθεν. Id ipsum potest hoc loco perscriptum fuisse; quamquam non absurde coniecit Gorius (2, 253), quod tributum esse traditur L. Aemilio Paulo (Vict. 56) et Cn. Pompeio (Vell. 2, 40), ut ludis circensibus habitu triumphali assiderent, similiter Mario concessum esse idque hic intellegendum. Altera utra opinione probata statuendum erit calceos patricios (nam puniceos ab interpolatore proficisci vidimus) coniunctos esse cum habitu triumphatorum, quorum de calceamentis praeterea ni fallor notitia nulla ad nos pervenit; similiter in lege Bantina (v. 4 supra p. 45 cf. p. 47) iunguntur cum praetexta soleae. Commemoratur calceus patricius apud Fest. p. 142: *mulleos genus calceorum aiunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii sunt usi* et Senecam de tranq. an. 11, 9, qui in insignibus dignitatis numerat *praetextam et augurale et lora patricia* et Zonar. 7, 9 p. 32 Pind. de plebeiis: τοῦ χρόνου προϊόντες πλὴν τῆς μεσοβασιλείας καὶ τινων ἱερωσυνῶν τῶν ἴσων μετεῖχον τοῖς εὐπατρίδαις καὶ διέφερον ἄνευ τῶν ὑποδημάτων οὐδέν· τοῖς γὰρ εὐπατρίδαις τὰ ὑποδήματα ἀστικὰ καὶ τῇ τε ἐπαλλαγῇ τῶν ἱμάντων καὶ τῷ τύπῳ τοῦ γράμματος ἐκεκόσμητο, ἵν' ἐκ τούτων δοκεῖν ἀπὸ τῶν ἑκατὸν ἀνδρῶν τῶν κατ' ἀρχὰς βουλευσάντων κατιέναι. Cf. Lydus de mag. 1, 17 et Beckerus in Gallo 3, 133. Omnino mulleus senatorum et magistratuum patriciorumque in summa re idem videtur fuisse totusque diversus a calceo privatorum; scilicet ut a toga communi differt toga senatorum magistratuumque triumphaliumque virorum adsumpta purpura, ita mulleus ruber fuit, calceus niger albusve. Praeterea vero ut senatores in toga clavum habebant e purpura, magistratus praetextam, triumphatores togam ex auro et purpura totam, ita mulleum senatorium minus insignem fuisse arbitror solea magistratuum, denique corrigias lunulamque eboream non permissas esse nisi patriciis solis.

XXXIV tabula marmorea alta ped. Rom. 1 et unc. 13, lata p. 1, rep. Arretii a. 1688 iuxta portam *Colcitrone* in muro quodam diruendo, extat ibidem in museo Bacciano *Gori*.

L · LICINIVS · L · F ·
LVCVLLVS ·
COS · PR · AED · CVR · Q · — cos. u. c. 680.
TR · MILITVM · AVG ·
TRIVMPHAVIT · DE · REGE · PONTI · MITHRIDATI///
ET · DE REGE ARMENIA · E · E TIGRANE MAGNIS · — sic
VTRIVSQVE REGIS COPIIS CONPLVRIBVS PRO
ELIS · TERRA · MARIQVE · SVPERATIS · CONLE
GAM · SVVM · PVLSVM · A · REGE · MITHRIDA///
CVM · SE · IS · CALCHADONA · CONTVLISSET
OPSIDIONE · LIBERAVIT

Ritschl tab. XCVI c. Ed. Gori 2, 255 non recte (inde Mur. 1801, 7 et Orell. 545).

L. Licinius L. f. L. n. Lucullus consul fuit a. u. c. 680, praetor a. u. c. 677 (Drumannus hist. Rom. 4, 124), aedilis curulis a. u. c. 675 (Drumannus l. c. p. 123), quaestor c. a. 666 (Drumannus l. c. p. 124); de tribunatu et auguratu apud scriptores silentium est. Gesta notissima sunt neque quidquam notandum praeter formam plane Romanam *Calchadona*.

FASTI ANNI IVLIANI.

Hemerologia Romana sive, ut appellantur vulgo, kalendaria post Iucundum, qui in codice Veronensi f. 119—123 Venusinum cum fastis suis consularibus, Esquilinum, Vallense uno ordine recensuerat, composuerunt Iacobus Mazochius et Aldus Manutius pater. Illam syllogen paucis visam investigavit Brunnius Romae in bibliothecae Angelicae volumine, quod incipit a libris P. Victoris Pomponii Laeti aliorum editis Bononiae a. 1520 curante Io. Bapt. Pio, Rutilii tamen carmine non ex hac editione adiuncto, sed ex altera Iac. Mazochii a. 1523; sequuntur in compage carente anno et loco et typotheta et fortasse imperfecta hemerologia Vallense rusticum Venusinum Thamyrae Esquilinum; claudunt volumen aliorum typothetarum opera Comesius de prodigiosis Tyberis inundationibus, Bellucii itinerarium, Fulvii carmen de antiquitatibus urbis. Haec omnino est editio a Georgio Fabricio (antiq. ed. 1587 p. 167) citata sub nomine Iacobi Mazochii eaque quam prodiisse a. 1509 scribit Fogginius (fast. p. 100); quamquam quo iure ille typothetam, hic annum posuerit mihi non liquet. — Item reperiuntur apud Aldum Manutium patrem in editione operum Ovidii secunda a. 1515. 1516 tertiaque a. 1533 (prima enim a. 1503 hoc additamentum non habet) tertio volumine fastis Ovidianis praemissi 'XII Romanorum menses in veteribus — monimentis Romae reperti', id est rusticum, deinde 'menses quidam ex antiquorum fastis variis in locis reperti', id est Venusinum Esquilinum Vallense, denique 'sex priorum mensium digestio ex sex Ovidii fastorum libris excerpta', quae respondet hemerologio a Mazochio sub Thamyrae nomine edito. Pendent et Mazochius et Manutius a Iucundo, neuter vero ab altero. Ex illis hausit Georgius Fabricius Chemnicensis l. c., nisi quod in rustico menologio alterum exemplum postea repertum Colotianum sequi maluit et addidit tabulam Maffeianam. — Secutus est post longum intervallum *Petrus Franciscus Fogginius* edito libro qui inscribitur: '*fastorum anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae ex marmorearum tabularum fragmentis Praeneste nuper effossis collectae et illustratae. Accedunt Verrii Flacci operum fragmenta omnia quae exstant ac fasti Romani singulorum mensium ex hactenus repertis calendariis marmoreis inter se conlatis expressi*'. Romae 1779 fol. pp. XX et 143; quam hemerologiorum syllogen expressit fere Orellius in syll. inscr. vol. 2 p. 379—413. Eandem operam sibi proposuerat vir longe superior Fogginio Caietanus Marinius, sed nihil inde lucem vidit praeter censuram libri Fogginiani ephemeridibus Pisanis a. 1781 (*Giornale de' letterati* vol. 41 p. 217—323) insertam. Collectanea Mariniana quae huc pertinent breviter descripta in commentario Marini Marinii inscripto *aneddoti di G. Marini* p. 38—41 hodie adservantur in cod. Vat. 9135 collecta cura Rossii nostri. — Iam hoc loco prodeunt hemerologia quotquot extant lapidibus librisve tradita et pertinent ad rem sacram publicamve. Praetermissi sunt fasti sex priorum mensium qui in codicibus quibusdam fastorum Ovidianorum inveniuntur; hos enim qui nuper tractavit Merkelius in praef. fastorum p. LIII sq. recte iudicavit proficisci ex doctrina medii aevi. Eiusdem generis sunt quos Iac. Mazochius l. c. protulit sub inscriptione inepta hac: 'fasti sex priorum mensium ex antiquo marmore invento per Thamyram sub Capitolinis ruinis, cuius marmoris altera pars reliquos etiam sex menses sine fastis continebat' repetivitque Fabricius in antiq. ed. 1587 p. 189—197; de quibus v. Saxius in praef. ad Vaassenum p. XXIV et de Thamyra isto sodali Pomponii Laeti Fogginius p. 104. Praetermisi item hemerologia quae non exhibent nisi septem planetas*), signa duodecim, mensis dies numeris indicatos, cuius generis sunt repertum Romae in thermis Titi graphio inscriptum parieti editum a Guattanio *mem. enciclopediche* vol. 6 p. 160 sq. et in libro *le antiche camere Esquiline* (Rom. 1822 fol.) p. 12. 21. 59 (cf. quae dixi ad chronographum a. 354 p. 569) alterumque Veleia illatum in museum Parmense (de Lama *inscr. della scala Farnese* p. 81); eodemque pertinet quod fingit Petronius c. 30 fuisse in aedibus Trimalchionis alteri posti inscriptum. Nec multum dissimile editum in inscriptionibus regni Neapolitani n. 6747, ubi praeter planetas septem et quattuor anni tempora aliaque caelestia perscribuntur nundinae in Latio Campaniaque celebratae. Denique ludi magistrorum *laterculos septem dierum* sive *tabulas septem idolorum* commemorat Tertullianus (de idololatria c. 10; ad nat. 1, 13). — Contra admisi feriale Cumanum intima ratione cum iis coniunctum, quae hemerologiis continentur; item menologium rusticum quamquam et ipsum magis

*) Referam nihilo minus hoc loco fragmentum marmoreum non multis notum repertum a. 1830 in ruinis oppidi antiqui ad ostia fluvii Potenzae in agro Recanatensi servatumque apud Monaldum Leopardium, qui edidit in libro *libri manoscritti esistenti nella libreria Leopardi in Recanati* (Recanati 1826) p. 18 tab. II:

MER · C
· LVN · C
· SAT · N
· IOV · B
I · MAR · N
· SOL · C

Dixi de diebus horisque bonis noxiis communibus ad chronographum a. 354 p. 566, ubi elenchum eius horarum plane similem edidi. Item in domus Trimalchionis poste secundum Petronium (c. 30) *qui dies boni quique incommodi essent distinguente bulla notabantur.*

ad annum naturalem pertinet quam ad fastos civiles, propter ferias in eo indicatas.

Antequam vero accedamus ad fastos anni Iuliani qui supersunt proponendos, de loco et aetate fastorum in lapide servatorum ea praemittemus, quae et brevius et utilius coniunctim enarrantur quam separatim ad singulas tabulas. Hemerologia lapidi incisa quae habemus in Italia reperta sunt omnia, diversis tamen in locis. Nempe in urbe vel ad urbem prodierunt Esquilinum Farnesianum Maffeianum Ostiense Pincianum Romana duo aedis Concordiae et viae Gratiosae Vallense Vaticanum, quamquam de plerisque horum non constat, utrum origine urbana sint an pertinuerint ad municipia suburbana nec nisi negotiatione marmoraria vel antiquaria in urbem pervenerint ad eos, apud quos primum innotuerunt. Praeterea inventa sunt in Latio Antiatinum Praenestinum Tusculanum; in Sabinis Amiterninum et Sabinum; in Umbria Urbinas; in Samnio Allifanum; in Apulia Venusinum; Pighianum denique proditum est sine ulla loci indicatione. Unde apparet horum fastorum publice proponendorum consuetudinem maxime obtinuisse in urbe ipsa municipiisque suburbanis; inde eam pervenisse ad oppida alia Italiae cum urbe coniuncta et Latina nec tamen propagatam esse ad Graecam Etruscamque Italiae partem, nedum ad provincias. Nec potuit aliter esse; hemerologia enim haec derivantur ex iisdem fastis publicis quidem populi Romani, sed simul urbanis, neque utiles erant nisi iis qui vel in urbe degebant vel certe eam saepius invisebant. Extitit fortasse eorum exemplum archetypum et publica fide munitum Romae apud collegium pontificum potestque inter causas, propter quas pontificatus maximus cum imperatoria dignitate coniungebatur, etiam tabulae eius annalis custodia fuisse. Nec tamen putarim post Gallicum incendium, quod cum XII tabulis etiam hemerologium publicum populi Romani in foro propositum consumpsit, fastos annales iubente collegio pontificum lapidi aerive incisos in urbe prostitisse (v. chronol. meae p. 211); potius crediderim fastos Iulianos primum publicatos esse edicto, id est in albo atramento scriptos indeque descriptos libellos in vulgus sparsos, postea autem si quid publico iussu ad eos addebatur vel ex iis tollebatur, de ea re populum certiorem factum esse actis urbanis*). Contra et in aedibus sacris tam in urbe quam extra curatorum earum cura et in domibus lautis opera privata eiusmodi fastos stetisse pictos incisosve ostendunt cum hemerologia reperta Romae in aede Concordiae et Antii in collegii vernarum domus Augustae sacrario cum theatro coniuncto, tum fastorum reliquiae pictae in tectorio domus Romae in via Gratiosa effossae collatis iis quae de Trimalchionis aedibus Petronius (c. 30) accurate lusit. Collegiorum opera proposita esse Antiatinum et Vallense adscriptionum lacera vestigia indicant, cum quae praeterea eius generis supersunt in Pinciano et in Maffeiano, item fortasse in Amiternino de auctore coniecturam non admittant. Non longe inde recedit, quod M. Verrium Flaccum libertinum hominem Suetonius scribit Praeneste fastos publicasse. Contra fasti Venusini cum ad nos pervenerint una cum fastis magistratuum tam urbanorum quam municipalium, fieri potest ut statuti sint iussu decurionum Venusinorum. Pictos fuisse fastos non solum ex eo colligitur, quod omnis generis tituli atramento miniove pingi solebant, sed docent etiam hemerologia duo Romana, alterum aedis Concordiae inventum litteris miniatis, alterum viae Gratiosae scriptum litteris nigris alternis, alternis rubris. Ea vero quae in titulo tabulae Maffeianae remanserunt aliquatenus intellegenda: *expoliendum et pingendum [et ornandum l]aminis [et te]ctto[rio et] tabulis pictis et m[armorea tabul]a fast[orum]* non ad fastos pingendos pertinere palam est, sed ad id in quo olim steterunt aedificium; quamquam Bianchinii (de kal. et cyclo Caes. p. 13 sq.) mira opinatio de cyclo lunisolari aliquo in hisce tabulis quattuor colorum diversitate indicato ex ipsis illis laceris verbis originem duxit.

Quod attinet ad aetatem, qua hemerologia de quibus agimus facta sunt, anni Iuliani sunt omnia, id est incisa post a. u. c. 709, ut tamen quae in lapide supersunt ab hoc anno prope absint, libris tradita quarto quintove saeculo scripta esse inveniantur. Illorum aetatis indicia hoc loco in unum colligemus, de singulis ablegantes ad commentarium diurnum fastis subiunctum.

1) *Pincianum* omnium facile antiquissimum est, scilicet incisum post a. 723/4, quo Caesaris Octaviani natalis ferias accepit, ante a. 725, cum dies Aug. 28 eo anno feriatus factus in Pinciano comitialis sit. Adde imperatorem simpliciter appellari Caesarem, non cognomine Augusti indito a. 727, item in natali eius nec ludos comparere et manere antiquam diei notam.

2) *Allifanum* item incisum sit necesse est ante a. 725, cum dies modo dictus Aug. 28 pariter ibi comitialis sit.

3) *Tusculanum* ante annum 734 scriptum sit necesse est, cum non agnoscat ferias Martis Mai. 12 eo anno institutas. Non magis agnoscit ferias propter natalem Caesaris Iul. 12; quamquam cave inde colligas fastos Tusculanos ante a. 712 incisos esse, quo feriae eae institutae sunt; eae enim per aliquot annos celebrabantur non vero natali, sed die Iul. 5. Denique quod dies Iun. 14 in Tusculano fastus est, in Venusino Maffeianoque nefastus religiosus, si quidem notam nefasti diei credere licet originis recentioris, sequitur ut Tusculani antiquiores sint Venusinis fastis exaratis a. 726; magis tamen duplex haec nota ad doctorum virorum dissensum videtur redire quam ad temporum diversitatem.

4) *Venusinum* item ac Tusculanum ludos Martiales die Mai. 12 institutos a. 734 non agnoscit. Videtur vero esse a. 726, quo finiunt fasti consulares municipalesque cum eo coniuncti.

5) *Sabinum* post a. 735 incisum est, quoniam habet Augustalium diem (Oct. 12); antiquius videtur esse Maffeiano, cum natalis Augusti fastus ibi sit, non feriatus.

6) *Maffeianum* scriptum est inter a. 746 et 757 (cf. Merkel ad Ovid. fast. p. XVII—XXI). Inveniuntur enim ibi Augustalium dies institutus a. 735, item nota Ian. 30 ex fasti diei mutata in feriarum propter aram Pacis constitutam a. 745, denique ludi natali Augusti qui coeperunt a. 746; similiter mensis octavus eodem anno Augustus nuncupatus sub novo nomine ibi procedit. Contra dies Iun. 26, qui propter adoptionem Tiberii a. 757 = p. C. 3, item dies Aug. 10, qui propter aras Cereris et Opis constitutas a. 760 = p. C. 7 feriati facti sunt, in Maffeiano hemerologio in comitialium nota perstant. Accedit, quod absunt cum adnotatio de Augusti excessu tum ludi divo Augusto et Fortunae reduci a. 767 = p. C. 14 in fastos relati. Nihil autem efficies ex silentio tam de natalibus quam de inferiis C. et L. Caesarum mortuorum a. 757 et 755, denique de natali Ti. Caesaris adoptati a. 757; talia enim in hemerologiis ponebantur vel omittebantur arbitrio scribarum. Multo minus inde argumentandum, quod feriae propter aedem Matris magnae dedicatam omittuntur, nec recte Merkelius p. XIX factum id credit propter conflagratam eam a. 756. — Quod plerique

*) Eo pertinent loci Ciceronis (Philipp. 2, 34, 87) M. Antonium consulem *adscribi iussisse in fastis ad Lupercalia C. Caesari dictatori perpetuo M. Antonium consulem populi iussu regnum detulisse, Caesarem uti noluisse* et Dionis (44, 11) id ipsum Caesaris iussu in acta urbana (ἐς τὰ ὑπομνήματα) relatum esse (cf. E. Huebner de senatus populique Romani actis p. 41). Scilicet Caesare auctore M. Antonius consul in actis urbanis eam adnotationem fastis qui circumferebantur adscribi iussit. Unde praeterea apparet ex aetate actorum populi Romani conficiendorum curam spectasse ad consules.

fastos hos scriptos credunt post a. 752, fit propter circenses Marti diei Mai. 12; at hos antiquiores esse et potius institutos videri a. 734 suo loco docui. Circenses vero alteri Martiales vere constituti a. 752 quod in fastis Maffeianis desunt, inde argumentum capere non licet, incidunt enim in Aug. 1, quem in hac tabula lacuna hausit.

7) *Esquilinum* pariter ac Maffeianum scriptum est ante a. 757, cum dies Iun. 26 post adoptionem Tiberii feriatus ibi sit comitialis.

8) *Feriale Cumanum* quamquam si facta ibi recensita spectamus, nullum memorat certum et exploratum recentius a. 739, quo natus est Drusus, tamen cum Ti. Caesarem filiumque eius Drusum Caesarem his nominibus appellet, incisum sit necesse est post adoptionem Tiberii anno 757 factam; de quo aetatis indicio recte iam monuit Kellermannus apud Iahnium spec. epigr. p. 6.

9) *Praenestinum* scriptum sit necesse est inter a. 752 et 763 = p. C. 10. Nam recentissima quaeque, quae scripsit prima manus, eaque certa (nam Ian. 27 dedicationem aedis Castorum a Tiberio factam a. 759 a Verrio memorari minime constat) adnotationes sunt de pontificatu maximo suscepto a. 742 (Mart. 6; Apr. 28) et de dedicata ara Pacis a. 745 (Ian. 30). Quibus addenda videtur observatio pertinens ad a. 752 de accepto patris patriae nomine (Febr. 5), quamquam hanc utrum prima an secunda manus scripserit, ignoratur; recenset autem imperatoris titulos tam singulari ubertate, ut ea ipsa honorem illum tum cum tabulae scribebantur recentissimum fuisse significet. Contra additas esse reperi post tabulas incisas litterisque diversis adnotationes has quaerens in re praesenti: de toga virili a Tiberio sumpta a. 727 (Apr. 24); de Tiberii dedicatione aedis Concordiae a. 763 (Ian. 16); de triumpho Tiberii a. 765 (d. eodem); de Tiberio pontifice maximo creato a. 768 (Mart. 10); de signo divi Augusti dedicato non multo ante a. 775 (Apr. 23); denique incertam item pertinentem ad Tiberium (Ian. 10). Sequitur ut a. certe 763 tabulae hae absolutae fuerint. Convenit, quod ubicunque in his tabulis Augusti mentio fit, nominatur aut hoc nomine aut imperatoris Caesaris Augusti, numquam vero imperator Caesar scribitur nisi in consulatu Apr. 24. Conveniunt item quae de vita Verrii accepimus docuisse eum Romae in domo Augusti nepotes eius Gaium (734—757) et Lucium (737—755), decessisse vero aetatis exactae sub Tiberio; nec sine causa suspicabere additamenta non minus quam ipsam tabulam esse Verrii ipsius et mortuum eum circa id tempus, quo deficiunt.

10) *Vallense* scriptum est post a. 760 = p. C. 7, cum habeat ferias eo anno institutas propter aras dedicatas Cereri et Opi (Aug. 10), ante a. 767 = p. C. 14, cum dies Sept. 17 eo anno feriatus factus propter honores caelestes Augusto decretos ibi sit comitialis. Non obstant Caligulae Claudiique natales ibidem adnotati nec qui ex consularibus fastis tabulae subscriptis supersunt consules anni 784 = p. C. 31; nam Claudii natalem postea adiectum esse constat idemque suspicari licet de natali Caligulae consulibusque illis, qui fuerunt in tabulae parte hodie deperdita. Dies Sept. 15 cum in fastis Sabinis Maffeianis Amiterninis nefastus esse scribatur, in his Vallensibus autem pariter atque in Antiatinis comitialis, inde aetatis indicium nullum procedere, sed contrarias opiniones de hoc die videri obtinuisse infra dicetur.

11) *Ostiense* scriptum sit necesse est vivo Augusto ante a. 767 = p. C. 14, nam omittit ludos divo Augusto factos. Attribui posse ei aetati, qua ludi hi defecissent, Rossius (*Bull.* 1860 p. 79) negavit, cum in notis dierum Oct. 6. 8 fasti Ostienses consentiant cum antiquioribus Maffeianis et Amiterninis contra recentiores Antiatinos; quod argumentum quamquam statim apparebit non esse certissimum, tamen per se parum verisimile est exaratam esse tabulam hanc post Claudium.

12) *Vaticanum* scriptum est post a. 768 = p. C. 15, quoniam pontificatus maximus a Tiberio susceptus in eo perscribitur, ante a. 787 = p. C. 34, nam idem dies certe feriatus esse desiit defuncto Tiberio. Antiquius item est Pighiano, nam Caligulae natalis in Vaticano nondum est feriatus.

13) *Amiterninum* scriptum est post a. 769 = p. C. 16, nam adnotatur ibi praeter mortem Augusti honoresque caelestes ei decretos coniuratio M. Libonis. Adnotatio ad Mai. 26 num pertineat ad triumphum Germanici a. 770 = p. C. 17, incertum est. Non multum post a. 16 fastos hos scriptos crediderim, cum et de aliis sileant et de Germanico defuncto a. 772 = p. C. 19; quamquam silentium fastorum in universum parum probat. Cur sine nota remanserit natalis Tiberii (Nov. 16), explicat Suetonius Tib. 26: *natalem suum plebeis incurrentem circensibus vix unius bigae adiectione honorari passus est.*

14) *Pighianum* inter a. 784 = p. C. 31 et 790 = p. C. 37 extremis Tiberii annis scriptum esse ostendit natalis Caligulae Aug. 31 sub nomine Germanici feriarumque nota eidem diei tributa. Praeterea notandum est diem Sept. 24, qui antiquioribus fastis ad Maffeianos usque comitialis est, in Pighiano notam prae se ferre nefasti.

15) *Antiatinum* anni est 804 = p. C. 51 Claudii imperatoris noni, quo finiunt fasti annales eodem tempore ac hemerologium nec per intervalla incisi. Cui tempori apprime conveniunt adnotati ibi natales Claudii imperatoris et Agrippinae uxoris eius, de quibus in fastos referendis ante a. 794 = p. C. 41, quo Claudius imperator factus est, et a. 802 = p. C. 49, quo uxorem duxit Agrippinam, certe ne servi quidem domus Augustae cogitaverunt. Ceterae res in tabula perscriptae pertinent pleraeque non ad sinistre quieta tempora Tiberii Caligulaeve vesanum regnum, sed ad meliora imperii principia nec perveniunt ultra a. p. C. 19, quo excessit Germanicus. In dierum notis fasti Antiates pleraque habent antiquioribus Amiterninisque adeo ignota, ut Aug. 5. 6 fasti sunt Maffeianis et Amiterninis, Antiatibus feriati, Sept. 12 nefastus Amiterninis prioribusque, Antiatibus comitialis, Oct. 6 comitialis Amiterninis cum aliis, Antiatibus nefastus; Oct. 8 fastus Maffeianis Ostiensibus Amiterninis, Antiatibus comitialis; quarum differentiarum, quae proferuntur omnes causa addita nulla, etsi quaedam redeunt fortasse ad res novas Tiberio Caligula Claudio imperantibus in fastos illatas, tamen pleraeque originem videntur duxisse ex erroribus scribae.

16) *Farnesianum* et

17) *Urbinas* et

18. 19) *Romana duo* aedis Concordiae viaeque Gratiosae certis aetatis notis destituuntur, quamquam Farnesianum certe et Urbinas et Romanum prius reliquis hemerologiis ita similia sunt, ut ea et ipsa sub Iuliis imperatoribus scripta esse iure contendas.

Comprehenduntur igitur quotquot in lapide supersunt hemerologia tempore quod est inter Caesarem dictatorem et Claudium imperatorem ita, ut antiquissimum eorum scriptum sit c. a. u. c. 725, recentissimum a. u. c. 804 = p. Chr. 51. Cur vero neque anterioris nec posterioris temporis hemerologia in lapide habeamus, causa non est difficilis ad inveniendum. Abolita scilicet per Caesarem dictatorem anni forma antiqua necessarium erat novi anni Iuliani ordinem ubivis publice proponere eumque non solum per urbem Romam, sed etiam per municipia evulgare. Ille annus antiquus quam alte mentibus hominum insederit et quam difficile fuerit eum plane extirpare, non coniectura solum assequi licet, sed ante oculos ponunt id omnium facile antiquissimi fasti Pinciani ipsis suis naevis; nam certe cum antiqui anni memoria quadratarii animo inhaerente coniunctum est, quod Augustus mensis et September, duobus ille, hic uno die a Caesare aucti, ibi toti con-

fusi sunt Septemberque adeo ad pristinum XXIX dierum numerum rediit. Innotescente autem paullatim etiam apud vulgum nova anni constitutione talium hemerologiorum publice proponendorum utilitas imminuta est; unde rarescunt sub Tiberio et Caligula, desinunt regnante Claudio. Deinceps rursus item ut ante Caesarem anni ordinatio petebatur, ut fit hodie apud nos, ex libellis in vulgus sparsis, quorum supersunt hodie Philocalianus et Silvianus.

CONSPECTVS HEMEROLOGIORVM

praeter Philocali et Silvii integra.

IAN.

Maff. (VI)	1 — 31
Praen. (IX)	1 — 31

FEBR.

Maff. (VI)	1 — 28
Praen. (IX)	5
Farn. (XVI)	15 — 21

MART.

Maff. (VI)	1 — 31
Praen. (IX)	1 — 10 19 — 31
Vat. (XII)	10 — 24
Farn. (XVI)	15 — 23

APR.

Tusc. (III)	12 — 15
Maff. (VI)	1 — 30
Praen. (IX)	1 — 6 10 — 30
Vat. (XII)	8 — 19

MAI.

Tusc. (III)	10 — 17
Ven. (IV)	1 — 31
Maff. (VI)	4 — 31
Esq. (VII)	20 — 31
Vat. (XII)	28 — 31

IVN.

Tusc. (III)	8 — 15
Ven. (IV)	1 — 30
Maff. (VI)	1 3 — 30
Esq. (VII)	18 — 30
Rom. viae Grat. (XIX)	1 . 8 9

IVL.

Pinc. (I)	22 — 31
Allif. (II)	23 — 30
Tusc. (III)	11 — 17
Maff. (VI)	1 — 31
Vall. (X)	6 7
Amit. (XIII)	1 — 21
Ant. (XV)	1 — 18
Rom. viae Grat. (XIX)	6 — 8

AVG.

Pinc. (I)	21 — — — — — — — — 31
Allif. (II)	22 — — — — — — 29
Tusc. (III)	12 — 14
Maff. (VI)	1 — 31
Vall. (X)	1 — 31
Vat. (XII)	28
Amit. (XIII)	1 — — — — — — — — — — — — 19
Pigh. (XIV)	25 — — — 31
Ant. (XV)	1 — — — — — — — — — — — — — 20
Rom. viae Grat. (XIX)	4 — 6

SEPT.

Pinc. (I)	22 — — — — 29
Sab. (V)	7 — — — — — — — — — — — — — 25
Maff. (VI)	3 — — — — — — — — — — — — — — — — — — 30
Vall. (X)	1 — — — — — — — — — — — — — — — — — — 29
Amit. (XIII)	1 — — — — — — — — — — — 19
Pigh. (XIV)	22 — — — — — 30
Ant. (XV)	1 — — — — — — — — — 17

OCT.

Pinc. (I)	25 — — — — 31
Sab. (V)	10 — — — — — — — — — — — — 27
Maff. (VI)	1 — 31
Ost. (XI)	1 — — — 8
Amit. (XIII)	1 — — — — — — — — — — — — 21
Ant. (XV)	3 — — — — — — — — — — — 19

NOV.

Maff. (VI)	1 — — — — — — — — — — — — — — — — — — — 30
Amit. (XIII)	1 — — — — — — — — — — — 20
Ant. (XV)	1 — — — — — — — — — — 18

DEC.

Maff. (VI)	7 — — — — — — — — — — — — — — — — 31
Praen. (IX)	8 — — — — — — 17 21 — — — — — — 31
Amit. (XIII)	1 — — — — — — — — — — — 20
Ant. (XV)	1 — — — — — — — — 16

I. PINCIANI

(inter a. 723/4 et 725).

Fragmentum tabulae marmoreae longum uncias XX, latum uncias VI, effossum ante paucos annos sub monte Trinitatis sive colle Hortulorum, dum ibi fundamenta poneret splendidissimi sui aedificii Monsignor del Vigli' *Smetius* iisdemque verbis *Pighius*, nisi quod eum qui invenit episcopum appellat nomine omisso.

Iul.

22 C C LVDI CONCOR...
23 D NEP N LVDI FER NEPT
24 E N LVDI
25 F FVR N LVDI FER · FVRR
26 G C LVDI
27 H C LVDI IN CIRCO
28 A C LVDI IN CIRCO
29 B C LVDI IN CIRCO
30 C C LVDI IN CIRCO FORT
31 D C XXXI HVIVSQVE · DIEI
CO...

Aug.

21 *a* CONS N
22 B EN
23 C VOLC·N VOLCANO
24 D C LVNAE INGRAECOST ·
25 E
26 F OPICID N
27 G C VOLTVRN
28 H C
29 A F
30 B F
31 C C D XXXI
...C·CANINI

Sept.

22 A C MERC HV...
23 B F MERC FER EX SC · QVOD IS · DIES · IMP · CAESAR NATALIS EST
24 C C
25 D C
26 E C VENERI · GENETRICI IN FORO CAESAR
27 F C
28 G F
29 H C D XXX
C·COCCEIVS

Oct.

25 B
26 C C
27 D C
28 E C
29 F C
30 G C
31 H C
M F
Q. ANDR...

Maiores et minores litteras distinxit Smetius, quem sequor, nisi quod Sept. 22 totus et 23 MERC · FLA apud Smetium exarata sunt maioribus. — NP et N non distinguuntur, utrum incisoris culpa an descriptoris, ignoratur. — Subscriptionis vestigia, item Octobris fragmenta omisit Aleander.

Iul. 22 AAVG om. Aleander; puncta incerta posuit Pigh. Fuitne CONCOR AVG?
30 FORT om. Aleander.
Subscriptionis secundam litteram om. Pigh.

Augusti d. 22—27 sic confudisse videtur quadratarius; nam plane ut supra legitur dant Smetius Pighiusque (nisi quod GRAEGOST Smet.), Aleander vero ita:

B EN
C VOLC · N · VOLCANO
D C LVNA (sic) INGRAECOST
E
F OPICIDN
G C VOLTVRN

Debuit vero scribi ita fere:

B EN
C VOLC N VOLCANO
D C LVNAE IN GRAECOST
E OPIC[ID] N
F C
G VOLT N VOLTVRNO

Pighius ita disponit extrema:

F OPICIDN
G C VOLTVRN
H G
A F
B F
C CDXXXI

Sept. 22 HVVVADMAR Pigh.
23 FLA Smet. Pigh.
29 HG Smet. Pigh.
28—30 sic debuerunt scribi:

G C
H F
A C

sed omisit quadratarius litteras inclinatas.

Oct. extr. MF Pigh., ME Smet. — IACANDO Pigh.

In subscriptione haud scio an lateant consulum nomina. C. Caninium Rebilum fasces tenuisse prid. k. Ian. a. 709 notum est; consules a. 718 M. Cocceium M. f. Nervam eique suffectum Cn. Norium fortasse habemus in laterculi tertii vestigiis. At de talibus disputari quomodo potest lapide deperdito?

Smetius ms. Lugd. et ed. 36, 2 (inde Grut. 135, 2) qui descripsit diligenter (in libro Neap. deest legiturque in Lugdunensi in folio postea agglutinato); Pighius cod. Berol. f. 127 in scheda agglutinata manu aliena scripta, quod est idem exemplum ac Smetianum; Hieronymus Aleander iunior in codice Mariniano Vat. 9135 f. 254 neglegenter.

II. ALLIFANI

(ante a. 725).

Allifis rep. 1750 in ruinis eccl. S. Salvatoris, emit Trutta et muro infigendam curavit in hortis suis Neapolitanis *al Capodichino*. Hodie ubi extet ignoratur.

Iul. 23 IAF Trutta, ... AE Fogg.
30 FORIVNAI · REDVC Antoninius fraude. — Ceterum aliter non videtur posse restitui, quamquam in Campo Martio fuisse hanc aedem aliunde non constat.

Iul.		*Aug.*			
23	NP LVDI	22	B		
24	*fer*IAE · NEPTVNO	23	C	X	
25	*fur*RNP LVDI	24	D	IX	C
	*feri*AE FVRRINAE	25	E	IIX	OP
26		26	F	VII	C OPICON
27		27	G	VI	VOLT
28		28	H	V	C
29	*ludi* IN CIRCO	29	A		
30	*ludi* iN CIRCO FORTVNAI HVIVSQ*ue* *diei* IN CAMPO				

Aug. 25 OP Fogg., OA Trutta.

Ioseph. Antonini ad calcem litt. Matth. Aegyptii ad Langletum ed. 1750 (in posteriore ed. deest; repetivit Zaccaria *stor. lett.* II p. 536 a. 1751); aeri incidit Trutta *antichità Allifane* (Neap. 1776. 4.) ad p. 139 optime. Foggini fast. p. 103 habuit praeterea ab episcopo Allifano Franc. Sanseverinio. Inde I. N. 4741. — Una cum fastis his repertae sunt tabulae duae marmoreae infractae cum tertiae frusto exiguo, fastorum omnino simillimae scriptaeque iisdem litteris minutis quae in iis cernuntur. Frustum periit, tabulae duae servantur cum fastis *Mart. Trutta.*

fr. primum:	*fr. alterum:*	*fr. tertium:*
beneventanis	ATINATI*bus*	ALLIFANIS
NVCERI*nis*	INTERAMNATI*bus*	CEREATIS
LVCERI*nis* APVLIS	TELESINIS	
*s*VESSANIS	SAEPINATIBVS	
*ca*LENIS	PVTEOLANIS	
*su*ESSVLANIS	ATELLANIS	
*si*nVESANIS	CVMANIS	
*cai*aTINIS	NOLANIS	

I, 7 SINVESSANIS Trutta. — 8 CALATINIS Trutta. — II, 4 SEPINATIBVS Trutta. — Fragmenti III memoria ore hominum videtur tradita; inde Martorelli refert CEREATIS (nempe Cereatinis Marianis) ante ALLIFANIS.

Trutta communicavit per Fr. Pertusium cum Martorellio, qui de ea re ad Gorium scripsit symb. dec. II vol. 2 p. 135 (ubi ait repertos esse tres lapides in quibus recenserentur populi XXXIII, ab *Ariciniis* (sic) usque ad *Nolanos* citatque II, 7. 5. 6.) et edidit in theca cal. p. 451 (inde Donat. 332, 5. 429, 4.); ipse Trutta edidit ant. Allif. p. 54 supplementis ab antiquis litteris non discretis. Inde I. N. 4742. — Similiter in laterculo originis incertae olim Fulvii Ursini nunc musei Neapolitani (I. N. 6747), qui praeterea dierum septem nomina, quattuor tempora anni similiaque enuntiat, leguntur haec:

NVNDINAE
· AQVINI
· INVICO
· INTERAM
· MINTVRN
· ROMAE
· CAPVAE
· CASINI
· FABRAT

III. TVSCVLANI

(ante a. 734).

Tusculi rep. m. Oct. 1825 prope aedes quae creduntur fuisse consulis Prastinae Pacati. Ubi hodie extet nescio; fortasse Augustae Taurinorum.

Apr.		*Mai.*		*Iun.*		*Iul.*		*Aug.*	
		10	B C	8	G N MENT*i*				
		11	C LEM	9	H VEST	11	H C		
		12	D C	10	A N	12	A C LV*di*		
		13	E LEM	11	B MATR	13	B C IN CIR		
12	*ludi* CER	14	F C	12	C N	14	C C	12	H
13	*eid* LVDI	15	G EID MERC	13	D EID IOVI	15	D EID	13	A EID
	xiix		XVII		XIIX		XVII		XIX
14	N LVD	16	H F	14	E F	16	E F	14	B
15	*fo*R	17	*a* C	15	F Q ST	17	F C		

Apr. 12 CER Can. e regione Mai. 14, LCER Amati e regione Mai. 13. 14 V LVD Amati, N LVD Canina. 15 P Am., R Can. | Mai. 10 L · C Am. | Iun. 8 MENI Am., MENTI Canina. | Iul. 12 LV Can., LX Am. | Aug. 13 EIL Am., EID Can.

Canina *Tuscolo* p. 176; Amati in schedis bibl. Vatic. Discrimen litterarum maiorum et minorum solus Amatius neque hic ubivis certa ratione observavit.

IV. VENVSINI

(a. 726).

'Apud illustrissimum ducem Calabriae est haec pars kalendarii, quae reperta fuit in agro Venusino' *Iucundus cod. Ver.* 'In castro Capuano apud illustrissimum ducem Calabriae pars kalendarii reperta in agro Venusino' *cod. Canali. Inscriptio nulla in Peut.* Item Pomponius Laetus in epistola ad Politianum a. 1488 data (Polit. epist. 1, 15): '*Serius*, inquit, *quam opinabaris ab amicissimo fieri, distuli ad te mittere quod summopere legere optabas. Causa fuit nescio quis qui se intra paucos dies daturum Quinctilem et Sextilem mihi pollicitus est remque is longius opinione mea traxit. Ipse tandem ut creditori qui vel praecipuus es satisfacerem, quae apud me erant diligentissime exscripsi. A Venusia Apulorum adlata sunt marmorea in tabula; obscuro loco ibi latebant. Fragmenta aliarum tabularum ubi annus integer erat, coniungi nequiverunt, quod multa deerant illinc translata Arianum; summa cura quae superest tabula servatur*'. — Simul reperti sunt fasti consulares infra edendi.

Maiores et minores litterae in exemplis quae supersunt non distinguuntur. Nec magis ad diversitatem notarum N̶P et N descriptor videtur animum advertisse; posuit enim ubivis N, cum diebus Mai. 15. 21. 23 in reliquis hemerologiis nota sit N̶P.

Mai.

1 sic ut dedi Peut., LVD·LAR Mur., F / LVD·LAR·F reliqui.

3 hoc die LVD IN CIRCO, sequente FLORAE Mur. itemque Peut., ubi tamen FLORAE signo anteposito videtur revocari ad diem hunc; LVD INCIRCO FLORAE hoc die uno versu Maz.; IN CIRCO FLORAE omittunt Iuc. uterque, Canal., Man.

7 GNON·F·FXORI VERGILI Peut., G·NON·VERGILI F·EXORI Mur., G·NON·VERGIL·EXOR·F reliqui.

15 MERCVR Mur. Peut., MER reliqui. — MERCVR·MAIAE in exemplis quamquam adscribitur ad Mai. 16, tamen ad idus revocandum esse ex re constat.

18 GEMINI Maz.

21 AG·VEDIORI (om. N) Mur.

23 ut dedi Peut., TVB·FER·VOLCA N Mur., TVB·FER·VOLCA·N reliqui. — VOLIA Maz.

24. 25 om. Maz.

25 PRIN Mur.

1	A	K·MAI·F·		LVD·LAR
2	B	VI	F	LVD·
3	C	V	C	LVD·IN CIRCO \FLORAE
4	D	IIII	C	
5	E	III	C	
6	F	PR	C	VERGILI
7	G	NON·F·		EXORI
8	H	VIII	F	
9	A	VII	LEM·N·	
10	B	VI	C	
11	C	V	LEM·N·	
12	D	IIII	C	
13	E	III	LEM·N·	
14	F	PR	C	MARTI·INVICT
15	G	EID·N·		FER·IOVI
16	H	XVII	F·	MERCVR·MAIAE
17	A	XVI	C	
18	B	XV	C	SOL·INGEMIN
19	C	XIV	C	
20	D	XIII	C	
21	E	XII	AG·N·	VEDIOVI
22	F	XI	N	FER·VOLCA·
23	G	X	TVB·N·	
24	H	IX	Q·R·C·F	
25	A	VIII	C	FORTVN·PRIM·INCOL
26	B	VII	C	
27	C	VI	C	
28	D	V	C	
29	E	IIII	C	
30	F	III	C	
31	G	PR	C	XXXI

1	H·K·IVN·N·			IVNONI MONET
2	A	IV	F	
3	B	III	C	BELLON·IN CIR·FLAM
4	C	PR	C	HSRC·MAGN·CVSTO
5	D	NON·N·		DIO·FIDIO·IN COLLE
6	E	VIII	N	
7	F	VII	N	
8	G	VI	N	MENTI·IN CAPITOL
9	H	V	VEST·N·	VESTAE
10	A	IV	N	
11	B	III	MATR·N·	MATR·MAs
12	C	PR	N	
13	D	EID	N·	FERIAE·IOVI
14	E	XIIX	N	
15	F	XVII	Q·S·D·F·	
16	G	XVI	C	
17	H	XV	C	
18	A	XIV	C	
19	B	XIII	C	SOL·IN CANCRO
20	C	XII	C	SVMMAN·AD·CIR·MAX
21	D	XI	C	
22	E	X	C	
23	F	VIIII	C	
24	G	VIII	C	FORTIS·FORTVNAE
25	H	VII	C	
26	A	VI	C	SOLSTITIVM·CONFEC
27	B	V	C	
28	C	IV	C	
29	D	III	F	QVIRINO·INCOLL
30	E	PR	C	XXX

Iun.

1 sic ut dedi Peut., H·K·IVN·IVNONI N MONET Mur., IVN·N·IVNONI·MONETAE reliqui.

2 T pro F Maz., qui adnotationes BELLON cet., HSRC cet., DIO cet. ad Iun. 3. 4. 5 adscriptas retrahit ad dies praecedentes 2. 3. 4.

3 C om. Mur. — CIR Peut. Iuc. uterque Maz. Man., CIRC reliqui.

4 C om. Mur. — MAG Iuc. Magl.

5 sic ut dedi Peut., D NON DIO FIDIO·IN COLLS N Mur., D NON N DIO FIDIO IN COLLE reliqui.

6. 7 E VII N (om. VIII N F) Maz.

9 sic ut dedi Peut., H·V·REST·N·RESTAE Mur., H·V·N·VSST om. reliquis reliqui.

11 B III MATR·N· T-T MATR·ME Peut., B·III·MART·N MART·MILIT Mur., B·III·N·MATR MAs Iuc. Magl. Can., B·III·N·MATRI·MATVTAE Man., B·III·N·MATR·ME Maz., B·III·N·MATR (om. rel.) Iuc. Ver.

13 N om. Mur. — FERIAS Mur. Peut., FER reliqui.

15 XVII Q·S·D·F Peut., XVII·Q·S·I·F Mur., XVII·F·Q·S·I·D Iuc. Magl. Can. Maz. Man., XVII·Q·I·S·D Iuc. Ver., nisi descriptor erravit.

19 C om. Mur.

20 SVMAN Maz. — CIRC Mur.

24 FORTI malim.

26 SOLSTICIVM Iuc. Magl. Can. — CONFEC Peut., Iuc. uterque, Can., CONFECT Mur. Maz., CONFER Man.

29 R pro F Peut., C pro F Mur. — QVIRINIO Maz. — COLL Peut. Mur., COL reliqui.

Iucundus cod. Magl. f. 141 v. = cod. Ver. f. 119. Ex codice cardinalis Canali (postea Zeladae, nunc Toletano 103, 4) descripsit Marinius cod. Vat. 9135 f. 235 (unde citavit quaedam in censura libri Fogginiani p. 47. 49). Iacobus Mazochius edidit una cum aliis opusculis anno ut aiunt 1509, cuius exempli copiam mihi fecit Brunnius ex bibliotheca quae Romae est Angelica. Aldus Manutius item in opp. Ovidii ante vol. 3 (Venet. 1516) non ut olim male credidi ex Mazochio, sed ex codice aliquo scripto exhibuit. Denique legitur in cod. Peutingeri hodie Augustano 526 f. 103 (unde exscripsit Cholerus cod. Monac. f. 145) idemque exemplum edidit non satis accurate Mur. 150, 1 ex schedis Ambrosianis, quas hoc loco non Accursii fuisse constat. Ex Muratorio pendet Lupulus in itinere Venus. p. 273, cuius interpolationes non rettuli. Edidi ante I. N. 698. Omnia exempla ex eodem Iucundi apographo fluxisse certum est; longe optimum Peutingerianum, descriptum fortasse ex libro Petri Sabini aequalis et amici Iucundi cum Peutingero communicato, solum versuum antiqua divisione servata litteris N et F suum locum perpetuo tribuit solumque Iun. 9. 11 bis, ut fieri solet, et maioribus et minoribus litteris ibi perscripta deorum nomina exhibet integra. Quare etiam in minoribus hunc librum secutus sum.

V. SABINI

(inter a. 735 et 757).

'Pilastrino quadrato assai grosso, che ha servito per cancellato di ingresso per qualche altare, e perciò sopra apparisce una cornicia, per la quale è sparito il primo verso di sopra; addietro appariscono alcuni bassirilievi sottilmente graffiti forse del secolo XIV' Rossi. 'Frammenti trovati in un luogo della Sabina nel 1795 *e mandati a Roma al R^mo Padre P. Costanzo, che l'ha collocati nel monastero di S. Paolo' Marini.* Ibidem adhuc extat.

Sept.					*Oct.*				
7	*e*	*b*	C	//////////		//////////	//////////	//////////	//////////
8	F	C	C	LVDI	10	C	C	C	IVNONI M
9	G	D	C	LVDI	11	D	D	MED	N
10	A	E	C	LVDI	12	E	E	AVG	N
11	B	F	C	LVDI	13	F	F	FONT	
12	C	G	N	LVDI	14	G	G	EN	
13	D	H	EID	IOVI EPVL·	15	A	H	EID	
		XIIX					XVII		
14	E	A	F	*equor* PROB	16	B	A	F	
15	F	B	N	//////////	17	C	B	C	
16	G	C	C	//////////	18	D	C	C	
17	A	D	C	in CIRCO	19	E	D	ARM	
18	B	E	C	in CIRCO	20	F	E	C	
19	C	F	C	//////////	21	G	F	C	
20	D	G	C	//////////	22	A	G	C	
21	E	H	C	//////////	23	B	H	C	
22	F	A	C	//////////	24	C	A	C	
23	G	B	F	//////////	25	D	B	C	
24	A	C	C	//////////	26	E	C	C	LVD VIC*tor* SVLL · CO*mm*
25	*b*	D	C	//////////	27	F	D	C	LVDI //////////

Sept. 7 et alibi ubi corrosi lapidis indicia posita sunt, ne hoc quidem discerni potest, utrum litterae evanuerint necne.

Sept. 14 ....FR·B Mar. Nic.; I^·OB Rossi.

Oct. 10 IVNONFM Rossi, adnotans: 'fortasse IVNONI M'; puto punctum coaluisse cum littera I.

Oct. 11. 12 duarum N (non M) reliquiae quo pertineant ignorator; nam superesse eas ex NP nota minutis perscripta ad exemplum tabulae Farnesianae vix crediderim, quoniam in hac tabula ut in Tusculana post ferias maioribus scriptas notae eiusmodi videntur fuisse omissae.

Oct. 14 END Marini perperam.

Oct. 26 LVD VIC || IVLL·CO (vel IVLL·GO vel IVLI·GO) Rossi; LVDI VIC || LVDI BO*nae deae* Marini; LVDI VIC || LVDI RO Nicolai. Cum Rossio quaerenti de hoc loco scripsissem mihi videri ibi agi de ludis Victoriae Sullanae commissis (cf. locum Vell. 2, 27 sic traditum antiquitus: *felicitatem diei — Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, qui sub eius nomine Sullanae Victoriae celebrantur*), rescripsit ille iam in lapide vestigia apparere sibi videri litterae S. Victoria, cui hi ludi edebantur, ideo dicta est Sullana, quia celebrabantur alii ludi eodem mense *Victoriae Caesaris divi Iuli.*

Descripsit diligentissime Ioh. Bapt. de Rossi. Marini cod. Vat. 9135 f. 330; Nicolai *basilica di S. Paolo* (Rom. 1815 fol.) p. 184 non accurate.

VI. MAFFEIANI

(inter a. 746 et 757).

'Pulcherrima tabula candidissimi marmoris et subtilis longa p. IIS, lata p. III dig. 1 gr. 11, spissa plus minus digitum semis' *Metellus cod. Vat.* 6034. 'Tabula lata ped. 3. alta 2¼' *Blanchin.* 'Calendarium urbanum repertum 1547' *Metellus* vel potius *Ligorius cod. Vat.* 6034. Quo loco prodiisset, nemo rettulit ac ne hoc quidem certum est tabulam repertam esse in urbe. 'In hortis Iacobi Benzonae civis Romani via qua itur in Marci (sic) et Capitolium' *Metellus cod. Vat.* 6034 *ex Ligorio omnino.* Tempore posteriore et atramento diverso adscripsit *Metellus:* 'hanc tabulam nunc habet Hieronymus Maffaeus Romanus episcopus a secretis cardinalis Farnesii'. Quod adnotavit *Pighius* in inscriptionum cod. Berol. f. 127, ubi obiter hos fastos commemorat, extare eos apud Achillem Maffeium, olim fuisse D. Collotii, error memoriae videtur esse. 'In aedibus Maffaeiorum ad Agrippinam' praescripsit *Aldus Manutius* 1566 (nam Paulus tacet de loco); 'Romae apud cardinalem Mapheum' *Pighius* in comm. fast. et *Smetius.* Postea tabula per multos annos videtur latuisse in angulo aliquo domus Farnesianae, cum nemo eam memoret deinde per annos fere centum et quinquaginta; nam quod ait Arias Montanus vidisse se Romae a. 1573 hanc tabulam ex multis fragmentis concinnatam in Capitolii recens restituti muro a S. P. Q. R. affixam, aperte confudit fastos Capitolinos consulares et triumphales cum his kalendariis. Blanchinius demum sic adnotat in ipsius tabulae exemplo: 'hoc anno 1704 mense Iunio reperta est in palatio Farnesiano ad campum Florae tutissimo loco reposita una cum pluribus antiquis inscriptionibus apud Fulvium Ursinum aliosque celeberrimos viros olim extantibus et ab excidio vindicatis providentia principum serenissimae domus Farnesiae.' Adscripta haec esse post editum a Blanchinio de cyclo librum tam annus indicat 1704 in tabula notatus, cum liber prodierit titulo teste a. 1703, quam quod in libri praefatione Blanchinius scripsit lapidem Maffeianum neglegentia temporum deperditum hodie desiderari. In domo Farnesiana tabulam adservari repetivit idem Blanchinius in libro de columbario Liviano (Rom. 1727) p. 74. 'An et ubi etiamnunc supersit nosse curavi, sed frustra' *Foggini* (1779) p. 99. Farnesiani thesauri dum primum Parmam migrant, deinde Neapolim, tabula haec videtur interiisse; nemo enim postea eam vidit. Nisi quod Sartius narravit mihi emisse se Romae alicubi delitescens frustum eius tabulae, quod eo defuncto cum una cum reliquis eius lapidibus scriptis coemerit museum Capitolinum, accepi ectypum eius beneficio Rossii mei. Complectitur haec pars, quam in editione lineola separavi a deperdita, dies Ian. 19—31, Febr. 19—28, Mart. 21—31, Apr. 20—30, Mai. 22—30.



Praescriptionis quinque fragmenta supersunt, quorum primum tertium quintum cum simul mensium primus dies contineant certae sedis sunt, secundum primum aperte continuat, quinto denique locus nullus superest nisi in hiato inter Iulium et Octobrem. Varia lectio in fragmentis I. II. III. V (quartum enim solus servavit Metellus) haec est Lafrerii et Metelli: I, 1 sic Lafr., ·LER Met. — 2 EXPOLIEND Met. — II, 1 extrema littera L est Metello, I Lafrerio. — III secundum Lafrerium cum secundo ita coniungitur, ut M littera in PINGENDVM supra F in FAST steterit, recte puto. — 1 A·FAST Met., I AST Lafr. — V 1 litterae I vestigium non habet Lafr. — 2 ILII Lafr. ut I prima appareat in ipsa fractura; LII Met. — 4 LIBERI Met. — Restitutio quamquam perfici non potest, tamen in universum titulum intellegimus scriptum fuisse in hunc fere modum: *[C. Valerius] C. Ↄ. l. L. . . . . .* (deest filii nomen) *[V]aleri[a C. f. P]rima V[aleria C. f. Li]cinian[a f]ilii expoliendu[m e]t pingendum [et ornandum l]aminis(?) [et te]nto[ris et] tabulis pictis et m[armorea tabul]a fast[orum A]pril(is) libert[i arb(itratu)] com . . . . . . [d]e s(uo) [curaverunt?]*

1 A·K·IAN·F
2 B F
3 C C
4 D C
5 E NON·F
6 F F
7 G C
8 H C
9 A AGON
10 B EN
11 C CAR·NP
12 D C
13 E EID·NP
14 F EN DIES VITIOS
15 G CAR EX·S·C
16 H C
17 A C
18 B C
19 C C
20 D C
21 E C
22 F C
23 G C
24 H C
25 A C
26 B C
27 C C
28 D C
29 E F
30 F N
31 G C

1 H·K·FEB·N
2 A N
3 B N
4 C N
5 D NON
6 E N
7 F N
8 G N
9 H N
10 A N
11 B N
12 C N
13 D EID·NP
14 E N
15 F LVPER·NP
16 G EN
17 H QVIR·NP
18 A C
19 B C
20 C C
21 D FERAL F
22 E C
23 F TER·NP
24 G REGIF N
25 H C
26 A EN
27 B EQ NP
28 C C

1 D·K·MAR·NP
2 E F
3 F C
4 G C
5 H C HOC DIE
6 A NP CAESAR·PONTIF MAXIM·FACT·EST
7 B NON·F
8 C F
9 D C
10 E C
11 F C
12 G C
13 H EN
14 A EQ·NP
15 B EID·NP
16 C F
17 D LIB·NP
18 E C
19 F QVIN·N
20 G C
21 H C
22 A N
23 B TVBIL·NP
24 C Q·REX·C·F
25 D C
26 E C
27 F NP HOC DIE CAESAR
28 G C ALEXAND RECEPIT
29 H C
30 A C
31 B C

Singulis mensibus dierum numerum (XXXI—XXIIX—XXX) subscribunt Man. Ald. — Puncta ubi lapis hodie non extat dedi ad exemplum Pighianum.

6 sic Lafrerius Pigh. Met. (hic PONTIF); PONT·MAX·FACTVS (om. EST) Manut., PONTIF·MAX·FACT·EST Ald.
31 CC Pigh. errore calami.

1	C·K·A*pr*		
2	D		
3	E	C	
4	F	C	LVDI MATR·MAG
5	G	NON	LVDI
6	H	NP	LVDI
7	A	N	LVDI
8	B	N	LVDI
9	C	N	LVDI
10	D	N	LVD·IN CIR
11	E	N	
12	F	N	LVDI CERERI
13	G	EID·NP	
14	H	N	LVDI LVDI
15	A	FORD·NP	LVDI
16	B	N	LVDI
17	C	N	LVDI
18	D	N	LVDI
19	E	CER·N	LVD INCIR
20	F	N	
21	G	PAR·NP	
22	H	N	
23	A	VIN·NP	
24	B	C	
25	C	ROB NP	
26	D	F	
27	E	C	
28	F	NP	LVD·FLOR
29	G	C	LVDI
30	H	C	LVDI

1	*a*	*k. mai*	
2	*b*		
3	*c*		
4	D		
5	E	C	
6	F	C	
7	G	NON·N	
8	H	F	
9	A	LEM·N	
10	B	C	
11	C	LEM·N	
12	D	NP	LVD·MART IN·CIRC
13	E	LEM·N	
14	F	C	
15	G	EID·NP	
16	H	F	
17	A	C	
18	B	C	
19	C	C	
20	D	C	
21	E	AGON·NP	
22	F	N	
23	G	TVB·NP	
24	H	Q·REX·C·F	
25	A	C	
26	B	C	
27	C	C	
28	D	C	
29	E	C	
30	F	C	
31	G	C	

1	*h.*	*k. iu*N N	
2	*a*		
3	*b*	C	
4	C	C	
5	D	NON	
6	E	N	
7	F	N	
8	G	N	MENTI IN CAPIT
9	H	VEST·N	FER VESTAE
10	A	N	
11	B	MATR·N	
12	C	N	
13	D	EID·N	
14	E	N	
15	F	Q·ST·D·F	
16	G	C	
17	H	C	
18	A	C	
19	B	C	
20	C	C	
21	D	C	
22	E	C	
23	F	C	
24	G	C	
25	H	C	
26	A	C	
27	B	C	
28	C	C	
29	D	F	
30	E	C	

1 C·K·A Pigh., C·K· Lafr. Met., C·K·APR·N [Met.] Man. Ald. Smet.
2 D·C [Met.] Man. Ald. Smet.
4 MATRI Ald. — LVDI MATR·MAG om. Man.
5 LVD Lafr. Met. Ald. Smet.
10 CIRC Lafr. Met. Ald., Smetii cod. Neap. (non Smet. Lugd.); 10. 11 D N LVDI || E N CIRC Man.
13 lineam revocatoriam habent Pigh. Lafr. Met.
14 LVDI om. Man. Ald.
15 LVD Lafr. Met. Smet.
19 LVDI IN CIRCO Man.
20 F N Man.
23 NP om. Ald. — A·VIN·NP·VINALIA Man.
25 C·ROB·NP·ROBIGALIA Man.
28 LVDI Smet.

1 A·K·MAI·N [Met.] Man. Ald. Smet.
2 B F·COMP [Met.] Man. Ald. Smet.
3 C C [Met.] Man. Ald. Smet.
4 DEN Lafr. qui litterae C vestigium male videtur accepisse pro littera E fracta; D Met.; om. Pigh.; D C [Met.] Man. Ald. Smet.
24 REX· Man. Ald. Smet. Met., PEX· Lafr., R· Pigh.

1 N N Lafr., . . N N Met., . . N Pigh., H·K·IVN·N [Met.] Man. Ald. Smet.
2 A F MART·CAR·MONET [Met.] Man. Ald. Smet.
3 B C [Met.] Man. Ald. Smet.
8 CATIT Smet.
9 N·FER·VESTAE Pigh. Lafr. Met. Smet. ed., NP·PR VESTAE Man., NP·PR (om. VESTAE) Ald., N (om. FER·VESTAE) Smetii cod. Neap.
13 NP Lafr. solus.
14 E E Pigh. solus.

1	F	K·IVL·N	
2	G	N	
3	H	N	
4	A	NP	
5	B	POPLIF·NP	
6	C	N	LVDI APOLLIN
7	D	NON·N	
8	E	N	LVDI LVDI
9	F	N	LVDI
10	G	C	LVDI
11	H	C	LVDI
12	A	NP	LVDI
13	B	C	LVD·IN·CIR
14	C	C	MERK
15	D	EID·NP	
16	E	F	MERK MERK
17	F	C	MERK
18	G	C	MERK
19	H	LVCAR·NP	
20	A	C	MERK LVD·VICT·CAESAR
21	B	LVCAR	LVD
22	C	C	LVDI
23	D	NEPT·	LVDI
24	E	N	LVDI
25	F	FVRR·NP	
26	G	C	LVDI LVDI
27	H	C	IN CIRC
28	A	C	IN CIRC
29	B	C	IN CIRC
30	C	C	IN CIRC
31	D	C	

5 NP Pigh. Met. Ald. Smet., N Man. Lafr.; lapis tabula indice fractus fuit in ipso angulo litterae NP.
13 LVDI IN CIRC Man.
19 MERC Smet. ed. err. typ. (MERK ms. Lugd.)
21 LVDI Man.
25 LVD Lafr. — Lineam revocatoriam adnotant Pigh. Lafr. Met.

1	E	K *Aug.*	HOC DIE | *caesar in hispan*
2	F	N	... VICIT
3	G	C	
4	H	C	
5	A	NON·F	
6	B	F	
7	C	C	
8	D	C	
9	E	NP	HOC DIE CAESAR HISPALI VIC
10	F	C	
11	G	C	
12	H	C	
13	A	EID·NP	
14	B	F	
15	C	C	
16	D	C	
17	E	PORT·NP	
18	F	C	
19	G	VIN·F·P	
20	H	C	
21	A	CONS·NP	
22	B	EN	
23	C	VOLC·NP	
24	D	C	
25	E	OPIC·NP	
26	F	C	
27	G	VOLT·NP	
28	H	NP	H·D·ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDIC·EST
29	A	F	
30	B	F	
31	C	C	

1 E K·I Pigh., E K I Met., EK Lafr., E·K·AVG·N [Met.] Man. Ald. Smet.
2 F C Lafr., F Met., F C [Met.] Man. Ald. Smet. Pigh. — HOC DIE, mox (VICIT Lafr.; HOC DI, mox VICIT Pigh.; HOC DIE, mox VICIT Met. (nam quod interponitur FER·C·CAESAR·HISP... suppletum est); CIT·VICIT Ciaccon. in notis, quod recepi; FER·HOC DIE C·CAESAR HISP·VICIT Man.; FER·HOC·DIE C CAESAR VICIT·HISP Aldus; HOC DIE C CAESAR \| FER HISP \| VICIT Smet. ed.; HOC DIE \| FER·C·CAESAR \| HISP ....VICIT Smet. cod. Neap. et Met., ad Aug. 2 omnes.
9 HISPALI Lafr. Met. Smet., HISPLI Pigh., HISPALIM Man. Ald. PHARSALIA vel potius PHARSALI in lapide scriptum fuisse conicit Fogginius p. 126, male.
26 C om. Lafr.

1	*d*	*k. sept.*	
2	*e*		
3	F	NP	
4	G	C	LVDI·ROMANI
5	H	NON·F	LVD
6	A	F	LVDI
7	B	C	LVDI
8	C	C	LVDI
9	D	C	LVDI
10	E	C	LVDI
11	F	C	LVDI
12	G	N	LVDI
13	H	EID·NP	
14	A	F	EQVOR·PROB
15	B	N	LVD·ROM·IN CIRC
16	C	C	IN CIRC
17	D	C	IN CIRC
18	E	C	IN CIRC
19	F	C	IN CIRC
20	G	C	MERK
21	H	C	MERK
22	A	C	MERK
23	B	NP	MER·H·D AVGVSTI NATALIS·LVD·CIRC
24	C	C	
25	D	C	
26	E	C	
27	F	C	
28	G	C	
29	H	F	
30	A	C	

1 D·K·SEPT·N \|\| HOC·DIE FER·NEPT [Met.] Man. Ald. et ita Smet., sed HOC·DIE \|\| FER·NEP ad Sept. 2 detrahens.
2 E N [Met.] Man. Ald. Smet.
5 LVDI Man. Ald.
14 AP·F·EQVOR·PROB Man. Ald.
15 N om. Aldus. — LVDI Pigh. solus. — ROMAN Man.
23 MERK pro MER·H Man. — LIS·LVD·CIRC Pigh. Met. Ald. Smet., LIS·LVD·CIR Man., om. Lafr.

1	B	K·OCT·N·
2	C	F
3	D	C
4	E	C
5	F	C
6	G	C
7	H	NON·F
8	A	F
9	B	C
10	C	C
11	D	MEDITR
12	E	AVGVST·NP
13	F	FONT·NP
14	G	EN
15	H	EID·NP
16	A	F
17	B	C
18	C	C
19	D	ARM·NP
20	E	C
21	F	C
22	G	C
23	H	C
24	A	C
25	B	C
26	C	C LVD·VICT
27	D	C LVDI
28	E	C LVDI
29	F	C LVDI
30	G	C LVDI
31	H	C LVDI

1	A·K·	*nou*
2	B	F
3	C	
4	D	
5	E	NO*n*
6	F	F LVDI
7	G	C LVDI
8	H	C LVDI
9	A	C LVDI
10	B	C LVDI
11	C	C LVDI
12	D	C LVDI
13	E	EID·NP EPVL INDICT
14	F	F EQVOR·PROB
15	G	C LVD·PLEB·INCIRC
16	H	C INCIRC
17	A	C INCIRC
18	B	C MERK
19	C	C MERK
20	D	C MERK
21	E	C
22	F	C
23	G	C
24	H	C
25	A	C
26	B	C
27	C	C
28	D	C
29	E	F
30	F	C

1	*g.*	*k. dec*
2	*h*	
3	*a*	
4	*b*	
5	*c*	
6	*d*	
7	E	C
8	F	C
9	G	C
10	H	C
11	A	AGON·NP
12	B	EN
13	C	EID·NP
14	D	F
15	E	CONS·NP
16	F	C
17	G	SAT FERIAE SATVRN
18	H	C
19	A	OPAL·NP
20	B	C
21	C	DIV·NP
22	D	C
23	E	LAR·NP
24	F	C
25	G	C
26	H	C
27	A	C
28	B	C
29	C	F
30	D	F
31	E	C

26 C C LVD·VICT, 27 D C LVDI, 28 E C LVDI } Lafr. solus; 26 C C, 27 D C LVD·VICT, 28 E C LVDI } reliqui omnes, etiam Pighius et Metellus. Illud unum verum esse docuerunt fasti Sabini.

1 A·K· Pigh. Lafr. Smet., A Met., A·K·NOVEM·N [Met.] Man. Ald.
2 B F Pigh. Lafr., B Met. Man. Ald. Smet.
3 C Pigh. Met. Man. Ald. Smet., C F Lafr.
4 D [Met.].
5 E NON F [Met.] Man. Ald., E NON *f* Met. Smet.
14 EQVOR·PROB om. Man.

1 G K DEC N [Met.] Man. Ald.
2 H [Met.] Man. Ald.
3 A [Met.] Man. Ald.
4 B [Met.] Man. Ald.
5 C NON F [Met.] Man. Ald.
6 D [Met.] Man. Ald.
7 C om. Smet., habet in supplementis Met.
17 NP post SAT add. Man.
19 OPALI pro OPAL Man.

Primus edidit fastos Maffeianos Paulus Manutius in libro qui inscribitur 'regum consulum dictatorum ac censorum Romanorum fasti — — — Carolo Sigonio auctore. Eiusdem de nominibus Romanorum liber. Kalendarium vetus Romanum e marmore descriptum et Pauli Manutii de veterum dierum ordine opinio eiusdemque interpretatio literarum, quae in kalendario non ita faciles ad intelligendum videbantur'. Venet. 1555. fol.*). Unde repetiti inveniuntur in aliis Manutiorum libris, ut in Pauli Manutii epistolarum et praefationum ed. altera (Venet. 1560) f. 125 sq., item ad calcem orthographiae Aldi filii (Venet. 1566), in qua editione tamen Aldus emendavit mendas potiores a patre admissas. — Exscripsit deinde ex ipso saxo omnino Pighius in libro scripto bibl. Berol. ms. Lat. fol. n. 96 inscripto: 'in fastos Romanorum pontificales commentaria ex ordine et ductu tabulae cuiusdam marmoreae antiquae, quae hacteuus Romae servatur in aedibus Maphaeorum per Steph. Vinandum Pighium'. Autographum hoc exemplum insertum commentariis inchoatis (deficiunt enim in mense Februario) f. 35. 36 expressit accurate Merkelius in praef. ad Ovidii fastos (Berol. 1841) p. XII—XV. — Tertium quod extat exemplum exhibet tabula, quae incisa est nescio a quo, prodiit primum in Lafrerii speculo Romanae magnificentiae edito Romae a. 1575 vel paulo post**). Cuius ante quam ederetur sic mentionem inicit Pighius in syll. Berol. f. 127: '*puto impressam extare* (tabulam Maffeianam) *et brevi iterum ab Antonio Lanfredio* (sic) *imprimendam*'. Eadem tabula permittente qui tum fuit domino eius adiecta est libro Francisci Blanchini Veronensis de kalendario et cyclo Caesaris (Rom. 1703. 4.) ad p. 6 (cf. p. 11). Tabula autem, quam Benedictus Arias Montanus Antverpiae apud Plantiuum a. 1574 aere exprimendam curavit additis brevibus notis Petri Thsaconii sive Ciacconii Toletani, quam ipsam non vidi cuiusque praeter Saxii qui vidit de ea testimonium (praef. ad Vaassenum p. XIV) ad manus non est nisi repetita editio in Graevii thes. antiq. Rom. vol. VIII p. 13—18, ita comparata est, ut appareat Lafrerianam paulo ante ut videtur incisam et tum fortasse adhuc ineditam chalcographum imitatum esse. Quae non ex lapide, sed ex supplemento adiecit Lafrerius in initiis mensium Aprilis Maii Iunii Augusti Septembris Novembris Decembris, ita in tabula exhibentur, ut nemo cum genuinis confundere queat harum rerum peritus. — Quartum denique exemplum Ligorianum emendatum ab Hegio et Metello reperitur et in Metelli libro scripto Vaticano 6034 f. 1 (unde praefationem omisso tamen auctoris nomine et subinde corruptam protulit Fogginius p. 99; quam Antonii Augustini esse coniecit Marinius eph. Pis. 41 p. 287) et apud Smetium cum in codice bibliothecae publicae Neapolitanae (de quo egit Rossius in actis menstruis acad. Berol. a. 1858 p. 631) f. 27. 28 tum in libro scripto Lugdunensis bibliothecae et in edito volumine f. 35. Smetius ita praefatus est: 'haec observavit et adoravit Benedictus Hegius Spoletinus, e cuius exemplari tabulam ipsam descripsi, quam egomet obiter tantum ac veluti per transennam vidi'. Metellus autem haec praemisit: 'exscripsi ex Pyrrhi Logori (sic) Neapolitani pictoris exemplo, quod ipse sumpserat diligentissime et ex ipso saxo. Contuli cum scriptura Benedicti Aegii, qui ex ipso quoque saxo. Ego deinde ex ipso saxo. — — Tabula — — amisso titulo lacera quidem parte superiore, ut nos expressimus. — — Frustula tituli amissa non contuli; ea exscripsit Pyrrhus ipse ex ipsis frustis, quae fuerant penes quendam Hieronymum. Sunt autem illa Aprilis et Maii, Augusti et Septembris, Novembris et Decembris, quae nos apparere non posse pictura indicavimus. Alia frusta ipsi tabulae assuta nullo tamen ordine sunt. Haec omnia et ipsas etiam lacunas, quae aliquot locis erant, ut potuimus et imitati sumus et restituimus. Quod tabula pertenuis est et candidissimi marmoris, supra multis locis corrupta est et media parte et infra rupta; fragmenta tamen coniuncta aptataque loco suo sunt'. Exemplum subiunctum, cuius ectypum diligentissime factum Rossius misit, ita ut indicat Metellus monstrat tabulam scissam et diruptam una cum praescriptionis reliquiis diligenter depictam, additas autem extra lineas quae fracturam indicant particulas mensium Aprilis Maii Iunii Augusti Septembris Novembris Decembris ab iis quae in Manutiana editione comparent non diversas. Contra exempla Smetiana tam scripta quam edita et praescriptionem praetermittunt et quae non viderunt in lapide boni auctores, non distinguunt nisi in mensibus Novembri et Decembri, ubi addita est nota haec: 'haec particula tota desideratur quemadmodum et titulus superior maiusculis scriptus, cuius tantum fragmenta quaedam supersunt.' — His exemplis standum est, nam quae praeterea extant ut Fabricianum in antiq. ed. 1587 p. 174 ex Manutio exscriptum, Scaligeri in libro de emend. temp. p. 232 ed. 1629 ex eodem Manutio depromptum, Gruteri 133 expressum ex Smetio, auctum vero in ed. 2 ex tabula Graeviani thesauri Lafreriana, alia innumera, ad lectionem constituendam nullam propriam utilitatem habent. Denique plane inutilis est commentariolus Antonii de Rossi *illustrazione del Calendario Maffeano* Rom. 1827. 8. pp. 91.

Variam lectionem dedimus Manutii scilicet Pauli, Aldi filii, Smetii tam librorum scriptorum Neapolitani et Lugdunensis quam editi, Metelli, apud quem quae leguntur ex Ligorianis supplementis extra lineas, distinximus nomine uncis quadratis circumsaepto [Met.], Pighii, Lafrerii. De quorum auctoritate in universum

*) Haec editio non habet Sigonii in fastos commentarios; contra in commentariorum Sigonianorum editionibus, quarum princeps prodiit a. 1556, non reperiuntur fasti Maffeiani. Fabricius cum de his scribit ita (antiq. l. III p. 174 ed. 1587): 'editum initio est (kalendarium) a Carolo Sigonio, renovatum a Raphaele Cyllenio, expositum a Paulo Manutio', male exscripsit epistulam Pauli Manutii ad Duditium, cui in ed. a. 1560 supra citata fasti hi adiuncti sunt, ubi sic ait Paulus: 'kalendarium Romanum vetus cum opinione mea de ratione veterum dierum et necessaria litterarum interpretatione saepe iam a te rogatum quia nec ipse habebam nec reperire facillimum fuit, mitto serius, acceptum a familiari meo viro probo et erudito Rhaphaele Cyllenio. Describes et remittes, quoniam quae sunt olim impressa cum Sigonii fastis, nullum ex iis iam pridem venale superest. In hoc autem ut aliquid a me praecipuum haberes itidem ut ego te praecipue diligo, quaedam videbis immutata nec opinor improbabis'. Apparet Manutium Duditio misisse ipsius illius editionis a. 1555 exemplum a Cyllenio sibi commodatum et a se passim emendatum. Frustra igitur tam de Sigoniana quam de Cylleniana huius tabulae editione quaesivit Saxius in praef. ad Vaassenum p. XIII sq.

**) Artis historiae imprimis gnarus Cerrotius Romanus praefectus bibliothecae Corsinianae, quem de Lafrerii speculo mea causa interrogavit Henzenus, respondit collectionem eam constare tabulis incisis cum ab aliis artificibus tum a Stephano Dupérac annis diversis; in editione quae secunda creditur (nam de prima parum constare) numerari tabulas 118 annis in iis indicatis inde a 1544 ad 1575; incisas eas esse iubente Antonio Lafrerio negotiante Romano; eo mortuo eas pervenisse ad negotiantes alios Claudium Buchettium Lafrerii nepotem, qui novam editionem procuravit a. 1582; deinde saec. XVII incipiente ad Henricum van Schoel (quem cave confundas cum artifice eiusdem nominis saec. XVI); postremo ad Io. Iac. de Rubeis (de' Rossi) Romae ad templum S. Mariae de Pace degentem. Unde in fastorum Maffeianorum tabulae Lafrerianae exemplo, quod nactus sum solitarium nec desectum ex libro Blanchiniano, adiecta est subscriptio 'Henricus Vanschoel excudit'; item in exemplo Blanchiniano praeter Vanschoelii etiam Rubei nomen cernitur subscriptum.

hoc tenendum est exemplum primum editum a Paulo Manutio Aldum filium, Pighium, Hegium, Metellum cum lapide contulisse et emaculasse, abstinuisse illo et ad unum lapidem respexisse eum solum qui Lafrerii iussu tabulam in aes incidit. Quod ita esse maxime demonstrat erratum de ludis Victoriae, quibus cum reliqui omnes tum ipsi diligentissimi homines Pighius et Metellus quinque tantum extremos Octobris dies tribuerunt, sextum praeterea dat sola tabula Lafreriana, id quod verum esse iam constat reperto hemerologio Sabino. Cavendum igitur est, ne illorum auctorum consensui nimium tribuamus, scilicet in iis, quae vel diligens vir et peritus in conferendo praetereat. — Eius partis tabulae quam Pighius Lafreriusque viderunt Manutius exemplum dedit non satis accuratum, sed uno tantum loco interpolatum, nempe Dec. 17, ubi NP additur contra reliquos omnes. Praeterea vero plus habet Manutius haec ab Aldo et Smetio retenta, a Metello extra lineas collocata, a Pighio Lafrerioque abiecta: Mai. 2 COMP; Iun. 2 MART · CAR · MONET; Aug. 2 FER · [HOC · DIE] · C · CAESAR · HISP · [VICIT], quorum boni auctores non habent nisi uncis inclusa; Sept. 1 HOC · DIE · FER · NEPT. Praeterea adscripsit diebus Apr. 1, Mai. 1, Aug. 1, Sept. 1. 2, Nov. 1, Dec. 1 litteram N; Apr. 2, Mai. 3. 4, Aug. 2 litteram C; Mai. 2, Iun. 2, Nov. 5, Dec. 5 litteram F. Inter quae non pauca sunt, quae manifesta prae se ferant interpolationis indicia. Ita Iun. 2 MART · CAR · MONET aperte petita sunt ex Ovidianis versibus ad Iun. 1 pertinentibus, sive ipsum Ovidii librum (6, 101. 183. 191) adhibuit interpolator, sive fastos quales in Ovidianis codicibus editionibusque solent inveniri; exempli causa complures libri scripti apud Merkelium praef. p. LVII sic habent: *kl. Iunii. Carnae Monetae Martis Tempestatis* neque multum discedit Aldina editio a. 1516, ubi sic est: *k. Iun. Carnae. Iunoni Monetae templ. pos. Marti extra portam Capenam.* Item ad Aug. 2 quae adscribuntur FER · HOC · DIE · C · CAESAR · HISP · VICIT adscita sunt ex fastis Vallensibus, ubi eodem die sic est: FERIAE · QVOD · HOC · DIE · IMP · CAESAR · HISPANIAM · CITERIOREM · VICIT, neque umquam fuisse in tabula Maffeiana vocabulum FER, sed adnotationem incepisse a verbis HOC · DIE cum proba exempla perdocent tum ipsa transpositio huius rei causa ab Hegio facta. Praeterea et in notis dierum Mai 2. 3. 4. Iun. 2 restituendis et in numero dierum singulis mensibus subnotando adhibita videtur esse tabula Venusina. Reliquarum notarum causa certa et origo indicari nequeunt, nisi quod modo analogiam quandam in iis secutus esse videtur interpolator (ita cum ex sex kalendarum diebus in lapide servatis quattuor notam N adscriptam habere videret, reliquas sex kalendas item nefastas esse voluit; similiter nonas Novembres et Decembres notavit littera F propter similem notationem in mensibus quinque), modo fortasse absurde solvit quae non intellegeret, quo referri possunt feriae Neptuni ad Sept. 1 adscriptae, ortae opinor ex adnotatione statim sequente FNP. Suspecta autem vel ut verum dicam falsa haec esse omnia satis ostendit cum ipsa scribendi ratio interdum absurda, maxime notae ad Sept. 1 HOC · DIE FER NEPT, ubi secundum huius tabulae usum omnino omitti debuit HOC · DIE, tum quod adnotationes hae cum dierum tum festorum pleraeque pugnant cum reliquis non dubiae auctoritatis fastis. Quam ob rem additamenta Manutiana non solum falsa esse iudico, sed ita comparata, ut qui ea addidit tabulam fractam non antiqua levitate suppleverit, sed mala fraude interpolarit. Quae culpa quoniam in Manutium non cadit hominem probum et doctum, referenda est omnino ad eum hominem qui exemplum Roma ad Manutium missum concinnavit; qui fuit sine dubio merito infamis Pyrrhus Ligorius. Hunc enim aequalis auctor Metellus refert descripsisse apud Hieronymum quendam ea ipsa de quibus agitur nemini praeterea visa tituli frustula, sane ea et semidoctae inventionis et fraudis audaciae nomine Ligorio digna. Coeptae sunt spargi fraudes Ligorianae inde ab anno c. 1550; quo facile fieri potuit, ut a. 1555 tabula Maffeiana a Ligorio interpolata Venetias mitteretur ad Paulum Manutium. — Lafrerianam tabulam qui confecit, additamenta haec ne cum externa quidem tabulae specie recte concilianda ita abiecit, ut praeter kalendarum nonarumque indicationem litterarumque nundinalium continuationem tres dierum notas retineret Apr. 2 C, Iun. 2 F, Sept. 2 N. Pighius pro sua prudentia additamenta ista expulit omnia. — Praescriptionem, quam fortasse describere noluit Ligorius, Manutii duo Smetius Pighiusque non habent neque eam servaverunt nisi liber Metelli et aes Lafrerianum. — Ceterum quod ad singula exempla attinet, Manutius, qui Ligorianum simpliciter videtur expressisse, nec versuum ordinem retinuit in adnotationibus nec litteras minores a maioribus distinxit. Aldi filii exemplum est ipsum Manutianum quibusdam locis emendatum relictis naevis aliis non paucis servatisque supplementis; versuum ordinem non magis retinet quam pater maioribusque litteris scripta quamquam distinguere voluit, tamen saepissime in ea re peccavit. Smetiana denique exempla praeterea accurate excepta tamen, quoniam Ligoriana additamenta ab antiqua parte non discreverunt, non multam utilitatem habent. Unde in parte deperdita crisis redit fere ad tria exempla Metelli Pighii Lafrerii.

VII. ESQVILINI
(ante a. 757).

In aula palatii S. Martini in tabula marmorea, cuius maxima ex parte litterae collapsae sunt' *Redianus liber.* 'Romae in S. Martino in montibus sunt haec duo fragmenta duorum mensium' *Iucundus.* 'Tabula marmorea in S. Martino in montibus in Esquiliis' *Smetius,* 'qui notat infimae tabulae superpositam esse columellam primae X ex XXX partem inferiorem tegentem. 'Characteres in marmore perfectissimi sunt exceptis CEF quae hac omnino proportione factae sunt' *Smetii cod. Neapol.*

Mai.

20	D	C	
21	E	AGO·NP	
22	F	N	
23	G	TVBIL·NP	
24	H	Q·R·C·F	
25	A	C	FORTVN · PVBLIC · PR · INCOLL
26	B	C	
27	C	C	
28	D	C	
29	E	C	
30	F	C	
31	G	C	
	XXXI		
	MARS		

Iun.

18	A	C	
19	B	C	MINERVAE · IN AVENTINO
20	C	C	SVMMAN · AD CIRC · MAX
21	D	C	
22	E	C	
23	F	C	
24	G	C	FORT·PORT·T·/·AD MIL I ET ui
25	H	C	
26	A	C	
27	B	C	
28	C	C	
29	D	F	
30	E	C	
	XXX		

Mai. in. ABC praemittit Red.
21 AGONVS pro AGO · NP Red.
23 N pro NP Red.
25 A · C · INBICI · R · INCOLI } *Red.*
26 B · C · FORTVN · PVBLICI · IN · COL · }
27—31 C om. Red.

Iun. 19 B · C · MINER · IN · AVENTINO } Red. (sic)
20 C · C · MINER · IN · AVENTINO }
20 SVMMAM Iuc.
24 FORT · FORT · ET · AD XIIII ET Smet. Lugd., dubitans de XIIII; FORT · FORT · ET AD XIII ////// Smet. Neap. (PI AD MIL III); FORT · FORT · TI AD XIII · III · Iuc., aperta dittographia; FORT · EOA reliquis omissis Red. Emendavi ex fastis Amiterninis; quamquam sic admittenda fuit praeterea nusquam visa nota T · T · pro *trans Tiberim.*

Habet iam Redianus codex scriptus a. 1474 p. 32 v. 2, unde v. l. enotavit Gudius ms. p. 967. Aliunde Iucundus cod. Ver. f. 121; quod exemplum prodiit et in sylloge quae a. 1509 edita esse creditur (vide supra p. 293) et multo melius in Aldi Manutii ed. operum Ovidii ante vol. 3 (Venet. 1515). Denuo ex lapide Smetius et in cod. ms. bibl. Neap. et in cod. Lugd. editioneque f. 36, 1 (inde Grut. 135, 1).

VIII. FERIALE CVMANVM
(post a. 757).

Cumis reperit de Iorio, qui fragmentum maius dono misit instituto archaeologico Romam, minus intulit museo Neapolitano.

*xiiii. k. septembr. eo die caesar pri*MVM · CONSVLATVM · *inіit* .....
.... *eo . die exerc*ITVS · LEPIDI · TRADIDIT · SE · CAESARI · SVPPLI*catio* .....
*viiii k. octobr. n*ATALIS · CAESARIS · IMMOLATIO · CAESARI · HOSTIA · SVPPICATIO ..... sic
NONIS · OCTOBR · D*r*VSI · CAESARIS · NATALIS · SVPPLICATIO · VESTAE
XV K · NOVIMBR · EO DIE · CAESAR · TOGAM VIRILEM · SVMPSIT · SVPPLICATIO · SPEI · ET · IVVE*ntuti*
XVI · K · DICEMBR · NATALIS TI · CAESARIS · SVPPLICATIO VESTAE
XVIII · K · IANVAR · EO DIE AR*A* · FORTVNAE · REDVCIS · DEDICATAST · QVAE · CAESAREM · A*ug. ex transmari*
NIS · PROVINCIS · RED*uxit* SVPPLICATIO · FORTVNAE · REDVCI
VII · IDVS · IANVAR · E*o die caesar* PRIMVM · FASCES SVMPSIT · SVPPICATIO · IOVI sic
III · K · FEBR · EO DI*e caesar augustu*S APPELLATVS · EST · SVPPLICATIO · AV*gusti numini*
iii. k. febr. eo die ara pacis dedicata EST · SVPPLICATIO · IMPER*atoris genio* ....
et paci augustae
non. febr. eo. die. imp. caesar aug. pont. max IM*us pater patriae appellatus est supplicatio* .....
*prid. non. mart. eo die caesar pontifex ma*XIM*us factus est supplicatio* ....

Fragmentum maius post Guarinium ed. Kellermannus (diss. de calendarii Cumani fragmento in O. Iahnii specimine epigraphico p. 1—22) adiecta tabula; minus descripsi ego et superiori adiunxi I. N. 2557. Puncta saepe supra versum collocantur.

Recte omnino Kellermannus tabulam hanc vivo Augusto incisam feriale iudicavit esse templi alicuius Caesari Augusto dedicati; nec mirum ferias easdem ibi observari quas novimus ex monumentis urbanis. Cf. decretum Pisanum de L. Caesare (Orell. 642): *quod ad cetera solemnia, quae eodem illo die vitari caverique placuissent placerentque, id sequendum, quod de iis senatus p(opuli) R(omani) censuisset.* — Supplementa pleraque sunt Kellermanni Borghesianamque doctrinam prae se ferunt. Eidem fere parui etiam in extremis versibus interpretandis, quamquam supplementa eorum quam incerta sint, facile apparet; Kellermanno ipsi duos extremos versus ex subscriptione magis visum est remansisse.

IX. PRAENESTINI

(inter a. 752 et 763).

M. Verrius Flaccus, inquit Suetonius (de gramm. c. 17) '*statuam habet in inferiore* (*superiore* codd. deteriores) *fori parte circa* (*contra* deteriores) *hemicyclium, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicarat*. Statuae eius confinxit Ligorius (in cuius schedis legitur Neapol. XXXV p. 210; Vatic. olim Barber. 11) inscriptionem hanc, quam exhibent Donius cod. Vat. 7113 p. 44 (manu Donii, qui dicit descripsisse eam Menestrierium), ed. 5, 120 (inde Mur. 618, 3) ex schedis Vaticanis; Sponius p. 195 ex schedis Barberinis; Fabrettius 486, 162 ex iisdem: *Q. Verrio Q. f. Pal.* | *Flacco* | *seviro Augustali* | *curatori muneris publici* | *decreto statuam et fas* | *ordo decurionum et Augustalium* | *et pleps universa s. p. p. p. d. p.* Curatorem muneris publici petiit falsarius ex titulo item Praenestino Orell. 2532. — Fastorum autem Praenestinorum primus *Ursinus* a. 1577 de mense Februario edidit particulam, quam cum adnotet extare Praeneste, ea quo loco reperta sit quove deinde pervenerit ignoratur. Postea anno 1771 (nam hunc annum habet Björnstâhl in epistula scripta Romae d. 24. Febr. 1772, cum a. 1773 indicent Fogginius et Petrinius) prodierunt ibidem frustula complura quattuor mensium Ianuarii Martii Aprilis Decembris. Menses in sua quisque tabula marmorea scripti fuerunt, olim tamen inter se iuncti, cum in tabulis Aprilis et Decembris ante nundinales litteras quaedam compareant quae pertinent ad Martium et Novembrem. Tabulae longae sunt palmos c. 14, latae Ianuarii et Decembris palmos c. 2½, Martii et Aprilis aliquanto minus, crassae ad minimum (nam non eadem est crassities in omnibus tabulis) uncias 2. A tergo laevigatae sunt praeter tabulam Martii, quae rudis remansit. Ianuarii et Decembris tabulae superficiem habent planam, Aprilis et Martii concavam leviter; steterunt scilicet olim ad hemicyclium operis latericii columnis ornatum, cuius ruinae eodem tempore repertae sunt, circuitu palmorum c. 56, diametro palmorum c. 28. — Locus, ubi prodierunt hemicyclii ruinae, iam titulo signatus memoriae causa a Fogginio ibidem statuto, hodie dicitur *le Quadrelle* estque seminarii clericorum dioecesis Praenestinae. Distare eum ab oppido stadia XX et inter eum in planitie situm oppidumque monti impositum interiectam esse necropolin antiquam auctor mihi est Petrus Rosa agri Romani hodie omnium facile peritissimus. Fogginius addit regionem *le Quadrelle* separari vallicula quadam a ruinis domus Augustae Praenestinae; hanc fuisse item in planitie ibi ubi nunc est ecclesia S. Mariae *della Villa* et posticam hemicyclii partem prospexisse. Forum Praenestinum locorum periti credunt fuisse loco superiore supra bivium viarum Praenestinae et Labicanae et a vinea, quae adiacet ad S. Luciae aedem, vergere ad aediculam S. Mariae *dell' Aquila* (cf. Foggini p. VI; Petrini *mem. Prenest.* p. 59; Nibby *analisi* vol. 2 p. 513. 515); ita forum cum longe remotum esset ab hemicyclio in planitie posito, tamen statuae in inferiore illius parte positae despiciebant in hemicyclium. Ita excusari poterit, quod inferiorem partem fori Praenestini Suetonius cum hemicyclio quodammodo coniunxit, quamquam omnino minus accurate hic locutus videtur esse; certe propter ea Suetonii verba nullo modo in dubium vocabimus fastos in Praenestino hemicyclio repertos eos ipsos esse, quos teste Suetonio ibidem Verrius publicarit. — Frusta primum casu in lucem prolata cum initio contemnerentur, eorum pars fortasse interiit; deinde quaedam eorum in potestatem venerunt praesulis Leonardi Cecconii eaque descripta Fogginio obtulit Petrus Antonius Petrinius; iam re intellecta episcopus Praenestinus cardinalis Iohannes Franciscus Stoppanius locum explorari iussit nec tamen perquisitio ruinarum recte perfecta est, operis domino in diuturnum morbum incidente. Reperta fragmenta et ad se delata Fogginius ad antiquum ordinem disposuit et quattuor thecis ligneis altitudine et latitudine pristinas tabulas aequantibus inclusit lacunis gypso tomentoque impletis; sic denique ordinatas tabulas collocavit a. 1774 Romae in domo Stoppania nunc cardinalis Vidoni, in qua adhuc adservantur. — Haec fere excerpsimus ex Fogginii praefatione. De hemicyclio conferendus est praeterea Björnstâhl (*Resa* Stockholmii 1780 vol. 1 p. 27). Mea causa ab Henzeno rogatus locum adiit Cicerchia et sic fere rettulit hemicyclium adhuc superesse ita fere ut inventum est ornamentis omnibus destitutum marmoribusque nudatum; horum complura boni artificii indicia prae se ferentia ibi prope iacere in solo; retectam autem non esse nisi partem dimidiam viderique deperditarum hodie tabularum alia fragmenta posse recuperari, cum praesertim lapides complures litterarum vestigia habentes ad ipsum hemicyclium in terra sparsi offendantur. — Cum hemerologio hoc in eodem hemicyclio coniunctos stetisse fastos municipales Fogginius p. XIV credit propter complura eius generis fragmenta ad hemicyclium una cum fastis inventa, quorum hoc solum edidit repetieruntque post eum Petrinius (*mem. Prenest.* p. 324) et Orellius n. 3874:

*ge*RMANICVS · CAESAR · DRVSVS · CAESAR · QVINQ		
. . COMINIVS · BASSVS · QVINQVENNALI		v. 2 COMINVS,
ORDINE · EX · S · C		
M · PETRONIVS · RVFVS	PRAEF	
C · DIN*d*IVS · CN · EGNATIVS	AED	v. 5 DINOIVS Fogg.
C · LVCIVS · RVFVS · C · THORENAS	Q	
CN · PONTIVS · RVSTICVS FLAMEN		
CAESARIS · AVGVSTI		

Non recte tamen frusta haec divelluntur a ceteris reliquiis fastorum Praenestinorum tam municipalium quam consularium, quae a. 1778 in foro Praenestino repertae esse dicuntur legunturque infra editae ab Henzeno. Quare aut de loco inventionis alteruter auctorum erravit aut pars horum fragmentorum reperta est loco non antiquo; videntur autem fasti consulares et municipales Praeneste stetisse in foro, hemerologium in campo ad hemicyclium.

MENSIS IANVARIVS.

appellatVR · IN · LATIO
sacrificAT · LIBO · QVOD

ianual vocatur

a e s c u LAPIO · VEDIOVI · IN · INSVLA · HAE · ET
c e t e LAE · CALENDAE APPELLANTVR · QVIA
p r i MVS · IS · DIES · EST · QVOS · PONTIFEX · MINOR · QVO
v i s MENSE · AD · NONAS · SINgulas edicit
1 a k i a n f in capiTOLIO · IN · CVRIA · CALAbra annus NO
vus incipitQVIA · EO · DIE · MAG · IN · EVNT · QVOD · COEPIT
p. r. C A DCI

2 b iiii f hic dies fastus est fasti dies appeLLANTVR · QVOD · IIS · LICET · FARI · APVD
praetorem ut nefasti quibus certIS VERBIS · LEGE · AGI · NON · POTEST · IDEM
religiosus est ut sunt dies posTRIDIE · OMNIS · CALENDAS · QVOD · IIS
sacrificium non fit

3 c iii C comitiales dies appellantur cum populVS · COIRE · CONVOCARE · COGI · POTEST
AC LEGE agi item licet
QVEM LEGE
LEGE · AGI · NON

4 D PR C

5 e n o n f

6 F viii f hic DIES religiosus est ut sunt postridie omnes nonas ob eandem
CAVSSAM quod postridie omnes calendas

7 G vii C IMP CAESAR · AVGVSTus primum fasces sumpsit
HIRTIO · ET · PANSA cos
VII · VIR · EPVL · CREATVS est

8 H VI C SIGNVM IVSTITIAE AVGVStae dedicatum
ET SILIO COS

9 A V AGON

AGONIA
AVT · QVIA
HAEC · NOTA · SIGNIFicat diem intercisum nam endo olim
10 B IIII EN PRO · IN · PONEBATVR die intercisо nefas est mane ante
QVAM · HOSTIA · INMOLetur et post exta porrecta rursus
NEFAS · FIT / ITAQVE · SAepe responsum est medio tempore
LICERE · AGI TI · CAESAR

11 C III KARM

partus curat omniaque
FVTVRA · OB · QVAM · CAusam in aede eius cavetur ab scorteis omnique
12 D PR C OMINE · MORTICINO Debellavit imp. caesar augustus tertium
AB · ROMVLO · ET IANVM Clausit se v̄ et appuleio cos.
AVGVSTVS TI CAESAREM ES

FVTA
13 E EID NP ID · EST
NON
AL

CORONA · QVERna uti super ianuam domus imp. caesaris
14 F XIX EN AVGVSTI · PONERetur senatus decrevit quod rem publicam
P · R · RESTITVIt
— VITIOSVS · EX · S c eo quod die postridie idus sacrificium non fit ob
EANDEM CAVSSAM Quod postRIDIE OMNIS · CALENDAS · NON fit

FERIAE · CARmeNTI · OB · EANDEM · CAVSSam quod
15 G XIIX KAR NP III · IDVS · HIC DIES DICITVR INSTITVTVs ab
SI · FIDENAS · EO · DIE CEPISSIT

IMP · CAESAR augustus est aPPELLATVS · IPSO · VII · ET · AGRIPpa iii cos
16 h XVII C CONCORDIAE AVgustae aedis dedicatA EST P · DOLABELLA C · SILANO COS
TI CAESAR EX PANnonia et delmatia triumphAVIT

PONTIFICES Augures xv viri s. f. viiVIR · EPVLONVM · VICTVMAS · IN
17 A XVI C MOLANT · Numini augusti ad aram qVAM · DEDICAVIT · TI · CAESAR
Felicitati quod ti caesar aram AVG PATRI · DEDICAVIT

Ian. 1 adn. v. 2 prima littera aut A fuit aut M.

Ian. 8. Adnotatio haec et Henzeno et Kiesslingio magis visa est esse a manu secunda.

Ian. 12. Fortasse post adn. v. 4 sequebatur quintus, cuius primae litterae fortasse o exile nec satis certum vestigium in ectypo apparet.

MENSIS IANVARIVS.

18	B	XV	C	
19	C	XIIII	C	
20	D	XIII	C	
21	E	XII	C	
22	F	XI	C	
23	G	X	C	
24	H	VIIII	C	
25	A	VIII	C	
26	B	VII	C	
27	C	VI	C	AEDIS *castoris et* POLLVCIS DEDICA*ta est*
28	D	V	C	
29	E	IIII	F	FERIAE EX *s. c. quod eo die ab* IMP CAES*are augusto pont* MAX*imo* MARINA *hunc diem et sequentem* DIVVS·CAESAR·AD*didit ut per eos* AVGERETVR A*nnus*
30	F	III	NP	FERIAE·EX·S·C·QVOD *eo* DIE·ARA PACIS AVGVSTA*e in campo* MARTIO DEDICATA EST·DRVSO·ET·CRISPINO· CO*s*
31	G	PR	C	

XXXI

MENSIS FEBRVARIVS.

5 *d* NON N — CONCORDIAE · IN · ARCE FERIAE · EX · S · C
QVOD · EO · DIE · IMPERATOR · CAESAR · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAXIMVS · TRIB · POTEST · XXI · COS · XIII
A · SENATV · POPVLOQVE · ROMANO · PATER PATRIAE
APPELLATVS

Ursinus de familiis (Rom. 1577) p. 121 (inde Grut. 136, 2) nec diverse Aleander cod. Vat. 9135 f. 254. Male ait Gudius (ad ed. 2 Gruteri) titulum hunc referri a Lazio in commentariorum veterum numismatum specimine (Vindob. 1558 fol.); nam quem Gudius intellexit titulum Lazius f. C 4 affert ex fastis Capitolinis, id est ex supplementis Panvinianis ad a. u. 757 pendentibus ab Ovidio fast. 2, 127.

Litterarum diversitas non enotatur neque observatur vera versuum divisio. — In fine malim APPELLATVST.

MENSIS MARTIVS.

MARTIVS · AB · LATINORVM *marte appel*LANDI · ITAQVE · APVD*i*
ALBANOS · ET · PLEROSQVE *po*PVLOS · LAT*ii* *n*OS · IDEM · FVIT · ANTE
CONDITAM · ROMAM · VT · A*u*TEM · ALII · CRE*du*NT · QVOD · ET · SACRA *sic*
FIVNT · HOC · MENSE

1 D K · MART NP
2 E VI F — FERIAE · MARTI · IVN*o*NI · LVCINAE · EXQVILIIS
QVOD · EO · DIE · AEDIS · EI *dedica*TA · EST · PER · MATRONAS
QVAM VOVERAT ALBIN*ia* VEL · VXOR · SI · PVERVM
QVE · IPSA
3 F V C
4 G IIII C
5 H III C
6 A PR NP — F*eriae ex s c quod eo die i*MP · CAESAR · AVGVST · PONT
*max factus est quir*INIO · ET · VALGIO · C*os* · II · VIRI
O*b eam rem inmolant p*OPVLVS · CORONATVS · FERIATVS
agit
7 B NON F — *vedi*OVI · ARTIS · VEDIOVIS · INTER · DVO
LVCOS
8 C VIII F
9 *d* *vii* C
10 *e* *vi* C — *FERIAE · EX · S · C · Q · e d* *ti caesar pontifex · max · fac est druso et norbano cos.*

Mart. 1. Contra usum fastorum adnotatio huius diei ita scripta est, ut externa specie ad diem sequentem pertinere videatur.

MENSIS MARTIVS.

19 *f* *xiiii* *q u i n* Q·N *rectius tamen alii puta nt dictum ab eo quod hic dies est post diem u idus*
20 *g* *xiii* *quo*D · INLATIO · POST *idus dies simili fere ratione decli*NARENTVR / ARTIFICVM · DIES *quod minervae* AEDIS · IN · AVENTINO · IO · DII · IST *dedicata e sali* FACIVNT · INCOMITIO · SALTV *cum* PONTIFICIBVS · ET · TRIB · CELER
21 H *xii*
22 A XI
23 B X *t u b i l* NP *feriae* MARTI HIC · DIES APPELLATVR · ITA · QVOD IN ATRIO SVTORIO TVBI LVSTRANTVR QVIBVS IN SACRIS VTVNTVR · LVTATIVS QVIDEM · CLAVAM EAM AIT ESSE IN RVINA PALA*ti in*CENSI A GALLIS REPERTAM QVA ROMVLVS VRBEM INAVGVRAVERIT
24 C VIIII *q. r.* C·F HVNC DIEM · PLERIQVE PERPERAM INTERPRETANTES PVTANT APPELLAR*i* QVOD EO DIE EX COMITIO · FVGERIT *rex n*AM NEQVE TARQVINIVS ABIIT EX COMITIO *urbis* ET ALIO QVOQVE MENSE EADEM SVNT *idemque s*IGNIFICANT *Qvare comitiis peractis iudicia* FIERI INDICA*ri iis magis putamus*
25 D VIII
26 E VII
27 *f* *vi*
28 G *v*
29 H *iiii*
30 A *iii* C
31 B PR C LVNAE INAVI*ntino*

XXXI

MENSIS APRILIS.

aprilis a VINIRI · QVOD · EA · CVM *marte iungitur mater aene*AE · REGIS
*latinor*VM · A · QVO · P · R · ORTVS · E*st* ... *ho*c MENSE QVIA
FRVGES·FLORES · ANIMALIAQVE · AC · MARIA·ET TERRAE·APERIVNTVR

1 C K *a* PR·F — FREQVENTER · MVLIERES · SVPPLICANT FORTVNAE VIRILI · HVMILIORES · ETIAM IN · BALINIIS · QVOD · IN · IIS EA PARTE CORPORI*s* VTIQVE · VIRI · NVDANTVR · QVA · FEMINARVM GRATIA · DESIDERATVR

2 *d* *iiii* F

3 *e* III C

4 *f* PR C — LVDI · M · D · M · I · MEGALENSIA · VOCANTVR · QVOD · EA · DEA MIGALE · APPELLATVR NOBILIVM · MVTITATIONES · CENARVM SOLITAE · SVNT · FREQVENTER · FIERI · QVOD · MATER · MAGNA EX · LIBRIS SIBVLLINIS · ARCESSITA · LOCVM · MVTAVIT · EX · PHRYGIA ROMAM

5 G NON·N — LVDI · FORTVNAE · PVBLICAE CITERIO*ri* IN COLLE

6 H VIII NP — LVDI · F · Q · E · D · C · CAESAR · C · F · IN · AFRICA · REGEM *iubam vicit*

9 *c* *u*

*hoc biduo sacrific*IVM · MAXIMV*m*
FORTVNAE · PRIM·G VTRO · EORVM · DIE
ORACLVM·PATET · II · VIRI · VITVLVM · I

10 D *iiii* *n* — LVDI · IN · CIRCO · M · D · M · I · IN · PAL*atio* QVOD · EO DIE · AEDIS · EI DEDICATA · EST

11 E *iii* N

12 F PR N — FRVCTVS

13 G EID

14 *n* H XIIX N

15 *o* A XVII FO *rd*

Apr. 10 Fragmentum quod incipit IVM MAXIMV a Fogginio ita collocatum, ut articulus qui incipit LVDI · IN · CIRCO ad Apr. 12 pertineat, simul ipse p. 43 professus est esse sedis incertae. Ambigit de ea re Henzenus, magis tamen credit coniunctionem, qualem proposuit Fogginius, veram esse et antiquam. At praeter ipsius Fogginii testimonium, qui fragmenta vidit soluta etiam tum itaque longe certius de ea re iudicium proferre potuit, omnino huic coniunctioni refragatur rerum argumentum. Rectissime enim observavit iam Merkelius ad Ovid fast. p. XLIV articulum qui incipit LVDI pertinere ad Apr. 10, vocabulum solitarium FRVCTVS ad Apr. 12. Ita quae praecedunt de sacrificio Fortunae primigeniae videntur adscripta fuisse ad Apr. 9.

MENSIS APRILIS.

16 B XVI N LVDI COS

17 C XV N LV

18 D XIIII N LV

19 E XIII CE *r*

20 F XII N

21 ı G XI PA *r*

EST
DAE Q*vare*
IGNES·TRA*nsiliant*
PRINCIPIO A*nni pastoricii*
REDIGITVR

22 ı H X N

23 A VIIII VIN F I*oui*
M
DED *vini omnis noui libamentum ioui*
CONSECRATVM *est cum latini bello preme*
RENTVR AB · RVTVLIS QVIA MEZENTIVS · REX ETRV*sco*RVM
PACISCEBATVR · SI · SVBSIDIO VENISSIT · OMNIVM · ANNORVM
VINI · FRVCTVM · *Sig · divo · augusto · patri · ad · theatrum · marcell*
— *iulia · augusta · et · Ti · augustus · dedicarunt*
Ti · caesar · togam · virilem · sumpsit · imp · caesare · VII · m · agrippa
III · cos

24 B VIII C

25 C VII ROB NP FERIAE · ROBIGO · VIA · CLAVDIA · AD · MILLIARIVM
V · NE · ROBIGO · FRVMINTIS · NOCEAT · SACRIFICIV*m*
ET · LVDI · CVRSORIBVS MAIORIBVS MINORIBVSQ
FIVNT · FESTVS EST PVERORVM LLNONIORVM *sic*
QVIA PROXIMVS · SVPERIOR MERITRICVM EST

26 D VI F HVNC · DIEM · DIVVS · CAESAR · ADDIDIT

27 E V C

LVDI FLORAE FERIAE · EX · S · C · QVOD · EO · DI*e aedicul*A · ET · *ara*
VESTAE · INDOMV · IMP CAESARIS · AVGV*sti* PONTIF · MAX
DEDICATAST QVIRINIO ET VALGIO · COS EODEM
DIE · AEDIS · FLORAE QVAE · REBVS FLORESCENDIS PRAEEST
DEDICATA EST · PROPTER · STERILITATEM · FRVGVM

28 F IIII NP

29 G III C LVDI

30 H PR C LVDI

XXX

Apr. 21 post PA deprehendere sibi visus est Fogginius p. 56 litterae L vestigium, quod neque ego vidi nec reperit quaerens Henzenus.

MENSIS DECEMBER.

8 F VI C
9 G V C
10 H IIII C TR *pl. mag. ineunt*
11 A III AG
12 B PR EN
13 C EID *n'* *telluri et cere*RI · IN · CARINIS · /AEDI *tui* ET · LECTISTERNIVM · E · LEC *tis ... faciunt quod* MANCEPS · PRAESTAT
14 D XIX F
15 E XIIX CONS NP FERIAE · CONSO · EQVI · ET *muli floribus coronantur* QVOD · IN · EIVS · TV*mulo* ...QVE REX · EQVO *uectus*
16 F XVII C
17 G XVI

Dec. 13 fragmentum hoc certa sede carens non recte a Hogginio adiunctum est ad Dec. 15.

MENSIS *DECEMBER.*

21 *c xii d i* VA·NP FERIAE DIVA*e angeronae quae ab anginae morbo* APPELL*atur quod remedia eius quondam* PRAE*cepit statuerunt eam ore obligato* IN·A·R*a uolupiae ut qui no*SSET·N*omen* OCCVL*tum urbis taceret s*VNT TAMEN· *qui fieri id sacru*M·AIVNT·OB·AN*num nouum mani*FESTVM·ESSE·*enim principiu*M *a*NNI·NOV*i*

22 *d xi c* *laribus perma*RINIS·IN PORT*icu mi*NVCIA

23 *e x l a* R·NP *fer*IAE IOVI·*e*·ACCAE LARENTIN*ae parentalia fiunt* HANC·ALII·REMI·ET·ROM*uli nutricem alii* MERETRICEM·HERCVLIS·SCORTVM *fuisse dic*VNT PARENTARI·EI·PVBLICE·QVOD·P·R·H*eredem fec*ERIT MAGNAE·PECVNIAE·QVAM·ACCEPE*rat testame*NTO TARVTILI·AMATORIS·SVI

24 F viiii

25 G VIII C

26 *h* VII C

27 A VI C

28 B V C

29 C IIII F

30 D III F

31 C·S E PR C

XXXI

Dec. 23 v. extr. lapis non satis accurate scriptus permittit ut legatur TARVTILI, TARVIILI, TARVILLI.

De mensis Februarii fragmento dictum est p. 314. Reliquos menses Ian. Mart. Apr. Dec. edidit primus Petrus Franciscus Fogginius *'fastorum antiquorum a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae ex marmorearum tabularum fragmentis Praeneste nuper effossis'*. Romae 1779. fol. adiuncto scripturae specimine Apr. 23. 24. Qui quamquam non omnia, tamen pleraque satis bene constituit manebitque semper huius viri, qui summa cura frustula marmorum collegerit disposuerit conservarit, cum fastis Praenestinis coniuncta honorata memoria. Marinii exempla diligentissima excepta leguntur in cod. Vat. 9135 f. 315 sq. ibidemque f. 321 extat eorundem fastorum particula eo tempore servata apud ipsum Marinium incipiens a litteris SSET N, quam coniectura rettuli ad Dec. 21. Eorum quae Fogginio melius legerat in lapidibus Marinius specimen dedit in censura libri eius a. 1781 edita supra p. 293 citata; quarum emendationum praecipuae adiectae sunt in plerisque nec tamen omnibus exemplis libri Fogginiani pagina extrema huius rei causa post editum librum denuo impressa sub inscriptione hac: *'retractationes plane necessariae'*. Petrinius (*mem. Prenest.* Romae 1795) p. 342—353 pendet ex Fogginio ut alii multi, quos hoc loco recensere nihil attinet. Denuo ex lapide fastos edidit A. Nibbyus: 'Q. Verrii Flacci fastorum sacrorum reliquiae iam a Fogginio illustratae, nuper veterum subsidiis instauratae' (Romae 1826 typis Philippi et Nicolai de Romanis. fol.); quam editionem nostrates incuriose neglexerunt, quamquam moniti de ea a Kellermanno in Iahnii spec. epigr. p. 18. Mihi in fastis Verrii Flacci edendis praesto fuerunt cum exemplum a me ex lapide exceptum et in re praesente collatum cum Fogginiano et Nibbyano, postea ab Henzeno Kiesslingioque denuo retractatum, tum ectypa graphiario pulvere excepta ab Henzeno submissa, quae maxime ad litteras recte collocandas utilitatem habuerunt. Denique siquando de lectione dubitavi, Henzenus Rossiusque lapidem mea causa rursus inspexerunt. His adiumentis instructus supervacaneum duxi priorum errores enumerare. In ipso lapide postea antiquitus addita cursivis distinxi. Reliquias has reddidi ut potui typis permittentibus, ut etiam hiatuum ambitum ex hac editione certa ratione aestimes; quamquam et litterarum magnitudo non semper eadem et inaequalitas versuum faciunt, ut in eiusmodi computatione saepe haereamus.

X. VALLENSES

(ante a. 767).

Romae inventum in tabula marmorea *Marc.* Romae tabula marmorea in domo P. de la Valle *Red.* in domo Laelii de la Valle *Iucundus.* Romae *simpliciter Bembus.* In aedibus Capranicorum *Aldus nepos et Aleander.*

Partem superiorem (Aug. 1—17, Sept. 1—19) Castelvetri in agro Mutinensi repertam Romam rettulit *Marinius*, a quo per Borgiam puto pervenit in museum Neapolitanum. Inferior pars hodie desideratur.

MAG·

Iul. 1	CEN *ii* 1	E	K·AVGVSTAE		SPEI · AD · FORVM · HOLITORIVM *NATAL·TI·CLAVDI·GERMANICI*
	2	F	IIII	N	FERIAE · QVOD · HOC · DIE · IMP · CAESAR · HISPANIAM CITERIOREM · VICIT
	3	G	III	C	
6 *e n ludi apoll* IN	4	H	PR	C	
7 *d nonae*	5	A	NONAE		SALVTI · IN · COLLE · QVIRINALE · SACRIFICIVM PVBLICVM
	6	B	VIII	F	
	7	C	VII	C	
	8	D	VI	C	SOL INDIGITIS IN COLLE QVIRINALE SACRIFICIVM PVBLICVM
	9	E	V	NP	
	10	F	IIII	NP	FERIAE ARAE OPIS ET CERERIS IN VICO IVGARIO CONSTITVTAE SVNT
	11	G	III	C	
	12	H	PR	C	HERCVLI MAGNO · CVSTODI · IN CIRCO FLAMIN
	13	A	EIDVS		DIANAE IN AVENTINO ET VORTVMNO IN LORETO MAIORE
	14	B	XIX	F	
	15	C	XIIX	C	
	16	*d*	*xvii*	C	
	17	*e*	*xvi*	POR	PORTVNO AD PONTEM AEMILI IANO AD THEATRVM MARCELLI
	18	*f*	*xv*	C	
	19	*g*	*xiiii*	VIN·NP	VENERI AD CIRCVM MAXIMVM
	20	*h*	*xiii*	C	
	21	*a*	*xii*	CONS·NP	CONSO IN AVENTINO SACRIFICIVM
	22	*b*	*xi*	EN	
	23	*c*	*x*	VOLCAN·NP	VOLCANO IN CIRCO FLAMINIO
	24	*d*	*viiii*	C	
	25	*e*	*viii*	OPIC·NP	OPII IN CAPITOLIO
	26	*f*	*vii*	C	
	27	*g*	*vi*	VOLT·NP	VOLTVRNO FLVMINI SACRIFICIVM
	28	*h*	*v*	*c*	
	29	*a*	*iiii*	*f*	
	30	*b*	*iii*	F	
	31	*c*	*pr*	*n xx*XI	NAT C CAESARIS GERMANICI

p. C. 31 — *ti. caesar augus*TVS · V

suf. *faustus cor*NELIVS *sulla*

*sex. teidius c*ATVL*linus*

II

1	D	K	SEPTEMB	
2	E	IIII	NP	ACT
3	F	III	NP	FERIAE
4	G	PRID	C	LVD
5	H	NONAE		
6	A	VIII	F	
7	B	VII	C	
8	C	VI	C	
9	D	V	C	
10	E	IV	C	
11	F	III	C	
12	G	PR	NP	
13	H	EIDVS		IOVIN
14	A	XIIX	F	EQVO
15	B	XVII	C	LVDI
16	C	XVI	C	LVDI
17	D	XV	C	LVDI
18	E	XIIII	C	LVDI
19	F	XIII	C	LVDI
20	G	XII	C	MERCA
21	H	XI	C	MERCA
22	A	X	C	MERCA
23	B	VIIII	NP	NATA
24	C	VIII	C	FERIAE
25	D	VII	C	VENER
26	E	VI	C	
27	F	V	C	
28	G	IIII	C	
29	H	III		
30	*a*	*pr*		

Litteras maiores et minores in parte hodie deperdita distinguuntur ex coniectura.

Inscriptionem in Iucundianis exemplis omissam habent Marcanovani et Redianus et Bembus et Marinius et Philippius, subscriptionem soli Marcanovani et Bembus.

Versus ex antiquioribus ad lapidem dividit solus Bembus.

Ex Iulio residua enotaverunt Bembus et Philippius soli.

1 CELI Bemb.

Aug. 1 AVGVST Iuc. cum suis. — Verba NATAL ad GERMANICI postea adiecta esse litteris rudioribus notavit Marinius. Eadem ad Aug. 2 refert Bembus, huiusce diei adnotationem reiciens ad Aug. 3.

2 IMP om. Marc.

5 QVIRINALI Bemb.

8 INDICITIS IN COLE Bemb. — QVIRINALE Marc. Red. Iuc. Bemb., QVIRINALI Phil.

15 CXIXC Bemb.

16—31 litteras nundinales cum adiectis numeris omittit Bembus; Iucundus cum suis dat tanquam ex lapide descriptas; in Marcanovanis et Rediano omnia confusa et corrupta, ut tamen appareat dierum numeros ex supplemento appositos esse, sunt enim ita falsi, ut cuiusvis exempli numeri recte decurrant.

17 LOR pro POR Bemb. — AEMILIANO Red. Bemb., EMILIANO Marc., AEMILIAN Maz. — THATRVM Bemb.

19 inter XIIII et VIN inserunt C Iuc. Magl. et Manut. Ovid. — VETERI Marc. — MAXEMVM Iuc. Magl.

19. 20 VIN · NP · VENERI AD · CIRCVM · MAXIMVM H · XIII omisit Iucundus Ver., nisi descriptor erravit.

21 N Iuc. Ver. — CONS Marc. — In f. PVBLICVM add. Iuc. cod. Ver. (non Magl.) Man. Ovid.

22 EN Bembus Marc., FN Iucundus; Red. non habet.

23 VVLCANO Marc.

26 OPII Bemb., OPII Iuc. Marc.

27 VOLTVRNO FLVMINI boni auctores omnes, VOLTVRN FLAMINI Man. orth. — SACRIFICIVM om. Marc.

28. 29 lacunam nemo notavit, itaque F (Bembo E) nota adhaeret in exemplis fere ad diem 28, cum pertineat aut ad diem Ian. 29 aut ad sequentem.

31 XINT · G · Bembus, C · PR · XXXI NAT · C · Iucundus, C · PR ... XXI Manut. orth., N · IIII · NATALE · C (vel G) Marc. — GERMANICI · F Marc., fortasse recte.

Subscriptionem dedi ex Bembo; SITVS N · I · I · VS Marcanova, ubi haec continuantur extremo mensi Augusto.

Septembrem omiserunt Redianus et Marcanovani et Mazochius.

Sept. 1 SEPTEMBR priores excepto Bembo.

2 ACT om. Iuc. cum suis, habet Bembus.

4 FR Iuc. — LVD om. Iuc cum suis, LVC Bembus.

6—12 litteras FCCCCCNP om. Iuc. cum suis, habet Bembus.

12 NP lapis itaque Bembus; N Fogg.

13 IOVI Iuc. cum suis; IOVI · IV Bemb., IOVIN Phil.

23 VIIII NP Bemb., IX NP Iuc. Magl., VIIII · C · NP Iuc. Ver. Man. Ovid., IX · C · N Man. orth.

24 FERIA Bemb., FERIAE Iuc.

28 extr. C servavit solus Bembus.

30 APR om. Bembus, habent tanquam ex lapide reliqui.

Marcanovanus codex qui extat Romae in bibliotheca collegii Romani (citatus a Marinio in ephem. Pisan. vol. 41 p. 304) habet in appendice miscellaneorum adeoque errore librarii bis repetitos f. 183 r. v. = f. 189 v. 190 r.; inde descriptos misit Rossius. Idem exemplum etiam minus emendatum reperi in simili sylloge cod. bibl. Lugd. Voss. fol. 87 f. 26 v. Pessime confusi Marcanovani apographi non rettuli nisi potiores lectiones. Diversum exemplum nec tamen melius Gudius reperit in Rediano p. 32 a 3 posuitque in libro suo ms. p. 968. 1094; neque huius operae pretium visum est minora peccata referre. Iucundi exemplum exhibent cod. Ver. f. 122 meliorque cod. Magliabecch. cl. 28 n. 5 f. 4; pendent ex Iucundo codex Zeladae hodie Tolet. 103, 4 adhibitus a Marinio l. c., Mazochianus libellus p. 293 citatus (unde habet Fabricius antiq. 1587 p. 197), Aldus Manutius senior ante fastos Ovidianos ed. 1516, Aldus iunior in orth. 422 (inde Grut. 134). V. l. Iucundianam dedi codicum duorum plenam, selectam Mazochii et exemplorum Manutianorum. Ex lapide descriptum legitur in libro Monacensi Iohannis Bembi f. 33 v. 34 r., quod exemplum ex antiquioribus longe est emendatissimum multumque praestat Iucundiano. V. l. exhibui integram. Exemplum Hier. Aleandri extans in Marinii codice Vat. 9135 f. 254 nullam utilitatem habere iudicavit Rossius. Fogginius in fast. p. 112. 113 fastos Vallenses dedit ex Manutii orthographia sive ex Grutero in parte superiore ex lapide imperfecte correctos; cuius typum emendavit Marinius in censura libri eius l. c. indeque ipse Fogginius in addendis. Postremum ego edidi I. N. 6748 partem quae extat ad exemplum et ectypon ab Ed. Philippio mihi submissa, deperditam ex libris tum notis.

Adiunxi exiguum fragmentum tabulae simillimae olim Romae servatae apud Barazzium editum a Muratorio (295, 2), quod etsi proponetur infra inter fastos consulares (min. n. VIII), tamen ne hoc quidem loco praetereundum est. Ab una parte (utrimque enim conscripta fuit tabula) sub titulo, ex quo remansit pars honorum Caesaris Augusti, quales conveniunt annis a 731 ad 748 (.... *cos. XI. tribun. potes ....*), perscripta fuerunt magistrorum octonorum libertorum omnium collegia. Ab altera parte supersunt haec:

DC
XXXI XXX
AB · IMP · CAESA
722 CN · DOMITIVS · C · SOSIVS SVF · L · S*estius* 731
SVF L · CORNELIVS L · ARRVN*tius m. claudius* 732
M · VALERIVS L · MVNAT*ius paul. aemilius cens.*
M · LOLLIV*s. q. aemilius* 733

Apparet primos duos versus remansisse ex mensibus Iulio et Augusto extremis. Tertius videtur pertinuisse ad fastorum praescriptionem aliquam similem eius, quae legitur super fastos Venusinos: *[be]lla facta a bello Marsico*; puta: *[consules facti] ab imp. Caesa[re Q. Pedio cos.]*

XI. OSTIENSES

(ante a. 767).

Pars tabellae olim ad sepulcrum claudendum adhibitae, reperta a. 1860 extra Romam a sinistra viae Ostiensis in vinea ad collem iuxta basilicam S. Pauli, ubi adservatur.

Oct.			*Nov.*	
1	B K OCT N	FIDEI·INCAPITOL·TIGILL·SOR	1	A
2	C F		2	B
3	D C		3	C
4	E C		4	D
5	F C			
6	G C			
7	H NON F	IOVI·FVLG IVNONIQ IN CAMP	5	E
8	A F		6	F

Ectypum misit Rossius qui edidit *Bullett.* 1860 p. 73. Idem monuit tabellam hanc ab altera ibidem servata fastorum tabula (n. V) plane differre neque ad eosdem fastos utramque pertinuisse.

XII. VATICANI

(inter a. 768 et 787).

Reperit c. a. 1779 Romae apud lapicidam, qui unde habuisset negabat se meminisse, Henricus Sanclementius, quo intercedente antiquitatum Romanarum curator Ioh. Bapt. Viscontius in museum Vaticanum ut inferretur curavit. *Fogginius.* Ibidem adhuc extat.

fer. ex s. c. quod hoc die ti. caes. pont MAXIM EST FACTVS *drus*O ET NORBANO COS

Mart.			*Apr.*	
10	*e ui*		8	B
11	*f u*		9	C V N
12	*g iiii*		10	D IIII N LVD
13	*h iii*		11	E III N
14	*a pr*	*e*QVIRR·NP FERIAE MARTI	12	F PR N LVDI CERIAL
15	*b eid*	SS FERIAE ANNAE PERENNAE VIA FLAM AD LAPIDEM PRIM	13	G·EID·NP
16	*c xvii*		14	H XIIX N
17	*d xvi*	*li*B·AGON·NP	15	A XVII FORD
18	*e xv*		16	B XVI N
19	*f xiiii*	QVINQ·NP FERIAE MAR	17	C XV N
20	*g xiii*		18	D XI*ii*
21	*h xii*		19	E
22	*a xi*			
23	*b x*	*tu*BILVST·NP		
24	*c viiii*	*q*·R·C·F		

Aug.			*Sept.*	
28	*h*	NP FERIA*e h. d. c*OL*ae vict ara* DEDICATA EST	F	27
29	*a*	E	G	28
30	*b*	E	H	29
31	*c*	C	A	30
		*x*XXI	X*xx*	

Aug. 29. 30 quadratarius errore pro F videtur incidisse E.

Miserunt descripta Henzenus Rossiusque; vidi etiam ipse. Edidit fragmentum maius Fogginius in fastis (1779) p. 102. 107. 108 non accurate.

XIII. AMITERNINI

(post a. 769).

Maior pars, quae complectitur sex menses posteriores, inde a saec. XVI proposita fuit in S. Victorini Amiterni, unde baro Laurentius Alferi Arischiae et S. Victorini dominus a. 1675 tabulam transtulit in domum suam Aquilanam. Ibidem mansit manetque adhuc, possidetque eam nunc domina Boujour nata Alferia. — Pars minor ad menses Maium et Iunium pertinens reperta est demum a. 1703 inter ruinas portae Aquilanae orientalis *di Lavarete* adservaturque cum altera parte apud Alferios, non in curia ut ait Fogginius. — Idem probabiliter suspicatur referendum esse ad fastos hos titulum repertum eodem loco, scilicet Amiterni ad S. Victorini et a Massonio (*dialogo dell' origine di Aquila*. Aquilae 1594. 4.) p. 24 servatum, unde repetitus est in I. N. 5781:

. . . . ED · POSVI
. . . . Q · FVFIVS · Q · F · VOL
T · F · CLV · L · VOLVSIVS · L · F · QVI · FAD
. . . . . NDO · IN · PRAEFECTVRA . . .
. . . .
. . . . T · AEDIFICIORVM · AMITER
. . . . IBVS . . . . QVE · MENSIBVS
. . . . QVEI . . . . .

Mai.		*Iun.*				
		18	A	XIV	C	
		19	B	XIII	C	MINERVAE IN AVENTINO
22	R	20	C	XII	C	SVMMANO AD CIRC MAXIM
23	*feriae volc*ANO	21	D	XI	C	
		22	E	X	C	
25	RI					
	IN VELIA	23	F	IX	C	
26	*fer ex s c quo*D EO DIE CAESAR *appellatus* INVICTVS EST	24	G	VIII	C	FORTI FORTVNAE TRANS TIBER AD MILLIAR PRIM ET SEXT
		25	H	VII	C	
28	OD EO DIE	26	A	VI	NP	FER EX S *c q*VOD EO DIE AVGVS*tus adoptav*IT FILIV*m ti caesarem* AELI*o et sentio cos*
		27	B	V	C	

Tabula cum ita disposita sit ut kalendae nonae idus omnes e regione collocarentur, dies qui idus sequuntur aequabiliter adderentur (certe in parte maiore in singulis mensibus aequaliter fere ab ima parte fractis post idus adest idem fere dierum numerus), dies mensis Maii iuxta 21 m. Iun. positus aut 23 (quod placuit Fogginio) aut certe 22 fuerit necesse est, item diei 23 Iunii respondit 25 aut 24 Maii et sic deinceps.

Mai 22. 23 R legitur in intervallo inter litteras nundinales C et D supra hanc, ANO ad mediam eandem, eo intervallo ut non eiusdem notae has particulas fuisse appareat, sed . . R ad 22, . . ANO ad 23 Mai. referenda esse videatur.

25 in. legi olim . . VR in ectypo, Fogg. Mur. . . . RI; iterum ectypo consulto haec lectio vera visa est. Contra versu sequente idem Fogg. male dedit . . . PVBL · IN . . ., cum in ectypo clare legatur IN · VELIA idemque fere (nempe NVFLIA) apud Mur. sit; quamquam quomodo explicem haereo.

26 de supplementis vide comm. diurn.

1 F K · IVL·N
2 G VI N
3 H V N
FER EX S C Q E D ARA
4 A IV NP PACIE AVG IN CAMP MAR CONSTITVTA EST NERONE ET VARO COS
5 B III POPLIF·NP
FERIAE IOVI
6 C PR N LVDI APOLLIN COMMIT
7 *D* *N*ON·N LVD
8 *E* *VIII* *N* *LVDI*
9 *F* VII *N* *LVDI*
10 G VI *C* *LVDI*
11 *H* *V* *C* *LVDI*
12 *A* *IV* *NP* *LVDI FER QVOD* *EO DIE C CAESAR EST NATVS*
13 *B* *III* *C* *LVDI* in *CIRCO*
14 *C PR* C
15 D EID·NP MERK
16 E XVII F MERK
17 F XVI C MERK
18 G XV C MERK DIES ALLIENSIS
19 H XIV LVCAR·NP
MERK
20 A XIII C LVD VICTOR CAES DIVI IVL COMMIT
21 B XII LVCAR·NP

1 E K·AVG·NP FERIAE EX E C Q E D
IMP CAESAR DIVI F REM PVBLIC
TRISTISSIMO PERICVLO LIBERAT
2 F IV NP F E R *iae* Q VOD EO DIE C CAES
C F IN H*ISPAN CITER ET* QVOD IN PONTO
EOD DIE R*EGEM PHARNACEM* DEVICIT
3 G III C
4 H PR C
5 A N*ON·F* *SALVTI IN COLLE*
6 *B VIII* F
7 *C VII* *C*
8 *D VI* C
9 E V NP SOLI INDIGITI IN COLLE QVIRINALE FER Q E DIE
C CAES C P PHARSALI DEVICIT
10 F IV NP FERIAE QVOD EO DIE ARAE CERERI MATRI ET OPI
AVGVSTAE EX VOTO SV
11 G III C SCEPTO CONSTITVTAE
SVNT CERTICO ET LONG COS
12 H PR C HERCVLI INVICTO AD CIRCVM MAXIM VENERI VICTRICI
HON VIRTVT FELICITATI
IN THEATRO MARMOREO
13 A EID NP FER IOVI
DIANAE VORTVMNO IN
14 B XIX F AVENTINO CASTORI POLLVCI
IN CIRCO FLAMINIO
15 C XIIX C
16 D XVII C
17 E XVI PORT·NP FER PORTVNO
PORTVNO AD PONTEM AEMILIVM
18 F XV C DIVO IVLIO AD FORVM
19 G XIV VIN·FP DIES TRISTISSI

1 D K·SEPT·F IOVI TONANTI
IN CAPITOLIO
FER EX S C QVOD EO DIE Imp
2 E IV NP CAES DIVI F AVGVSTVS
APVD ACTIVM VICIT
SE ET TITIO COS
3 F III NP FER ET SVPPLICATIONES APVT
OMNIA PVLVINARIA QVOD
EO DIE CAES DIVI F VICIT IN
SICILIA CENSORIN ET CALVIS COS
4 *G PR* C LVDI ROMANI MAGNI COMMIT
5 *H* *N*ON·F LVDI
6 *A* *VIII* *F* LVDI
7 *B* *VII* *C* *LVDI*
8 *C* *VI* *C* *LVDI*
9 *D* *V* *C* *LVDI*
10 *E* *IIII* *C* *LVDI*
11 *F* *III* *C* *LVDI*
12 G PR N *LVDI*
FER EX S C Q E D
13 H EID NP NEFARIA CON
SILIA QVAE DE
SALVTE TI CAES LIBERORVMQ EIVS ET
ALIORVM PRINCIPVM CI
14 A XIIX F EQVOR PROB TATIS DEQ R P
INITA AB
15 B XVII N LVD ROM IN CIRC M LIBONE ERAT
IN SENATV
CONVICTA
16 C XVI C LVD IN CIRC SVNT
17 D XV NP LVD IN CIRC FER EX S C Q E D
DIVO AVGVSTO HONORES CAELES
TES A SENATV DECRETI
18 E XIV C SEX APPVL SEX POMP COS
LVD IN CIRC
19 F XIII C LVD IN CIRC

In sequentibus dabo v. l. Fogginianae tabulae et in ea parte quae hodie non extat (Iul. 7—13, Aug. 2—8, Sept. 5—12), v. l. Purpurini Muratorii Fogginii.
Iul. 7 LVD om. Fogg. tab.
12 QVOD .. DIE Fogg., QVOD·EO·DIE Mur. — CAES pro CAESAR Purp. Mur.
13 LVDI ... CIRCO Fogg., LVDI·IN·CIRCO Purp. Mur.

Aug. 2 notam om. Mur.
9 Q EO D Fogg. tab. pro Q E DIE.
10 CONSTITVTAE et LONG COE Mur.
13 FLAMINTO Fogg. tab.
post Aug. 19 H add. Mur.

Sept. 2 IV post E om. Fogg. tab.
3 EVPLICATIONES et APVD Fogg. tab.
4 G PR om. Fogg. tab.

Vidi ego quae supersunt et eorum ectypon confeci. Purpurinus de Faventia (*ad calendarium Romanum Amiterni effossum minuscula commentaria* V… 1680. 4. foll. 4 et pp. 34, repetita in Sallengri thesauri vol. III p. 865; ed. principem a me rogatus contulit H. Iordanus Neapoli in publica biblio… non totam tabulam edidit, sed adnotationes plerasque inde excerptas ad commentariorum marginem adscripsit. Edidit primus tam maiorem partem … minorem (quae male ibi adhaesit ad m. Dec.) Mur. 150, 2 ab Antinorio acceptas. Menses a Iul. ad Dec. idem ad accuratissimum exemplum ab A… norio et Lupacchinio et Giovenazzio communi opera perfectum (quod extat item inter Marinianas schedas cod. Vat. 9135 f. 309) Fogginius (…

1	B		K·OCT N	FIDEI IN CAPITOLIO
2	C	VI	F	
3	D	V	C	
4	E	IV	C	IEIVNIVM CERERIS
5	F	III	C	LVDI DIVO AVGVSTO ET FORT REDVCI COMMITT
6	G	PR	C	LVDI
7	H		NON F	LVDI
8	A	VIII	F	LVDI
9	B	VII	C	GENIO PVBLIC FAVSTAE FELICITATI VENER VICTR IN CAPITOL APOL IN PAL LVDI
10	C	VI	C	LVDI
11	D	V	MED·NP	LVDI FER IOVI
12	E	IV	AVG·NP	LVD IN CIRC FER eX S C Q_E D IMP CAES AVG EX TRANSMARIN PROVINC VRBEM INTRAVIT ARAQ_FORT REDVCI CONSTIT
13	F	III	FONT·NP	FERIAE FONTI
14	G	PR	EN	
15	H		EID NP	
16	A	XVII	F	
17	B	///	C	
18	C	///	C	IANO AD TEATHR MARCELLI
19	D	XIV	ARM·NP	
20	E	XI//I	C	
21	F	///	C	

1	A		K·NOV F	
2	B	IV	F	
3	C	III	C	
4	D	PR	C	
5	E		NON F	
6	F	VIII	F	LVDI
7	G	VII	C	LVDI
8	H	VI	C	LVDI
9	A	V	C	LVDI
10	B	IV	C	LVDI
11	C	III	C	LVDI
12	D	PR	C	LVDI
13	E		EID·NP	LVDI
14	F	XIIX	F	EQVOR *pro*BATIO
15	G	XVII	C	LVd*i* IN CIRCO
16	H	XVI	C	*l*VDI IN CIRCO
17	A	XV	C	*lu*DI IN CIRCO
18	B	XIV	C	MERK
19	C	XIII	C	*mer*K
20	D			

1	G		K·DEC·N	NEPTVNO PIETATI AD
2	H	IV	N	CIRC FLAMINI//
3	A	III	N	
4	B	PR	C	
5	C		NON·F	
6	D	VIII	F	
7	E	VII	C	
8	F	VI	C	TIBERINO IN INSVLA
9	G	V	C	
10	H	IV	C	
11	A	III	AG·IN NP	
12	B	PR	EN	CONSO IN AVENTIN
13	C		EID·NP	
14	D	XIX	F	
15	E	XIIX	CONS·NP	FER CONSO
16	F	XVII	C	ARA FORTVNAE REDVCI DEDIC EST
17	G	XVI	SAT·NP	FER SATVRNO SATVRN AD FOR
18	H	XV	C	
19	A	XIV	OPAL·NP	FER
20	B	XIII	C	OPI OPI AD FORVM


Dec. 15. 16 de ara Fortunae adnotatio licet pertineat ad diem Dec. 15, tamen in lapide scripta est e regione litterae C diei Dec. 16.
20 XII pro XIII Fogg. tab.

in aes incidit, quo tempore praeter ea quae vidi ego extabat parvum fragmentum dierum 8—11 m. Iul. principia complexum. Reliqua autem tum iam deperdita ex mensibus Iul. Aug. Sept. Fogginius ad exemplum antiquum a Giovenazzio sibi traditum supplevit. Partem minorem quae spectat ad Maium et Iunium edidit, non incidit Fogginius l. c. Citant denique qui lapidem viderunt Chaupy *maison d'Horace* III p. 68 et Giovenazzi Aveia p. CXXXI not. Ego edidi in I. N. n. 5750.

XIV. PIGHIANI

(inter a. 784 et 790).

Quo loco reperti sint, non traditur.



Pighius in supra p. 308 citato commentario ms. de fastis Maffeianis rettulit f. 8, unde edidit Merkelius in fast. Ovidii p. XXXV. Praeterea nusquam offendi.

nf certum videtur, cum Pighius titulum attulerit huius notae causa scriptae sic 'in quodam kalendarii antiqui fragmento'. — Sept. 24 *nf* requiritur.

De fastis hisce consularibus non hic locus est disputandi; quare paucissima tantum de iis adnotabo. Pertinent ad domum Caesarum Antiatinam, quae commemoratur inde ab Augusto (Suet. Aug. 58. Tib. 38), frequentabatur vero praesertim sub imperatoribus proxime secutis; cf. Strab. 5, 3, 5 p. 232 de Antio: *καὶ μὲν οὖν ἀνεῖται τοῖς ἡγεμόσιν εἰς σχολὴν καὶ ἄνεσιν τῶν πολιτικῶν, ὅτε λάβοιεν καιρόν, καὶ διὰ τοῦτο κατῳκοδόμηνται πολυτελεῖς οἰκήσεις ἐν τῇ πόλει συχναὶ πρὸς τὰς τοιαύτας ἐπιδημίας.* Suetonius (Calig. 8 cf. 49) scribit tradere quosdam Caligulam *sedem ac domicilium imperii taedio urbis transferre destinasse* Antium. Agrippina maior Caligulam ibi peperit (Suet. Calig. 8), itemque filia eius Agrippina Iulia multum ibi vixit (Tac. ann. 14, 3. 4) ibique enixa est a. p. C. 37 Neronem (Tac. ann. 15, 23. Suet. Ner. 6), ibidemque postea Poppaea Neronis filiam p. C. 63 genuit, quo facto senatus censuit, uti ludicrum circense ut Iuliae genti apud Bovillas ita Claudiae Domitiaeque apud Antium ederetur (Tac. l. c.; cf. 15, 39). Ex hac domo Augusta Antiatina libertorum servorumque collegium institutum esse videtur circa a. p. C. 10, cum sex ordines septenorum fere annorum in integra tabula videantur fuisse, finiat vero a. p. C. 51. Feriae collegii fuerunt a. d. XVI k. Nov. = Oct. 17, ubi in kalendario adnotatur *vernar. dies fest.* (cf. in fastis C II 23 *vern. Ant.*) eoque die collegium puto esse constitutum. Magistri processerunt singulis annis seni plerumque, raro (p. C. 38. 43) quaterni. In septemviralibus collegiis poterit cogitari de suffectione vel etiam de allecto supra numerum (cf. C I 9) eodemque fortasse referendae sunt adnotationes de summa plerumque HS MDC ex decurionum decreto numerata pro magistratu (cf. A 6).

C I, 11 fortasse DELPHIANVS. cf. C III 27.
12 paenultima littera potius B est quam D legendumque *a bibliotheca.*
B II, 1 sic Henzen curis secundis, AQILA/L ego; AQVL Henzen ed. Requiritur M · AQVILLIO IVLIANO.
13 legendum est cum Henzeno (cf. B I 3 *Lycorei f.*) *Chresti filius.*
C II, 1 Inter FELIX et AESAR interierunt litterae duae.
6 versum in litura restitutum esse notat Henzen.
18 prima litterarum erasarum aut I fuit aut O, tertia aut C aut S. Fuisse videtur *Ingenuus.*
19 CAESARE lapis, non CAISARE.
21 sic lapis; LIe Henzen ed.
22 versus in litura restitutus. Lege *a byb(liotheca).*
24 TABELLA · in litura restitutum esse notat Henzenus.
26 *[m. statilio]* TAVRO *[l. quinct]*IO SECVNDO, quae male posuerat Bianchinius, eadem tanquam in ipso lapide reperta repetiit Volpius retinuitque adeo Marinius (Arv. p. 17. 813). Borghesius demum a me admonitus falsam hanc lectionem expulit *Bullett.* 1848 p. 47.
28 Fortunae Antiatinae significantur hac aetate celeberrimae.
30 fortasse *capsarius;* nam etiam Graeci scribunt [illegible] et [illegible], ut scribitur *epilepticus* et *epilempticus.*
C III, 1 GRAPTI · F videtur fuisse in lapide.
3 de *y* littera sic ⊦ in hoc titulo ut et alibi nonnunquam figurata disputavit Buechelerus de Ti. Claudio Caes. gramm. p. 18; quamquam minime ei credo hanc elementi figuram institutam esse a Claudio. — VER · CAPR est *verna Caprensis,* ut supra C II 23 invenitur *verna Antias.*
5 *gybernator* legendum esse monui apud Henzenum.
8 versus postea additus.
15 *sphaerista,* qui pila ludit.
19 MYRO, non MIRO in lapide esse notat Kiessling.
20 TVSCVL vere in lapide esse quaerenti mihi rescripsit Henzen, quod non intellego. Debuit fortasse quadratarius scribere IVSCVL ut Bianchinius legit egoque olim legere mihi visus sum quod potest indicare *iuscularium* sive *iuscellarium.*
27 cf. ad C I 11.
29 sic lapis; VS///POR///LIC Bianchinus, qui mira inde effecit.
31 *speclararii domus Palatinarum* memorantur apud Henzenum n. 6353.
33 solet accipi de thermario, cuius officii quod sciam mentio praeterea non fit nisi in lapide Boissardiano Orell. 4290.

XV. ANTIATES
(a. 804).

Reperta est tabula a. 1712 Antii ad littus maris in aula concamerata ad scaenam theatri; cf. formam theatri Antiatini a Bianchinio cum col. Liviano editam loco mox citando (inde repetiit Guasco mus. Cap. 2 p. 161), ubi quo loco tabula illa inventa sit, accurate indicatur. Inde venit in museum Alexandri Albani, ex hoc in Capitolinum.

B

S·V·S·A

II
II
·LYCOREI·F
II
II
II
II
II
II
II
I IO C·S

p. C. 38 M·AQDA/L *lio iuliano*
P·NONIO ASPREN*ate*
EPAPHRODITVS·CHR
EROS CLVTINA
APHRODISIVS CLVTINAT
DORVS ATR
p. C. 39 C·CAESARE·AVG·GERMANICO C·S
L·APRONIO CAESIANO
ANTHVS TOP II
TIRO ATRES
//////////////
ONESIMVS MEDIC
EPAPHRODITVS·CHRES·P·II
EPAPHRODITVS TERTIAN
PRO MAGI EX D D HS OO D
SPERATVS·LIBER·MARC
p. C. 40 *c.* CAESARE AVG GE*rm*
*a*DELPHVS PROC

A

*t*OPIAR
LIBRARI
TOPIARIVS
TOPIARIVS
*dis*PENSATOR·PRO
*m*AGISTRAT*u*
*p*OSVIT·V
vs

C

*fe*LIX *c* CAESAR*is*
MENSOR
*e*X·D·D·PRO·MAG HS OO DC
*ti. cl*AVDIVS NESSVS II
*ti. cla*VDIVS HERMES
AT··*HVS*·*ATRIARI*
IGVS SEXTIONINVS
ex D D·PRO·MAG·HS OO DC
PRIMVS SVBVIL
ATTALVS FVLVIAN TECT
p. C. 42 *ti*·CLAVDIO·CAESARE·AVG
c. CAECINA·LARGO·COS
EO // S //////////
*e*VCRATVS TOP
*ca*ELIO· ATR
*an*THVS TOP
SALVIVS POLIT
INCEI ////////
p. C. 43 TI·CLAVDIO CAESARE AVG COS
L·VITELLIO II
ZELVS AVG LIB
CLAVD ATIMETVS ABYB
LYSIMACHVS AEDIT·VERN ANT
PRINCEPS *TABELLA*·
TANTALVS·TOP

N
IN HVNC
annum VS·VT·ESSET·II·DSC
p. C. 37 *cn. acerro*NIO C·PONTIO COS
II ASVPELLECTILE
ATRIENSIS
NIVS ATRIENSIS
////////////NSIS
pro mag EX D D ALLEC HS OO ATR
AEVS TOP
NIVS·PEDISQ·DELP *sic*
GRIVS L·AN

p. C. 44 T STATILIO TAVRO P POMPONIO SECVDO COS *sic*
TRYPHO ATR II
PHILETVS·AEDITVS FORTVNARVM ////
CHRESIMVS·ABYB I
FELIX CAMP I
AGATHOPVS TEC I
VENVSTVS SPEC I
ANTIPATER·AVG·L EX D D HS OO DC

TI·IVLIVS GRAPTIP NATA
TI·CLAVDIVS·ROMANVS
BATHYLLVS·VER·CAPR·ABBI
PRIMVS·HILARIAN·ASVPEL
ARGAEVS·GIBER·CENSORIN
SECVNDVS·TEC·EVPORIAN
ZORA ATR
SEPTIMIVS·CLARVS·EX·D·D·HS OOOO
Q VERANIO
A POMPEIO GALLO C·S *p. C.* 49
HELIVS ATR
HER*mes* LAPID
TI *claud* CHRISAO
PHIL*ippus* PAVIMEN
SATVRNINVS SPHAER
CORA ATREN
C ANTISTIVS VETVS *sic*
M SVILLIO NERVLLINO C·S *p. C.* 50
MYRO·AVG·L·PICTOR·
FELIX AVG·L·TVSCVL
ANTEROS TEGVL
EVPHEMVS / ALLAN DISPEN
APOLLONIVS ATR
TI·CLAVDIO AVGVSTO V
SER·CORNELIO ORPHITO C·S *p. C.* 51
NYMPHIVS DEL// IAN SVBVIL
AGATHOPVS ON//M MEDIC
///////////////S·TOPiar
//////////IVS ALIA A CORIN
//////// SPECLAR·II
///// DIVAE AVGVSTAE·L·MED
///// VS FAVON THER

K IVL N | E K AVG N | D *k. sep.* F | *b. k oct n* | A K NOV F | C K DEC N

(*anni laterculum exhibent paginae duae proxime sequentes*)

1	*f*	K IVL	N	FELICIT · IN · CAPI*to*
2	*g*	VI	N	
3	*h*	V	N	
4	*a*	IV	NP	*ara* PACIS AVGVST CONSTITVT
5	*b*	III	P *op*	
6	*c*	PR	N	LVDI APOLLINI COMM HS CCCXXC
7	*d*	NON	N	LVDI
8	*e*	VIII	N	LVDI
9	*f*	VII	N	LVDI
10	*g*	VI	C	LVDI
11	*h*	V	C	LVDI
12	*a*	IIII	NP	LVDI · DIVI · IVL NATALIS
13	*b*	III	C	IN CIRCO
14	*c*	PR	C	
15	*d*	EID	NP	MERCATVS · DIES · V
16	*e*	XVII	F	
17	*f*	XVI	C	
18	*g*	*x*V	C	DIES ALLIA*e et* FAB

1	E	K AVG	NP	TI · CLAV*d nat. aug. nat.* SPEI · AVG · ALEXAN RECEPIT
2	F	IIII	NP	DIVVS · IVL · HISP · VICIT
3	G	III	C	TI · AVG · INLYRICO · VIC
4	H	PR	C	
5	A	NON	NP	SALVTI · IN · COLLE
6	B	VIII	NP	
7	C	VII	C	
8	D	VI	C	
9	E	V	NP	DIVVS · IVL · PHARS VICIT
10	F	IV	NP	FERIAE · CERERI ET · OPI · AVG
11	G	III	C	
12	H	PR	C	
13	A	EID	NP	DIANAE · INAVEN
14	B	XIX	F	AVGVST · TRIVMP
15	C	XIIX	C	
16	D	XVII	C	
17	E	XVI	POR NP	FER · PORTVN
18	F	XV	C	AEDIS · DIVI · IVL · DED
19	G	XIV	VIN F	AVGVSTVS · EXCESS
20	H	XIII	C	INFER · L · CAESARIS

1	D	*k sept*	F	FERIAE IOVI *ac Tiaca victoria*
2	E	IV	N	
3	F	III	NP	
4	G	PR	C	*ludi roman* COMM HS DCCLX
5	H	NON	F	LVDI
6	A	VIII	F	LVDI
7	B	VII	C	*ludi*
8	C	VI	C	LV*di*
9	D	V	C	LV*di*
10	E	IIII	C	LV*di*
11	F	III	C	LVD*i*
12	G	PR	C	LVD*i*
13	H	ID	NP	EPVLI *indictio*
14	A	XIIX	F	INFER · DR *uai* EQVOR *prob*
15	B	XVII	C	IN CIRC*o*
16	C	XVI	C	IN CIR*co*
17	D	XV	NP	IN CIRC*o aug.* *hon.* CAEL *decreti*

Iul. 1 litteram post CA non fuisse N quaerenti mihi rescripsit Henzenus; quare ne cogita de CA*mp*O.

4. 5 quae supplevi spatium admittit; post PO autem litteram N in lapide nunquam fuisse adnotavit Henzenus.

18 FAB priores praetervideruut.

Sept. 1 litterarum TI vestigia priores neglexerunt.

2 NP in lapide neque esse nec fuisse nenuit Henzen.

17 litterarum CAELD vestigia enotavi ego primus.

1	*b*	*k oct*		
2	*c*	*vi*		
3	*d*	*v*		*ludi comm* HS X
4	*e*	*iiii*		
5	F	*iii*		LVDI
6	G	PR	N	LVDI
7	H	NON	F	LV'DI
8	A	VIII	C	LV'DI
9	*b*	VII	C	LV'DI·AVG·AED·APOL DEDICAVIT
10	*c*	*vi*		INFER GERMANIC
11	*d*	*v*		
12	*e*	*iiii*	AVG NP	IN CIRCO
14	*g*	*pr*	E	
15	*h*	*eid*	NP	
16	*a*	*xvii*	F	
17	*b*	*xvi*	C	VERNAR DIES FEST
18	*c*	*xv*	C	
19	*d*	*xiiii*	AR NP	DIVVS·AVG·TOG VIRILEM SVM

1	A	K NOV	F	IN CIRCO
2	B	IIII	F	
3	C	III	C	
4	D	PR	C	LV'D·PLEB·COM·HS·DC
5	E	NON	F	LV'DI
6	F	VIII	F	LV'DI·AGRIPP·IVL·NAT
7	G	VI*i*	*C*	LVDI
8	H	*ui*	C	LV'DI
9	A	V	C	LV'DI
10	B	IIII	C	LV'DI
11	C	III	C	LV'DI
12	D	PR	C	LV'DI
13	E	ID	NP	EPVLVM·INDICITVR
14	F	XIIX	F	EQVOR·PROB
15	G	XVII	C	IN CIRC
16	H	XVI	C	IN CIRC·TI·AVG·NATAL·
17	A	XV	C	IN CIRC·SOL·INSAGITT
18	B	XIV	C	MERCATVS

1	G	K DEC	N	
2	H	IV	N	
3	A	III	N	
4	B	PR	F	
5	C	NON	F	
6	D	VIII	F	
7	E	VII	C	
8	F	VI	C	
9	G	V	C	
10	H	IV	C	
11	A	III	NP	AG
12	B	PR	E	
13	C	ID	NP	TE
14	D	XIX	F	
15	E	XIIX		CON
16	F	XVI*i*		

Oct. 3 HS X cum iuxta Nov. 3 litteram C legatur, non potest referri nisi ad hunc diem.
10 ante INFER non excidisse LVDI quaerenti mihi respondit Henzenus.
13 praetermisit lapicida deceptus similitudine sese excipientium dierum trium, qui sunt hi:

D MED NP
E AVG NP
F FONT NP

Nov. 7 C periit in lapide.

Dec. 4 F quamquam ex parte corrupta, tamen certa est.
12 E in lapide esse testor, non F quae ante edebatur.

Partem C primus edidit Franciscus Bianchini Veronensis et in Anastasii vitis pontif. (Romae 1723) vol. 2 p. CCXXI sq. et in *'camera ed iscr. sepolcrali de' liberti di Augusto'* (Romae 1727) p. 73 sq., ubi male expressa extat ex eadem utroque loco tabula; deinde Vulpius et in vet. Latii vol. III (Patavii 1726) p. 50 et in libello singulari 'tabula Antiatina illustrata' (Romae 1726. 4) adiecta tabula eadem. Mur. 305 partem C dat ex Blanchinio; ibidem p. 303, 3 accessit pars B a Blanchinio submissa, quam ad hanc tabulam pertinere adnotavit Marinius in censura libri Fogginiani p. 288. Postea ediderunt Guasco mus. Cap. 2 (1775) p. 149, Fogginius p. 101. 111—116, postremum multo melius prioribus Henzenus in sua sylloge n. 6445, ubi primum adiectum est fragmentum A. Ad hanc editionem exempla adhibui meum Romae olim diligenter exceptum Henzenianumque, item quae ex lapide enotarat Kiesslingius; denique quibus locis aliquid dubium nihilo minus remansit, de iis Henzenus lapidem denuo consuluit. Itaque variam lectionem priorum addere nolui.

XVI. FARNESIANI.

Romae olim in aedibus Farnesianis, nunc Neapoli in museo.

Febr.			*Mart.*		
13	*d*	*eidib*	15	*b*	EIDI*b*
		xvi			XVII ANNAE · PER *ennae*
14	*e*	*n*	16	C	F
15	*f*	LVPER NP	17	D	LIBER
					LIBERO IN CA*pitolio*
16	*g*	EN	18	E	C CAESAR HI*sp. vicit*
17	H	QVIR NP	19	F	QVIN
18	A	C QVIRINO · IN COLL	20	G	C MINERV*ae*
19	B	C	21	H	C
20	C	C	22	A	N
21	D	FERAL	23	B	TVBI
		DIS INFER			

Febr. 21 nunc deest in lapide vel potius suppletus est ibi a manu recenti- — INFERIS Fogg.

Mart. 15 a IDI Maff., a EIDI Fogg.

Descripsit mea causa accuratissime Eduardus Philippus, ad quod exemplum edidi I. N. 6749. Ediderant ante Maffeius M. V. 272, 11 et Fogginius fast. Verr. Flacc. p. 102. 106. 107.

XVII. VRBINATES.

Urbini repertum fragmentum extitit apud Fabrettium.

APOLLINI · LATON
AD THEATR · MARC
FELICITATI · IN · CAM ·
MART · IOVI · STATOR ·
IVN · REG · AD · CIR · FLAM ·

Fabrett. 455, XV (inde Orell. 33).

XVIII. ROMANI AEDIS CONCORDIAE

Tabula marmorea alta uncias 8, lata 5, crassa 3, scripta litteris optimis altis unc. ⅗ miniatis, reperta Romae in aede Concordiae a. 1817.

```
. . . .    A . .
. . B      C . .
. . C      C . .
. . D      . .
. . E      . .
. . F      . .
. . . . .  . .
```

Fea *varietà di notizie* p. 105.

Quo pertineat, non apparet. Puto primam notam corruptam esse et scribendum N vel NP; nam AGON vel ARM vel AVG cum reliquis notis nullo modo conciliantur.

Locus non indicatur.

Ian.

```
2 | B F
3 | C C
4 | D C
5 | E N
6 | F F
7 | G C
8 | H C
```

In schedis Feae manu ignota sic perscriptum reperit Henzenus. Videtur alterum esse eiusdem tabulae fragmentum. Notae quadrant tam ad Ian. 2—8 quam ad Nov. 2—8; cum tamen a sinistra adsit margo itaque ex primo ordine haec superesse videantur, non dubitavi referre ad Ianuarium. Ian. 5 N videtur significare nonas, non nefastum diem.

XIX. ROMANI VIAE GRATIOSAE.

Litteris partim rubris partim nigris picti fuerunt in tectorio aedium antiquarum effossarum Romae in via q. d. *Graziosa*, ubi item inventae sunt notae picturae Odysseam illustrantes, plane ut apud Petronium in domo Trimalchionis conspiciebantur Ilias et Odyssea et in postibus duae tabulae annum menses dies significantes. Nunc fragmenta servantur in museo Capitolino.

```
Iun.                                Iul.              Aug.
1 k iVN·N

8 g vi n MENTI·IN                   6 C               4 H C
         CAPITOLIO
9 h v ueST·N                        7 D  nON          5 A NON
      feR VESTAE·AD                 8 E               6 B N viii
           IANV
```

Iun. 9 [*fe*]R VESTAE AD IANV ita scripta fuisse arbitror, ut pertinerent ad diem hunc Vestalium; cum praesertim hoc admisso Iun. 10 e regione Iul. 9 collocetur et uterque mensis eodem versuum numero concludatur. — Pro IANV quondam dubitavit Rossius num forte legendum esset SAXV; sed illud verum iudicaverunt et ipse Rossius postea et Henzenus.

Horum mensium sit necesse est, cum nonarum littera nundinalis A conveniat soli Augusto.

Rossius misit accurate depicta. Atramento scripta sunt Iun. 8 IN CAPITOLIO, Iun. 9 ST et AD IANV, Aug. 4 C, Aug. 5 A, Aug. 6 N, minio reliqua. Secundum fragmentum prodiit in *Bullettino* 1850, 113 cum mea de eo ad Rossium epistula. Videtur autem qui haec piuxit NP et N non distinxisse; nam Aug. 6 illam notam requirit.

XX. XXI.
FASTI FVRII DIONYSII PHILOCALI (P. CHR. 354) ET POLEMII SILVII (P. CHR. 448/9).

Fastos menstruos denique Furii Dionysii Philocali et Polemii Silvii, quamquam libris scriptis servati sunt itaque ab huius syllogae consilio alieni, tamen propter argumenti similitudinem hoc loco addere visum est ad codicum fidem exactos. Pertinent utrique ad varii multiplicisque argumenti syllogas eorumque quasi nuclei sunt, ad quos alia complura scriptoribus addere placuit quotidiano usui aut necessaria aut certe apta. Syllogam utramque quoniam seorsim edidi praeter fastos menstruos huic ipsi loco reservatos, scilicet quae cum Philocalianis coniuncta circumferuntur sub nomine Chronographi a. 354 in actorum societatis Saxonicae vol. II (Lips. 1850) p. 547—668, item Polemii Silvii laterculum in eorundem actorum vol. III (Lips. 1853) p. 231—277 addita codicis retractatione in appendice ad chronici Cassiodori editionem adiuncta (ibidem vol. VIII p. 694—696), hi commentarii adeundi sunt iis, quorum intersit in ipsarum syllogarum condicionem et aetatem inquirere; hoc loco breviter tantum et per indicem repetuntur quae ad laterculos recte adhibendos crisinque eorum faciendam scire necessarium est.

Prior quem edimus laterculus scriptus fuit a Furio Dionysio Philocalo teste pictura, quae obtinet paginam eius primam. Visitur ibi splendidi aedificii ostium arcuatum clausum velo, in cuius veli parte superiore sic scriptum est:

VALEN- FLOREAS
TINE IN DEO



Monogrammate repeti apparet id ipsum litteris contignatis, quod iuxta scriptum est solutis. Inferius ante velum genii duo tabellam sustinent, ita fere ut solent in arcis mortuorum elogia proponi, in qua tabella haec leguntur:

VALENTINE
VALENTINE VALENVINE
FVRIVS VIVAS LEGE VIVAS FILOCA
DIONY FLOREAS GAVDEAS LVS TITV
SIVS FELICITER LAVIT

Eiusdem scriptoris nomen reperitur praeterea in duobus lapidibus Romae inventis. Quorum prior erutus in Basilica S. Martini in montibus servatusque hodie in museo Vaticano praeter Christianorum quorundam mortuaria elogia haec habet verba in margine litteris supra hanc aetatem pulchris: SCRIBSIT FVRIVS DIOI..... (v. ed. mea Chronographi p. 607). Alter vero titulus multo magis memorabilis nuperrime demum inventus et adhuc ineditus commemoratur a Rossio in praef. ad inscr. Christ. vol. I p. LVI his verbis: 'Eum (Philocalum) praeter codicem chronographicum multis ornatum picturis Damasi quoque carmina in lapidibus singulari quodam elegantiae studio delineasse et artificiosas illas litteras, quas Damasianis tantummodo monumentis proprias esse constans me experientia docuit, invenisse mea iam olim publice prolata coniectura fuit. Cuius deinde veritas rara quadam felicitate praeclari monumenti inventione emicuit, elogio scilicet Eusebii pontificis e Callistiani coemeterii ruinis effosso, in quo omnibus litteris scriptum legi: FVRIVS DIONISIVS FILOCALVS SCRIBSIT DAMASI SVI PAPAE CVLTOR ATQVE AMATOR.' Damasus autem pontificatum obtinuit ab a. 366 ad a. 385. Fuit igitur Philocalus scriptor calligraphus suo artificio ea aetate clarus; nam quod etiam in lapide invenitur scripsisse, intellege elogia ab eo in lapide perscripta esse atramento, a quadratario deinde ad eam formam incisa. Auctor autem horum fastorum non fuit Philocalus, sed sunt vulgares eius aetatis publica auctoritate editi. Valentinus ille, cui Philocalus librum obtulit quemque praeter indicem supra relatum praedicat in scuti quod alibi in eodem codice tenet Victoria inscriptione hac:

SALVIS AVGVSTIS
FELIX VALENTINVS

qui fuerit ignoratur; quamquam nihil obstat quominus credatur is, qui a. 359 cum esset tribunus protectorum ex primicerio dux Illyrici factus est (Amm. Marc. 18, 3, 5), deinde a. 365 consularis fuit Piceni (cf. Gothofred. prosopograph. cod. Theod. p. 92). — Secutum esse Philocalum fastos publicos, quales ea aetate circumferebantur Romae, colligitur cum ex universae syllogae indole, quam totam urbanam esse demonstravi, tum ex titulis eiusdem scriptoris supra relatis repertis Romae, ubi sine dubio laterculum quoque confecit. — Scriptum esse laterculum sub Constantio II (337—361) inde deducitur, quod adiecti ei natales Caesarum infra referendi non solum finiunt in hoc, sed etiam *dominum nostrum* eum vocant, cum reliqui imperatores ibi sub divorum titulo procedant. Contra silent fasti tam de Constantino Iuniore Augusto, qui cum Constantio II regnavit ab a. 340 ad 350 (nam ad eum non recte olim a me relata nota diei Dec. 24 quo pertineat infra demonstrabitur), quam de Caesaribus Gallo a. 351—354 et Iuliano a. 355—360; quamquam et supra relata inscriptio *salvis Augustis felix Valentinus* et positae in extremo laterculo duorum imperatorum stantis alterius, alterius sedentis imagines ostendunt partem certe operis eo tempore confecisse Philocalum, quo aut duo Augusti rei publicae praefuerint aut Augustus cum Caesare, nam hac aetate omnino licet Augustorum appellationem accipere de Augusto et Caesare. Iam haec quae posui indicia optime conveniunt a. 354 extremo, quo reliqua opuscula in eandem syllogam recepta scripta esse constat aliunde; nam aestate autumnove eius anni Gallus regno exutus est pauloque postea interfectus, Iulianus vero Caesar factus a. demum 355 die Nov. 6. Quare si incepit scribere Philocalus vere anni 354, finivit vero autumno post nuntium de Galli ruina in urbem adlatum, nomen Galli non potuit non delere, picturam vero eius nomine carentem Augustorumque acclamationem relinquere potuit intactas. Scripsit igitur Philocalus laterculum a. p. Chr. n. 354. Ita autem comparatus est, ut binarum paginarum iuxta positarum prior imaginem mensis exhibeat apposito tetrasticho imaginem describente, quae tetrasticha leguntur in Burmanni anthologia l. V ep. 72—83, altera ipsos fastos contineat. Accedebant picturae complures, quarum supersunt quinque dierum imagines (duae enim reliquae perierunt) una cum adnotatione de diebus horisque bonis communibus noxiis (ed. meae p. 566 sq.), item sex signorum zodiaci reliquis amissis, praeterea duorum imperatorum supra memorata tabula, denique imperatoris cum Victoria, appictis quattuor urbibus primariis imperii cum adscriptis nominibus Roma Constantinopoli Alexandrea Treveris — Treveri enim in hac occidentalis pictoris tabula Antio-

chiae locum occupaverunt. In hac quam extremo loco memoravimus tabula leguntur praeterea infra post laterculum editi *natales Caesarum*, qui cum in ipso eadem fere ratione redeant, pars et appendix eius fuerint necesse est. — Huiusce laterculi ad aetatem recentiorem pervenerunt duo exempla. Unum est Arrasii inventum Peirescianum exaratum saec. VIII vel IX, hodie vero deperditum nec fere notum nisi ex apographis duobus saec. XVII confectis, quorum alterum servatur in bibliotheca Burgundica Bruxellis n. 7542—7548, alterum a Peirescio Romam ad Aleandrum transmissum illatum est in bibliothecam Barberinam, unde una cum schedis Marinianis supra p. 293 citatis transiit in Vaticanam (cod. 9135). In Peiresciano libro repertae sunt picturae supra enumeratae, quarum partem tantum exhibet exemplum Bruxellense, omnes schedae Aleandrinae, et fastorum menses octo (Ian. Febr. Iul. — Dec.) cum imaginibus septem (Febr. Mart. Aug. — Dec.) et tetrastichis quattuor (Febr. Sept. Nov. Dec.) deficientibus reliquis. — Exemplum alterum eiusdem fere aetatis, scilicet scriptum saec. IX, unde venerit, Usenerus professor Bernensis investigavit: pertinuit ad codicem capitulo Argentoratensi donatum ab episcopo Werinbario continentemque praeter syllogen Philocalianam Orosii chronica. Argentorato codex mutilatus venit ad Bongarsium, mox in bibliothecam Bernensem, ubi hodie extat bipertitus, scilicet pars Philocaliana sub n. 108, Orosiana sub n. 128. Illius originem patefecit exemplum quod tam fastorum quam chronologiae cuiusdam sacrae scriptae a. 452 sibi confecit Bongarsius (cod. Bern. ms. litt. 141 fol. n. 322) cum hac praescriptione: 'ex ms. Orosio capituli Argentinensis'; chronologia a. 452 et Orosii liber adhuc prostant in ligatura antiqua cum inscripto donatoris nomine: 'Werinharius eps ded See Mariȩ'. Ante Bongarsium autem codicem integrum etiam tum vidit et descripsit vir doctus, qui codicem hodie bibliothecae Caesareae Vindobonensis n. 3416 scripsit anno fere 1480, qui annus in exteriore voluminis margine cernitur perscriptus. Ex archetypi autem fastis menstruis nunc cum non supersit nisi unus mensis December sine imagine, Vindobonense apographum menses habet plenos cum suis imaginibus, tetrastichis vero et ut reliquis picturis ita Caesarum natalibus caret. — Ediderunt fastos menstruos Philocali potissimum hi: Philippus Gundelius primus in editione quam non vidi fastorum Ovidianorum (Viennae 1513. 5 Non. Oct. 4) ad codicem Vindobonensem; Petavius in uranologio p. 67 ed. 1703 ad exemplum Herwartianum a me frustra indagatum, probabiliter tamen derivatum item ex codice Vindobonensi; Bucherius in comm. in Victorium Aquitanum (Antverp. 1633) p. 275—288 ex codice Bruxellensi; Lambecius in bibl. Caesarea append. comm. l. IV (Vindob. 1671) p. 271—302 ad codicem Vindobonensem; Xystus Schier (kalendarium Furii Dionysii Philocali. Vindobonae 1781), quem librum non vidi. Praeterea ex schedis Aleandrinis natales Caesarum edidit Marinius in Arvalibus p. 387 (inde Orell. 1104). Ex picturis indicem fastorum mensiumque imagines quas in suo uterque libro repererat aere lignove expresserunt Bucherius et Lambecius, ex hoc repetiverunt Montfaucon antiq. suppl. I p. 25—37 Graeviusque in thesauri vol. 8 p. 95—113; reliquarum inter Aleandrina tantummodo servatarum editionem parat Ioh. Bapt. Rossius. Ad hanc fastorum editionem parandam libri hodie noti adhibiti sunt omnes. Nam Vindobonensem librum (*V*) eius rei causa mihi missum excussi ipse; Bernensis (*B*) mensem qui unus superest Decembrem accurate descripsit mihi G. Rettig; apographum Peirescianum quod Romae in Vaticana servatur (*R*) contulit cum editione Bucheriana Rossius noster; denique Bruxellensis (*Z*) cum eadem collati varias lectiones miserunt eius bibliothecae praefecti. Omnino quamquam propter picturas aegre desideramus codices vetustos saeculo demum XVI pessumdatos, mensium tabulas puto nos habere satis emendatas, cum apographa Vindobonense et Bruxellense in omnibus fere inter se consentiant.

'Polemii (Poltmii *cod.*) Silvii laterculus' — sic enim in codice inscribitur — incipit a praefatione hac: 'Domino beatissimo Eucherio episcopo Silvius. Laterculum quem priores fecerunt cum 'difficilibus supputatoribus indiciis notatum legissem, ne minus 'doctis esset obscurior absolutione, positarum in eo rerum signi'ficationem mutavi et apud te potissimum, a quo mea omnia pro 'tanto qui inter nos est amoris studio comprobantur digestum 'direxi. Laetificabor iudicio tuo, si eum tibi placuisse cognovero'. Eucherius, cui librum misit Silvius, episcopus fuit Lugduni mortuus die 16 Nov. 450; Silvius videtur is esse, quem scriptor vitae Hilarii episcopi Arelatensis (403—449) memorat inter 'praeclaros auctores sui temporis' quique item Tirone Prospero teste ad a. 438 'turbatae admodum mentis post militiae in palatio exacta munera aliqua de religione conscripsit'. — Scripsit Silvius laterculum hunc in partibus Occidentis sub Valentiniano III anno p. Chr. 448, ut tamen etiam insequentis anni consules in additamento ad chronicon nominet. — Laterculum simillimum Philocaliani ante oculos eum habuisse apparet, sed Christiano odio imbutus adversus gentilium superstitionem vanamque rerum non necessariarum curam suppressit quidquid ad ethnicam vetustatem pertinere visum esset laterculumque universum in formam simpliciorem Christianaeque tenuitati aptiorem redegit. Ita adnotationem de horis bonis malisque picturasque dierum et signorum zodiaci reiecisse se ipse ait in argumento quod laterculo praeposuit: 'dierum ne'cessum non fuit formas depingi, quia sibi omnes consimiles 'sunt, neque ut stulte gentiles locuntur nomina designari, quo'niam nullius rei nisi septenarii — numeri — appellatione 'censentur' et post alia: 'de signis nihil est quod dicatur, quia 'non sunt, etiamsi dicantur — — quorum quoniam longe post 'mundi ortum vana veterum profanorum arte conficta sunt, mentio 'relinquenda est'. Simili ratione dies Aegyptiacos in tabula delevit et pro mensium imaginibus 'in alternis foliis' breves tractatus vulgaris plebique apti argumenti interposuit, quos quatenus supersunt loco citato edidimus et explicavimus. Denique litteras lunares hebdomadarias nundinales delevit notasque solvit omnes, id quod ipsum in praefatione supra relata facturum se pollicetur, ne minus doctis tabula obscurior sit. Contra addidit alia, ut nomina mensium Hebraeorum Aegyptiorum Atheniensium Macedonum ex gentium diversarum menologio aliquo, qualia etiamnunc supersunt; ventorum tempestatum similiumque indicationes petitas, ut me docuit comparatio instituta, ex tabula rustici anni Columellae l. XI c. 2 inserta, quamquam quaedam variant sive breviatoris incuria, quae sane maxima fuit, sive quod alterius utrius auctoris librarii peccaverunt; denique adnotationes quasdam grammaticas de vocabulorum quae fastis propria sunt origine vel triviales vel absurdas aliasque historicas, ut de die captae urbis a Gallis (id. Febr.) et de feriis ancillarum eodem tempore institutis, quae mirum in modum conspirant cum Plutarcho. — Servavit Silvii laterculum unus codex olim hospitalis S. Nicolai Cusani, hodie bibliothecae publicae Bruxellensis n. 10615—10729 saeculi XII, in quo legitur continuo perscriptus litteris admodum minutis, ita ut universus laterculus cum appendicibus omnibus contineatur duobus foliis 93 (cuius f. 94 apographum est) et 95. Inde laterculum edidit Henschenius in actorum sanctorum mensis Iunii vol. VII (Antverp. 1717) p. 178—184; quam editionem repetiit patrologia Migniana vol. XIII (Paris. 1845) p. 675 sq. Codicis exemplum cum olim a Gacheto accepissem, anno superiore contigit mihi ut ipse eum excuterem Bruxellis.

PHILOCALVS
p. Chr. 354.

MENSIS IANVARIVS
habet dies XXXI.

1	A	A	A	KAL · IAN	SENATVS · LEGITIMVS	
2		B	B	IIII · NON	DIES · AEGYPTIACVS	
3		C	C	III	LVDI VOTORVM · NVNCVPATIO	
4	B	D	D	PRIDIE	LVDI	
5		E	E	NON	LVDI	
6		F	F	VIII · IDVS	DIES · AEGYPTIACVS	
7	C	G	G	VII	IANO · PATRI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	
8		A	H	VI		
9		B	A	V	SENATVS · LEGITIMVS	
10	D	C	B	IIII		
11		D	C	III	DIES · CARMENTARIORVM	
12		E	D	PRIDIE		
13	E	F	E	IDIB	IOVI · STATORI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	
14		G	F	XIX · KAL · FEB		
15		A	G	XVIII	CARMENTALIA	
16	F	B	H	XVII	DIES · AEGYPTIACVS	
17		C	A	XVI	LVDI · PALATINI	
18		D	B	XV	LVDI	
19	G	E	C	XIIII	LVDI	
20		F	D	XIII	$\overline{\text{N}}$ · GORDIANI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	
21		G	E	XII	LVDI	
22	H	A	F	XI	LVDI	
23		B	G	X	SENATVS · LEGITIMVS	SOL · AQVARIO
24		C	H	IX	$\overline{\text{N}}$ · D · HADRIANI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	
25	I	D	A	VIII	$\overline{\text{N}}$ · CHARTIS	
26		E	B	VII		
27		F	C	VI		
28	K	G	D	V		
29		A	E	IIII		
30		B	F	III		
31	A	C	G	PRIDIE		

BV qui plane conveniunt singulas paginas dividunt lineis in laterculos quinos, quorum tres primos occupant litterae lunares hebdomadariae nundinales, quartum dierum numeri, ut tamen notae longiores in kalendis diebusque post kalendas nonas idus initatae in quintum laterculum excurrant, quintum denique adnotationes. — Rubro colore scribuntur et in archetypo et in apographo Vindobonensi litterae hebdomadariae, signa duodecim, denique singulis mensibus kalendae idusque cum adnotationibus suis. In Vindobonensi praeterea rubro colore scribuntur mensium nomina addito dierum numero, cum in Bernensi quod solum inde superest dies XXXI *scriptum sit atramento. Praeterea in Bernensi sub signo circulus pictus est rubro colore, qui non adest in Vindobonensi. Bernensis in hac parte totus scriptus est litteris quadratis. Hunc codicem in minoribus fere expressi, deficiente eo maxime secutus sum Vindobonensem. Compendia vero scripturae ea quae antiquitatis speciem prae se ferebant neque ex usu scriptorum saec. XV derivantur retinui omnia.*

1 mensis *om. RZ in inscriptionibus omnibus.*

2 aegipciacus *V. et sic vel* egipciacus *plerumque, quod non adnotari deinceps; recte scribitur d. Ian.* 16.

4 pridie *plene scriptum exhibet B, quod retinui;* prid. *sive* pr. *V.*

11 dies Carmentariorum *ad Ian.* 11 *RZ, ad Ian.* 10 *V.*

13 *Natalem L. Aelii Caesaris huic diei adscribunt Nat. Caes.*

25 Charitum *coniecit Lambec. male.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

IANVARIVS
dies XXXI.

Vocatur apud Hebraeos Sebit, apud Aegyptios Tibi, apud Athenienses Pusidion, apud Graecos alios Edineus.

1 KALENDAE	dictae *ἀπὸ τοῦ καλεῖν* hoc est a vocando, quia tum in rostris Romae ad contionem populus vocabatur	
2 IIII NONAS	circus privatus	auster, interdum cum pluvia
3 III	dies Auspicalium natalis Ciceronis ludi	
4 II	ludi compitales	
5 NONAE	dictae ideo, quia nonus dies eas discernit ab idibus	tempestatem significat
6 VIII IDVS	Epiphania, quo die interpositis temporibus *visa* est stella magis, quae dominum natum nuntiabat. *Et* aqua vinum facta *et* in amne Iordanis salvator baptizatus est	auster interdum vel favonius
7 VII	prima consulis mappa, quae ideo sic vocatur, quia rex Tarquinius Romae, dum die circensium pranderet in circo, de mensa suam mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abiecerat	
8 VI		auster, interdum et imber
9 V	senatus legitimus. suffecti consules designantur sive praetores	
10 IIII		
11 III	Carmentalia de nomine matris Euandri *Natalis* DN · Theodosii Augusti	
12 PRIDIE		
13 IDVS	dictae *ἀπὸ τοῦ εἰδεῖν*, a videndo, quia priusquam annus hic qui est fuerat, mense medio luna completa, quae incipiebat kalendis, de qua menses dictos accepimus, videbatur secunda mappa	interdum ventus aut tempestas
14 XVIIII KALENDAS FEBRVARIAS.		
15 XVIII	natalis Honorii. circenses	interdum auster et pluvia
16 XVII		
17 XVI	ludi Palatini	
18 XV	ludi	
19 XIIII	ludi	
20 XIII	natalis Gordiani. circenses	
21 XII	ludi	ventus africus. tempestatem significat
22 XI	natalis sancti Vincentii martyris	dies pluvius
23 X	senatus legitimus. quaestores Romae designantur	
24 IX	natalis Hadriani. circenses	
25 VIII		interdum tempestas
26 *VII*		
27 VI	ludi Castorum Ostiis, quae prima facta colonia est	
28 *V*	ludi	auster aut africus. interdum dies humidus
29 IIII	ludi	
30 III		tempestatem significat
31 II	circenses Adiabenis victis	interdum tempestas

Orthographica non adnotantur codice (C) admodum inemendate scripto. Pro ae *et* oe *fere semper scribitur* e, *item* c *et* t, u *et* o, i *et* e *saepissime inter se permutantur.*

praef. Edineus *est Audynaeus anni Macedonici.*
1 kalende dicte apud ucalin *C* contentionem *C.*
3 auspicialium *Henschen male.*
4 comitalis *C,* comitialis *Henschen.*
5 none dicte. i. ideo *C.*
6 temporibus est illa magisque *C* de aqua *C;* et aqua *Henschen* vel in amne *C.*
7 de mensam suam mappa *C.*
9 legitimis *C.*
11 euandri dn the au pridie *C;* Euandri. II aut pridie *Henschen.*
13 dicte aput a videndu *C* kalendas *C.*
20 gorgiani *C.*
24 adiani *C.*
27 VII *om. C, unde sequentia ad hunc diem rettulit Henschen.* quae *C,* quod *Henschen.*
28 V *om.* C.
31 abdibenis *C.*

PHILOCALVS
p. Chr. 354.

MENSIS FEBRVARIVS
habet dies XXVIII.

1		D	H	KAL · FEB	N · HERCVLIS · CM · XXIIII	
2		E	A	IIII · NON		
3	B	F	B	III	SENATVS · LEGITIMVS	
4		G	C	PRIDIE	LVDI · GOTTICI	
5		A	D	NON	LVDI	
6	C	B	E	VIII · IDVS	LVDI	
7		C	F	VII	LVDI DIES · AEGYPTIACVS	
8		D	G	VI	LVDI ·	
9	D	E	H	V	GOTTICI · CM · XXIIII	
10		F	A	IIII		
11		G	B	III	GENIALICI · CM · XXIIII	
12	E	A	C	PRIDIE	LVDI · GENIALICI	
13		B	D	IDIB	VIRGO · VESTA · PARENTAT	SENAT · LEGIT
14	F	C	E	XVI · KAL · MAR		
15		D	F	XV	LVPERCALIA	
16		E	G	XIIII		
17	G	F	H	XIII	QVIRINALIA	
18		G	A	XII		
19		A	B	XI		
20	H	B	C	X		SOL · PISCIBVS
21		C	D	IX	FERALIA	
22		D	E	VIII	CARISTIA	
23	I	E	F	VII	TERMINALIA	
24		F	G	VI	REGIFVGIVM	
25		G	H	V	LORIO · CM · XII DIES · AEGYPTIACVS	
26	K	A	A	IIII		
27		B	B	III	N · D · CONSTANTINI · CM · XXIIII	
28		C	C	PRIDIE	LVDI · VOTIVI	

4 gottichi *V*, gothici *Z*.
9 gottichi *V*, l. gothici *Z*.
13 senat. legat *R*.
20 sol piscibus *ad* 20 *V*, ad 19 *R*, *ad* 22 *Z*.
23 VIII *pro* VII *errore calami V*.
25 lorio *R itaque sequente spatio vacuo V*, corio *Z*; lotio *coniecit Lamb. male.*
28 votibi *VR*.

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

FEBRVARIVS
dies XXVIII.

Dictus a febro verbo, quod purgamentum veteres nominabant, quia tum Romae moenia lustrabantur. Vocatur apud Hebraeos Adar, apud Aegyptios Mechir, apud Athenienses Gamelion, apud Graecos Peritios.

1	KALENDAE	circenses	interdum auster cum grandine
2	IIII NONAS		
3	III NONAS	senatus legitimus	corus aut africus
4	II	ludi	
5	NONAS	ludi	ventus aut tempestas
6	VIII IDVS	ludi	
7	VII	ludi	favonius
8	VI		ventus aut tempestas
9	V	circenses	
10	IIII		eurus
11	III	circenses	
12	II	ludi	
13	IDVS	parentatio tumulorum in*cipit* quo die Roma liberata est de obsidione Gallorum	
14	XVI KALENDAS MARTII		venti mutatio
15	XV	Lupercalia	
16	XIIII	natalis Faustinae uxoris Antonini	
17	XIII	Quirinalia, quo die Romulus occisus a suis (qui ab hasta, quae a Sabinis curis vocatur, *Quirinus vocatur*) non apparuisse confictus est	favonius aut auster cum grandine
18	XII		
19	XI		
20	X		venti septentrionales
21	IX		frigidus dies de aquilone vel pluvia
22	VIII	depositio sancti Petri et Pauli — cara cognatio ideo dicta, quia tunc etsi fuerint vivorum parentum odia, tempore obitus deponantur	ventus aut tempestas
23	VII	Terminalia — hoc die quarto bisextum anno vocamus, quem diem Aegyptii inter Augustum et Septembrem epagomeno quinque dierum mensi suo iungunt	
24	VI	Regifugium, cum Tarquinius Superbus fertur ab urbe expulsus	
25	V	circenses	
26	IIII		
27	III	natalis Constantini	
28	II	ludi	

praef. Februarius dictus a numero dies XXVIII dictus a fibro *C* quia dum *C* methis *C.*
5 ventosa tempestas *Columella.*
10 curus *C;* eurus *Columella ad diem seq.*
13 inp *pro* incipit *C.*
16 antonii *C.*
17 sabininis *C* Quirinus vocatur *supplevi.*
21 frigidus dies aquilone vel coro; interdum pluvia *Columella.*
22 ventosa tempestas *Columella ad diem sequentem.*
23 epigomino *C.*
24 regifuigium *C.*

PHILOCALVS
p. Chr. 354.

MENSIS MARTIVS
habet dies XXXI.

1	A	D	D	KAL · MAR	N · MARTIS · $\overline{\text{CM}}$ · XXVIII	
2		E	E	VI · NON		
3		F	F	V	SENATVS · LEGITIMVS DIES · AEGYPTIACVS	
4	B	G	G	IIII		
5		A	H	III	ISIDIS · NAVIGIVM	
6		B	A	PRIDIE		
7	C	C	B	NON	IVNONALIA	
8		D	C	VIII · IDVS		
9		E	D	VII	ARMa · ANCILIA · MOVENT	
10	D	F	E	VI		
11		G	F	V		
12		A	G	IIII		
13	E	B	H	III	IOVI · CVLTORI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	
14		C	A	PRIDIE	MAMVRALIA SENATVS · LEGIT	
15		D	B	IDIB ·	CANNA · INTRAT	
16	F	E	C	XVII · KAL · APR		
17		F	D	XVI	LIBERALICI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	SOL · ARIETE
18		G	E	XV		
19	G	A	F	XIIII	QVINQVATRIA	
20		B	G	XIII	PELVSIA	
21		C	H	XII	N · MINERVES	
22	H	D	A	XI	ARBOR · INTRAT	
23		E	B	X	TVBILVSTRIVM	
24		F	C	IX	SANGVEM DIES · AEGYPTIACVS	
25	I	G	D	VIII	HILARIA	
26		A	E	VII	REQVETIO	
27		B	F	VI	LAVATIO	
28	K	C	G	V	INITIVM · CAIANI	
29		D	H	IIII		
30		E	A	III		
31	A	F	B	PRIDIE	$\overline{\text{N}}$ · DIVI · CONSTANTi · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII	

Martius deest in RZ
inscr. Marcius *V.* habet *hic et deinceps om. V.*
1 *scribendum puto* XXIIII.
3 legittimus *V.*
9 armanchilia *V.*
19 cinquatria *V.*
20 pelosia *V.*
21 sanguem *primo casu legitur in codice Arnobii* 1, 59 *a manu prima. item apud Lucretium* 1, 837 *in codice oblongo, denique in hoc ipso Lucretii versu apud Charisium p.* 90, *quamquam scribae, non auctoris arbitrio; idque quamquam soloecum, tamen apud plebeium hunc infimae aetatis scriptorem monente Hauptio retinui.*
31 constantini *V; emendavi ex nat. Caes.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

MARTIVS
dies XXXI.

Vocatur apud Hebraeos Nisan, apud Aegyptios Faminod, apud Athenienses Antesterion, apud Graecos Distros.

1	KALENDAE			interdum grando
2	VI NONAS			septentrionales venti
3	V			
4	IIII			interdum hiemat
5	III			
6	II			aquilo
7	NONAS			
8	VIII IDVS			
9	VII			
10	VI			
11	V	natalis favonii		
12	IIII			septentrionales venti
13	III			
14	II			flatus aquilonis
15	IDVS			
16	XVII KALENDAS APRILES			hiemat
17	XVI	circenses		favonius aut corus
18	XV			
19	XIIII	Quinquatria		
20	XIII	Pelusia		
21	XII			septentrionales venti
22	XI			dies pluvius. interdum ningit
23	X			
24	IX	natalis calicea		
25	VIII	aequinoctium. principium veris	crucimissio gentilium. Christus passus hoc die.	
26	VII			interdum tempestas
27	VI	lavationem veteres nominabant	resurrectio	
28	V			
29	IIII			
30	III			
31	II	natalis Constantini. circenses		

1 interdum *C;* aliquando *exemplum recentius, ubi tamen* interdum *emendatur, indeque Henschenus.*
11 natali favonii *nihil respondet apud Columellam.*
19 quinquadria *C.*

PHILOCALVS
p. Chr. 354.

MENSIS APRILIS
habet dies XXX.

1		G	C	KAL · APR	VENERALIA · LVDI SEN · LEG	
2		A	D	IIII · NON		
3	B	B	E	III	$\overline{N}$ · DEI · QVIRINI · $\overline{CM}$ · XXIIII DIES · AEGYP	
4		C	F	PRIDIE	LVDI · MEGALESIACI	
5		D	G	NON ·	LVDI	
6	C	E	H	VIII · IDVS	LVDI	
7		F	A	VII		
8		G	B	VI	$\overline{N}$ · CASTOR · ET · POLLVc · $\overline{CM}$ · XXIIII	
9	D	A	C	V	LVDI	
10		B	D	IIII	MEGALESIACI · $\overline{CM}$ · XXIIII	
11		C	E	III	$\overline{N}$ · DIVI · SEVERI · $\overline{CM}$ · XXIIII	
12	E	D	F	PRIDIE	LVDI · CEREALICI · $\overline{CM}$ · XXIIII	
13		E	G	IDIB	LVDI SENATVS · LEGITIMVS	
14	F	F	H	XVIII · KAL · MAI	LVDI	
15		G	A	XVII	LVDI	
16		A	B	XVI	LVDI	
17	G	B	C	XV	LVDI	
18		C	D	XIIII	LVDI	SOL · TAVRO
19		D	E	XIII	CEREALICI · CM · XXIIII	
20	H	E	F	XII		
21		F	G	XI	$\overline{N}$ · VRBIS · $\overline{CM}$ · XXIIII DIES · AEGYP	
22		G	H	X		
23	I	A	A	IX		
24		B	B	VIII		
25		C	C	VII	SERAPIA	
26	K	D	D	VI	$\overline{N}$ · M · ANTONINI · $\overline{CM}$ · XXIIII	
27		E	E	V		
28		F	F	IIII		
29	A	G	G	III		
30		A	H	PRIDIE	LVDI · FLORALES	

Aprilis deest in RZ.
8—12 *quae adnotantur in V adscribuntur quidem ad* 7—11, *sed qui scripsit librum errorem emendavit signis appositis; quam emendationem confirmant Nat. Caes. natalem divi Severi collocantes a. d. III id. Apr.*
8 pollus *V.*
26 M. *primum omisit V, sed m.* 1 *supplevit.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

APRILIS
dies XXX.

Vocatur apud Hebraeos Iar, apud Aegyptios Farmotin, apud Athenienses Elafibilion, apud Graecos Xanticos.

1	KALENDAE		tempestatem significant
2	IIII NONAS		
3	III	circenses	
4	II	ludi	
5	NONAS		favonius aut auster, interdum cum grandine
6	VIII IDVS		interdum hiemat
7	VII		tempestatem significat
8	VI		avium *alcyo*num dicitur
9	*V*		
10	IIII	circenses	interdum tempestatem significat
11	III	natalis *Se*veri. circenses	
12	II	ludi	hiemat
13	IDVS	senatus legitimus	
14	XVIII KALENDAS MAIAS	ludi	ventus ac tempestas.
15	XVII	ludi	
16	XVI	ludi	
17	XV		pluviam significat
18	XIIII	ludi	
19	XIII	circenses. consulis tertiae mappae.	
20	XII		
21	XI	natalis Urbis Romae. consules ordinarii fasces deponunt. Parilia dicta de partu Iliae	interdum pluvia et grando
22	X		africus aut auster. dies humidus
23	IX		tempestatem significat
24	VIII		
25	VII		
26	VI	natalis Antoni*n*i. circenses	
27	V	Floria	
28	IIII		auster fere cum pluvia
29	III		interdum dies humidus
30	II		tempestatem significat

7 tempus *C.*
8 auium ulcanum dicitur *C; cf. Colum.* 11, 2, 21: VIII k. Mart. Halcyonei dies vocantur.
9 *om. C.*
10 tempus *C.*
11 natalis uiri *C.*
14 maius *C* ventosa tempestas *Columella.*
22 humidis *C.*
26 antonii *C.*
28 fore *C; emendavi ex Columella.*

PHILOCALVS
p. Chr. 354.

MENSIS MAIVS
habet dies XXXI.

1		B	A	KAL · MAI	SENATVS · LEGITIMVS
2	B	C	B	VI · NON	LVDI
3		D	C	V	FLORALICI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII DIES · AEGYP
4		E	D	IIII	LVDI · MAXIMATI
5	C	F	E	III	LVDI
6		G	F	PRIDIE	LVDI
7		A	G	*non*	LVDI
8	D	B	H	VIII · IDVS	LVDI
9		C	A	VII	MAXIMATI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII
10		D	B	VI	$\overline{\text{N}}$ · CLAVDI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII
11	E	E	C	V	
12		F	D	IIII	MARTIALICI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII
13		G	E	III	LVDI · PERSICI
14	F	A	F	PRIDIE	LVDI
15		B	G	IDIB	LVDI · $\overline{\text{N}}$ · MERCVRI SENATVS · LEG
16		C	H	XVII · KAL · IVN	LVDI
17	G	D	A	XVI	PERSICI · $\overline{\text{CM}}$ · XXIIII
18		E	B	XV	$\overline{\text{N}}$ · ANNONIS
19		F	C	XIIII	ZENZIARIVS
20	H	G	D	XIII	SOL · GEMINI
21		A	E	XII	DIES · AEGYPTIACVS
22		B	F	XI	
23	I	C	G	X	MACELLVS · ROSA · SVMAT
24		D	H	IX	
25		E	A	VIII	
26	K	F	B	VII	
27		G	C	VI	
28		A	D	V	
29	A	B	E	IIII	LVDI · HONOR · ET · VIRTVS · ZINZA
30		C	F	III	LVDI
31		D	G	PRIDIE	LVDI

Maius deest in RZ.
1 legittimus *V.*
7 IX *pro* non. *V.*
15 ludi *om. Lambec. male.*
18 Hammonis *coniecit Lambec.*
20 gemini *V.*
23 macellus rosam (*sive* rosas) sumit *scribendum.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

MAIVS
dies XXXI.

Dictus a *maioribus*. Vocatur apud Hebraeos Sivan, apud Aegyptios Pachon, *apud Athenienses Munychion*, apud Graecos Artemesios.

1	KALENDAE		
2	VI NONAS		septentrionales venti
3	V		tempestatem significat
4	IIII	ludi	
5	III		pluvia
6	II	ludi	*tempestatem* significat
7	NONAS	ludi	favonius
8	VIII IDVS	ludi	interdum pluvia
9	VII		
10	VI	natalis Claudii	tempestas interdum
11	V		
12	IIII		
13	III	ludi	tempestatem significat
14	II	ludi	
15	IDVS		dies humidus
16	XVII KALENDAS IVNII		dies ut supra
17	XVI		pluvia
18	XV		
19	XIIII		
20	XIII		
21	XII		interdum pluvia
22	XI		tempestatem significat
23	X		ut supra
24	IX		
25	VIII		venti
26	VII		
27	VI		
28	V		
29	IIII	ludi	interdum pluvia
30	III		
31	II		

praef. maius dictus a numero dies XXXI *C* apud Athenienses Munychion *om.* C.
3. 10. 13. 22 tempus *pro* tempestatem *C.*
6 tempestatem *addidi ex Col.*

PHILOCALVS

p. Chr. 354.

MENSIS IVNIVS

habet dies XXX.

1	B	E	H	KAL · IVN	FABARICI · C̄M̄ · XII	
2		F	A	IIII · NON		
3		G	B	III	SENATVS · LEGITIMVS	
4	C	A	C	PRIDIE	LVDI · IN · MINICIA	
5		B	D	NON		
6		C	E	VIII · IDVS	COLOSSVS · CORONATVR	
7	D	D	F	VII	VESTA · APERIT DIES · AEGYPTIACVS	
8		E	G	VI		
9		F	H	V	VESTALIA	
10	E	G	A	IIII		
11		A	B	III	MATRALIA ·	
12	F	B	C	PRIDIE		
13		C	D	IDIB ·	N̄ · MVSARVM SENATVS · LEGITIMVS	
14		D	E	XVIII · KAL · IVL		
15	G	E	F	XVII	VESTA · CLVDITVR	SOL · CANCRO
16		F	G	XVI		
17		G	H	XV		
18	H	A	A	XIIII	ANNAE · SACRVM	
19		B	B	XIII		
20		C	C	XII	DIES · AEGYPTIACVS	
21	I	D	D	XI		
22		E	E	X		
23		F	F	IX		
24	K	G	G	VIII	FORTIS · FORTVNAE SOLSTITIVM	
25		A	H	VII		
26		B	A	VI		
27	A	C	B	V		
28		D	C	IIII		
29		E	D	III		
30	B	F	E	PRIDIE		

Iunius deest in RZ.

24 solisticium *V.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

IVNIVS
dies XXX.

Dictus a iunioribus. Vocatur apud Hebraeos Amir, apud Aegyptios Pasni, apud Athenienses Targilion, apud Graecos Desios.

1	KALENDAE	circenses fabricii	
2	IIII NONAS		
3	III		
4	II	ludi	
5	NONAE		
6	VIII IDVS		
7	VII		favonius aut corus
8	VI		
9	V		
10	IIII		interdum rorat
11	III		
12	II		
13	ID	natalis Musarum	
14	XVIII KALENDAS IVLII		
15	XVII		
16	XVI		tempestatem significat
17	...		
18	...		
19	...		
20	...		
21	...		
22	X		
23	VIIII		
24	VIII		solstitium. favonius
25	VII		
26	VI		
27	V	initium aestatis	
28	IIII		
29	III		dies ventosus
30	II		

praef. amir *debet esse* Thamus, pafiu *vel* pasni *(alterutrum enim videtur esse in cod.)* Payni.
8 V *pro* VI *C.*
13 nati ms *C.*
16 *post* XVI *in margine apographi recentis intercalantur haec:* XV ventus aut tempestas. XIIII. XIII interdum rorat. XI, *quae cum Columella non conveniunt recteque omissa sunt ab Henscheno.*
16 tempus *C.*
23 VIII *pro* VIIII *C.*
24 solesticium *C.*
27 initium aestatis *non est ex Columella.*

PHILOCALVS

p. Chr. 354.

MENSIS IVLIVS

habet dies XXXI.

1		G	F	KAL · IVL	SENATVS · LEGITIMVS	
2		A	G	VI · NON		
3	C	B	H	V	FVGATO · LICINIO · CM · XXIIII	
4		C	A	IIII		
5		D	B	III	LVDI · APOLLINARES	
6	D	E	C	PRIDIE	LVDI DIES · AEGYPTIACVS	
7		F	D	NON	LVDI	
8		G	E	VIII · IDVS	LVDI	
9	E	A	F	VII	LVDI	
10		B	G	VI	LVDI	
11		C	H	V	LVDI	
12	F	D	A	IIII	LVDI	
13		E	B	III	APOLLINARES · CM · XXIIII	
14		F	C	PRIDIE		
15	G	G	D	IDIB	EQVIT · RO · PROB LVDI · FRANCICI	
16		A	E	XVII · KAL · AVG	LVDI	
17		B	F	XVI	LVDI SENAT · LEGIT	SOL · LEONE
18	H	C	G	XV	ADVENT · D · CM · XXIIII DIES · AEGYPTIACVS	
19		D	H	XIIII	LVDI · VOTIVI	
20		E	A	XIII	FRANCICI · CM · XXIIII	
21	I	F	B	XII	ADVENT · DIVI · CM · XXIIII	
22		G	C	XI	LVDI	
23		A	D	X	NEPTVNALICI	
24	K	B	E	IX		
25		C	F	VIII	N · D · CONSTANTINI · CM · XXIIII	
26		D	G	VII	LVDI · VOTIVI	
27	A	E	H	VI	VICT · SARMATICAS · CM · XXIIII	
28		F	A	V		
29		G	B	IIII		
30	B	A	C	III	VICT · MARCOMANNAS · CM · XXIIII	
31		B	D	PRIDIE		

Dies lunares per hunc mensem om. V.

3 fucato *V.* cm. XXIIII *om. Bucherus contra Z.*

5 appolinares *V.*

12 ludi *om. RZ.*

13 apolinares *V.*

15 aequit. Ø *VZ.*

17 sol leone *ad* 17 *VR, ad* 28 *Z.*

19. 26 votibi *VR.*

22 neptunalici ludi *R.*

POLEMIVS SILVIVS

p. Chr. 448/449.

IVLIVS

dies XXXI.

Dictus a Iulio Caesare, cum Quintilis antea diceretur. Vocatur apud Hebraeos *Ab*, apud Aegyptios Epifi, apud Athenienses Scirofion, apud Graecos Panemos.

1	KALENDAE		
2	VI NONAS	natalis genuinus domini Valentiniani	
3	V NONAS		favonius
4	IIII		
5	III		
6	II	ludi	
7	NONAE	ancillarum feriae, quarum celebritas instituta est ideo, quia capta urbe a Gallis, cum finitimi prius victi tradi sibi Romanorum procerum coniuges postularent et consilio Philotidis ancillae famulae dominarum vestibus adornatae datae illis fuissent, his nuntiantibus praedictos somno sopitos et ebrios posse superari, facta victoria sic.	
8	VIII IDVS	natalis Iulii Caesaris	
9	VII		tempestatem significat
10	VI	ludi	
11	V	ludi	etesiae venti flare incipiunt
12	IIII	ludi	
13	III		
14	II		
15	IDVS		
16	XVII KALENDAS AVGVSTAS		
17	XVI		
18	XV		
19	XIIII		
20	XIII		
21	XII		
22	XI		
23	X		
24	VIIII		favonius vel auster. tempestatem significat
25	VIII	natalis Constantini	
26	VII		
27	VI		dies canicularis
28	V		
29	IIII		interdum tempestatem ....
30	...		
31	...		

praef. cesare dies XXXI cum *C.* iar *pro* ab *C.*
7 consilium philotedis *C* praedictus somno sopitus et ebrius *C* victoriast *pro* victoria sic *malim.*
9. 24 tempus *C.*
11 aetessie v. flere *C.* — VI id. Iul. prodromi flare incipiunt; k. Aug. etesiae *Columella; cf. Plin. h. n.* 18, 28, 270: XIII k. Aug. etesiarum prodromi flatus incipiunt.

PHILOCALVS
p. Chr. 354.

MENSIS AVGVSTVS
habet dies XXXI.

1		C	E	KAL · AVG	N̄ · DIVI · PERTINACIS · $\overline{CM}$ · XXIIII	
2	C	D	F	IIII · NON		
3		E	G	III	SENATVS · LEGITIMVS	
4		F	H	PRIDIE	VICT · SENATI · $\overline{CM}$ · XXIIII	
5	D	G	A	NON	N̄ · SALVTIS · $\overline{CM}$ · XXIIII	
6		A	B	VIII · IDVS	DIES · AEGYPTIACVS	
7		B	C	VII	N̄ · CONSTANTII · $\overline{CM}$ · XXIIII	
8	E	C	D	VI	LVDI · VOTIVI	
9		D	E	V		
10	F	E	F	IIII		
11		F	G	III		
12		G	H	PRIDIE	LYCHNAPSIA	
13	G	A	A	IDIB	N̄ · DIANES	
14		B	B	XIX·KAL·SEPTEMB		
15		C	C	XVIII	SENATVS · LEGITIMVS	
16	H	D	D	XVII		
17		E	E	XVI	TIBERINALIA	SOL · VIRG*INE*
18		F	F	XV		
19	I	G	G	XIIII	N̄ · PROBI · $\overline{CM}$ · XXIIII	◎
20		A	H	XIII		
21		B	A	XII	DIES · AEGYPTIACVS	
22	K	C	B	XI		
23		D	C	X	VVLCANALICI · $\overline{CM}$ · XXIIII	
24		E	D	IX		
25	A	F	E	VIII		
26		G	F	VII		
27		A	G	VI		
28	B	B	H	V	SOLIS · ET · LVNAE · $\overline{CM}$ · XXIIII	
29		C	A	IIII		
30		D	B	III		
31	C	E	C	PRIDIE		

1 divi Pertinacis $\overline{\text{cm}}$. XXIIII *om.* *RZ.*
4 senat. *Z.*
7 constanti/i *littera una erasa* *V.*
8 votibi *VR.*
12 lignapsia *V*, lygnapsia *RZ.*
17 sol virgo *ad* 17 *V*, sol virgine *ad* 23 *Z.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

AVGVSTVS
dies XXXI.

Prius Sextilis; dictus ab Octaviano Augusto. Vocatur apud Hebraeos Ilul, apud Aegyptios Mesore, apud Athenienses Ecatonbion, apud Graecos Loos.

1	KALENDAE	natalis Pertinacis et martyrium Maccabaeorum	
2	IIII NONAS		
3	III		
4	II		tempestas
5	NONAE		
6	VIII IDVS		nebulosus aestus
7	VII	natalis Constantini minoris	
8	VI	ludi	
9	V		
10	IIII	natalis sancti Laurenti martyris	
11	III		
12	II	Hippolyti martyris	tempestatem significat
13	IDVS		
14	XVIIII KALENDAS SEPTEMBRIS		
15	XVIII		
16	XVII		
17	XVI		
18	XV	ludi	
19	XIIII		
20	XIII		
21	XII		tempestas
22	XI		
23	X	circenses	
24	VIIII		
25	VIII		
26	VII	post hunc diem apud Aegyptios V dierum epagomenos tertius decimus mensis adiungitur	
27	VI		interdum pluvia
28	V	circenses	
29	IIII		
30	III		
31	II		interdum frigus

praef. augusto dies XXXI vocatur *V.*
4. 12 tempus *C.*
6 VIIII *C* nebuliosaastus *C; emendavi ex Columella.*
9 VI *C.*
26 epigomenos *C.*

PHILOCALVS

p. Chr. 354.

MENSIS SEPTEMBER

habet dies XXX.

1		F	D	KAL · SEPT	SENATVS · LEGITIMVS
2		G	E	IIII · NON	DIES · AEGYPTIACVS
3	D	A	F	III	
4		B	G	PRIDIE	
5		C	H	NON	MAMMES · VINDEMIA
6	E	D	A	VIII · IDVS	
7		E	B	VII	
8		F	C	VI	
9	F	G	D	V	N̄ · AVRELIANI · C̄M̄ · XXIIII
10		A	E	IIII	
11		B	F	III	N̄ · ASCLEPI
12	G	C	G	PRIDIE	LVDI · ROMANORVM
13		D	H	IDIB	LVDI SENATVS · LEGITIMVS
14		E	A	XVIII·KAL·OCTOB	LVDI
15	H	F	B	XVII	ROMANIANI · C̄M̄ · XXIIII
16		G	C	XVI	
17		A	D	XV	
18	I	B	E	XIIII	N̄ · TRAIANI TRIVMPHALES C̄M̄ · XLVIII
19		C	F	XIII	PII · ANTONINI · C̄M̄ · XXIIII DIES · AEGYP
20		D	G	XII	LVDI · TRIVMPHALES SOL · LIBRA
21	K	E	H	XI	LVDI
22		F	A	X	LVDI ◎
23		G	B	IX	N̄ · DIVI · AVGVSTI · C̄M̄ · XXIIII
24	A	A	C	VIII	
25		B	D	VII	
26		C	E	VI	
27	B	D	F	V	PROFECTIO · DIVI · C̄M̄ · XXIIII
28		E	G	IIII	
29		F	H	III	LVDI · FATALES
30	C	G	A	PRIDIE	LVDI

12 Romaniani *Z.*
15 c̄m. XXIIII *om. Bucherus contra Z.*
18 c̄m. XXIIII *Bucherus contra Z.*
19 in *pro* Pii *R* dies Aegyp. *om. Bucherus contra Z.*
20 sol libra *ad* 20 *V, ad* 17 *R, ad* 24 *Z.*
23 n̄. *om. V.*
29. 30 ludi fatales *et* ludi *ad* 28. 29 *Bucherus contra Z et reliquos libros scriptos.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

SEPTEMBER
dies XXX.

Dictus a numero. Vocatur apud Hebraeos Tesseri, apud Aegyptios Thout, apud Athenienses Metadigmon, apud *Graecos* Gorpitos.

1	KALENDAE		
2	IIII NONAS		favonius aut corus
3	III	ludi	
4	II		
5	...		
6	VIII IDVS		
7	VII IDVS		tempestas
8	VI		
9	V		
10	IIII		
11	III		favonius vel africus
12	II		interdum tempestas
13	IDVS	hoc die Romae in aede Minervali per magistratum annis singulis ex aere clipei figebantur	
14	XVIII KALENDAS OCTOBRIS		
15	XVII		favonius interdum sive vulturnus
16	XVI		
17	XV		
18	XIIII		favonius vel corus
19	XIII		
20	XII	ludi	
21	XI		favonius vel corus cum pluvia
22	X		tempestatem significat
23	VIIII		
24	VIII		aequinoctium
25	VII		
26	VI	initium autumni	
27	V		favonius interdum
28	IIII		tempestatem significat
29	III	ludi	
30	II		

praef. numero dies XXX vocatur *C* thour *C* Graecos om. *C.*
13 clavi *scribi debuit pro* clipei.
28 tempus *C.*

PHILOCALVS

p. Chr. 354.

MENSIS OCTOBER

habet dies XXXI.

1		A	B	KAL·OCTOB	$\overline{\text{N}}$·ALEXANDRI·$\overline{\text{CM}}$·XXIIII		
2		B	C	VI·NON			
3	D	C	D	V	SENATVS·LEGITIMVS	DIES·AEGYP	
4		D	E	IIII			
5		E	F	III	LVDI·ALAMANNICI		
6	E	F	G	PRIDIE	LVDI		
7		G	H	NON	LVDI		
8	F	A	A	VIII·IDVS	LVDI		
9		B	B	VII	LVDI		
10		C	C	VI	ALAMANNICI·$\overline{\text{CM}}$·XXIIII		
11	G	D	D	V			
12		E	E	IIII	AVGVSTALES·$\overline{\text{CM}}$·XXIIII		
13		F	F	III	LVDI·IOVI·LIBERATORI		
14	H	G	G	PRIDIE	LVDI		
15		A	H	IDIB	LVDI EQVVS·AD·NIXAS·FIT		SENAT·LEGIT
16		B	A	XVII·KAL·NOV	LVDI		
17	I	C	B	XVI	LVDI		
18		D	C	XV	IOVI·LIBERATORI·$\overline{\text{CM}}$·XXIIII		
19		E	D	XIIII	LVDI·SOLIS		SOL·SCORPIO
20	K	F	E	XIII	LVDI DIES·AEGYPTIACVS		
21		G	F	XII	LVDI		
22		A	G	XI	SOLIS·$\overline{\text{CM}}$·XXXVI		
23	A	B	H	X			
24		C	A	IX			
25		D	B	VIII			
26	B	E	C	VII			
27		F	D	VI			
28		G	E	V		ISIA	EVICTIO·TYRANNI
29	C	A	F	IIII	ADVENT·DIVI·$\overline{\text{CM}}$·XXIIII	ISIA	
30		B	G	III	LVDI·VOTIVI	ISIA	
31		C	H	PRIDIE	LVDI	ISIA	

12 $\overline{\text{cm}}$. XXIIII *om. RZ.*
15 ad nixas *VB*, adnixus *Z.*
30 votibi *VB.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

OCTOBER
dies XXXI.

Dictus a numero. Vocatur apud Hebraeos Maresuan, apud Aegyptios Faofi, apud Athenienses Boedrominion, apud Graecos Yperbereteos.

1 KALENDAE		tempestatem
2 VI NONAS		
3 V NONAS		
4 IIII		tempestatem
5 III		ut supra
6 II	ludi	aquilo
7 NONAE	ludi	
8 VIII IDVS		
9 VII		
10 VI		interdum pluvia
11 V		
12 IIII		
13 III		auster et pluvia
14 II	natalis Virgilii	
15 ID		
16 XVII KALENDAS NOVEMBRIS		
17 XVI		
18 XV		
19 XIIII		tempestatem significat
20 ...		
21 XII		
22 XI		
23 X	natalis Valentiniani purpurae	
24 VIIII		
25 VIII		
26 VII		tempestatem significat
27 VI		
28 V		interdum frigus
29 IIII		ventosus dies
30 III		tempestas
31 II		ut supra

16 XVIII *C.*
26 tempestatem significat *deleto voc.* significat *in* tempus *mutat C.*

PHILOCALVS

p. Chr. 354.

MENSIS NOVEMBER

habet dies XXXI.

1	D	D	A	KAL · NOV	EX · SENATO · CM · XXIIII S · L ISIA
2		E	B	IIII · NON	TER · NOVENA DIES · AEGYPTIACVS
3		F	C	III	HILARIA
4	E	G	D	PRIDIE	
5		A	E	NON	
6		B	F	VIII · IDVS	
7	F	C	G	VII	
8		D	H	VI	N · NERVAE · ET · CONSTANTII · CM · XLVIII
9		E	A	V	LVDI · VOTIVI
10	G	F	B	IIII	
11		G	C	III	
12		A	D	PRIDIE	LVDI · PLEBEI SENATVS · LEGITIMVS
13	H	B	E	IDIB	IOVIS · EPVLVM · CM · XXX
14		C	F	XVIII·KAL·DECEMBR	LVDI
15		D	G	XVII	LVDI
16	I	E	H	XVI	PLEBEI · CM · XXIIII
17		F	A	XV	N · VESPASIANI · CM · XXIIII
18		G	B	XIIII	
19	K	A	G	XIII	SOL · SAGITTARIO
20		B	D	XII	
21		C	E	XI	
22	A	D	F	X	
23		E	G	IX	
24		F	H	VIII	BRVMA DIES · AEGYPTIACVS
25	B	G	A	VII	LVDI · SARMATICI
26		A	B	VI	LVDI
27		B	C	V	LVDI
28	C	C	D	IIII	LVDI
29		D	E	III	LVDI
30		E	F	PRIDIE	LVDI

1 s(enatus) l(egitimus) *sic VRZ.*
8 constanti *RZ.*
9 votibi *VR.*
13 aepulum *V.*
19 sol sagittario *ad* 17 *R.* sagitari *V.*

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

NOVEMBER
dies XXXI.

Dictus a numero. Vocatur apud Hebraeos Cislau, apud Aegyptios Athur, apud Athenienses Penespion, apud Graecos Dios.

1	KALENDAE		
2	IIII · NONAS		hiemat cum pluvia
3	III		
4	II		
5	NONAE		
6	VIII IDVS	natalis Iuliani	
7	VII		hiemat
8	V	natalis Nervae	tempestas
9	VI		ut supra
10	IIII		interdum rorat
11	III		
12	II		
13	IDVS		
14	XVIII KALENDAS DECEMBRIS		
15	XVII		
16	XVI		aquilo
17	XV	natalis Vespasiani	aquilo cum pluvia
18	XIIII		tempestas
19	XIII		aquilo frigidus
20	XII		
21	XI		hiemat
22	X		tempestas
23	VIIII		
24	VIII		bruma
25	VII		
26	VI		
27	V	ludi	
28	IIII		
29	III	ut supra	
30	II		auster cum pluvia

8. 18. 22 tempus *C.*
17 qui locum *C;* aquilo, interdum auster cum pluvia *Columella.*

PHILOCALVS

p. Chr. 354.

MENSIS DECEMBER

habet dies XXXI.

1	D	F	G	KAL · DECEMB	SARMATICI · CM · XXIIII
2		G	H	IIII · NON	INITIVM · MVNERIS
3		A	A	III	SENATVS · LEGITIMVS
4	E	B	B	PRIDIE	MVNVS · ARCA DIES · AEGYPTIACVS
5		C	C	NON	MVNVS · ARCA
6	F	D	D	VIII · IDVS	MVNVS · ARCA
7		E	E	VII	
8		F	F	VI	MVNVS · KANDIDA
9	G	G	G	V	
10		A	H	IIII	
11		B	A	III	SEPTIMONTIA
12	H	C	B	PRIDIE	LVDI · LANCIONICI
13		D	C	IDIB	LVDI SENATVS · LEGITIMVS
14		E	D	XIX · KAL · IAN	LVDI DIES · AEGYPTIACVS
15	I	F	E	XVIII	N̄ · DIVI · VERI · CM · XXIIII
16		G	F	XVII	LVDI
17		A	G	XVI	LVDI SATVRNALIA
18	K	B	H	XV	LANCIONICI · CM · XXIIII SOL · CAPRICORNO
19		C	A	XIIII	MVNVS · ARCA
20		D	B	XIII	MVNVS · KANDIDA
21	A	E	C	XII	MVNVS · ARCA
22		F	D	XI	
23		G	E	X	MVNVS · ARCA
24	B	A	F	VIIII	MVNVS · CONSVMMAT
25		B	G	VIII	N̄ · INVICTI · CM · XXX
26		C	H	VII	
27	C	D	A	VI	
28		E	B	V	
29		F	C	IIII	
30	D	G	D	III	N̄ · DIVI TITI · CM · XXIIII
31		A	E	PRIDIE	MAGISTRATI · IVRANT

Ex inscriptione prior pars cum pictura periit in B; superest DIES · XXXI

1 saramatici *V.*

2 inicium *V.*

3 legimus *B.*

4 archa *Z et sic semper, item hic nec vero deinceps B;* AEGIP sive AEGIPT *B.*

8 candida *RZ.*

18 capricorni *ad* 18 *BV*, capricornio *ad* 18 *R*, capricorno *ad* 19 *Z.*

20 candida *Z.*

24 consumat *BV.*

30 cm. XXIIII *BVR*, om. *Z.*

in fine quae uis quam uis annum claudere possis *B eadem manu.*

I v. 3. 4 ianuarii *pro* Ian. *Z*, Februarii *Buch.*
v. 4 hadriani *Z.*
v. 5 febrar *Marini.*

NATALES CAESARVM

MENS · IANVAR
LVCI · AELI · CAESARIS · IDIB · IAN
DIVI · GORDIANI · XIII · K · IAN
DIVI · ADRIANI · IX · KAL · IAN
MENS · FEBRVAR
DIVI · CONSTANTINI · III · K · MAR
MENS · MARTIO
DIVI · CONSTANTI · PR · KAL · APR
MENS · APRIL
DIVI · SEVERI · III · IDV · APR
M̄ · ANTONINI · VI · KL · MAI
MENS · MAIO
DIVI · CLAVDI · VI · IDVS · MAI
MENS · IVNIO

MENS · IVLIO

MENS · AVGVSTO
DIVI · PERTINACIS · KAL · AVG
D̄ · N · CONSTANTI · VII · IDV · AVG
DIVI · PROBI · XIIII · KAL · SEP
MENS · SEPTEMB
DIVI · AVRELIANI · V · IDV · SEP
DIVI · TRAIANI · XIIII · KAL · OCT
PII · ANTONINI · XIII · KAL · OCT
DIVI · AVGVSTI · IX · KAL · OCT
MENS · OCTOB
DIVI · ALEXANDRI · KAL · OCT
MENS · NOVEMB
DIVI · NERVAE · VI · IDV · NOV
DIVI · VESPASIANI · XV · KAL · DEC
MENS · DECEMB
DIVI · VERI · XVIII · KAL · IAN
DIVI · TITI · III · KAL · IAN

POLEMIVS SILVIVS
p. Chr. 448/449.

DECEMBER
dies XXXI.

Dictus a numero. Vocatur apud Hebraeos Tebet, apud Aegyptios Ciac, apud Athenienses Memacterion, apud Graecos Apelleos.

1	KALENDAE		
2	IIII · NONAS		
3	III		
4	II		
5	NONAE		
6	VIII IDVS		tempestas
7	VII		interdum auster et rorat
8	VI		
9	V		
10	IIII		
11	III		interdum pluvia
12	II	Septimontium	
13	IDVS		hiemat
14	XVIIII KALENDAS IANVARIAS		
15	XVIII	natalis Veri	tempestatem
16	XVII		
17	XVI	feriae servorum	
18	XV		
19	XIIII		
20	XIII		
21	XII		
22	XI		
23	X		tempestas
24	VIIII		
25	VIII	natalis domini corporalis	solstitium et initium hiberni
26	VII	natalis sancti Stephani martyris	
27	VI		
28	V	natalis Titi	tempestas
29	IIII		
30	III		
31	II		ut supra

praef. XXX *C.*
6. 15. 23. 28 tempus *C.*
12 septem moncium *C.*
14 VIIII *pro* XVIIII *C.*
15 uiri *C.*
16—23 *in ms. postea suppleta sunt.*
19 X quartus *C, unde natum est* aquarius *apud Henschenum.*

XXII *A.* MENOLOGIVM

Lapis quadratus ternis in singulis lateribus mensibus inscriptis. Romae in hortulo Angeli Colotii, qui est domui ipsius contiguus sianum in campo Florae' *Smet.* similiterque *Manut. orth.* Nunc Neapoli in museo.

capricornus	*aquarius*	*pisces*	*aries*	*taurus*	*gemini*
MENSIS ·	MENSIS ·	MENSIS ·	MENSIS	MENSIS	MENSIS
IANVAR	FEBRAR	MARTIVS	APRILIS	MAIVS	IVNIVS
DIES · XXXI	DIES · XXVIII	DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI	DIES · XXX
NON · QVINT ·	NON QVINT ·	NON · SEPTIMAN	NONAE	NON SEPTIM	NON · QVINT
DIES · HOR · VIIIIS >	DIES · HOR · XS >	DIES HOR · XII	QVINTAN	DIES · HOR · XIIIIS	DIES · HOR · XV
NON · HOR XIIII >	NOX · HOR · XIII >	NOX · HOR · XII	DIES	NOX · HOR · VIIIIS	NOX · HOR VIIII
SOL	SOL · AQVARIO	AEQVINOCTIvm	HOR · XIIS	SOL TAVRO	SOLIS · INSTITIVM
CAPRICORNO	TVTEL · NEPTVNI	VIII · KAL · APR	NOX	TVTEL · APOLLIN	VIII · KAL · IVL
TVTELA	SEGETES ·	SOL · PISCISVS	HOR · XS	SEGET RVNCANT	SOL · GEMINIS
IVNONIS	SARIVNTVR	TVTEL · MINERVAE	SOL · ARIETE	OVES TVNDVNT	TVTELA
PALVS	VINEARVM	VINEAE PEDAMIN	TVTELA	LANA · LAVATVR	MERCVRI
AQVITVR	SVPERFIC · COLVNT	IN PASTINO	VENERIS	IVVENCI DOMANT	FAENISICIVM
SALIX	HARVNDINES	PVTANTVR	OVES	VICEA PABVLAR	VIN//AE
HARVNDO	INCENDVNT ·	TRIMESTR SERITVR	LVSTRANTVR	SECATVR	OCCANTVR
CAEDITVR	PARENTALIA	ISIDIS NAVIGIVM	SACRVM	SEGETES	SACRVM
SACRIFICANT	LVPERCALIA	SACR · MAMVRIO	PHARIAE	LVSTRANTVR	HRRCVLI
DIS	CARA COGNATO	LIBERAL QVINQVA	ITEM	SACRVM MERCVR	FORTIS
PENATIBVS	TERMINALIA	TRIA LAVATIO	SARAPIA	ET · FLORAE	FORTVNAE

Ian. 12 *cf.* Columella 11, 2, 11: '*ridicis vel etiam palis conficiendis idoneum tempus est —— palos una opera caedere et exputatos acuere centum numero potest*'.

Iun. 13 VINIAE priores.

Edidit primus Georgius Fabricius Roma ed. Basil. 1549. 8 p. 114—120 = antiq. ed. 1587 p. 167 sq. Citavit Manutius in orth. p. 8. Exhibent notis ad Catonem cet. Rom. 1587. 8 p. 194—212 (quam ed. repetivit Graevius thes. vol. VIII p. 21—28 adiecta tab. Smetiana); *Mus.*

XXII *B.* MENOLOGIVM

Tribus lateribus inscriptum ita, ut singula latera quaternos menses contineant *Smet.* in superiore parte horologium solarium pingit Valle' *cod. bibl. publ. Senensis K. X. 38 saec. XV post Romam Blondi.* Romae in domo Petri Vallensis *Apian. Peut.* 527. in domo *Boiss.* apud Brutum de la Val *Symeon.* Romae *simpliciter Manut. Inscriptionem nullam habet Peut.* 526.

capricornus	*aquarius*	*pisces*	*aries*	*taurus*	*gemini*
MES · IAN	MES · FEBR	MES · MAR	MES · APR	MES · MAI	MES · IVN
DIES · XXXI	DIES · XXVIII	DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI	DIES · XXX
NON · QVINT	NON · QVINT	NON · SEPTIM	NON · QVINT	NON · SEPTIM	NON · QVINT
DIES · HOR	DIES · HOR	DIES · HOR · XII	DIES · HOR	DIES · HOR	DIES · HOR
VIIIIS >	XS >	NOX · HOR · XII	XIIS	XIIIIS	XV
NOX · HOR	NOX · HOR	AEQVINOCT	NOX · HOR	NOX · HOR	NOX · HOR
XIIII >	XIII >	VIII · K · APR	XS	VIIIIS	VIIII
SOL	SOL	SOL · PISCIBVS	SOL	SOL · TAVRO	SOLSTITIVM
CAPRICORN	AQVARIO	TVTELA	ARIETE	TVTELA	VIII · K · IVL
TVTELA	TVTELA	MINERVAE	TVTELA	APOLLINIS	SOL · GEMINIS
IVNONIS	NEPTVNI	VINEAE · ET	VENERIS	SEGETES	TVTELA
PALVS	SEGETES	PEDAMINA	OVES	RVNCANTVR	MERCVRI
AQVITVR	SARIVNTVR	IN PASTINO	LVSTRANT	OVES	FAENISIC
SALIX	VINEARVM	PVTANTVR	SACRVM	TVNDVNT	VINEAE
HARVNDO	SVPERFICIVM	TRIMENSTR	Phariae	LANA · LAVATVR	OCCANTVR
CAEDITVR	COLITVR	SERITVR	ITEM	IVVENCI · DOMANT	SACRVM
SACRIFIC	HARVNDO	ISIDIS	SARAPI	*uicea* pABVl	HERCVLI
DIIS	INCENDIT	NAVIGIVM		SECATVR	SACRVM
PENATIBVS	LVPERCAL	SACRVM		SEGETES	FORTIS
	PARENTAL	MAMVR		LVSTRANt	FORTVNAE
	CARA · COGNAT	LIBERAL		SACRVM	
	TERMINAL	QVINQVATR		MERCVRII	
		*la*VATio		ET *florae*	

Iucundus cod. Magl. f. 1; ex eodem pendent cod. Canali apud Marinium cod. Vat. 9135 f. 314 et Iac. Mazochius in sylloge quae exemplis usus, quorum alterum ipse dicit Pomponianum, alterum fuit Iucundi. Non attuli inde nisi potiora. Apianus (1534) p. 266. dat idem Peutingerus cod. 526 f. 96. Symeon *illustres observations antiques* (Lyon 1558. 4) p. 45—48. Boissardus antiq. vol. 3 v. l. praecipuam ad I, 1. 17. 18. II, 1. 15—21. III, 1. 11. 12. 20. IV, 1. V, 1. 11. 12. 16. VI, 1. 8. 13. VII. 1. 14. VIII, 1. 12. 15. 21. IX, apud se extantibus 'centum abhinc annos scriptis manu Pomponii Laeti'. Intellegit cod Vat. 3311 f. 180 vere autographum Laeti,

RVSTICVM COLOTIANVM.

in campo Martio *Fabric.* 1550. 'erat apud Angelum Colotium episcopum Nucerinum, unde translatum est ad palatium novum Farne-

cancer	*leo*	*virgo*	*libra*	*scorpio*	*sagittarius*
MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENSIS
IVLIVS	AVGVST	SEPTEMBER	OCTOBER	NOVEMBER	DECEMB
DIES · XXXI	DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI
NONAE	NON · QVINT	NON QVINT	NONAE	NON QVINT	NON QVINT
SEPTIMAN	DIES · HOR · XIII	DIES HOR · XII	SEPTIMAN	DIES · HOR · VIIIS	DIES HOR VIIII
DIES	NOX · HOR · XI	NOX HOR XII	DIES	NOX · HOR · XIIIS	NOX HOR · XV
HORARVM	SOL · LEONE	AEQVINOCT	HOR · XS >	SOL	SOL · SAGITT
XIIII >	TVTEL · CERER	VIII · KAL OCT	NOX	SCORPIONE	TVTEL · VESTÆ
NOX · HOR	PALVS · PARAT	SOL · VIRGINS	HOR · XIIII	TVTELA	HEMPS · NITIV
VIIIS >	MESSES	TVTELA	SOL	DEANAE	SIVE · TROPAE
SOL · CANCR	FRVMENTAR	VOLCANI	LIBRA	SEMENTES	CHIMERIN
TVTELA	ITEM	DOLEA	TVTELA	TRITICARIAE	VINEAS · STERC
IOVIS	TRITICAR	PICANTVR	MARTIS	ET · HORDIAR	FABA · SERENTES
MESSES	STVPVLAE	POMA · LEGVNT	VINDEMIAE	SCROBATIO	MATERIAS
HORDIAR	INCENDVNT	ARBORVM	SACRVM	ARBORVM	DEICIENTES
ET FABAR	SACRVM · SPEI	OBLAQVIATIO	LIBERO	IOVIS	OLIVA · LEGENT
APOLLINAR	SALVTI · DEANÆ	EPVLVM		EPVLVM	ITEM · VENANT
NEPTVNAL	VOLCANALIA	MINERVAE		HEVRESIS	SATVRNALIA

Iul. 8 do ad ectypon quamquam hoc loco obscurum itaque vere esse in lapide denuo inspecto auctor mihi est Philippi; XIIIIS > Russo; priores varie erraverunt.

Dec. 9 HIEMIS · INITIV scribendum fuit. 13—16 FABA SER*itur*, MATERIAS DEIC*iunt*, OLIVA LEG*itur* scribendum fuit, quadratarius verba non integra male explevit.

item Smetius ms. Neap. f. 29. 30 = cod. Lugd. et ed. f. 36. 37 qui vidit (inde Grut. 138. 139 adhibitis in ed. 2 schedis Pighii); Ursinus cum *Borb.* vol. II tab. 44. Ad ectypon missum ab Ed. Philippi tabulamque delineatam ab Andrea Russo exhibui et I. N. 6746 et hoc loco.

RVSTICVM VALLENSE.

Boiss. 'rep. in quadam ecclesia semidiruta apud Augustam [l'Austa sive mausoleum Augusti], nunc apud nobiles cives Romanos de la Bernardini de la Valle *Iuc. Magl. Smet.* in domo Vallarum in circo Flaminio *Fabric.* ad parietem minoris areae domus episcopi Vallaei

cancer	*leo*	*virgo*	*libra*	*scorpio*	*sagittarius*
MES · IVL	MES · AVG	MES · SEPT	MES · OCT	MES · NOV	MES · DEC
DIES · XXXI	DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI	DIES · XXX	DIES · XXXI
NON · SEPTIM	NON · QVINT	NON · QVINT	NON · SEPTIM	NON · QVINT	NON · QVINT
DIES · HOR	DIES · HOR	DIES · HOR	DIES · HOR	DIES · HOR	DIES · HOR
XIIIIS	XIIIS	XII	XS	VIIIIS	VIIII
NOX · HOR	NOX · HOR	NOX · HOR	NOX · HOR	NOX · HOR	NOX · HOR
VIIIIS	XS	XII	XIIIS	XIIIIS	XV
SOL	SOL · LEONE	AEQVINOCT	SOL	SOL	SOL
CANCRO	TVTELA	VIII · K · OCT	LIBRA	SCORPIONE	SAGITTAR
TVTELA	CERERIS	SOL · VIRGINE	TVTELA	TVTELA	TVTELA
IOVIS	PALVS	TVTELA	MARTIS	DEANAE	VESTAE
MESSES	PARATVR	VOLCANI	VINDEMIAE	SEMENTES	HIEMIS INIT
HORDIAR	MESSES	DOLEA	SACRVM	TRITICARIAE	SIVE TROPAEAE
ET FABARIAE	FRVMENTAR	PICANTVR	LIBERO	ET · HORDIAR	CHIMER · VINEAE
APOLLINAR	STVPLAE	POMA		SCROBATIO	STERCORANT
NEPTVNAL	INCENDVNT	LEGVNTVR		ARBORVM	FABA SERITVR
	SACRVM	ARBORVM		IOVIS	MATERIAS
	SPEI · SALVTI	OBLAQVEATIO		EPVLVM	DECIENTES
	DEANAE	EPVLVM		HEVRESIS	OLIVA LEGITVR
	VOLCANO	MINERVAE			ITEM *venantur*
					SA*turnalia*

dicitur prodiisse a. 1509 (cf. p. 293) et Manutius in Ovidii ed. a. 1516 ante vol. 3. Petrus Sabinus cod. Ven. f. 44 sq., duobus 270, quod exemplum item legitur in cod. Peutingeri Augustano 527 f. 31, sed imperfectum desinens in voc. *Mes. Apr.* Integrum (1597) tab. 140—142. Smetius l. c., qui ait utrumque kalendarium rusticum plus centies se vidisse, ex hoc exemplo non affert nisi l. 16. 18. X, l. XI, l. XII, l. 12—16. 18. Citat item Fabricius l. c. et Ursinus l. c., hic plerisque v. l. allatis citatisque etiam schedis hodie fere evanidum, ita tamen ut Pomponianae lectiones a Sabino allatae satis confirmentur.

In vv. dividendis secutus sum Iuc. Magl. nec multum discedunt Man. et Peut. 526. et Sym.

Variam lectionem dabo duorum exemplorum Iucundi Magliabecchiani et Manutiani, Peutingerani pleni (Peut. 1) et imperfecti (Peut. 2), Apianini, Symeoniani, Boissardiani, denique adnotata a Smetio.

1 MENSIS Ap. — IANVARIVS Ap., IANI Iuc.
5 VIIIIS > Magl. Peut. 1, VIIIIS Man. Peut. 2, Sym. Boiss., VIIII Ap.
6. 7 om. Peut. 2 Ap.
7 sic scripsi; XIIIIS > Peut. 1, XIIIIS Man., XIII Magl. Sym., XVS Boiss.
9 CAPRICOR Man. Ap. Sym., CAPRICORNO Boiss.
14 om. Boiss.
16 CEDITVR Ap. Sym.
17 SACRIFICI Peut. 1.
19 PENATIB Boiss.

1 MENSIS FEBRVAR Ap.
2 XXVII Man.
5 XSZ Magl., XS Man. Peut. 1. 2. Sym. Boiss., X Ap.
7 XIII: Ap., XIIIS Man., XIIIS Boiss., XIII reliqui.
11 NEPTVMNI Sym.
13 SERIVNTVR Ap., SARRIVNTVR Man.
17 ARVNDO Peut. 2 Ap.
18 INCENDITVR Man. Peut. 1.
19 LVTERCALIA Smet.
20 PARENTALIA Smet. PAR.... Sym.
21. 22 om. Sym.
21 IA pro CARA Boiss., — COGNA Ap.
22 TERMINAT Peut. 2 Ap., IERMINAT Peut. 1, GERMINANT Boiss.

1 MENSIS Ap. — MART Sym. Boiss., MARC Peut. 1.
3 SEP Ap.
4 X pro XII Sym., XIIS Boiss.
5 HOR om. Peut. 1 — XIIS Boiss.
6 AEQVINOCI Sym., AEQVINOCTII Peut. 1, EQVINOCTIVM Ap.
7 VII Boiss. — CAL Man. — APRILIS Iuc., APRIL Boiss., APRI Peut. 1.
11 VIVE Peut. 1.
13 PESTINO Ap.
14. 15 om. Peut. 1.
15 TRIMENSIR Ap., TRIMENS... Sym.
16 SIDIS Peut. 1.
17—22 om. Sym.
18 NAV...S Boiss.
20 MANVIR Peut. 1, MAMVRIO Peut. 2. Ap. Smet., MAN..R Boiss.
21 LIBERAL Sab., LIBERAI Peut. 1, LIBERAE Ap., LIBERA Iuc. Peut. 2, LIBERT Boiss.
22. 23 QVINQVATR · QVATERNIO Sab., addens: 'in alio sic legitur QVINQ. fragmentum'. QVINQVALE QVATERNIO Peut. 1, QVATERNIO OVINQVAT Peut. 2, QVATERNIO QVINQVAIR Ap., QVINQ... Iuc., QVINT rel. om. Boiss. LAVATIO in menologio Vallensi vetustate corroso non legi auctor est Ursinus additque ne in schedis Laeti quidem id se invenisse.

1 MENSIS Ap. — APRILIS Ap., APRI Peut. 1, APRL Boiss.
5 XIIS Sym., XIIII Ap., XIIIS Boiss.
7 X (om. S) Ap.
8 sq. om. Sym.
12 sq. om. Boiss.
13 LVSTRANTVR Man., LVSTRAR Peut. 1.
14. 15 SACRVM P///RIAE Sab. SACRVM PATRIAE Iuc. et v. l. apud Sab., SACRVM · P · PRIAE Ap., SACRVM M PRIAEP Peut. 1.
16 .....M Sab. Peut. 1 Ap.
17 SACRAPI Peut. 1, SAEROPI Ap.

1 MENSIS Ap.
3 SEPT Ap.
5 XIIII Ap., XIIIIS Boiss.
7 om. in lac. Ap.
10 APOLLINIVS Ap.
12 RIMEANTVR Ap., BRVNCANTVR Boiss.
14 TVNDVN: Ap., TONDENTVR Man. Boiss., VIVVNT Sym.
15 LANAE||LAVANT Boiss., LANA ... Sym.
16 IVVENCI DOMANTVR Smet.; IVVENEI AMAN: Ap., IVVENCI INIANT Iuc., IVVENTE INIANT Peut. 1, IVVENES ... Sym., IVNAN .... Boiss.
17 sq. om. Sym.
17 IVRV ... ABV Iuc., IVRVA ... Boiss., TVRTVR ABVINEE Peut. 1, IVRICABM Ap.
18 SECAN ... Boiss.
19 SELNI Peut. 1, SES... Boiss.
20 sq. om. Boiss.
20 LVSTRAN Ap., LVSTRA Magl., LVSTRANTVX Man. Peut. 1.
21 SACR ... Ap., Sab. sequitur Iucundum, addens: 'illud MERCVRII ET MINERVAE non erat in Pomponiano'.
22 M .... Ap.
23 ET MINERVAE Iuc., E ... Ap., om. Peut 1. ET FLORAE alterum exemplum.

1 MENSIS IVN Ap. ....IVNI Peut. 1.
5 XVS Boiss.
6. 7 om. Peut. 1.
7 VIIIIS Boiss.
8 SOLSTICIVM Peut. 1.
9 $\overline{III}$ pro VIII Boiss. — IVLII Sym.
10 GEMI Peut. 1.
12 MERCVRII Man. Peut. 1 Ap.
13 FACITISIE Ap., FAENISEG Boiss., FAENISIG Magl., FENISIC Peut. 1.
14 VINEE Peut. 1 Ap.
15 OCCAMVR Ap.
18 om. Boiss.
19 FORTIS Sab., MARTIS Iuc. Sym. et v. l. apud Sab., ...TIE Ap., DIIS Peut. 1 Boiss.
20 sic Sab. Sym., ET LVNAE Iuc. et v. l. apud Sabinum, ...NVE Ap., ..TIME|VNEE Peut. 1, PENATIB Boiss.

1 MENSIS Ap.
3 SEP Ap.
5 S om. Ap.
6 HOR om. Peut. 1.
7 X Ap.
13 HORDEAR Man. Boiss.
14 om. Boiss. — FABRIAE Peut. 1, TOBARIE Ap.
15 APOTINAR Peut. 1.
16 NEPTINAL Peut. 1, NEPTVMNAL Sym.

1 MEN Ap. — AVGV Peut. 1.
2 XXX Peut. 1.
5 XIII Ap.
7 XI Ap. XIS Boiss.
10 CÆRERIS Sym.
11 POLVS Ap.
14 FRVMENTA Ap. Sym., FRVMENTI Boiss.
15. 16 om. Peut. 1.
15 STVPLAE Sym. Smet. Urs., STRVPLE Ap., STVPPAE Boiss., STVPVLAE Magl., STYPVLAE Man.
16 INCENDVNTVR Man. Sym.
18 SPES SALVS Boiss.
20 DIANAE Man. Peut. 1 Ap.
21 VVLGANO Man. Peut. 1 Ap., VOLCANI Boiss.

1 MENSIS Ap. — SEP Man. Ap.
5. 7 XIIS Boiss.
8 AEQVINOCI Sym., AEQVINOCTIVM Ap., SOL · AEQVINOCI Peut. 1.
9 om. Ap. — III pro VIII Boiss. — KAL Boiss. — OCTOBRIS Peut. 1.
10 VIRGOINE Ap., VIRGINI Boiss.
12 VVLCANI Man. Peut. 1 Ap.
13 DOLEA Man. Peut. 1 Boiss.
14 PICANT Ap.
18 OBLAQVEARIO Peut. 1, ABLAQVEATI Boiss.

1 MENSIS Ap. — OCTO Peut. 1.
2 XXX Peut. 1.
3 SEP Ap.
5 XI Ap., XIS Boiss.
6 HOR om. Peut. 1.
7 XIII Ap.
12 VINDEMIE Peut. 1.
14 LIBRO Ap.

1 MENSIS Ap. — NOVEM Ap., NOVE Peut. 1.
5 S om. Ap.
6. 7 om. Ap.
7 XIIIS Peut. 1 Sym., XVS Boiss.
11 DIANAE Man., DIANE Peut. 1.
13 TRITARIE Peut. 1.
14 HORDIOR Ap., HORDEAR Man. Boiss.
15 SEROBATIO Ap., ISCROBATIO Peut. 1.
19 HEVRESIS Sym., HEVRISIS Iuc., HEVRIS Boiss., HEVRIASIS Peut. 1, HENRICIS Ap.

1 MENSIS Ap. — DECEMB Ap., DECEMBER Peut.
5 VIII Peut. 1 VIIIS Boiss.
7 XVIS Boiss.
9 SAGITT Ap. Sym., SAGITTARIOS Peut. 1.
11 VESTE Peut. 1 Ap.
12 HYEMIS INIT Man. 1 NIEMIS INIT Boiss., HIEMIS INITIVM Sym., HIENN SVNT Ap.
13 TROPEAE Sym., TROPICE Peut. 1, TROPHEAE Ap., TROPAPAE Boiss.
14 CHIMES Peut. 1 — VINEE Magl. Boiss., VINETE Peut. 1.
15 STERCORANTVR Man. Sym. Smet., STERCORAN Peut. 1, STERCORAT Boiss.
16 SERIT Boiss.
17 MATERIES Ap.
18 DECIENTES Iuc. Ap. Sym. Smet. Urs. Boiss., DECIE $\overline{MS}$ Peut. 1.
19 OLIVA LEGI Ap., OLIVA FOD Boiss.
20. 21 om. Peut. 1 Sym.
20 ITEM VIN (VNI Man.) Iuc. Sab., LICIVM Ap., LEMV.. Boiss.
21 sic Iuc. Ap., VENERIS SACRVM Sab. addens 'in alio sic: SA'. SACR ...|C.... Boiss.

COMMENTARII
AD FASTOS ANNI IVLIANI.

Quamquam anni Romani naturam et ordinationem enarrare nec proposuimus nobis neque omnino hoc loco commode fieri potest, tamen necessarium visum est quae supra leguntur prout in titulis membranisve singula casus servavit disiuncta et quodammodo dispersa, ea in ordinem aliquem redigere et ita componere, ut recte et facile a viris doctis adhiberentur non iis solis, qui totam rem retractant, sed etiam ad certum aliquem antiquarum rerum locum quid fasti suppeditent inquirentibus. Erat autem ea res duplex. Primum occurrebant quaestiones quaedam generales magis et ita comparatae, ut quae de singulis fasti contineant, collecta inde suisque, quantum fieri potest, laterculis digesta facilius et certius perciperentur. Ita primum disputavimus de ratione, quae inter fastos publicos populi Romani in universum easque quas habemus fastorum tabulas intercedit; deinde singillatim persecuti sumus locos de anno; de mensibus et signis; de litteris nundinalibus hebdomadariis lunaribus; de diebus nominatis; de dierum notis fastorum nefastorum intercisorum comitialium; de diebus religiosis et senatus legitimi et Aegyptiacis; de feriis; de ludis adiuncto natalium Caesarum laterculo. Haec enim capita non videbantur satis explicari posse per commentarios diurnos dispersa. Ulterius autem in eiusmodi rerum inter se coniunctarum enarratione progredi noluimus, quoniam nec licebat ex commentariis diurnis ea eximere, quae illorum ratio requireret, nec placebat bis de eadem re disputare. — Secundo loco ut vocabula ordinantur ad litterarum seriem, ita quae in fastis supra editis eiusmodi tractationem recipiunt, ad dierum ordinem digessimus, ut quaecumque ibi de rebus sacris publicisque ad certos dies relata inveniuntur, hic rursus habeas ad suum quaeque diem undecumque collecta neque omni interpretatione destituta. Ea vero, quae in parte priore generaliter tractavimus, etiam natales Caesarum apud Philocalum Silviumve solos qui memorantur, in commentariis his diurnis praetereuntur, nisi quod feriis ludisque necessitate coacti locum dedimus in parte utraque; praeterea ubi ad diei cuiusvis sacra recte aestimanda diei nota facere visa est, eam in commentariis quoque diurnis adscripsimus. Adnotationes quae in fastis quos habemus inveniuntur ad municipales privatasve ferias pertinentes, item de Christianorum feriis quae habet Silvius, in ordinem non recepimus, sed adiecimus loco extremo, ne fasti publici populi Romani, quos praeterea tabulae repraesentant, receptis illis conturbarentur.

Antequam vero ad eam quam indicavimus fastorum Romanorum enarrationem accedamus, dicendum est de partitione quadam fastis illis insita, quae ita pertinet ad universam disputationem, ut nisi in ipso limine de illa admonitus hanc recte capere vix quisquam posse videatur; quam ob rem quamquam eorum quae iam dicentur argumenta postea demum suis quaeque locis explicari poterunt, tamen summam rem vel hoc loco tanquam per indicem proponemus. Ipsa autem illa partitio non tam colligitur ratiocinando quam oculis deprehenditur: scilicet in tabulis omnibus fastorum, quas habemus incisas imperante gente Iulia et recte descriptas, maioribus elementis exaratas cernimus litteras nundinales et dierum nomina notasque, cum reliqua omnia tam dierum non nominatorum numeri quam ludi sacra alia adscribantur minoribus; ut vel specie externa appareat illa vetustiora esse et quodammodo contextus locum obtinere, haec scholiorum instar postea demum adiecta esse. Nimirum illa maioribus litteris perscripta pars tabula est dierum fastorum nefastorumque regis Numae, quam ex penetralibus pontificum prolatam XII tabulis inseruit Ap. Claudius, publice rursus edidit a. u. c. 450 Cn. Flavius; neque aetate liberae rei publicae quidquam in ea consulto mutatum est non magis quam in reliquis decemvirum tabulis aliisve legibus vetustis, sed ad marginem tantummodo adnotabantur post Numam instituta sacra publica annua ludique et dierum religiones. Primus Caesar, dum annum a Numa constitutum immutat, necessitate coactus etiam in tabula illa quaedam novavit eumque qui post eum fuerunt imperatores in hac quoque re secuti sunt, donec aetate posteriore, id est ante aetatem Constantinianam, discrimen illud maiorum minorumque elementorum tolleretur sublatisque notis obsoletis fasti universi in unum corpus redigerentur. Sequitur igitur, ut pars fastorum maioribus scripta, demptis iis quae Caesaris ibi sunt imperatorumve Iuliorum (qui quid in fastis novarint satis in universum comperimus), annum quem rerum Romanarum scriptores Numae dicere solent fere integrum repraesentet. Neque quidquam praeterea habemus in universa rerum Romanarum memoria, quod hanc fastorum tabulam aetate vel superet vel saltem aequet. — Eorum autem, quae in re sacra publicave inter Numam et Caesarem nova instituta sunt, in fastis maioribus litteris scriptis nullum vestigium reperiri cum infra demonstraturi simus, iam hoc loco praecipiemus quae reperisse nobis videmur de dierum fastorum feriarumque numero ad anni antiquissimi constitutionem nundinariam exacto. Scilicet in tabula anni Romani quam habemus dies fastos, item dies nominis proprii festos (praeter kalendas nonas idusque) demptis scilicet Iulianis numeravimus quadragenos quinos, id est tot quot in anno antiquo CCCLV dierum numerantur nundina.*) Unde primum

*) Similiter quodammodo Niebuhrius (hist. Rom. 3, 368) triginta octo quos apud Manutium numeravit dies fastos comparavit cum triginta octo nundinis anni decem mensium; quamquam et erravit in numero nec dierum fastorum a Caesare demum adiectorum rationem ullam habuit.

intellegitur annum antiquissimum populi Romani ita ordinatum esse ut anni nundinis feriae maiores fastique dies accurate responderent, licet singuli ii nequaquam inciderent in singula nundina, sed utrique prout occasio tulit per annum dispergerentur. Praeterea autem haec trium numerorum congruentia, quam casui nemo facile tribuet, optime confirmat quod supra posui anni Numani tabulam neque in nominibus notisque dierum post primariam ordinationem immutationes emendationesque subiisse ante Caesarem et integram fere ad nos pervenisse. Animadvertenda denique est quae inter utramque fastorum partem intercedit et orationis constantiae diversitas et ipsius linguae discrimen. Maioribus litteris exaratorum tanta est aequabilitas, ut diversa exempla vix unquam discrepent neque, ubi fit, nisi eo, quod alia exempla pleniorem, alia breviorem nominis diei formam receperunt; ut exempli causa in diebus qui nominantur generali vocabulo agonalia modo adicitur modo omittitur nomen secundum et magis proprium. Contra quae adscripta sunt minoribus litteris, etsi ad eandem rem pertinent, tamen ad verbum non facile consentiunt. Scilicet legis illa naturam habent, haec interpretamentorum. Item si sermonis proprietatem respicimus, minoribus litteris perscripta nullo loco ne ibi quidem, ubi agunt de rebus aetatis remotioris, a communi aetatis Augustae consuetudine recedunt, quoniam qui fastos scripserunt, in his antiquiorum tabularum non verba, sed sententiam reddere sibi proposuerunt. Contra in parte tabulae primaria et vetusta reperitur quidem cum inter litteras nundinales tum in agonalium vocabulo *g* elementum antiquissima aetate ignotum, sed quod etiam legibus XII tabularum postea constat se insinuasse; similiterque in nonis indicandis primitiva scriptura *noun* in fastorum laterculo exolevit exoleveruntque simul fortasse alia, quae inter describendum facile mutantur. Ea vero si spectamus, quae ex prisco scribendi usu constantius retineri solent, adest nota diei intercisi EN derivata ex endoterciso; adest nota N summae ni fallor vetustatis, scilicet ex antiquissima elementi *n* forma *N* derivata. Accedunt in ipsis vocabulis formandis remotae antiquitatis complura indicia, ut pluralis numerus in dierum nominibus omnibus, quales sunt *kalendae nonae idus quinquatrus Saturnalia*, constanter usurpatus non aliam ob causam opinor nisi quod dies hi constanter in mense annove recurrunt; compositorum numerus et natura, ut sunt *armilustrium tubilustrium regifugium poplifugium fordicidium equirrium* (pro equicurrio) *opiconsivum*; declinationes postea inusitatae, ut *quinquatrus* de die post alium quinto, *agonalis angeronalis consualis* ab agendo gerendo condendo, *saturnalis* a satione, *meditrinalis* a medendo. Nam huiusmodi remotae antiquitatis proprietates etsi etiam in recentiore sermone passim remanserunt, tamen in hac fastorum parte ita regnant et copia et aequabilitate, ut non solum vocabulorum formas illas, sed ipsum quo ea continentur laterculum descendere ex remotissima antiquitate vel inde iure coniciamus.

A. PARS PRIOR GENERALIS.

I. QVAENAM RATIO INTERCEDAT INTER FASTOS SVPRA RELATOS ET PVBLICOS POPVLI ROMANI.

Tabula anni Romani cum tam vulgari anno apta esset quam bissextili, quippe qui eo tantum differret ab illo, quod in hoc dies civilis a. d. VI k. Mart. biduum aequabat naturale, non ut hodie fit quotannis renovabatur, sed mansit perpetua, nisi quod imperatores cum in aliis fastorum locis tum in feriis publicis recepta abolere vel immutare novaque instituere nullo tempore destiterunt. Num fuerit ea aetate apud pontificem maximum, id est apud ipsum imperatorem fastorum exemplum aliquod authenticum quodammodo continuis emendationibus ad eam quae modo in usu erat anni ordinationem perpetuo accommodatum, ignoratur (cf. supra p. 294); tamen qui animum adverterit ad notitiam dignitatum et itinerarium provinciarum, quae publica auctoritate constat et digesta et edita esse, vel propter ea non dubitabit, quin etiam anni Romani descriptionem aliquando imperatores publice ediderint. Quod fecit Caesar edicto illo promulgato, item ut videtur M. Antoninus (cf. vitae c. 10: 'fastis dies iudiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret') aliique sine dubio imperatores. Statis tamen temporibus non crediderim eiusmodi editionem repetitam esse, sed quae deinceps in fastis publico iussu immutabantur, in populi notitiam prolata esse edictis activse urbanis (v. supra p. 234), donec vel maior eorum qui ei rei praeessent diligentia vel denique cogens rei necessitas ad fastorum universorum retractationem novamque eorum publicam editionem perduceret. Fasti hi publici etsi non ex accurata liberalium hominum eruditione, sed ex vitae quotidianae necessitate fluxerunt, tamen sane non solum fidem eam merentur quae tribuitur documentis publicis, sed etiam necesse est ita pleni fuerint, ut etiam ex silentio eorum iure arguas ibi, ubi constat fastorum ordinatores totum caput exhaurire voluisse nec potiora sola elegisse; id quod cadit in ferias publicas ludosque et mercatus et ortum signorum zodiaci. Contra ut astrorum reliquorum ortus et occasus mittamus, etiam sacrificia stata annua publica ea, quae cum feriis publicis non coniuncta essent, non crediderim fastorum descriptores referre voluisse omnia, neque adeo si voluissent, potuisse; idemque valet de diebus propter publicam aliquam calamitatem insignibus. Quamquam in utroque genere, maxime in secundo saepe sane evenit, ut de certis rebus in fastos referendis caveretur privilegio. At sive legum, sive suum arbitrium in ea re anni ordinatores secuti sunt sive, quod mea fert opinio, utrumque coniunctum, omnino constat certam rationem in diebus illis seligendis nullam unquam obtinuisse, ut si quis quaerat, cur dies Alliensis Drusique inferiae in hemerologiis adnotentur, Caunensis dies mortisque Agrippae praetereantur, respondendum sit ita placuisse antiquis, ut illa reciperentur diutiusve manerent, haec aut omnino a fastis abessent aut citius exolescerent.

Iam fastorum libri qui hodie supersunt vel certe quorum notitia ad nos pervenit, cum pendeant omnes ex fastis de quibus modo diximus publicis, accommodantur ad eos triplici ratione.

1) Simplicissima ratio est fastorum ex authenticis descriptorum nulla re neque addita neque omissa, cuius generis hodie extat unus libellus Philocalianus; nam eam eius naturam arguit cum quod Philocalum constat scribam fuisse, non litteratorem (cf. p. 332) tum universa eius ratio et condicio. Itaque demptis librariorum erroribus huius silentio non minus tribuendum est quam diserto testimonio iureque exempli causa ex eo libello colligemus non solum quae numina peregrina quarto saeculo in urbe publice culta sint, sed etiam quae tum ibi publicum cultum non habuerint.

2) Anni Romani tabulam viri docti mature sibi sumpserunt explicandam. Primus M. Fulvius Nobilior cos. a. u. c. 565 aedem

dedicans Herculis et Musarum fastos ibi posuit non solum ipsam annalem tabulam referentes, sed etiam interpretationem complexos, unde citantur mensium nominum explicationes (Varr. 6, 33. Censorin. 22, 9 coll. 20, 4. Macrob. sat. 1, 12, 16) et de intercalatione adnotatio (Macrob. 1, 13, 21); quae interpretatio fastorum tempore praecedit quidquid praeterea antiquitatis explicandae gratia Romani publice ediderunt neque componi potest nisi cum tripertitis Sex. Aelii in XII tabulas commentariis. Auctores recentiores ex grammaticis Iunius Gracchanus (Varro l. c. Censorin. Macrob. l. c.); Cincius, qui scripsit de feriis (Lyd. 4, 92 coll. Macrob. 1, 12, 12. 16, 28); Iulius Modestus, qui de eadem re (Macrob. 1, 4, 7); Cornelius Labeo, qui scripsit libros fastorum (Macrob. 1, 16, 29); ex iureconsultis Masurius Sabinus, cuius item citantur fasti (Macrob. 1, 4, 6. 15); denique citati apud Festum (*v. q. r. c. f.* p. 258) qui de feriis menstruis scripserunt, non satis apparet, utrum anni tabulam universam illustrarint an certos locos inde excerptos ita persecuti sint, ut praeter alios Varro in antiquitatum divinarum libris VIII de feriis, IX de ludis circensibus, X de scaenicis egit, sine dubio secutus praesertim tabulam anni Romani. Nobis ex hoc genere librorum restant quattuor, Ovidii commentarii ad sex priores fastorum menses, Iohannis Lydi tractatus de mensibus quae supersunt reliquiae, Verrii Flacci fasti Praeneste olim in campo propositi, Silvii laterculus; eo inter se similes omnes, quod fastos ex antiqua rerum memoria illustrandos et obscura eorum interpretanda sibi sumpserunt. Ovidius tamen et Lydus laterculo abiecto totam rem continuo carmine orationeve explicant et vel hanc ob causam ab hac sylloge alieni sunt; contra Verrius Silviusque retento laterculo interpretationes adscripserunt vel inseruerunt. Ex his Verrius sive proprios de feriis fastisve commentarios edidit (qui non citantur quidem, sed eiusmodi argumento egregie conveniunt, quae ex Verrio libri nomine non indicato apud Macrobium 1, 10, 7. 12, 15 referuntur) sive tantummodo cum in aliis quos scripsit tractatibus tum in libris de verborum significatione suis locis egit de fastorum argumento, in epitoma Praenestina ceteroquin non satis scite facta, sicut infra videbimus, etsi interpretationes sane de suo adiecit, tamen laterculum publice editum non videtur interpolasse ex doctrina sua. Addidit autem Praenestina quaedam (Mart. 6. Apr. 9. 10) et abiecit fortasse minoris momenti sibi visa. Neque aliter Ovidius Lydusque rem videntur instituisse, ut apud hos tres auctores quidquid reperiatur, id credendum sit descendere ex ipsis fastis publicis. Contra Silvius non tam fastos publicos interpretari sibi proposuit, quam res Romanas memoria dignas ad anni dies digerere; quamquam pro tenuitate scilicet doctrinae ingeniique mediocritate parum feliciter ei ea res cessit. Natales enim Ciceronis et Vergilii omnino petiit ex scholastica eruditione, non ex publico eius aetatis anni laterculo.

3) Restant denique fasti municipiorum collegiorumve iussu vel denique privata opera a Caesare dictatore usque ad imperatorem Claudium palam in lapide tectoriove propositi, alieni ii tam a primi generis integritate quam a doctrina secundi. Hos enim qui exararunt, addiderunt quidem ad fastos publicos neque interpretationem ullam et omnino perpauca, maxime eorum, quibus fasti scribebantur, dies statos annuos festos, sicut praeter Praenestinos, de quibus modo diximus, in Antiatinis accessit vernarum dies festus (Oct. 17), plane ut in Trimalchionis fastis domesticis scriptum fuisse dicitur: *III et prid. k. Ian. Gaius noster foras cenat.* Privata quoque superstitione litterae hebdomadariae venisse videntur in fastos Sabinos; nam Augusti aetate publico iussu Sabbata observata esse et aliis argumentis refellitur et maxime eo, quod in reliquis eiusdem vel etiam posterioris aetatis fastis litterae illae non comparent. Contra pleraque in publicos fastos recepta in fastis quos habemus praetermissa esse vel sola tabularum comparatio demonstrat; videnturque omnino qui operi instabant sumptumque faciebant, suo fere arbitrio nec raro temere spatiique magis quam rerum ratione habita fastos publicos in compendium redegisse. Quamquam non omnia in ea re casu administrata sunt. Ita quae maioribus litteris perscribi solent, adsunt in omnibus quae habemus exemplis, nisi quod in longioribus versibus interdum aut secundum diei nominati nomen aut nota diei omittitur; sed apertum est quadratarios in ea re non aliud secutos esse nisi tabulae plenitudinem speciemque adeo fastorum externam, quam nisi maiorum litterarum continuitatem aliquatenus servassent, perturbaturi fuissent universam. Contra quod ludos quique eos sequuntur mercatus fastorum ordinatores satis diligenter retinuerunt, ideo videntur fecisse, quod adnotationum fastis illatarum nullum genus ita ad usum quotidianum pertinuit ut ludi Romae facti, ad quos spectandos illa aetate ex universa Italia ad urbem homines concurrerent. At ex sacris quamquam apparet retineri potissimum cum celeberrima quaeque tum cum praesenti adulatione coniuncta, tamen nullus eorum institutus est certo consilio delectus; ut de his ex silentio fastorum vix quidquam colligas. Omnino non errabit, qui tabulas has tractaverit tanquam ex publicis fastis ab hominibus indoctis adeoque operariis excerptas. Eodem pertinent errores quam plurimi vel quadratariorum vel etiam eorum qui operi praefuerunt culpa commissi in harum tabularum longe plerisque. Ita Pincianae menses duo, item Antiatinae mensis October perturbati sunt toti dierum omissione. In illa praeterea *Opiconsiva* subridiculo errore nota male intellecta abierunt in *Opicidia*. In Amiternina adnotationes deficiunt ad mensis Novembris dies quinque primos, unde desideratur ibi ludorum plebeiorum primum biduum. In Maffeianis fastis ferialique Cumano Augustus secundum vulgarem nec tamen legitimum usum appellatur simplici Caesaris nomine; item in illis ad diem Aug. 9 notissima eius diei pugna Hispali facta esse dicitur pro Pharsalo. Non minus turpi errore Vallenses fasti victoriam Ilerdensem (Aug. 2) adscribunt *imp. Caesari*, tamquam ea fuisset Octaviani, item sacrificium die Aug. 12 Herculi faciendum referunt ad Herculem magnum custodem circi Flaminii, cum factum sit Herculi victori fori boarii. Etiam in Amiterninis victoria Augusti in Sicilia evenisse dicitur *Censorino et Calvisio cos.* a. u. c. 715, cum Sex. Pompeius victus sit ad Naulochum a. 718, illo autem anno pacem cum Caesare fecerit Miseni, ut qui illa scripsit, eum appareat duo bella adversus Sex. Pompeium gesta perperam confudisse. In ipsis denique fastis Praenestinis praeter leviores mendas complures non solum quadratarii unum certe locum (Mart. 7) ita corruperunt, ut quid Verrius ibi scribi iusserit non assequamur, sed etiam pleraque inveniuntur tam inconcinna, ut scriptas adnotationes non ipse auctor, sed operis magistri in compendium redegisse videantur (cf. in comm. diurn. Apr. 1 al.). Sunt igitur hemerologia haec monumenta optimae quidem aetatis et ex ipsis publicis fastis derivata; at non solum ipsi illi fasti per saeculorum decursum non erudita curiositate, sed propter usus quotidiani negotia illiberali quadam opera traditi sine dubio vitia non pauca inde traxerunt similia illis, quos in fastis consularibus traditis similiter et fere simul cum his nostris inesse alibi (chronol. p. 111) demonstravi, sed etiam multo magis quas habemus fastorum tabulae inde excerptae et lapidi incisae propter scribendi incidendique difficultatem, quae sane in iis longe maior erat quam in reliquis monumentis omnibus, et ab eorum qui operi instituerunt doctrina parum accurata et ab ipsorum operarum ruditate multo plus damni passae sunt, quam quae praeterea ad nos pervenerunt lapidi incisa.

II. DE ANNO.

K. IAN. (Ian. 1). *[Ann]*us no*[vus incipit]*, quia eo die mag(istratus) ineunt; quod coepit *[p. R.]* c. a. DCI. *PRAEN.*

Idem scriptum fuit in annalibus Livianis (ep. 47; Cassiodor. chron. ad a. 601). De re conferenda sunt, quae scripsi in commentario *die Rechtsfrage zwischen Caesar und dem Senat* p. 12 sq. et in chronol. p. 103. Magistratus sunt curules, scilicet consules praetores aediles.

IV. K. FEBR. (Ian. 29). *[Hunc diem et sequentem]* divus Caesar add*[idit ut per eos]* augeretur a*[nnus]*. *PRAEN.*
VI. K. MAI. (Apr. 26). Hunc diem divus Caesar addidit. *PRAEN.*

Consentit Macrob. sat. 1, 14, 9, ubi enumerantur dies a Caesare additi omnes.

VI. K. MART. (Febr. 24). Hoc die quarto bisextum anno vocamus, quem diem Aegyptii inter Augustum et Septembrem epagomeno quinque dierum mensi suo iungunt. SILV. *ad VII. K. errore.*

III. DE MENSIBVS ET SIGNIS.

IAN. .... *[appellat]*ur in Latio‖..... *[sacrific]*at libo, quod‖ *[Ianual vocatur] PRAEN.*

Contra Fulvium et Iunium, qui mensium nomina Romanae originis esse arbitrati ad eam normam explicarant, 'Varro Romanos a Latinis nomina mensum accepisse arbitratus' est (Censorin. 2, 9 cf. Varr. 6, 33); quod apparet hoc loco tetigisse Verrium Varronianae doctrinae ubivis addictum. Quae sequuntur explicat, quem attulit iam Fogginius, Festus ep. p. 104: *Ianual libi genus quod Iano tantummodo libatur.* Cf. Varr. l. XIV rer. div. apud Lyd. de mens. 4, 2: τὸν Ἰανὸν λέγεσθαι Ποπάνωνα διὰ τὸ ἐν ταῖς καλάνδαις ἀναφέρεσθαι πόπανα. Ovid. fast. 1, 127.

FEBR. Dicitur a febro verbo, quod purgamentum veteres nominabant, quia tum Romae moenia lustrabantur. *SILV.*

Tralaticia haec. Proxime accedit Varr. 6, 33: *arbitror Februarium a die februato, quod tum februatur populus, id est lupercis nudis lustratur antiquum oppidum Palatinum gregibus humanis cinctum,* ubi fortasse iam licebit coniicere *a regibus moenibus cinctum.*

MART. Martius ab Latinorum *[Marte; appel]*landi itaque apud Albanos et plerosque *[po]*pulos Lat*[ii m]*os idem fuit ante conditam Romam. Ut a*[u]*tem alii cre*[du]*nt, quod et (*scr.* ei) sacra fiunt hoc mense. *PRAEN.*

Martium a Marte dictum esse consenserunt antiqui, sed antiquiores scripserunt Romulum eum ita appellavisse a Marte patre, contra Varro *a Marte non quia Romuli fuerit pater, sed quod gens Latina bellicosa* (Censorin. 22, 11). Idem videtur significare voluisse Verrius hoc loco, quem epitomatorem male apparet contraxisse. Certe in altero commate addendum fuit *Romae,* nec bene dicitur *appellandi itaque* (id est *et ita appellandi*) *idem mos fuit;* quare haud scio an subsit sententia paullum diversa operarum peccato obscurata.

APR. *[Aprilis a]* Venere, quod ea cum *[Marte iungitur, mater Aene]*ae regis *[Latinor]*um, a quo p. R. ortus e*[st* .... *ho]*c m*[e]*nse, quia fruges flores animaliaque ac maria et terrae aperiuntur. *PRAEN.*

Tralaticia est utraque explicatio, prior antiquorum, altera Varronis, quamquam neutram hoc loco habemus satis apte in compendium redactam neque extrico vestigia litterarum, quae cernuntur inter *ortus est* et *hoc mense. Cum Marte iungitur* scripsi, quoniam vel maxime urgent quibus haec explicatio placuit *hanc Romuli fuisse rationem, ut hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo* (Macrob. sat. 1, 12, 8). Cf. Auson. dist. de mens.: *Aeneadum genetrix vicino nomen Aprili dat Venus; est Marti namque Aphrodita comes* et Ovidius fast. 4, 129: *Venus .. ut solet Marti continuata suo.* Nec satis Latinum puto esse quod dedit Fogginius: *cum Anchisa parens fuit Aeneae.* Ad secundae explicationis verba proxime accedit Macrob. 1, 12, 14: *cum fere ante aequinoctium vernum triste sit caelum et nubibus obductum, sed et mare navigantibus clausum, terrae etiam ipsae aut aqua aut pruina aut nivibus conteguntur eaque omnia verno id est hoc mense aperiantur, arbores quoque nec minus cetera quae continet terra aperire se in germen incipiant, ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum est quasi aperilem;* quae videtur descripsisse ex ipso Verrio mox ab eo citato.

MAI. Dictus a numero (*scr.* maioribus) SILV.
IVN. Dictus a iunioribus. SILV.
IVL. Dictus a Iulio Caesare cum Quintilis antea diceretur. SILV.
AVG. Prius Sextilis; dictus ab Octaviano Augusto SILV.
SEPT—DEC. Dictus a numero SILV.

Tralaticia omnia haec sunt redeuntque ad verbum apud Varr. 6, 33. 34. Censorin. 22 al.

Mensium nomina Hebraeorum Aegyptiorum Atheniensium Graecorum aliorum (id est Macedonum) secundum solitam menologiorum comparatorum rationem cum Romanis composuit Silvius. Idem adnotavit mensem Aegyptiorum decimum tertium epagomenon V dierum adiungi post diem 26 Aug. (cf. Febr. 23), non accurate; nam cum anni Aegyptiaci principium sit dies Aug. 29, primus ex epagomenis quinque respondet Aug. 24, non Aug. 27. Scilicet homo imperitus cum mensem Septembrem in menologio reperisset compositum cum Romanorum Septembri, postremos quinque Augusti dies attribuit mensi quem voluit esse epagomeno.

Signa non reperiuntur adnotata nisi in menologiis tribus Venusino Antiatino Philocali et hisce quidem diebus

		Ven.	*Ant.*	*Phil.*
Ian.	sol in aquario			23
Febr.	„ „ piscibus			20
Mart.	„ „ ariete			17
Apr.	„ „ tauro			18
Mai.	„ „ geminis	18		20
Iun.	„ „ cancro	19		15
Iul.	„ „ leone			17
Aug.	„ „ virgine			17
Sept.	„ „ libra			20
Oct.	„ „ scorpio			19
Nov.	„ „ sagittario		17	19
Dec.	„ „ capricorno			18

quibuscum praeterea coniungimus reliqua pauca caelestia quae reperiuntur in Venusino et Philocaliano

Iun.	26	solstitium confec.	VEN.
„	24	solstitium	PHIL.
Nov.	24	bruma	PHIL.
Mai.	7	vergil. exor.	VEN.

Similia quae habentur in menologio rustico et apud Silvium hoc loco repetere supervacaneum est. Ceterum de anni naturalis computationibus inter se aliquantum dissentientibus dixi in chronol. p. 62. 64 n. 87; quamquam in supra relatis cum alia tum bruma a Decembri male translata in Novembrem profecta sunt omnino non ab errore physicorum, sed a neglegentia librariorum.

IV. DE LITTERIS NVNDINALIBVS HEBDOMADARIIS LVNARIBVS.

Litterae nundinales octo ABCDEFGH ab initio anni ad extremum usque aequabiliter decurrunt in omnibus quae extant hemerologiis excepto Silviano. Cf. chronol. meae p. 253.

Litterae hebdomadariae septem ABCDEFG decurrentes item aequabiliter per totum annum adhuc repertae non sunt nisi in hemerologiis duobus Sabino sub initium aerae nostrae inciso et Philocaliano saeculi quarti medii; in utroque scriptae sunt suo ordine ante litteras nundinales. In illud privata religione eas illatas esse videri supra (p. 363) significavi; contra saeculo quarto Sabbata publico iussu in fastis crediderim indicata esse. Cf. chronol. meae p. 313.

Litterae lunares decem ABCDEFGHIK per tridua interiectis biduis paucis ita decurrentes, ut duodecies repetitae a Ian. 1 ad Dec. 20 annum lunarem CCCLIV dierum repraesentent, inveniuntur in solo hemerologio Philocaliano. Dixi de anni lunaris usu sub imperatoribus in chronol. p. 309 sq.

V. DE DIEBVS NOMINATIS STATO ORDINE REDEVNTIBVS MENSE ANNOVE.

Ex anni Romani diebus quidam habent nomen proprium et suum, reliqui ab his nominantur addito numero. Illa *dierum vocabula civilia* (Varr. 6, 12) cum ad antiquissimos fastos pertineant, perscribuntur elementis maioribus sicut litterae nundinales atque iudiciales, nisi quod recentissimi quique et incuriose scripti Pighiani et Antiatini paucis locis (Aug. 25. 27. Dec. 15. 17) ab hac lege recedunt locumque iis dant inter nundinalem litteram et diei propriam notam. Nomen autem qui habent dies aut in mense redeunt aut in anno. Illi tres sunt kalendae nonae idus, de quorum vocabulorum explicatione hoc loco subnotabo quae leguntur in fastis Praenestinis et Silvianis ex tralaticia doctrina Varronis 6, 27. 28 aliorumque deprompta.

PRAEN. ad k. Ian.: Hae et *[cete]*rae calendae appellantur, quia *[pri]*mus is dies est, quos pont*[i]*fex minor quo*[vis]* mense ad nonas sin*[gulas edicit in Capi]*tolio in curia Calа*[bra]*. — *SILV.*: Kalendae dictae ἀπὸ τοῦ καλεῖν, quia tum in rostris Romae populus ad contionem vocabatur. *Cf. chronol. meae p.* 16 *not.*

SILV. ad non. Ian.: Nonae dictae ideo, quia nonus dies eas discernit ab idibus.

PRAEN. ad id. Ian.: Puta .... ‖ id es*[t]* .... ‖ non ..... ‖ ali ..... — *SILV.*: idus dictae ἀπὸ τοῦ εἰδεῖν u videndo, quia priusquam annus hic qui est fuerat, mense medio luna completa, quae incipiebat kalendis, de qua menses dictos accepimus, videbatur. *Cf. Macrob. sat.* 1, 15, 16.

Dies autem nominis proprii in anno qui redeunt in fastis antiquis numerantur quadraginta quinque, quibus post Caesarem accessit quadragesimus sextus. Sunt autem hi:

Ian.	9	Agonalia	Iun.	9	Vestalia
	11	Carmentalia		11	Matralia
	15	„	Quinct.	5	Poplifugium
Febr.	15	Lupercalia		19	Lucaria
	17	Quirinalia		21	„
	21	Feralia		22	Neptunalia
	23	Terminalia		25	Furrinalia
	24	Regifugium	Sext.	17	Portunalia
	27	Equirria		19	Vinalia
Mart.	14	„		21	Consualia
	17	Liberalia Agonalia		23	Volcanalia
	19	Quinquatrus		25	Opiconsiva
	23	Tubilustrium		27	Volturnalia
Apr.	15	Fordicidia	Oct.	11	Meditrinalia
	19	Cerialia		13	Fontinalia
	21	Parilia		19	Armilustrium
	23	Vinalia	Dec.	11	Agonalia In(ualia?)
	25	Robigalia		15	Consualia
Mai.	9	Lemuria		17	Saturnalia
	11	„		19	Opalia
	13	„		21	Divalia
	21	Agonalia		23	Larentalia.
	23	Tubilustrium			

Dies qui nominatis aetate imperatoria accessit Augustalium est Oct. 12 in hunc ordinem relatus a. 735 (cf. commentarius ad h. d.).

Latereuli huius, quem vetustissimae originis esse supra diximus, exploratio etsi hoc loco perfici non potest, tamen quae de eo observavimus potiora et ad universam rem pertinentia subicientur.

1. In diebus notandis Romani etsi maxime pependerunt ex diebus certi nominis aequabiliter quovis mense recurrentibus kalendis nonis idibus, tamen notissimum est etiam proprii nominis diebus in ea re eos ita fere uti, ut a Christiana religione tracta nomina dierum posteriore aetate usurpabantur. Ita, ut pauca exempla apponam, *Portunalia* de die mortis supra n. 981 legimus in vasculo cinerario; ita *pridie Volcanalia* est apud Capitonem citatum a Festo (v. mundus p. 154) usurpanturque similiter simpliciter pro die notando *Quinquatrus* (Liv. 26, 27. 44, 20. Cic. ad fam. 2, 12, 1. 12, 25, 1.), *Liberalia* (bell. Hisp. 31; Cic. ad fam. 12, 25, 1.), *Parilia* (Cic. ad Att. 2, 8, 2. 14, 14, 1.), *Cerialia* (Cic. ad Att. 2, 12, 2), denique maxime in intercalatione *Terminalia* (vide chronol. meae p. 43). Quae consuetudo olim videtur etiam latius patuisse et in actis publicis dies certi nominis, ii maxime, qui semel tantum in fastis perscripti neque ambigui essent, non alio nomine appellati esse nisi suo. Certe tabulae triumphales, ad quas solas fere hodie licet redire in eiusmodi quaestione, diem a. d. XIII k. Mart. Quirinalium, quo triumphatum est sexies (a. 393. 404. 432. 478. 481. 587), nullo nisi hoc nomine appellant, praeterea vero certi nominis diem, qui semel tantum in anni laterculo occurrat, ponunt nullum, dies nominatos, sed propter iterationem ambiguos commemorant tantummodo tres, XVI k. Apr. Agonalium (a. 491), X k. Apr. Tubilustrii (a. 501), XII k. Sept. Vinalium (a. 596), in quibus omnibus non sine idonea ratione proprio nomini numerum praetulerunt. Videntur igitur Romani, plane ut posteriore aetate factum est, antiquissimo tempore festos dies a rebus sacris appellavisse, paullatim vero eo processisse, ut praeter kalendas nonas idus in diebus indicandis solos numeros usurparent.

2. Dies certi nominis aut nefasti sunt (NP, N) aut fasti (F); comitialis vero intercisusve inter eos reperitur nullus. Scilicet reservati erant omnes sacris publicisve rebus agendis neque ullus eorum vacabat negotiis privatis.

3. Dies certi nominis per annum antiquum quomodo dispersi sint, ostendit laterculus subscriptus:

Ian.	1. 5. 9. 11. 13. 15.	Quinct.	1. 5. 7. 15. 19. 21. 23. 25.
Febr.	1. 5. 13. 15. 17. 21. 23. 24. 27.	Sextil.	1. 5. 13. 17. 19. 21. 23. 25. 27.
Mart.	1. 7. 14. 15. 17. 19. 23.	Sept.	1. 5. 13.
Apr.	1. 5. 13. 15. 19. 21. 23. 25.	Oct.	1. 7. 11. 13. 15. 19.
		Nov.	1. 5. 13.
Mai.	1. 7. 9. 11. 13. 15. 21. 23.	Dec.	1. 5. 11. 13. 15. 17. 19. 21. 23.
Iun.	1. 5. 9. 11. 13.		

Paris igitur numeri odium, unde universam fastorum Romanorum antiquissimorum ordinationem pendere alibi (chronol. p. 12 sq.) de-

monstravi, obtinet etiam vel maxime in ordinandis diebus his sacris publicisque negotiis destinatis; nam duae solae earum incidunt in diem numeri paris Regifugium Febr. 24 et Equirria altera Mart. 14. Quocum coniunctum est, quod duobus hisce biduis exceptis dies certi nominis numquam sese excipiunt adeoque feriae per plures dies extensae non continuantur nisi cum intervallis, ut Carmentalia Ian. 11. 15, Lemuria Mai. 9. 11. 13, Lucaria Iul. 19. 21. — Praeterea exceptis solis Poplifugiis Iul. 5, quae pariter ac Regifugium a consueto ordine non uno nomine recedunt, certi nominis dies nulli inveniuntur inter eiusdem mensis kalendas nonasque; cuius rei causam in chronol. p. 250 ostendi hanc fuisse, quod singulis mensibus ferias nouis demum rex in contione edicere solebat.

VI. DE DIEBVS FASTIS NEFASTIS INTERCISIS COMITIALIBVS.

Dierum notas (sic enim litteras ius et naturam diei indicantes F NP N EN C breviter licebit appellare) in fastis reperimus post litteras nundinales et si quae sunt dierum nomina propria perscriptas forma maiore. Ut reliqua litteris maioribus scripta ita notas has supra vidimus non facile a quadratariis praetermitti, nisi quod post diei nomen notam diei omittunt Tusculani Sabinique constanter, Vallenses saepe, maxime post nomen diei plus quattuor elementorum, Maffeiani novies (Ian. 9. 15. Febr. 5. Apr. 5. Iun. 5. Iul. 21. 23. Oct. 11. Dec. 17), singulis locis denique Farnesiani (Febr. 21) et Romani picti (Iul. 7). Quae omissiones non sequuntur certam legem, admissae a quadratariis propter solas spatii angustias pluriumque litterarum maiorum eodem versu incidendarum molestiam; nam ita solum explicabitur, cur diei nota non omittatur nisi nominati, notae vero omittantur promiscue omnes diebus nominatis convenientes. — Notas autem has ut recte intellegamus, ante omnia dispiciendum erit, cuiusnam sint aetatis et originis, id est quaenam earum ab antiquissima anni ordinatione proficiscantur, quid liberae rei publicae aetate de iis factum sit, denique quaenam earum ad Caesarem eosve qui post Caesarem fastos tractarunt redeant. Iam ut ab his incipiamus, apertum est primum decem dierum a Caesare ad annum additorum notam F item esse Caesarianam. Deinde in feriis novis aetatis imperatoriae, quas recensuimus infra p. 376, exceptis diebus duobus (Ian. 29. Sept. 1), qui etiam post ferias acceptas notam antiquam F vel N videntur retinuisse, nota feriarum sollemnis NP expulit antiquiorem. Ultra vero mutationes notarum huiusmodi sub imperatoribus non videntur processisse, ut ubicumque ad diem non a Caesare ad annum additum earum notarum quae sunt F N EN C aliqua inveniatur, ea descendere videatur ex ordinatione anni antiqui. Nam primum cum abunde constet ferias complures novas sub imperatoribus institutas et propter eas notas dierum quae fuerunt mutatas esse, eodem tempore certos dies relatos esse inter fastos vel intercisos vel etiam comitiales nec tradidit quisquam neque idonea causa apparet, cur id fieri debuerit. Inter nefastos (scilicet tristes N littera notatos) post Agrippinae maioris exitium natalis eius ut referretur Tiberium suasisse Suetonius narrat (Tib. 53; cf. Tac. ann. 6, 25), at fuit hoc singularis saevitiae facinus et si perfectum est, certe nec diu mansit (Dio 59, 3) neque in exemplum tractum est. Sane tristissimae quique memoriae dies, ut mortis Caesaris dictatoris, C. et L. Caesarum, ipsius Augusti, notam propterea non mutaverunt. Deinde cum constet vel ex sola comparatione fastorum qui supersunt complures dies ex antiqua nota C vel F vel N aetate imperatoria feriis acceptis transiisse ad NP, dies qui similiter transierint ad notas C F N non comparent. Nam inveniuntur quidem dies quinque, quorum notarum inconstantiam possis ad eiusmodi mutationes referre:

Mai.	7	F Venus., N Maff.
Iun.	14	F Tusc., N Venus. Maff.
Sept.	12	N Maff. Sab. Amit., NP Vall., C Ant.
Sept.	15	N Maff. Sab. Amit., C Vall. Ant.
Oct.	6	C Maff. Ost. Amit., N Ant.

At huic opinioni obstat primum, notarum modo quod recensitarum diversitas non satis concordat cum temporis ordine, quo tabulas quae supersunt sese excipere supra docuimus; certe nullo modo sic explicatur, nota ad diem Sept. 15 adscripta cur in Amiterninis eadem sit atque in antiquioribus Maffeianis et Sabinis, contra Vallensibus, qui Amiterninos aetate antecedunt, de ea conveniat cum omnium recentissimis Antiatinis. Deinde si notarum mutatio in his diebus accidisset aetate imperatoria, alicubi sane fastorum adscriptiones monerent de causa, sicut fere constanter fit in diebus, quorum nota mutata est propter ferias novas, vel certe auctores aliquid ad eam explicandam afferrent; quod tantum abest ut ita sit, ut dies Mai. 7 et Iun. 14, quos secundum eam opinionem aetatis habita ratione fastorum Tusculanorum Venusinorum Maffeianorum in parte imperii Augusti florentissima ex fastis nefastos tristes effectos esse oportet, cur eiusmodi mutationem subierint causa idonea vix cogitari posse videatur. Denique notas diei actum rerum aetate Augusta mox videbimus non satis rexisse magnaque ex parte antiquae consuetudinis magis quam verae utilitatis causa locum tenuisse; ut non mirum esse possit iis certe qui memoria retinent, quae de origine et fide fastorum supra monuimus, in quibusdam diebus fastos de nota inter se dissentire nec deesse notas in recentioribus tabulis errore positas, maxime in Antiatina. Ita de diebus Mai. 7 et Iun. 14 ambigi potuit, utrum propter generalem de nonis idibusque legem fastis adnumerandi essent an Lemurium Vestaliumque religio ad hos quoque dies perveniret. Similiter offendit fortasse quosdam fastorum scriptores nefasti tristis nota in diebus ludorum Sept. 12. 15; similique errore, sed inverso dies Oct. 6 propter cladem bello Cimbrico eo die acceptam eandem notam flagitare videbatur. — Quam ob rem praeter dies duodecim (Feb. 5. Mart. 6. 27. Apr. 6. 28. Iul 4. Aug. 1. 2. 9. Sept. 2. 3. Oct. 12), quorum nota antiqua a feriis novis ita expulsa est, ut in nulla earum quas habemus tabularum illa inventa sit itaque ignoretur, reliqui dies anni antiqui aut omni tempore aut certe ad antiquissimos usque quos habemus fastos in nota vetusta perstiterunt. Sunt autem notae hae non sub imperatoribus ortae ipsius anni quem volunt esse Numae. Nam primum quod et nomina dierum propria et feriae publicae inter Numam Caesaremque manserunt immotae, efficitur inde notas quoque dierum etsi usu abolitas tamen in fastis loco suo non magis motas esse. Deinde adscriptionem nullam invenies liberae rei publicae tempore factam, quae pertineat ad diei notam mutatam, sed medio tempore sacra instituta religionesque publice admissae nihil habent commune cum notis dierum. Denique si quidem recte tabulam fastorum inter XII tabularum leges rettulimus, adscribere quidem licuit ad eam legem postea recepta, nec tamen demere ex ipsa lege quidquam ne litteram quidem licuit. Quam ob rem praeter eas quas imperatores mutaverunt dierum notas puto nos legere easdem quas olim ex penetralibus pontificum Ap. Claudius et post eum Cn. Flavius protulerunt. Sequitur igitur, ut aetate Ciceroniana Augustaque ius dierum quale fuerit, ex hisce notis satis intellegi nequeat; idque verum esse aliunde quoque constat. Nam quamquam diebus nefasti nota notatis ne

tum quidem lege actum videtur esse (cf. Macrob. sat. 1, 10, 5), tamen quibus diebus iudicia fieri licuerit vel non licuerit ex fastis nullo modo intellegitur. Exempli causa cum lege Hortensia effectum sit, ut nundinae, id est dies a. d. IX kalendas, fastae essent (Macrob. 1, 16, 30), tamen in fastis nostris pleraeque earum eam notam non habent. Item cum leges Iuliae iudiciariae per Saturnalia feriatos esse iusserint dies tres Dec. 17. 18. 19 (Macrob. 1, 10, 4), eorum secundus nihilominus mansit comitialis. Similiter ludorum diebus omnibus cum iudicia nulla facta sint Ciceronis aetate (Cic. in Verr. act. 1, 10, 31. cf. Ovid. fast. 4, 188), eius rei in fastorum quos habemus dierum notis indicium quaerere noli; nam non solum plerique eorum dierum comitialium notam habent, sed inveniuntur adeo littera F notati non pauci (Mai. 1. 2. Sept. 5. 6. 14. Nov. 1. 5. 6. 14). Unde cum Suetonius tradat (Aug. 32) *triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur*, ab Augusto *actui rerum accomodatos esse*, non recte opinor Merkelius (ad Ovid. fast. p. XVIII) dies illos anquisivit secundum dierum ludis attributorum notas, sed cum liberae rei publicae aetate ludorum diebus omnibus iudicia intermitterentur manente nota vetusta, Augustus lege illa sublata dimidiam fere partem eorum rebus agendis reddidit. Denique sic explicatur, cur notae dierum a quadratariis aetatis Augustae ita ut vidimus ubicunque spatium deficeret omissae, posteriore vero aetate ex fastis publicis sublatae sint.

Notae dierum inveniuntur in fastis octo, quos subiecimus explicatione addita, si quae vel in ipsis quos tractamus laterculis perscripta extat itaque ex consilio nostro hoc loco repetenda fuit, vel plane necessaria visa est. Nam in ipsam rem et naturam harum notarum inquirere non huius est loci.

1) F. — *[Hic dies fastus est. Fasti dies appe]*llantur, quod iis licet fari apud *[praetorem, ut nefasti, quibus certi]*s verbis lege agi non potest. *PRAEN. ad Ian.* 2.

Paullo aliter Varro 6, 29. 30: *dies fasti, per quos praetoribus omnia verba (verba certa legitima* §. 53, ubi eadem redeunt) *sine piaculo licet fari. — — Contrarii horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari praetorem 'do dico addico' itaque non potest agi, necesse enim aliquo eorum uti verbo, cum lege quid peragitur* et rel. Ovidius (fast. 1, 47) et Macrobius (sat. 1, 16, 14) Varronem sequuntur.

2) F·P

Non reperitur nisi ad Aug. 19 in tabulis Maffeiana et Amiternina, cum idem dies in deterioris notae tabulis notam habeat NP vel F. Significatio incerta est, videtur tamen ad exemplum notae NP sic significari coniunctio diei fasti et feriarum laetitiae.

3) Q(VANDO) R(EX) C(OMITIAVIT) F(AS). — Hunc diem plerique perperam interpretantes putant appellar*[i]*, quod eo die ex comitio fugerit *[rex; n]*am neque Tarquinius abiit ex comitio *[urbis]* et alio quoque mense eadem sunt *[idemque s]*ignificant. Qu*[are comitiis factis indici]*a fieri indica*[ri iis magis putamus]*. — *PRAEN. ad Mart.* 24.

Reperitur bis ad a. d. IX k. Apr. (Mart. 24) et a. d. IX k. Iun. (Mai. 24). De iisdem notis auctores sic tradiderunt.

Varro 6, 31: *Dies qui vocatur sic 'quando rex comitiavit, fas', sic* (cod. *sis*) *dictus ab eo quod eo die rex sacrificiolus it* (cod. *dicat*) *ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas: itaque post id tempus lege actum saepe.* Ovid. fast. 5, 727: *Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis vel mos sacrorum vel fuga regis inest..* Festus ep. p. 259: *Quando rex comitiavit fas in fastis notari solet et hoc videtur significare, quando rex sacrificulus divinis rebus perfectis in comitium venit.* Idem p. 258 *[Quando rex com]itiavit*|(*itiasic* cod.) *[fas] .... [i]n honorem | ..... [qui de feris] menstruis scrip|[serunt] .... rege dicuntur | ...... bus traditae sunt | ...... pars ante|[rior nefas est] ...... posterior | [fas, postquam sacra perfecit.] Si quis alius pro rege | [sacra fecit, ut puta pon]tifex, tum is dies | [item fastus fit].* Idem ep. p. 279: *Regifugium sacrum dicebant, quo die rex Tarquinius fugerit e Roma.* Idem p. 278: *[Regifugium notatur in fastis dies a. d.] VI kal. [Mart., qui creditur sic dict]us, quia [eo die Tarquinius rex fugerit ex urbe]. Quod fal[sum est; nam e castris in exilium abisse eum r]ettul[erunt annales. Rectius explicabit, qui regem e]t Salios [hoc die ...... facere sacri]ficium in [comitio eoque perfecto illum inde fugere n]overit. [Praeterea quod in fastis alibi inveniuntur ta]les no[tae: Q·R·C·F, eae sic legendae sunt: 'qu]ando rex [comitiavit fas,' non 'quod rex comitio fuger]at'; his [enim diebus post comitia in urbe lege agitur] nec in[de ut diximus abiit exulaturus in E]truria. [Legitur autem in fastis duobus diebus a. d. IX k. Apr. et IX] kal. Iun. is [quas dixi notis adscriptio illa et sic intel]legi debet, [cum comitia facta sint ut tum dies fiat e] nefasto fastus.* Ita fere locus hic restituendus est, in quo supplendo magnopere priores erraverunt eaque fere posuerunt, quae totam fastorum antiquorum notitiam pervertunt et confundunt.

4) Q(VANDO) ST(ERCVS) D(ELATVM) F(AS)

Reperitur semel ad a. d. XVII k. Iul. (Iun. 15). Adscripsi item similes locos. Varro 6, 32: *Dies qui vocatur 'quando stercum delatum fas' ab eo appellatus, quod eo die ex aede Vestae stercus everritur et per Capitolinum clivum in locum defertur certum:* Fest. p. 258 collata epit. p. 259 post explicationem notarum Q·R·C·F: *[Quando ster]cus delatum fas eo[dem modo in fastis notatur die]s, qui talis est, ut [cum purgetur aedis Vestae s]tercusque in clivum (alvum cod.) Ca[pitolinum deferatur nefas sit], cum id factum sit [fas.]* Cf. Fest. v. stercus p. 344. Ovid. fast. 6, 227 sq. Preller myth. p. 543.

5) N.

6) NP vulgo, NP in fastis Pighianis; N poni videtur pro NP in Romanis pictis.

Neutrius notae explicatio in fastis Praenestinis superest nec fortasse ulla umquam ibi fuit praeter eam quae datur una cum interpretatione notae F ad Ian. 2; quamquam fieri potest ut ad Ian. 13, qui est primus anni dies NP notatus, in adnotatione hodie fere deleta non solum de iduum nota, sed etiam de hac auctor egerit. — Utramque notam simpliciter legendam esse *nefastus* ostendi in chronologia p. 233 neque opinor negabit qui rem accurate pertractarit nullo modo defendi posse Ciacconii Ursinique quamvis a plerisque retentam explicationem nefasti prioris vel posterioris vel nefasti parte vel nefasti principio. Nam primum dierum fissorum notae inveniuntur sane diversae EN, Q·R·C·F, Q·ST·D·F; deinde qui accurate notas dierum explicant Varro 6, 29—31 Ovidius fast. 1, 47—53 alii, nefastum parte diem nullum agnoscunt; denique si naturam dierum N et NP notatorum consideramus, certissima ratione apparet eos sic differre, ut illi tristes sint et cum religione coniuncti, hi ferias habeant hilares et populari laetitia celebrandas, quorum illos nefastos totos, hos nefastos ex parte fuisse omnes quis sanae mentis homo sibi persuaderi patietur? Imo cum duplicis formae *n* litteram antiquissimum alphabetum Latinum videatur habuisse NP et N, ut habuit *m* duplicem M et M, scriptores antiquissimi ut in praenominum notis hoc discrimen ita illud in diebus notandis in suam rem verterunt nefastosque dies ita notaverunt, ut in die nefasto hilariore notam adhiberent NP, in nefasto tristiore notam N, quarum illa postea in NP speciem abiit. Quod signum cum mature non satis intellegeretur, Pighianorum fastorum scriptor non sine ratione pro N et NP scribere maluit N et NP. Confirmat explicationem illam qui unus ex auctoribus quos habemus NP notam commemoravit Festus p. 165 collata epitome sic fere supplendus: *[Nefas]ti dies nom[inantur N littera notati, quibus ei,] aput quem [lege agitur, fari non licet tria verba do dico] addico. Nep [nota distincti eorum hila]riores sunt, q[uoniam a malo omine] liberati sunt: unde .... unt et in provin[cias proficiscuntur] .... instituta fiunt .... et aedes sacrari so[lent.]* Vix credibile

est hoc loco male suppleto vulgarem interpretationem notae NP praecipue defendi solere.

7) EN, in Antiatinis E. — Haec nota signif*[icat diem intercisum; nam endo olim]* pro in ponebatur. *[Die interciso nefas est mane ante]*quam hostia inmol*[etur et post exta porrecta rursus]* nefas fit. Itaque sa*[epe responsum est medio tempore]* licere agi. — PRAEN. *ad Ian.* 10

Varr. 6, 31: *Intercisi dies sunt, per quos mane et vesperi est nefas, medio tempore inter hostiam caesam et exta porrecta fas, a quo, quod fas tum intercedit aut eo est intercisum nefas, intercisum.* Ovid. fast. 1, 49: *nec toto perstare die sua iura putaris; qui iam fastus erit, mane nefastus erat. Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari verbaque honoratus libera praetor habet.* Macrob. sat. 1, 16, 2. 3: *intercisi deorum hominumque communes sunt — — nam cum hostia caeditur, fari nefas est; inter caesa et porrecta fari licet; rursus cum adoletur non licet.*

8) C. — *[Comitiales dies appellantur, cum popul]*us coire convocare cogi potest ac lege a*[gi item licet]* ..... quem lege .... lege agi non .... *PRAEN. ad Ian.* 3.

Macrob. sat. 1, 16, 14: *comitiales sunt quibus cum populo agi licet, et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest, comitialibus utrumque potest.* Cf. Varr. 6, 29; Ovid. 1, 53; Fest. ep. v. comitiales p. 38.

DIEI NOTARVM LATERCVLVS

EX FASTIS SVPRA RELATIS.

† distinguit dies nominatos (vide supra p. 365).
• distinguit, ubi praescribitur diei numero, diem a C. Caesare ad annum adiectum esse, ubi praescribitur diei notae, notam institutam esse aetate imperatoria, ubi praescribitur signo †, diem nomen accepisse aetate demum imperatoria.

IANVARIVS.

† 1		k. Ian.	F	Maff.
2	IV	non. Ian.	F	Maff. Feanum (p. 331).
3	III	„ „	C	Maff. Praen. Feanum.
4	pr.	„ „	C	Maff. Praen. Feanum.
† 5		non. Ian.	F	Maff.
6	VIII	id. Ian.	F	Maff. Feanum.
7	VII	„ „	C	Maff. Praen. Feanum.
8	VI	„ „	C	Maff. Praen. Feanum.
† 9	V	„ „		Sine nota Maff. Videtur dies notatus fuisse NP utpote feriatus.
10	IV	„ „	EN	Maff. Praen.
† 11	III	„ „	NP	Maff.
12	pr.	„ „	C	Maff. Praen.
† 13		id. Ian.	NP	Maff. Praen.
14	XIX (XVII)	k. Febr.	EN	Maff. Praen.
† 15	XVIII (XVI)	„ „	NP	Praen. — Sine nota Maff.
16	XVII (XV)	„ „	C	Maff. Praen.
17	XVI (XIV)	„ „	C	Maff. Praen.
18	XV (XIII)	„ „	C	Maff. Praen.
19	XIV (XII)	„ „	C	Maff. Praen.
20	XIII (XI)	„ „	C	Maff. Praen.
21	XII (X)	„ „	C	Maff. Praen.
22	XI (IX)	„ „	C	Maff. Praen.
23	X (VIII)	„ „	C	Maff. Praen.
24	IX (VII)	„ „	C	Maff. Praen.
25	VIII (VI)	„ „	C	Maff. Praen.
26	VII (V)	„ „	C	Maff. Praen.
27	VI (IV)	„ „	C	Maff. Praen.
28	V (III)	„ „	C	Maff. Praen.
• 29 (—)	IV (—)	„ „	•F	Maff. Praen.
• 30 (—)	III (—)	„ „	•NP	Praen.
			N	Maff., errore.
31 (29)	pr.	„ „	C	Maff. Praen.

FEBRVARIVS.

† 1		k. Febr.	N	Maff.
2	IV	non. Febr.	N	Maff.
3	III	„ „	N	Maff.
4	pr.	non. Febr.	N	Maff.
† 5		non. Febr.	NP	Praen. (vide Addenda) — Sine nota Maff.
6	VIII	id. Febr.	N	Maff.
7	VII	„ „	N	Maff.
8	VI	„ „	N	Maff.
9	V	„ „	N	Maff.
10	IV	„ „	N	Maff.
11	III	„ „	N	Maff.
12	pr.	„ „	N	Maff.
† 13		id. Febr.	NP	Maff.
14	XVI	k. Mart.	N	Maff.
† 15	XV	„ „	NP	Maff. Farn.
16	XIV	„ „	EN	Maff. Farn.
† 17	XIII	„ „	NP	Maff. Farn.
18	XII	„ „	C	Maff. Farn.
19	XI	„ „	C	Maff. Farn.
20	X	„ „	C	Maff. Farn.
† 21	IX	„ „	F	Maff. — Sine nota Farn.
22	VIII	„ „	C	Maff.
† 23	VII	„ „	NP	Maff.
† 24	VI	„ „	N	Maff.
25	V	„ „	C	Maff.
26	IV	„ „	EN	Maff.
† 27	III	„ „	NP	Maff.
28	pr.	„ „	C	Maff.

MARTIVS.

† 1		k. Mart.	NP	Maff. Praen.
2	VI	non. Mart.	F	Maff. Praen.
3	V	„ „	C	Maff. Praen.
4	IV	„ „	C	Maff. Praen.
5	III	„ „	C	Maff. Praen.
6	pr.	„ „	•NP	Maff. Praen.
† 7		non. Mart.	F	Maff.
8	VIII	id. Mart.	F	Maff. Praen.
9	VII	„ „	C	Maff. Praen.
10	VI	„ „	C	Maff. Praen.

MARTIVS.

11	V	id. Mart.	C	Maff.
12	IV	„ „	C	Maff.
13	III	„ „	EN	Maff.
† 14	pr.	„ „	NP	Maff. Vat.
† 15		id. Mart.	NP	Maff. Vat.
16	XVII	k. Apr.	F	Maff. Farn.
† 17	XVI	„ „	NP	Maff. Vat.
18	XV	„ „	C	Maff. Farn.
† 19	XIV	„ „	NP N	Vat.; N] Praen. Maff. Ἄπρακτος Lyd. 4, 37.
20	XIII	„ „	C	Maff. Farn.
21	XII	„ „	C	Maff. Farn.
22	XI	„ „	N	Maff. Farn.
† 23	X	„ „	NP	Maff. Praen. Vat.
24	IX	„ „	Q·R·C·F	Vat.; Q·REX·C·F Maff.; [C·F Praen.
25	VIII	„ „	C	Maff.
26	VII	„ „	C	Maff.
27	VI	„ „	•NP	Maff.
28	V	„ „	C	Maff.
29	IV	„ „	C	Maff.
30	III	„ „	C	Maff. Praen.
31	pr.	„ „	C	Maff. Praen.

APRILIS.

† 1		k. Apr.	F	Praen.
2	IV	non. Apr.	F	Praen.
3	III	„ „	C	Maff. Praen.
4	pr.	„ „	C	Maff. Praen.
† 5		non. Apr.	N	Praen. — Sine nota Maff.
6	VIII	id. Apr.	•NP	Maff. Praen.
7	VII	„ „	N	Maff.
8	VI	„ „	N	Maff.
9	V	„ „	N	Maff. Vat.
10	IV	„ „	N	Maff. Vat.
11	III	„ „	N	Maff. Praen. Vat.
12	pr.	„ „	N	Maff. Praen. Vat.
† 13		id. Apr.	NP	Maff. Vat.
14	XVIII (XVII)	k. Mai	N	Maff. Tusc. Praen. Vat.
† 15	XVII (XVI)	„ „	NP	Maff.
16	XVI (XV)	„ „	N	Maff. Praen. Vat.
17	XV (XIV)	„ „	N	Maff. Praen. Vat.
18	XIV (XIII)	„ „	N	Maff. Praen.
† 19	XIII (XII)	„ „	N	Maff.
20	XII (XI)	„ „	N	Maff. Praen.
† 21	XI (X)	„ „	NP	Maff.
22	X (IX)	„ „	N	Maff. Praen.
† 23	IX (VIII)	„ „	F NP	Praen. Maff.
24	VIII (VII)	„ „	C	Maff. Praen.
† 25	VII (VI)	„ „	NP	Maff. Praen.
• 26 (—)	VI (—)	„ „	•F	Maff. Praen.
27 (26)	V	„ „	C	Maff. Praen.
28 (27)	IV	„ „	•NP	Maff. Praen.
29 (28)	III	„ „	C	Maff. Praen.
30 (29)	pr.	„ „	C	Maff. Praen.

MAIVS.

† 1		k. Mai.	F	Ven.
2	VI	non. Mai.	F	Ven.
3	V	„ „	C	Ven.
4	IV	„ „	C	Ven.
5	III	„ „	C	Ven. Maff.
6	pr.	„ „	C	Ven. Maff.
† 7		non. Mai.	F N	Ven. Maff.
8	VIII	id. Mai.	F	Ven. Maff.
† 9	VII	„ „	N	Ven. Maff.
10	VI	„ „	C	Ven. Tusc. Maff.
† 11	V	„ „	N	Ven. Maff. — Sine nota Tusc.
12	IV	„ „	C NP	Ven. Tusc. Maff.
† 13	III	„ „	N	Ven. Maff. — Sine nota Tusc.
14	pr.	„ „	C	Ven. Tusc. Maff.
† 15		id. Mai.	NP	Maff.; N Ven. — Sine nota Tusc.
16	XVII	k. Iun.	F	Ven. Tusc. Maff.
17	XVI	„ „	C	Ven. Tusc. Maff.
18	XV	„ „	C	Ven. Maff.
19	XIV	„ „	C	Ven. Maff.
20	XIII	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
† 21	XII	„ „	NP	Maff. Esq.; N Ven.
22	XI	„ „	N	Ven. Maff. Esq.
† 23	X	„ „	NP	Maff. Esq.; N Ven.
24	IX	„ „	Q·R·C·F	Ven. Esq.; Q·REX·C·F Maff.
25	VIII	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
26	VII	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
27	VI	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
28	V	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
29	IV	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
30	III	„ „	C	Ven. Maff. Esq.
31	pr.	„ „	C	Ven. Maff. Esq.

IVNIVS.

† 1		k. Iun.	N	Ven. Maff. Rom. picti.
2	IV	non. Iun.	F	Ven.
3	III	„ „	C	Ven. Maff.
4	pr.	„ „	C	Ven. Maff.
† 5		non. Iun.	N	Ven. — Sine nota Maff.
6	VIII	id. Iun.	N	Ven. Maff.
7	VII	„ „	N	Ven. Maff.
8	VI	„ „	N	Ven. Tusc. Maff.
† 9	V	„ „	N	Ven. Maff. Rom. picti. — Sine nota Tusc.
10	IV	„ „	N	Ven. Tusc. Maff.
† 11	III	„ „	N	Ven. Maff. — Sine nota Tusc.
12	pr.	„ „	N	Ven. Tusc. Maff.
† 13		id. Iun.	N	Ven. Maff. (N vel NP). — Sine nota Tusc.
14	XVIII (XVII)	k. Iul. (Quinct.)	F N	Tusc. Ven. Maff.
15	XVII (XVI)	„ „ „	Q·S·D·F	Ven.; Q·ST Tusc.; Q·ST·D·F Maff.
16	XVI (XV)	„ „ „	C	Ven. Maff.
17	XV (XIV)	„ „ „	C	Ven. Maff.
18	XIV (XIII)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
19	XIII (XII)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
20	XII (XI)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
21	XI (X)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
22	X (IX)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
23	IX (VIII)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
24	VIII (VII)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
25	VII (VI)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
26	VI (V)	„ „ „	C •NP	Ven. Maff. Esq. Am.
27	V (IV)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq. Amit.
28	IV (III)	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq.
• 29 (—)	III (—)	„ „ „	•F	Ven. Maff. Esq.
30 (29)	pr.	„ „ „	C	Ven. Maff. Esq.

IVLIVS (QVINCTILIS).

† 1	k. Iul. (Quinct.)	N	Maff. Amit. Ant.
2	VI non. Iul. (Quinct.)	N	Maff. Amit. Ant.
3	V „ „ „	N	Maff. Amit. Ant.
4	IV „ „ „	•NP	Maff. Amit. Ant.
† 5	III „ „ „	NP	Maff. Amit. — Sine nota Ant.
6	pr. „ „ „	N	Maff. Amit. Ant.
† 7	non. Iul. (Quinct.)	N	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Rom. picti.
8	VIII id. Iul. (Quinct.)	N	Maff. Amit. Ant.
9	VII „ „ „	N	Maff. Amit. Ant.
10	VI „ „ „	C	Maff. Amit. Ant.
11	V „ „ „	C	Maff. Tusc. Amit. Ant.
12	IV „ „ „	C •NP	Tusc. Maff. Amit. Ant.
13	III „ „ „	C	Maff. Tusc. Amit. Ant.
14	pr. „ „ „	C	Maff. Tusc. Amit. Ant.
† 15	id. Iul. (Quinct.)	NP	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Tusc.
16	XVII k. Aug. (Sext.)	F	Maff. Tusc. Amit. Ant.
17	XVI „ „ „	C	Maff. Tusc. Amit. Ant.
18	XV „ „ „	C	Maff. Amit. Ant.
† 19	XIV „ „ „	NP	Maff. Amit.
20	XIII „ „ „	C	Maff. Amit.
† 21	XII „ „ „	NP	Amit. — Sine nota Maff.
22	XI „ „ „	C	Maff. Pinc.
† 23	X „ „ „	NP	Allif.; N Pinc. — Sine nota Maff.
24	IX „ „ „	N	Maff. Pinc.
† 25	VIII „ „ „	NP	Maff. Allif.; N Pinc.
26	VII „ „ „	C	Maff. Pinc.
27	VI „ „ „	C	Maff. Pinc.
28	V „ „ „	C	Maff. Pinc.
29	IV „ „ „	C	Maff. Pinc.
30	III „ „ „	C	Maff. Pinc.
31	pr. „ „ „	C	Maff. Pinc. Rom. Barazzii (p. 321).

AVGVSTVS (SEXTILIS).

† 1	k. Aug. (Sext.)	•NP	Amit. Ant. — Sine nota Vall.
2	IV non Aug. (Sext.)	•NP N	Amit. Ant. — Maff. lect. dubia. Vall., errore.
3	III „ „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
4	pr. „ „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant. Rom. picti.
† 5	non. Aug. (Sext.)	F NP	Maff. Amit. — Sine nota Vall. Ant.
6	VIII id. Aug. (Sext.)	F NP N	Maff. Vall. Amit. Ant. Rom. picti.
7	VII „ „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
8	VI „ „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
9	V „ „ „	•NP	Maff. Vall. Amit. Ant.
10	IV „ „ „	C •NP	Maff. Vall. Amit. Ant.
11	III „ „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
12	pr. „ „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
† 13	id. Aug. (Sext.)	NP	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Vall.
14	XIX (XVII) k. Sept.	F	Maff. Vall. Amit. Ant.
15	XVIII (XVI) „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
16	XVII (XV) „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
† 17	XVI (XIV) „ „	NP	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Vall.
18	XV (XIII) „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
† 19	XIV (XII) „ „	FP F NP	Maff. Amit. Ant. Vall.
20	XIII (XI) „ „	C	Maff. Vall. Ant.
† 21	XII (X) „ „	NP	Maff. Vall.; N Pinc.
22	XI (IX) „ „	EN	Maff. Vall. Pinc.
† 23	X (VIII) „ „	NP	Maff. Vall.; N Pinc.
24	IX (VII) k. Sept.	C	Maff. Vall. Pinc. Allif.
† 25	VIII (VI) „ „	NP	Maff. Vall.; N Pinc.
26	VII (V) „ „	C	Maff. Vall. Pinc. Allif. Pigh.
† 27	VI (IV) „ „	NP	Maff. Vall.; NP Pigh.; Diem omisit Pinc.
28	V (III) „ „	C •NP	Allif. Pinc. Maff. Vat.; NP Pigh.
• 29 (—)	IV (—) „ „	•F	Maff. Pinc. Pigh. Vat.
• 30 (—)	III (—) „ „	•F	Maff. Pinc. Vat. Pigh., item ut videtur Vall.
31 (29)	pr. „ „	C •NP	Maff. Pinc. Vat. Pigh.

SEPTEMBER.

† 1	k. Sept.	F	Amit. Ant.
2	IV non. Sept.	•NP	Vall. Amit.; N Ant.
3	III „ „	•NP	Maff. Vall. Amit. Ant.
4	pr. „ „	C	Maff. Vall. Amit. Ant.
† 5	non. Sept.	F	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Vall.
6	VIII id. Sept.	F	Maff. Vall. Amit. Ant.
7	VII „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
8	VI „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
9	V „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
10	IV „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
11	III „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
12	pr. „ „	N NP C	Maff. Sab. Amit. Vall. Ant.
† 13	id. Sept.	NP	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Sab. Vall.
14	XVIII (XVII) k. Oct.	F	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
15	XVII (XVI) „ „	N C	Maff. Sab. Amit. Vall. Ant.
16	XVI (XV) „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
17	XV (XIV) „ „	C •NP	Maff. Sab. Vall. Amit. Ant.
18	XIV (XIII) „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit.
19	XIII (XII) „ „	C	Maff. Sab. Vall. Amit.
20	XII (XI) „ „	C	Maff. Sab. Vall.
21	XI (X) „ „	C	Maff. Sab. Vall.
22	X (IX) „ „	C	Maff. Sab. Vall. Pinc. Pigh.
23	IX (VIII) „ „	F •NP	Sab. Pinc. Maff. Vall.; NP Pigh.
24	VIII (VII) „ „	C •N	Maff. Sab. Pinc. Vall. (imo NP) Pigh.
25	VII (VI) „ „	C	Maff. Sab. Vall. Pinc. Pigh.
26	VI (V) „ „	C	Maff. Vall. Pinc. Pigh.
27	V (IV) „ „	C	Maff. Vall. Pinc. Pigh.
28	IV (III) „ „	C	Maff. Vall. Pigh. Diem omisit Pinc.
• 29 (—)	III (—) „ „	•F	Maff. Pigh.; ita voluit Pinc.
30 (29)	pr. „ „	C	Maff. Pigh.; ita voluit Pinc.

OCTOBER.

† 1	k. Oct.	N	Maff. Ost. Amit.
2	VI non. Oct.	F	Maff. Ost. Amit.
3	V „ „	C	Maff. Ost. Amit.
4	IV „ „	C	Maff. Ost. Amit.
5	III „ „	C	Maff. Ost. Amit.
6	pr. „ „	C N	Maff. Ost. Amit. Ant.
† 7	non. Oct.	F	Maff. Ost. Amit. Ant.
8	VIII id. Oct.	F C	Maff. Ost. Amit. Ant.

OCTOBER.

9	VII	id. Oct.	C	Maff. Amit. Ant.
10	VI	„ „	C	Maff. Sab. Amit.
† 11	V	„ „	NP	Amit. — Sab. lect. dubia. — Sine nota Maff.
•† 12	IV	„ „	•NP	Maff. Amit. Ant. — Sab. lectio dubia.
† 13	III	„ „	NP	Maff. Amit. Diem omisit Ant.
14	pr.	„ „	EN	Maff. Sab. Amit.; E Ant.
† 15		id. Oct.	NP	Maff. Amit. Ant. — Sine nota Sab.
16	XVII	k. Nov.	F	Maff. Sab. Amit. Ant.
17	XVI	„ „	C	Maff. Sab. Amit. Ant.
18	XV	„ „	C	Maff. Sab. Amit. Ant.
† 19	XIV	„ „	NP	Maff. Amit. Ant.
20	XIII	„ „	C	Maff. Sab. Amit.
21	XII	„ „	C	Maff. Sab. Amit.
22	XI	„ „	C	Maff. Sab.
23	X	„ „	C	Maff. Sab.
24	IX	„ „	C	Maff. Sab.
25	VIII	„ „	C	Maff. Sab.
26	VII	„ „	C	Maff. Sab. Pinc.
27	VI	„ „	C	Maff. Sab. Pinc.
28	V	„ „	C	Maff. Pinc.
29	IV	„ „	C	Maff. Pinc.
30	III	„ „	C	Maff. Pinc.
31	pr.	„ „	C	Maff. Pinc.

NOVEMBER.

† 1		k. Nov.	F	Amit. Ant.
2	IV	non. Nov.	F	Maff. Amit. Ant.
3	III	„ „	C	Amit. Ant.
4	pr.	„ „	C	Amit. Ant.
† 5		non. Nov.	F	Amit. Ant.
6	VIII	id. Nov.	F	Maff. Amit. Ant.
7	VII	„ „	C	Maff. Amit.
8	VI	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
9	V	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
10	IV	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
11	III	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
12	pr.	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
† 13		id. Nov.	NP	Maff. Amit. Ant.
14	XVIII (XVII)	k. Dec.	F	Maff. Amit. Ant.
15	XVII (XVI)	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
16	XVI (XV)	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
17	XV (XIV)	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
18	XIV (XIII)	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
19	XIII (XII)	„ „	C	Maff. Amit.
20	XII (XI)	„ „	C	Maff.
21	XI (X)	k. Dec.	C	Maff.
22	X (IX)	„ „	C	Maff.
23	IX (VIII)	„ „	C	Maff.
24	VIII (VII)	„ „	C	Maff.
25	VII (VI)	„ „	C	Maff.
26	VI (V)	„ „	C	Maff.
27	V (IV)	„ „	C	Maff.
28	IV (III)	„ „	C	Maff.
• 29(—)	III (—)	„ „	•F	Maff.
30(29)	pr.	„ „	C	Maff.

DECEMBER.

† 1		k. Dec.	N	Amit. Ant.
2	IV	non Dec.	N	Amit. Ant.
3	III	„ „	N	Amit. Ant. Ἄπρακτος Lyd. fr. Caseol. p. 118.
4	pr.	„ „	{ C	Amit.
			{ F	Ant., errore.
† 5		non. Dec.	F	Amit. Ant.
6	VIII	id. Dec.	F	Amit. Ant.
7	VII	„ „	C	Maff. Amit. Ant.
8	VI	„ „	C	Maff. Praen. Amit. Ant.
9	V	„ „	C	Maff. Praen. Amit. Ant.
10	IV	„ „	C	Maff. Praen. Amit. Ant.
† 11	III	„ „	NP	Maff. Amit. Ant.
12	pr.	„ „	EN	Maff. Praen. Amit.; E Ant.
† 13		id. Dec.	NP	Maff. Amit. Ant.
14	XIX (XVII)	k. Ian.	F	Maff. Praen. Amit. Ant.
† 15	XVIII (XVI)	„ „	NP	Maff. Praen. Amit.
16	XVII (XV)	„ „	C	Maff. Praen. Amit.
† 17	XVI (XIV)	„ „	NP	Amit. — Sine nota Maff.
18	XV (XIII)	„ „	C	Maff. Amit.
† 19	XIV (XII)	„ „	NP	Maff. Amit.
20	XIII (XI)	„ „	C	Maff. Amit.
† 21	XII (X)	„ „	NP	Maff. Praen.
22	XI (IX)	„ „	C	Maff.
† 23	X (VIII)	„ „	NP	Maff. Praen.
24	IX (VII)	„ „	C	Maff.
25	VIII (VI)	„ „	C	Maff. Praen.
26	VII (V)	„ „	C	Maff. Praen.
27	VI (IV)	„ „	C	Maff. Praen.
28	V (III)	„ „	C	Maff. Praen.
• 29(—)	IV (—)	„ „	•F	Maff. Praen.
• 30(—)	III (—)	„ „	•F	Maff. Praen.
31(29)	pr.	„ „	C	Maff. Praen.

LATERCVLI SVMMA.

1) FASTI (F) dies adiectis iis qui F·P, Q·R·C·F, Q·ST·D·F notantur quomodo per annum antiquum divisi fuerint, apparebit ex tabella subiecta, ubi qui dies expleti sunt, eos in anno antiquo fastos fuisse constat, ubi pro die linea posita est, e contrario constat fastos non fuisse, ubi punctis versus expletus est, nota antiqua ignoratur. Asteriscus autem indicat dies aetate imperatoria inter feriatos relatos.

Ian.	k. (1)	postrid. k. (2)	non. (5)	postrid. non. (6)	—			
Febr.	—	—	—	—	—	IX	k. Mart. (21)	
Mart.	—	postrid. k. (2)	*non. (7)	postrid. non. (8)	postrid. id. (16)	IX	k. Apr. (24)	Q·R·C·F
Apr.	k. (1)	postrid. k. (2)	—	*. . . . . (6)	—	IX (VIII)	k. Mai. (23)	
Mai.	k. (1)	postrid. k. (2)	non. (7)	postrid. non. (8)	postrid. id. (16)	IX	k. Iun. (24)	Q·R·C·F
Iun.	—	postrid. k. (2)	—	—	*postrid. id. (14)	XVII	k. Iul. (15)	Q·ST·D·F
Iul.	—	—	—	—	postrid. id. (16)			
Aug.	*..... (1)	*. . . . . (2)	*non. (5)	*postrid. non. (6)	postrid. id. (14)	XIV (XII)	k. Sept. (19)	FP
Sept.	k. (1)	*. . . . . (2)	non. (5)	postrid. non. (6)	postrid. id. (14)	*IX (VIII)	k. Oct. (23)	
Oct.	—	postrid. k. (2)	non. (7)	postrid. non. (8)	postrid. id. (16)			
Nov.	k. (1)	postrid. k. (2)	non. (5)	postrid. non. (6)	postrid. id. (14)			
Dec.	—	—	non. (5)	postrid. non. (6)	postrid. id. (14)			

Apparet, ut ostendi in chronologia p. 233 sq., quinque ordinum dies kalendas, postridie kalendas, nonas, postridie nonas, postridie idus fastos ita fuisse, ut nullus in iis relinqueretur dies comitialis; nam qui fasti non sunt, notam habent aut nefasti tristis (Febr. 1. 2. 5. 6. 14. Apr. 5. 14. Iun. 1. 5. 6. Iul. 1. 2. 5. 6. Oct. 1. Dec. 1. 2) aut nefasti hilaris (Mart. 1) aut intercisi (Ian. 14). Sextum ordinem non paenitet ad nundinas revocavisse; quem postea explevit lex Hortensia nundinis omnibus fastis effectis (Macrob. sat. 1, 16, 30; cf. supra p. 367). Etiam idus fuisse fastas quod olim conieci, iam video in ea re erravisse me feriarum in fastis notatarum vetustate nondum satis perspecta. — Praeterea quod inter fastos dies ordinis sexti tres reperiuntur item festi, scilicet Feralia Febr. 21 et Vinalia tam priora Apr. 23 quam posteriora Aug. 19, offendisse videtur vel eos, qui aetate imperatoria fastos conscribebant; inde enim explicandum, quod in Vinalibus prioribus pro F nota, quam Praenestini fasti habent, Maffeiani feriarum NP notam substituerunt, item Vinalibus posterioribus eandem NP notam adscripserunt alii, alii F·P notam plane singularem. Comparari tamen possunt dies Ian. 22. Sept. 1, qui cum ferias acciperent aetate imperatoria, tamen F notam non deposuerunt; unde confirmatur non omnino pugnare inter se fasti diei condicionem et ferias. Sacra praeterea recentioris originis non pauca eaque celeberrima attributa sunt fastis diebus, ut Fortunae virilis k. Apr. et natalis Salutis nonis Aug. Connumeratis diebus quattuor Apr. 6, Aug. 1. 2. Sept. 2, quos cum nota eorum antiqua non tradatur, fastos fuisse propterea conicimus, quod in quinque ordinibus illis comprehenduntur, fiunt anni antiqui dies fasti toti quadraginta quinque, fasti ex parte tres.

Ad annum Iulianum quod attinet, C. Caesar teste Macrobio 1, 14, 12 *adiectos omnes a se dies fastos notavit, ut maiorem daret actionibus libertatem.* Quod confirmant hemerologia, quoniam diebus a Caesare additis

Ian. 29. 30.
Apr. 26.
Iun. 29.
Aug. 29. 30.
Sept. 29.
Nov. 29.
Dec. 29. 30.

fasti notam adscribunt omnibus excepto secundo inde ab a. 745 ob ferias tum institutas inter feriatos relato; neque enim supersunt mensis Ianuarii hemerologia illo anno antiquiora.

2) NEFASTOS HILARES (NP) annus antiquus habuit dies quadraginta octo hos:

Ian. 9 (ex coniectura). 11. 13. 15.
Febr. 13. 15. 17. 23. 27.
Mart. 1. 14. 15. 17. 19. 23.
Apr. 13. 15. 21. 25.
Mai. 15. 21. 23.
Iun. 13. (aut NP aut N).
Iul. 5. 15. 19. 21. 23. 25.
Aug. 13. 17. 21. 23. 25. 27.
Sept. 13.
Oct. 11. 13. 15. 19.
Nov. 13.
Dec. 11. 13. 15. 17. 19. 21. 23.

Ad quos post constitutum annum Iulianum accesserunt dies hi:

Ian. 30.
Febr. 5.
Mart. 6.
Apr. 6. 28.
Mai. 12.
Iun. 26.
Iul. 4. 12.
Aug. 1. 2. 9. 10. 28.
Sept. 2. 3. 17. 23. 24.
Oct. 1. 2.

ex quibus antea fasti notam habuerunt Ian. 30. Sept. 23, comitialis Mai. 12. Iun. 26. Iul. 12. Aug. 10. 28. 31. Sept. 17. 24; reliquorum notae antiquae memoria hodie non extat. In priore ordine nulli dies sunt nisi nominati, scilicet idus omnes (excepta iduum Iuniarum nota quae fluctuat inter NP et N), kalendae Martiae, denique dies nominis proprii triginta quinque, omnes scilicet praeter fastos tres et nefastos tristes septem. Vere igitur diximus hanc notam propriam esse diei fasti laetioris. Etiam constantius hac nota utuntur feriae novae aetatis imperatoriae; nam omnibus diebus, quorum post ferias eiusmodi acceptas nota testata sit, NP invenitur adscriptum, nisi quod duo Ian. 29. Sept. 1 dies notam fasti retinuerunt, ut supra observavimus, uni autem Sept. 24, errore lapicidae descriptorisve, C vel N adscribitur.

3) NEFASTOS TRISTES (N), quos supra p. 367 vidimus ad annum antiquum pertinere omnes, invenimus hos:

Ian. —
Febr. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 24.
Mart. 22.
Apr. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 16. 17. 18. 19. 20. 22.
Mai. 9. 11. 13. 22.
Iun. 1. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.
Iul. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 9. 24.
Aug. —
Sept. 12. 15.
Oct. 1.
Nov. —
Dec. 1. 2. 3.

quibus ex diebus imperatoria aetate feriatis, de quorum nota antiqua non constat, fortasse addendi erunt Febr. 5. Iul. 4. Fiunt his connumeratis dies quinquaginta septem. Non numeravimus autem nec dies Mai 7. Iun. 14, quos quaedam hemerologia nefastos

faciunt, alia probabilius fastos, nec diem Iun. 13, cuius nota variat inter NP et N; ut mittamus dies Ian. 30. Mart. 19. Aug. 2. 6. Sept. 24, ubi in quibusdam tabulis pro vera NP vel C nota scribitur N mero errore. Inter nefastos tristes insunt dies nominati sedecim, scilicet kalendae quinae, nonae quaternae, nominati proprio nomine septem Regifugium (Febr. 24), Cerialia (Apr. 19), Lemuria prima secunda tertia (Mai. 9. 11. 13), Vestalia (Iun. 9), Matralia (Iun. 11). Ex hisce diebus eorum tantum, qui sunt circa Vestalia, infaustam naturam testatam habemus (vide infra in comm. diurnis ad Iun. 5); idem vero ex ipsa re sequitur in diebus nefastis mensis Februarii inde ab antiquissimo tempore lustrationibus addicti, item in Lemuribus. Reliquorum dierum religionem incerto vetustatis tegi non mirabimur, si quidem haec notae vere descendunt ex ipsis Numae regis fastis; contra dies post Numam libera re publica religiosos factos propterea notam non mutavisse et supra tetigimus et infra de ea re disputabimus.

4) INTERCISI dies, antiqui anni omnes, reperiuntur in fastis octo

Ian. 10. 14.	Aug. 22.
Febr. 16. 26.	Oct. 14.
Mart. 13.	Dec. 12.

5) COMITIALES dies, item antiqui anni omnes, restant hi numero centum nonaginta quattuor, connumeratis diebus sex Mart. 6. 27. Apr. 28. Aug. 9. Sept. 3. Oct. 12, quorum nota antiqua ignoratur nec videtur fuisse F vel N:

Ian.	3. 4. 7. 8. 12. 16—28. 31; fiunt XIX.
Febr.	18—20. 22. 25. 28; fiunt VI.
Mart.	3—6. 9—12. 18. 20. 21. 25. 26. 27—31; fiunt XVIII.
Apr.	3. 4. 24. 27—30; fiunt VII.
Mai.	3—6. 10. 12. 14. 17—20. 25—31; fiunt XVIII.
Iun.	3. 4. 16—28. 30; fiunt XVI.
Iul.	10—14. 17. 18. 20. 22. 26—31; fiunt XV.
Aug.	3. 4. 7—12. 15. 16. 18. 20. 24. 26. 28. 31; fiunt XVI.
Sept.	3. 4. 7—11. 16—22. 24—28. 30; fiunt XX.
Oct.	3—6. 9. 10. 12. 17. 18. 20—31; fiunt XXI.
Nov.	3. 4. 7—12. 15—28. 30; fiunt XXIII.
Dec.	4. 7—10. 16. 18. 20. 22. 24—28. 31; fiunt XV.

Itaque annus antiquus Romanus habuit dies

fastos totos	45
„ ex parte	3
nefastos hilares	48
„ tristes	57
intercisos	8
comitiales	194
Fiunt dies omnes	355

Anni Iuliani dierum CCCLXV computatio initio ita tantum inde discessit, ut pro XLV diebus fastis numerarentur LV; postea vero numerus variavit complurihus diebus paullatim inter nefastos hilares relatos et ex reliquis ordinibus propterea sublatis.

VII. DE DIEBVS RELIGIOSIS, SENATVS LEGITIMI, AEGYPTIACIS.

1. *DIES RELIGIOSI.*

Dies religiosi in fastis antiquissimis videntur notati esse N nota itaque constitutum, ne his diebus praetori sine piaculo liceret fari tria verba sollemnia utque intermitterentur, quantum fieri posset, his diebus negotia publica privataque, maxime nova ne inciperentur. Iam vero procedente tempore ex diebus nefastis antiquissimis plerique religionem videntur quodammodo exuisse, et licet retineretur utpote lege publica sancita prohibitio lege agendi his diebus comitiorumque habendorum, tamen tantum afuit, ut dies hi omnes mali ominis crederentur, ut propter aedes diis eiusmodi diebus dedicatas non pauci eorum si non iure, tamen re feriatis exaequarentur. Contra ut vetus religiosorum dierum series paullatim interibat, ita nascebantur novae superstitiones diesque alii propter clades publicas aliasve ob causas coepti sunt ita infausti haberi, ut ne sacrum publicum iis fieret interdiceretur. Nam hoc proprium est diei atri vel religiosi, ut rebus diviuis supersedeatur (Liv. 6, 1; Gell. 4, 9. 5, 17; Macrob. sat. 1, 15, 22. 16. 29). Ita igitur differunt religiosi hi a nefastis religiosis iuris antiquissimi, ut profecti quidem utrique a simili superstitione iure tamen illi ad iustitium pertineant, his aedes claudantur nec sacra perficiantur. Item nefasti religiosi ex lege publica descendunt, atrorum autem qui publicam auctoritatem habent, eam videntur accepisse solo senatusconsulto. Palam igitur est ad antiquissimos fastos nullo modo pertinere religiosos dies proprie dictos, et re vera in dierum notis deprehenditur ne minimum quidem eorum vestigium. Contra in adnotationibus minoribus litteris perscriptis eiusmodi religionis fasti quos habemus aliquoties meminerunt sic:

1) Dies XXXVI postriduanos inter religiosos a senatu relatos esse scribunt annales post captam urbem (Liv. 6, 1; Gell. 5, 17 al.) pontificesque decrevisse nullum his diebus sacrificium recte futurum (Gell. 5, 17. Liv. 6, 1. Marquardt 2, 3, 64). Idque fasti primum ita confirmant, ut sacrificium publicum ante Caesarem dictatorem constitutum horum dierum nulli attribuant. Praeterea vero etiam haec adnotant, quae cum in chronologia ad fastorum dierum genera traxerim, iam re denuo considerata magis placet cum Fogginio referre ad dies postriduanos.

> *PRAEN. ad Ian.* 2: Idem [*religiosus est, ut sunt dies pos*]tridie omnis calendas, quod iis [*sacrificium non fit*]. — *Ad Ian.* 6: [*Hic*] dies [*religiosus est, ut sunt postridie omnes nonas, ob eandem*] caussa[*m quod postridie omnes calendas*]. — *Ad Ian.* 14: Vitiosus ex s[*c. eo quod die postridie idus sacrificium non fit ob*] eandem caussam q[*uod post*]ridie omnis calendas n[*on fit*]. — *MAFF. ad Ian.* 14: Dies vitios(us) ex s. c.

Causa, cur e sex et triginta diebus illis ad unum Ian. 14 de vitio adnotaretur, hanc fuisse existimo, quod is est intercisus, id est sacrificium publicum in eo fieri oportere fasti antiquissimi indicarant; quod cur fieri non deberet, magis necessarium erat adnotare quam idem obtinere reliquis diebus sacrificio nullo publico destinatis. Vitiosus autem dies religiosus praeter hunc locum opinor non dicitur.

2) Dies Alliensis et Fabiorum Iul. 18.
Vide commentarium diurnum.

Diem cladis ad Arausionem a. 649 acceptae Oct. 6 (Plutarch. Lucull. 27. Camill. 19) fasti non commemorant; quamquam non sine causa inde nobis videmus repetiisse originem erroris fastorum Antiatinorum, qui hunc diem nefastum scribunt pro comitiali (vide supra p. 366). Dierum trium quibus mundus patet (Fest. v. mundus p. 154) Aug. 24. Oct. 5. Nov. 8 fasti nostri non solum non enuntiant religionem, sed etiam primo eorum sacrificium publicum adscribunt. Itaque horum dierum religio necessario aut non pertinebat ad sacrificia aut populari tantum superstitione observabatur, cum publico senatus consulto non esset agnita. Idem valet de diebus parentalium Febr. 13—21, de quibus diximus in commentario diurno ad Febr. 13.

2. *DIES SENATVS LEGITIMI SAECVLO QVARTO.*

k. Ian.	(Ian. 1)	*feri.*	
V id. Ian.	(„ 9)	„	*senr.*
X k. Febr.	(„ 23)	„	*senr.*
III non. Febr.	(„ 3)	„	*senr.*
id. Febr.	(„ 13)	„	
V non. Mart.	(Mart. 3)	„	
prid .id. Mart.	(„ 14)	„	
k. Apr.	(Apr. 1)	„	
id. Apr.	(„ 13)	„	*senr.*
k. Mai.	(Mai. 1)	„	
id. Mai.	(„ 15)	„	
III non. Iun.	(Iun. 3)	„	
id. Iun.	(„ 13)	„	
k. Iul.	(Iul. 1)	„	
XVI k. Aug.	(„ 17)	„	
III non. Aug.	(Aug. 3)	„	
XVIII k. Sept.	(„ 15)	„	
k. Sept.	(Sept. 1)	„	
id. Sept.	(„ 13)	„	
V non. Oct.	(Oct. 3)	„	
id. Oct.	(„ 15)	„	
k. Nov.	(Nov. 1)	„	
prid. id. Nov.	(„ 12)	„	
III non. Dec.	(Dec. 3)	„	
id. Dec.	(„ 13)	„	

Suet. Aug. 35: (Augustus) *sanxit, ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur kalendis et idibus.* Dio 55, 3: [δύο] βουλὰς κατὰ μῆνα κυρίας ἀπέδειξεν, ὥστε ἐς αὐτὰς ἐπάναγκες, οὓς γε καὶ ὁ νόμος ἐκάλει, συμφοιτᾶν, ubi iam video (nam antea negaram) recte Casaubonum ante βουλὰς inseruisse β'. — Ab hac lege quarti saeculi fasti ita discedunt, ut et mense Ianuario tertium senatus legitimi diem addant et in duodecim diebus ex viginti quattuor pro kalendis idibusve substituant plerumque diem tertium post kalendas idusve, raro alios (Ian. 9; Mart. 14; Nov. 12). Causa harum mutationum fuerunt quibus tum universa fere res urbana regebatur circenses; nam cum dies senatus legitimi a Philocalo nominati in circenses non incurrant nisi solis kal. Novembribus, contra dies ex lege Augusti legitimo senatui destinati id. Ian., k. Febr., k. et id. Mart., k. Iun., k. Aug., k. Oct., id. Nov., k. Dec. quarto saeculo occupentur circensibus, denique qui solus restat dies k. Iul. equorum probationem habeat, id. Aug. natalis Dianae et ipsae circenses videntur habuisse, etsi in exemplo quod habemus ii exciderunt. Auctorum vero in mense Ianuario senatuum legitimorum causa fuit magistratuum in senatu perficienda designatio, quam hac aetate in eum mensem incidisse infra ostendemus ad Ian. 9.

3. *DIES AEGYPTIACI FASTORVM PHILOCALIANORVM.*

IV non. Ian.	(Ian. 2)	prid. non. Iul.	(Iul. 6)
VIII id. Ian.	(„ 6)	XV k. Aug.	(„ 18)
XVII k. Febr.	(„ 16)	VIII id. Aug.	(Aug. 6)
VII id. Febr.	(Febr. 7)	XII k. Sept.	(„ 21)
V k. Mart.	(„ 25)	IV non. Sept.	(Sept. 2)
V non. Mart.	(Mart. 3)	XIII k. Oct.	(„ 19)
IX k. Apr.	(„ 24)	V non. Oct.	(Oct. 3)
III non. Apr.	(Apr. 3)	XIII k. Oct.	(„ 20)
XI k. Apr.	(„ 21)	IV non. Oct.	(Nov. 2)
V non. Mai.	(Mai. 3)	VIII k. Dec.	(„ 24)
XII k. Iun.	(„ 21)	prid. non. Dec.	(Dec. 4)
VII id. Iun.	(Iun. 7)	XIX k. Ian.	(„ 14)
XII k. Iul.	(„ 20)		

Augustinus in comm. ad Pauli ep. ad Gal. c. 4 (III p. 963 ed. Bened.: *plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt. Iam vero ne aliquid inchoetur aut aedificiorum aut huiusmodi quorumlibet operum diebus, quos Aegyptiacos vocant, saepe etiam nos monere non dubitant.* Ambrosius in epistula paschali ad episcopos Aemiliae (cl. 1 ep. 23 ed. Bened.) scripta a. 383 scribit gentiles *varios cursus lunae obeundis negotiis commendare vel cavere quosdam dies, quemadmodum plerique posteros dies vel Aegyptiacos declinare consueverunt.* Marinus vita Procli c. 19: τὰς παρ' Αἰγυπτίοις ἀποφράδας ἐφύλαττε μᾶλλον ἢ αὐτοὶ ἐκεῖνοι. Ex Graeco scriptore nescio quo Salmasius de anno climacterico p. 816 haec citat: ἐνίας τῶν ἑκάστου μηνὸς ἡμερῶν ὡς ἀπαισίας καὶ ἀποφράδας σημειουμένη ἤγουν ἀνεπιτηδείους πρὸς πᾶσαν ἐπιχείρησιν καὶ βλαβεράς· εἰσὶ δὲ αὗται ἑκάστῳ δηλονότι μηνὶ ἀνὰ δύο ἡμέραι. Sequitur laterculus a Philocaliano diversus Ian. 2. 4. Febr. 2. 26 cet. Adicit idem Salmasius in multis fastis antiquis manu scriptis eosdem dies Aegyptiacos offendisse se errore sic notatos DIES AEGER. Denique vel in decreto Gratiani (causa 26 quaest. 7 cau. 16) secundum Augustinum dierum *qui dicuntur Aegyptiaci* observatio interdicitur. — Superstitio haec ab Aegyptiis nomen traxit non aliam ob causam opinor, quam quod mathematicam doctrinam omnem bonam malam Aegyptiis acceptam referre solebant veteres; hoc certissimum est, ortam eam esse in ipsa urbe neque ante aetatem imperatoriam, cum mirum in modum dies Aegyptiaci dies senatus legitimi ab Augusto demum ordinatos sequantur. Nam non solum in universum dies Aegyptiaci in fastis publicis tot adnotantur, quot ibi sunt senatus legitimi, sed etiam cum senatus legitimi in reliquis mensibus bini sint, Ianuario vero propter magistratuum designationem tres, eam ipsam menstruam distributionem dies Aegyptiaci imitantur. Denique ut senatus legitimi incidere solent cuiusvis mensis priores aut in kalendas aut in dies tertios post kalendas, posteriores aut in idus aut in dies tertios post idus, similiter dies Aegyptiaci cuiusvis mensis priores cadunt inter secundum et septimum, posteriores fere inter decimum octavum et vigesimum quintum mensis dies. Unde minus miramur talem superstitionem fastis publicis irrepsisse. Quamquam non ita invaluit, ut officeret ludis et institutis antiquis; exempli causa dies Parilium etsi hac aetate Aegyptiacus credebatur, tamen propterea non desiit sollemniter hilareque quam maxime celebrari.

VIII. DE FERIIS.

1. *FERIALE ANTIQVISSIMVM.*

Feriae publicae populi Romani statae annuae in fastis antiquissimis perscriptae non fuerunt, quamquam intellegi inde quodammodo potuisse mox videbimus. Contra inter adiectiones aetate liberae rei publicae factas litteris minoribus primarium locum obtinet indicatio feriarum, quae fit adscripto ad diem de quo agitur hoc ipso feriarum vocabulo addito numine, cui fierent, casu tertio, nunquam secundo. A simplici autem sacrificii deo alicui stato die publice offerendi indicatione feriarum adnotatio ita differt, ut illa diei ius et naturam non attingat maneatque si ita fuit ante comitialis, haec vero diem eximat ex numero profestorum. Feriarum adnotationes cum sint ex genere earum, quas authentici quidem publici fasti sine dubio plenas exhibuerunt, eorum autem qui supersunt fastorum quadratarii ex arbitrio modo posuerunt modo omiserunt (p. 363), tamen ex iis quae supersunt feriarum indicationibus certa coniectura pervenitur ad feriarum anni antiqui laterculum plenum contexendum. Feriae enim quae adnotantur omnes aut vetustissimae originis sunt aut recentissimae, id est institutae aut sub regibus aut sub imperatoribus, medio vero tempore liberae rei publicae feriae novae introductae sunt nullae. Secretis igitur nullo negotio feriis Caesarianis et Augustis statim elucebit certa lex fastorum aetatis primitivae haec: feriatos dies esse primum nominis proprii post annum redeuntes omnes, sive habeant ℕ notam sive in N vel F notis consistant, deinde ex diebus nominis certi qui in mense redeunt dies ℕ nota insignes, id quod cadit in idus omnes kalendasque Martias. Quas leges qui norat, etiam ex antiquissimis fastis perspicere potuit, quinam dies feriati essent, eamque ob causam supra dixi vel antiquissimos fastos ea sola complexos, quae in nostris scribuntur litteris maioribus, etsi de feriis non perscriberent, tamen eas indicavisse ipsis dierum nominibus notisque. Kalendas reliquas praeter Martias nonasque omnes feriis si liceret adnumerare, etiam simplicius legem ita conciperemus dies certi nominis feriatos fuisse, non nominatos ferias non habuisse. At cum nonarum tutela deo caruerit (Ovid. fast. 1, 57), kalendis autem omnibus quod sacrum pontificium Iunoni fieret (Ovid. fast. 1, 55. Macrob. 1, 15, 18. Lyd. 3, 7), id etiam sine feriis cogitari possit, denique cum nullus horum dierum in hemerologiis quae supersunt feriarum notam habeat, neque kalendas reliquas nec nonas inter dies feriatos licebit referre. Illam vero quam supra proposui in feriarum vocabulo adhibendo proprietatem sequuntur cum hemerologia omnia tum ex fastis anni antiqui quae excerpsit Varro de lingua lat. 6, 12—24. Alibi feriarum vocabulum latius quidem extenditur (cf. e. c. Macrob. 1, 10, 10), nec tamen in eiusmodi quaestione anctoritatem habet reliquorum scriptorum usus ab ipsorum fastorum consuetudine paulum recedens. Iam laterculum feriarum anni Numani subiciemus secundum numina ordinatum et ita conscriptum, ut feriarum vocabulum, ubi earum indicatio in tabulis perscripta extet, scribatur litteris quadratis, ubi apud Varronem l. c. legatur, litteris rectis, ubi coniectura suppleatur, litteris inclinatis.

ANNAE PERENNAE v. IOVI.			
CARMENTI	*feriae*	Carmentalia	Ian. 11.
	FERIAE	„	Ian. 15.
CERERI	*feriae*	Cerialia	Apr. 19.
CONSO	feriae	Consualia	Aug. 21.
	FERIAE	„	Dec. 15.
DIVAE ANGERONAE	FERIAE	Divalia	Dec. 21.
FONTI	FERIAE	Fontinalia	Oct. 13.
FVRRINAE	FERIAE	Furrinalia	Iul. 25.
IANO	*feriae*	Agonia	Ian. 9.
DIS INFERIS	*feriae*	Feralia	Febr. 21.
IOVI	FERIAE	idus omnes. FERIAE IOVI adnotatum est in hemerologiis quae supersunt id. Mai. Iun. Aug.; praeterea epulum Iovis adnotatur id. Sept. Nov. Plenos fastos illam notationem in idibus omnibus habuisse probabile est; cf. Macrob. sat. 1, 15, 15: *omnes idus Iovis ferias observandas sanxit antiquitas;* Lyd. 3, 7. Obstant quidem in Vaticano hemerologio adnotatae ad id. Mart. *feriae Annae Perennae;* sed cum Lydus ad eundem diem 4, 36 sic habeat: εἰδοῖς Μαρτίαις ἑορτὴ Διὸς διὰ τὴν μεσομηνίαν, puto fuisse in antiquioribus *feriae Iovi. (sacrum) Annae Perennae*, ut fere est in Larentalibus, quadratariumque vel auctorem eius rem confudisse.	
	feriae	Vinalia	Apr. 23.
	feriae	„	Aug. 19.
	FERIAE	Poplifugium	Iul. 5.
	FERIAE	Meditrinalia	Oct. 13.
	FERIAE	Larentalia	Dec. 23.
LEMVRIBVS?	*feriae*	Lemuria	Mai. 9.
	feriae	„	Mai. 11.
	feriae	„	Mai. 13.
LIBERO	*feriae*	Agonia (Liberalia)	Mart. 17.
LVPERCO (FAVNO)	*feriae*	Lupercalia	Febr. 15.
MARTI	*feriae*	Equirria	Febr. 27.
	FERIAE	„	Mart. 14.
	FERIAE	Kalendae Martiae	Mart. 1.
	FERIAE	Quinquatrus	Mart. 19.
	feriae	Tubilustrium	Mart. 23.
	feriae	Armilustrium	Oct. 19.
MATRI MATVTAE	*feriae*	Matralia	Iun. 11.
NEPTVNO	FERIAE	Neptunalia	Iul. 23.
OPI	*feriae*	Opiconsiva	Aug. 25.
	FERIAE	Opalia	Dec. 19.
PALI	feriae	Parilia	Apr. 21.
PORTVNO	FERIAE	Portunalia	Aug. 17.
QVIRINO	feriae	Quirinalia	Febr. 17.
ROBIGO	FERIAE	Robigalia	Apr. 25.
SATVRNO	FERIAE	Saturnalia	Dec. 17.
TELLVRI	*feriae*	Fordicidia	Apr. 15.
TERMINO	*feriae*	Terminalia	Febr. 23.
VEDIOVI	*feriae*	Agonia	Mai. 21.
VESTAE	FERIAE	Vestalia	Iun. 9.
VOLCANO	FERIAE	Tubilustrium	Mai. 23.
	feriae	Volcanalia	Aug. 23.
VOLTVRNO (TIBERI)	feriae	Volturnalia	Aug. 27.
deis hodie ignotis	*feriae*	Regifugium	Febr. 24.
	feriae	Lucaria	Iul. 19.
	feriae	„	Iul. 21.
	feriae	Agonia In .... (Septimontium)	Dec. 11.

Summam huius laterculi vetustatem indicia produnt multa. Primum si quando eodem die plura sacrificia concurrunt, id quod cum feriis coniungitur etsi celebritate saepe numero cedit iis quae ad ferias non pertinent, tamen tempore prius esse invenitur. Ita feriae Marti kalendis Martiis et quinquatribus quae fiunt, coniunctae cum caerimoniis saliorum remotissimae antiquitatis vetustiores omnino sunt Matronalibus, quae kalendis illis fieri coeperunt a. u. c. 379, festoque Minervae, quo posteriore aetate Quinquatrus inclaruerunt. Similiter feriae Iovi id. Mai. et Aug., constitutae ad legem modo relatam de idibus Iovi sacris priscam sane, tempore praecedunt natales Mercurii Dianaeque, quamquam Mercurius dedicatus est id. Mai. a. 259, Diana autem vel a rege Servio dedicata esse dicitur. Idem ostendit summus consensus feriarum cum ipsis dierum nominibus; haec enim ubicunque a deo ducta sunt, feriae eius diei fiunt deo eidem, ut eodem tempore et ferias illas ordinatas et diebus nomina propria imposita esse necessario sequatur. — Deinde si circumspicimus quid de harum feriarum origine viri Romanarum rerum periti tradiderint, res redit fere ad Romulum Numamque neque ullae earum certa et constanti opinione institutae esse feruntur post reges exactos. Nam Carmentalia altera (Ian. 15) quod recentiores rettulerunt alii ad Mam. Aemilium dict. a. 301 vel 328, alii ad Q. Servilium dict. a. 319, merus error est ortus ex pravis tabulae Praenestinae supplementis, cum Verrius originem eorum alicui potius ex septem regibus tribuisse videatur. Regifugium item ipsi peritissimi ex auctoribus antiquis negaverunt ad expulsionem Tarquinii pertinere. Restant Saturnalia et Cerialia, quorum institutio coniungi solet cum dedicationibus aedium Saturni a. 257 et Cereris a. 258, quamquam aedem illam alii sub regibus factam esse aiunt nec de huius dedicatione satis certa memoria est; Lucaria, quae Festi epitomator celebrari scribit propterea quod Romani victi a Gallis latuerint in lucis; Poplifugia denique, quae de populi fuga post Romuli mortem repetunt alii, alii de populi fuga post Gallicam obsidionem facta. Quae cum sint nullius auctoritatis et infimae fere notae commenta, contra quaecunque sacra post Numam adiecta esse aut rerum memoria constat aut certe fama vetusta, non comparent in laterculo illo. Abest ab eo tigilli sororii celebratio (Oct. 1) cum Tulli rebus gestis coniuncta; absunt certa vestigia Iovis Iunonis Minervae in Capitolio a rege Tarquinio Prisco consecratorum; absunt denique aedium a Ser. Tullio dedicatarum Dianae Aventinensis (Aug. 13) et Fortis Fortunae (Iun. 24) propriae feriae. Nulla ibi mentio fit Mercurii dedicati a. 259 (Mai 13), Castorum dedicatorum a. 270 (Ian. 27?), Dei Fidii dedicati a. 288 (Iun. 5), Herculis; denique Iuno Lucina, Minerva, Venus remotae omnes etsi non summae vetustatis locum non invenerunt in laterculo illo nisi depulsis de suis diebus antiquioribus numinibus feriisque translatis ad Iunonem Martis (Mart. 1), ad Minervam item Martis (Mart. 19), ad Venerem Iovis (Apr. 23. Aug. 19). Omnino numina in laterculo recensita primum Latinae sunt originis omnia neque ullum ibi invenitur Graecum barbarumve, ne Apollo quidem Castoresve; deinde ita comparata sunt, ut primaevam simplicitatem eiusque aetatis res curasque quasi conclusas in illo laterculo teneamus. Ita deorum ibi nominatorum qui quidem ad vitae communis negotia referuntur, pertinent praecipue ad rem rusticam, scilicet Ceres Consus Ops Robigus Saturnus Tellus Terminus, praeterea ad pastoriciam Lupercus et Pales et fortasse Fons, denique ad navalem, nempe Neptunus et Volturnus. — Praeterea si mensium nomina sane antiquissima contuleris cum feriali, intelleges quattuor primorum respondere eorundem mensium primis quibusque feriis, Ianuarii Agonalibus feriis Iani (Ian. 9), Februarii Lupercalibus sive diei Februato (Febr. 15), Martii feriis Martis a kalendis Martiis per totum mensem continuatis, Aprilis Fordicidiis feriis Telluris (Apr. 15); ut appareat eodem tempore et ferias illas constitutas esse et mensibus nomina imposita. — Similiter ex quindecim flaminibus, qui Romae fuerunt, quos novimus duodecim si conferimus cum feriarum anni Numani laterculo, primum tres maiores Dialis Martialis Quirinalis non solum habent ibi omnes suas ferias, sed etiam Iupiter et Mars inter deos non magis eminent quam inter sacerdotes flamines Dialis Martialisque. Deinde ex novem minoribus ferias suas item habent ibi sex Carmentalis Furrinalis Palatualis (ad Septimontium Dec. 11 pertinens) Portunalis Volcanalis Volturnalis, nec restant nisi tres Floralis Falacer omniumque postremus Pomonalis, qui aut ad ferias illas antiquas non pertinuerunt aut certe quomodo ad eas pertinuerint, hodie non apparet. — Vere igitur contendimus laterculum supra propositum eum ipsum esse, quem Numae regi tribuerunt Romanae antiquitatis enarratores, id est quo comprehendantur feriae eae, quarum originis memoria non extet.

2. *FERIAE SVB IMPERATORIBVS ADIECTAE.*

Aetate liberae rei publicae modo vidimus ferias novas institutas esse nullas vel certe nullas relatas esse in fastos; nam ludorum Romanorum diem et Apollinarium et Megalensium aliosque feriarum loco observatos esse non nego, hoc dico in fastis eos neque ferias vocatas esse neque notam feriis propriam adsumpsisse. At sub imperatoribus feriae novae in fastos relatae sunt complures, quarum similiter elenchum subiecimus, quatenus indidem innotuerunt; plerarumque enim maxime post Augusti excessum institutarum memoria sine dubio prorsus interiit nec recepimus ferias huius generis apud scriptores tantum memoratas.

Ian.	29	F	Feriae . . . . . (causa ignota, sed quae pertinuerit ad posteriores annos imp. Augusti).
	30	NP	Feriae ob aram Pacis dedicatam a. 745.
Febr.	5	NP	Feriae ob Augustum patrem patriae appellatum a. 752.
Mart.	6	NP	Feriae ob Augustum pontificem maximum factum a. 742.
	10	...	Feriae ob Ti. Caesarem pontificem maximum factum p. C. 15.
Mart.	27	NP	Caesar Alexandream recepit a. 707.
Apr.	6	NP	Feriae ob victoriam ad Thapsum a. 708.
	28	NP	Feriae ob aediculam Vestae dedicatam a. 742.
Mai.	12	NP	Ludi Marti instituti a. 734.
	26	...	[*Feriae*] ob C. (?) Caesarem appellatum invictum.
	28	...	[*Feriae*] . . . .
Iun.	26	NP	Feriae ob adoptionem Ti. Caesaris p. C. 4.
Iul.	4	NP	Feriae ob aram Pacis constitutam a. 741.
	12	NP	Feriae ob natalem Caesaris institutae post a. 712.
Aug.	1	NP	Feriae ob necem Antonii a. 724.
	2	NP	Feriae ob victorias Caesaris a. 705. 707.
	?5	NP	. . . .
	6	NP	. . . .
	9	NP	Feriae ob victoriam Pharsalicam a. 707.
	10	NP	Feriae ob aras Cereri et Opi constitutas p. C. 7.
	28	NP	Feriae ob aram Victoriae dedicatam a. 735.
	31	NP	Natalis Caligulae in fastos relatus inter a. p. C. 31 et 41.
Sept.	1	F	Feriae Iovi tonanti dedicato a. 732.

Sept.	2	NP	Feriae ob victoriam Actiacam a. 723.
	3	NP	Feriae ob victoriam in Sicilia a. 718.
	[13	NP	*Feriae ob coniurationem Libonis patefactam p. C.* 16].
	17	NP	Feriae ob honores caelestes Augusto decretos p. C. 14.
	23	F, postea NP	Feriae ob natalem Augusti institutae a. 723/4.
	24	N (?) / C (??)	Feriae ob . . . .
Oct.	12	NP	Feriae ob reditum Augusti a. 735.

Feriae Sept. 13 novae sunt veteribus iduum cumulatae, sane contra antiquam consuetudinem, quae non permisit, ut feriae ita vel geminarentur vel transferrentur. De reliquis plerisque certa res est cum propter feriarum vocabulum diserte adscriptum, tum per adiectam feriarum notam NP; nec magis dubitabimus de diebus Mart. 27. Mai. 12. Aug. 31, ubi et nota eadem adest et causa feriarum patet, quamquam vocabulum ipsum casu deficit. Idem dicemus de diebus, quorum post ferias constitutas quae nota fuerit ignoratur (Mart. 10. Mai. 26. 28). In die uno (Sept. 24.), cui cum feriae attribuantur, tamen C vel N nota adscribitur, non absurde in hac suspicabimur aut descriptorem erravisse aut ipsum quadratarium. Tres dies feriatos fastosque (Ian. 29. Sept. 1. 23) supra (p. 366) defendi similibus anni antiqui; quamquam feriae natalis Augusti Sept. 23 non ab initio, sed post aliquod intervallum etiam notam diei mutaverunt, feriae autem Sept. 1 non memoratae nisi in tabula Antiatina non magnae auctoritatis fortasse accipiendae sunt secundum vulgarem magis quam legitimum eius vocabuli usum. — Ad hanc consuetudinem feriarum novarum adulationis causa instituendarum itaque et dierum ex rerum actu eximendorum et sumptuum publicorum augendorum pertinent, quae ad a. 70 p. C. refert Tacitus (hist. 4, 40) senatum sorte duxisse qui *fastos adulatione temporum foedatos exonerarent modumque publicis impensis facerent.* Idem ann. 13, 41 refert, senatus ne decerneret, *ut inter festos referretur dies, quo* Neronis *victoria patrata, quo nuntiata, quo relatum de ea esset,* C. Cassium censuisse, *oportere* enim *dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent et humana non impedirent.* Posteriore aetate una cum diei notis feriarum quoque nomen ex fastis publicis sublatum est nec reperitur in fastis Philocalianis, adulatione illa non sublata, sed ita aucta, ut propter publicas laetitias pro feriis instituerentur ludi.

IX. DE LVDIS.

1. *LVDI ANTIQVI.*

Ludi antiqui, id est instituti aetate liberae rei publicae, fuerunt septem: Romani dierum quindecim, quibus post Caesaris mortem sextus decimus accessit (Sept. 4—19), plebei quattuordecim (Nov. 4—17), Ceriales octo (Apr. 12—19), Apollinares item octo (Iul. 6—13), Megalenses septem (Apr. 4—10), Florales sex (Apr. 28 — Mai. 3), victoriae Sullanae septem dierum (Oct. 26 — Nov. 1). Efficiuntur ita dies sexaginta quinque, quorum quinque ex Romanis, tres ex plebeis ludis, reliquorum ludorum singuli, in universum tredecim dies destinati fuerunt circensibus, duo equorum probationibus, duo epulis sacris, reliqui quadraginta et octo scaenicis ludis. Quamquam sicut ludis Romanis dies adiectus est imperante Augusto, ita fieri potest, ut etiam alii ludi Augusti demum aetate ad eum dierum numerum pervenerint, quem fasti superstites ostendunt. Ludos illos quo vetustiores eo honoratiores fuisse pluribus nominibus intellegitur. Primum quod ait Dio Cassius (51, 1) ludos cum epulo coniunctos sacros appellari (cf. Cic. de orat. 3, 19, 73 *ludorum epulare sacrificium*) ex statis ludis convenit in solos duos antiquissimos Romanos et plebeios, quos propter hanc ipsam causam solos antiquiore tempore cecidisse arbitror in iduum dies huiusmodi epulis attributos; nam Ceriales ludos patet non ante extremam rei publicae aetatem idus apprehendisse. — Item equorum probationi proprius dies non tribuitur nisi in duobus his. — Mercatus, quos auctores non commemorant (nam Tertull. apolog. 42 non recte Merkelius p. XIX attulit), antiquissimi sane instituti-que ad exemplum Olympiorum *ludorum mercatusque* (Vellei. 1, 8), non attributi sunt nisi antiquissimis tribus Romanis plebeis Cerialibus. — Numerum dierum iam vidimus deminui fere ad aetatem; similiterque ex Antiatinis fastis apparet aerarium numerasse in Romanorum ludorum impensas HS milia DCCLX (ante bellum Punicum secundum milia tantum CC: Dion. 7, 71; Pseudo-Ascon. p. 142 Orell.), in plebeiorum milia DC, in Apollinarium milia CCCLXXX (primo tempore assium milia XII, Liv. 25, 12), ut omittamus Augustalium sub Tiberio constitutorum impensas sane exiguas HS milium X (cf. de impensis ludorum Marquardt et Friedlaender in enchir. 3, 2, 68. 4, 484). — Denique ne hoc quidem praetereundum est ludis ab imperatoribus institutis ipsisque Victoriarum Sullanae et Caesarianae rursus abolitis fere omnibus superfuisse ludos sex antiquissimos eosque ad extremam usque aetatem non solum permansisse, sed etiam plerosque eorum maximo in honore fuisse. Ita Tertullianus (de spect. 6) de suae aetatis ludis agens praeter Latiares conceptivos recenset primo loco Megalenses Apollinares Ceriales Florales ex antiquis, ex recentioribus solos Neptunales; his deinde subiungit ludos de natalibus et sollemnibus regum et publicis prosperitatibus ortos. Deinque fasti publici saeculi quarti sex illos ludos ponunt omnes, Romanos quidem et plebeios admodum imminutos, item Florales duobus diebus breviores, contra Megalenses Apollinares Ceriales eodem dierum numero quo extrema aetate liberae rei publicae celebrabantur.

2. *LVDI AETATE IMPERATORIA.*

Gravis et pulchra rerum stabilitas quae fuerat in libera Romanorum re publica postquam cessit unius domini mutabili fere arbitrio, ludi quoque ita variabant novis spectaculis identidem introductis receptisve rursus abolitis, ut quamvis fasti solos fere ludos curiose adnotent, tamen ex solis integris fastorum exemplis, quot eo quo illud scriptum sit tempore ludi dies occuparint satis constet. Integros autem vel fere integros fastos non habemus nisi Maffeianos scriptos circa aerae nostrae principium et Philocalianos a. p. Chr. 354; Silviani enim etsi dies omnes enumerant, tamen adnotationes tanta cum inconstantia apponunt vel omittunt maxime in sex mensibus posterioribus, ut hos quoque inter mutilos numerare oporteat. — Ludorum autem dies qui fuerant extrema liberae rei publicae aetate, postea florente Augusti imperio reperimus iam quidem auctos, sed modeste; scilicet secundum Maffeianos fastos ad a. u. c. 750 non accesserunt nisi ludorum Romanorum dies decimus sextus et ludi Veneris genetricis dierum undecim (Iul. 20—30), quorum quattuor circensibus occupabantur, et circenses Martiales diei unius (Mai. 12). Secuti sunt sub ipso Augusto Martiales alteri (Aug. 1) item circenses diei unius; sub Tiberio ludi Augustales octo primum, deinde decem dierum; sub Hadriano ludi Parthici in memoriam

victoriae Traiani Parthicae (Dio 69, 2), quibus edendis addictus videtur fuisse *praetor Parthicarius* (Grut. 350, 7; cf. Orell. 3136), item circenses Parilibus ob dedicatam aedem Romae, alii innumeri. Aboleverunt rursus partem eorum imperatores severiores, maxime Nerva (Dio 68, 2), Severus (vita Pertin. 15), Macrinus (Dio 78, 15), ut tamen numerus sine dubio semper cresceret. M. Aurelius cum rem iudiciariam ordinans *ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret* (vitae c. 10), reliquos dies CXXXV videtur permisisse ludis; quamquam in utramque partem dubitari potest, ludosne habuerint dies non iudiciarii omnes, non habuerint omnes dies iudiciarii. Quo denique pervenerit extrema aetate insana plebis urbanae spectaculorum cupidae adulatio imperatoria, clara et saeva luce illustrant fasti urbani a Philocalo a. p. Chr. 354 perscripti. Ludis statis*) occupantur ex anni diebus CCCLXV non minus CLXXV, quorum gladiatorii sunt dierum X, circenses dierum LXIV, scaenici dierum CI. Circenses vel etiam scaenici dierum singulorum ubi incidunt in continuos scaenicorum dierum ordines, ut exempli causa incidunt in Palatinos Ian. 17—22 circenses ob natalem Gordiani Ian. 20, in Megalenses Apr. 4—10 circenses ob natalem Castorum Apr. 8, in Francicos Iul. 15—19 circenses ob adventum Constantini Iul. 18 et ludi scaenici votivi Iul. 19, illorum potior causa est eximunturque dies hi ex ordine ludorum per plures dies continuatorum; contra ubi duae circensium causae casu concurrunt in diem eundem, id quod fit Sept. 18 die natali Traiani et pugnae cum Licinio et Nov. 8 die natali et Nervae et Constantii II, numerus missuum duplicatur. Ludi singulorum dierum modo scaenici sunt, modo circenses; plures dies qui habent, hac quoque aetate plerumque componuntur ex utroque spectaculorum genere, ut tamen circensium per complures dies continuatio, quae extrema liberae rei publicae primaque imperatoria aetate obtinuit in ludis Romanis et plebeiis et Veneris genetricis, hac aetate fere evitetur, credo propter studia factionum, ne continuatis per plures dies ludis in circo turbae item continuarentur; eadem ex causa imperator Alexander in animo habuit munera gladiatorum Decembri mense conclusa per totum annum dispergere (vita Alex. 43). Hac aetate rem ita invenimus ordinatam, ut feriarum ex circensibus scaenicisque coniunctarum duae solae binos circensium dies habeant, Cereales primum et postremum, plebei secundum Iovis epulo insignem et postremum, reliquae non habeant nisi circensium dies singulos et in Genialibus quidem et triumphalibus primos, in reliquis omnibus postremos. Accidit tamen ter, ut circenses continuarentur propter duas ferias circensibus honoratas continuo sese excipientes (Ian. 31. Febr. 1; Iul. 20. 21; Aug. 4. 5). — Non alienum erit indicem ludorum huius aetatis subicere, ut quo nomine ludi illi editi sint uno conspectu complectare. Fiunt autem ludi alii deorum causa, alii propter publicas laetitias; in quibus recensendis feriae cum circensibus coniunctae rectis, circensibus carentes cursivis litteris significabuntur.

I. Ludi deorum causa.

Apollini	dierum	8	(Iul. 6—13)
divo Augusto, Augustales .	„	1	(Oct. 12)
Palatini . .	„	5	(Ian. 17.18.19.21.22)
Carnae, fabarii	„	4	(Mai. 29—Iun. 1)
Castori et Polluci, ob natalem	„	1	(Apr. 8)
Ostienses . .	„	1	(Iun. 26)
Cereri	dierum	8	(Apr. 12—19)
Fatis	„	2	(Sept. 29. 30)
Florae	„	4	(Apr. 30—Mai. 3)
Genio	„	2	(Febr. 11. 12)
Herculi, plebei*)	„	4	(Nov. 12. 14. 15. 16)
natalis	„	1	(Febr. 1)
Iano	„	1	(Ian. 7)
Iovi, Romani	„	4	(Sept. 12—15)
epulum	„	1	(Nov. 13)
cultori (?)	„	1	(Mart. 13)
liberatori	„	6	(Oct. 13—18)
statori	„	1	(Ian. 13)
Laribus, compitales . . .	„	3	(Ian. 3—5)
Libero	„	1	(Mart. 17)
Lorio (?)	„	1	(Febr. 25)
Marti, ob natalem . . .	„	1	(Mart. 1)
Martiales	„	1	(Mai. 12)
Matri magnae, Megalenses	„	6	(Apr. 4. 5. 6. 7. 9. 10)
Neptuno	„	2	(Iul. 22. 23)
Osiri (ex se nato) . . .	„	1	(Nov. 1)
Quirino	„	1	(Apr. 3)
Saluti	„	1	(Aug. 5)
Soli, ludi	„	4	(Oct. 19—22)
ob natalem Invicti .	„	1	(Dec. 25)
Soli et Lunae	„	1	(Aug. 28)
Veneri	„	1	(Apr. 1)
Volcano	„	1	(Aug. 23)
Urbi	„	1	(Apr. 21)
votivi VII *singuli*	„	1	(Febr. 28. Iul. 19. 26. Aug. 8. Oct. 30. 31. Nov. 9)
ludi in Minicia	„	1	(Iun. 4)

II. Ludi ob publicas laetitias.

Adiabenici	dierum	5	(Ian. 27—31)
Alamannici	„	6	(Oct. 5—10)
Francici	„	4	(Iul. 15. 16. 17. 20)
fugato Licinio	„	1	(Iul. 3)
Gottici	„	6	(Febr. 4—9)
Lancionici	„	6	(Dec. 12—14. 16—18)
Maximati	„	6	(Mai. 4—9)
Persici	„	5	(Mai. 13—17)
Sarmatici	„	7	(Nov. 25—Dec. 1)
triumphales	„	4	(Sept. 18. 20. 21. 22)
victorias Marcomannas . .	„	1	(Iul. 30)
victorias Sarmaticas . . .	„	1	(Iul. 27)
victoria senati	„	1	(Aug. 4)
adventus divi *III* *singuli*	„	1	(Iul. 18. 21. Oct. 29)
profectio divi	„	1	(Sept. 27)
natales veri imperatorum XVIII *singuli*	„	1	
natales imperii imperatorum II *singuli*	„	1	

Ad circenses fasti adscribunt etiam numerum missuum singulis diebus celebrandorum. Et plerumque singulis diebus vicies quater certatum esse cum aliunde constat (Cassiodor. var. 3, 51: *viginti quattuor missibus condicio huius certaminis expeditur*; Serv. ad georg. 3, 18; Friedlaender in enchir. 4, 506) tum abunde confirmatur fastis Philocalianis. Minorem numerum secundum hos

*) Connumeravi ludos Ian. 26—31. Apr. 7. Mai. 1, qui apud Philocalum videntur excidisse; non connumeravi circenses ludosve Silvii Philocalo ignotos Ian. 2. 15. Aug. 18. Sept. 3, nec magis Apollinarium diem nonum natalemve Dianae (Aug. 13; cf. supra p. 374).

*) *Geschichte des röm. Münzwesens* p. 620.

non habent nisi circenses editi diis ignobilibus Carnae et Lorio, maiorem praeter dies duos circensium duplicatorum Sept. 18. Nov. 9, quibus missus fiebant quadrageni octoni, tres dies*) soli Nov. 13 Iovis epulum, Dec. 25 natalis Invicti (quem Iulianus imperator scribit quotannis honorari ludis splendidissimis), Oct. 22 ludorum Soli dies extremus, quorum duo priores tricenis missibus celebrantur, tertius triginta sex. Unde apparet hac aetate inter numina publice culta longe primarium locum obtinuisse Iovem et Solem saepe praeterea pro eodem numine tum acceptos. Qui cum his comparabit nummos saeculi tertii, eosdem fere in iis deos inveniet nominari similiterque reliquis frequentius et impensius Solem praedicari; Aurelianus maxime cultum *Solis domini imperi Romani* (Eckhel 7, 483) ad posteros propagavit. Peculiarem Constantinianae aetatis religionem, quae tam ab ethnicis quam a Christianis deorum colendorum proprietatibus abstinet, sed numen divinum generaliter quodammodo colit, feriae quidem prae se ferunt supra relatae ob publicas laetitias, quas aut omnes aut certe longe plurimas Constantiniana aetate constitutas esse demonstrabitur in commentariis diurnis; neque enim sine ratione de numine tacent causa sola indicata. Praeterea vero etiam saeculo medio quarto ludi plane referunt pristinam rerum divinarum populi Romani ordinationem in nummis huius aetatis iam evanescentem; neque aliter fieri potuit, maxime in fastis in ipsa urbe Roma conscriptis. Post saeculum vero apud Polemium etsi ludi circensesque remanent, tamen ethnicae religionis non inveniuntur nisi vestigia quaedam incuriose relicta, *ludi Castorum Ostiae* et *Floralia*, ut similiter ex natalibus deorum unicus Musarum, ex diebus certi nominis ii soli relicti sunt, qui non prae se ferrent cultum idolorum.

3. *NATALIVM IMPERATORVM APVD PHILOCALVM SILVIVMVE OBVIORVM LATERCVLVS.*

Iulii Caesaris VIII (*imo IV*) id. Iul. (*Iul.* 12) *silv.*

divi Augusti IX k. Oct. (*Sept.* 23) *phil.*

divi Vespasiani XV k. Dec. (*Nov.* 17) *phil. silv.*
Suet. Vesp. 2.

divi Titi III k. Ian. (*Dec.* 30) *phil. silv.*
Suet. Tit. 2.

divi Nervae VI id. Nov. (*Nov.* 8) *phil. silv.*
Alibi non memoratur. Cf. Tillemont 2, 134.

divi Traiani XIV k. Oct. (*Sept.* 18) *phil.*
Confirmat diem Plinius ep. ad Traian. 17 (28) et paneg. c. 92. Cf. Tillemont 2, 491.

divi Hadriani IX k. Febr. (*Ian.* 24) *phil. silv.*
Vita Hadr. c. 1.

Luci Aeli Caesaris id. Ian. (*Ian.* 13) *phil.* (*in natalibus solis*).
Praeterea non memoratur.

Pii Antonini XIII k. Oct. (*Sept.* 19) *phil.*
Vita Ant. c. 1. Orell. 2417.

Faustinae uxoris Antonini XIV k. Mart. (*Febr.* 16) *silv.*
Praeterea non memoratur, quod sciam, nec constat, utrum natalis sit Faustinae senioris an iunioris.

M. Antonini (Antonini *silv. omisso praenomine*) VI k. Mai. (*Apr.* 26) *phil. silv.*
Vita c. 1.

divi Veri XVIII k. Ian. (*Dec.* 15) *phil. silv.*
Vita c. 1.

divi Pertinacis k. Aug. (*Aug.* 1) *phil. silv.*
Vita c. 15.

divi Severi III id. Apr. (*Apr.* 11) *phil. silv.*
Dio 76, 17 cf. 78, 11. 17. Vita c. 1 (ubi male libri *VI id. Apr.*). Tillemont 3, 448.

divi Alexandri k. Oct. (*Oct.* 1) *phil.*
Praeterea non memoratur, quamquam in vita c. 63 sic de eo narratur: *dati sunt et sodales qui Alexandrini appellati sunt; addita et festivitas matris nomine atque ipsius, quae hodieque Romae religiosissime celebratur natali eius die.* Cf. Tillemont 3, 157.

divi Gordiani XIII k. Febr. (*Ian.* 20) *phil. silv.*
Praeterea non memoratur. Cf. Tillemont 3, 249.

divi Claudi VI id. Mai. (*Mai.* 10) *phil. silv.*
Praeterea non memoratur.

divi Aureliani V id. Sept. (*Sept.* 9) *phil.*
Praeterea non memoratur.

*) Nam in natalis Martis missibus XXVIII librarius videtur erravisse.

divi Probi XIII k. Sept. (*Aug.* 19) *phil.*
Praeterea non memoratur.

divi Constanti prid. k. Apr. (*Mart.* 31) *phil. silv.*
Praeterea non memoratur variatque adeo in hoc die lectio, nam *Constanti* est in natalium indice, *Constantini* in fastis utrisque, tralaticio opinor errore. Indicis enim in tali re et fides maior est (nam facilius ibi scriba cavere debuit a vulgari errore Constantii nominis mutandi in Constantinum, quoniam hoc paulo ante praecesserat) et si eum sequimur, omnia plana sunt. Contra quid faciamus de Constantini duobus natalibus iisque veris (nam relatus est uterque in indicem natalium) nemo facile dicturus sit. Quare diem hunc indicabimus natalem esse Constantii patris Constantini Magni. Cf. Tillemont 4, 77. 100. 619.

divi Constantini III k. Mart. (*Febr.* 27) *phil.* (*et in fastis et in ind. nat.*) *silv.*
Intellegitur omnino natalis verus Constantini Magni, quippe qui nullo modo ab indice natalium abesse possit; contra Constantinus II eodem iure omittitur quo frater Constans. Natalis Constantini Magni hinc tantum notus est. Cf. Tillemont 4, 82.

divi Constantini VIII k. Aug. (*Iul.* 25) *phil.* (*in fastis solis*) *silv.*
Diem intellege, quo patre mortuo Caesar factus est Constantinus Magnus. Idatius ad a. 306: *Levatus est Constantinus VIII k. Aug.*; item ad a. 335: *Tricennalia edidit Constantinus Aug. die VIII k. Aug.* Unde recte a tabula natalium verorum hic dies abest.

d(omini) n(ostri) Constantii VII id. Aug. (*Aug.* 7) *phil.* (*et in fastis et in ind. nat.*) Constantini (*imo* Constanti) minoris *silv.*
Natalem intellege verum Constantii II. Hinc apparet in lege Constantii a. 356 (Cod. Theod. 6, 4, 10) quae incipit: *die natali meo Constanti Aug. id. August. ac deinceps designationibus curiam operam dare sancimus* glossema *Constanti Aug.* expulisse numerum *VII.* Cf. Gothofred. ad h. l. et Tillemont 4, 638.

Constantii VI id. Nov. (*Nov.* 8). *phil.* (*in fastis solis*).
Idatius ad a. 324: *Levatus est Constantius Caesar VI id. Nov.* Chr. Alex. ad a. 325: Κωνσταντῖνος — Κώνσταντα (imo Constantium) — ἀνηγόρευσεν Αὔγουστον (imo Caesarem) πρὸ ϛ' ἰδῶν Νοεμβρίων. Amm. 14, 5, 1 ad a. 353: *die VI id. Oct.* (imo *Nov.*), *qui imperii eius* (Constantii) *annum tricesimum terminabat.* Cf. Tillemont 4, 645. Unde praetermittitur dies in indice natalium.

Iuliani VIII id. Nov. (*Nov.* 6) *silv.*
Caesarem factum esse Iulianum hoc die referunt Ammianus 15, 8, 17 et Idatius ad a. 355, quo recte revocat etiam Silvii testimonium Tillemontius 4, 410.

Honorii XVIII k. Febr. (*Ian.* 15) *silv.*

Honorium cum natum esse constet a. 384 die Sept. 9, sequitur ut dies Ian. 15 natalis sit imperii; quem qui praeterea unus memorat Socrates hist. eccl. 5, 25, ad Ian. 10 a. 393 refert. Qui eclipsin eodem die factam esse scribunt, in errorem inducti esse videntur caligine ea, quam describit Claudianus de quarto consul. Honor. v. 172 sq., nec propterea testimonia illa sollicitanda sunt. Tillemontius 5, 764 sq. contendit Honorium a. 393 Ian. 10 Caesarem factum esse, Augustum vero per hiemem sequentem.

d(omini) n(ostri) Theodosii Augusti III id. Ian. (*Ian.* 11) silv.

Est natalis imperii Theodosii II regnantis cum Valentiniano III cum scripsit Silvius. Tillemont 5, 470.

natalis genuinus domini Valentiniani VI non. Iul. (*Iul.* 2) silv.

Prosper ad a. 418: *Valentinianus Constantii et Placidiae filius nascitur VI non. Iul.* Alia testimonia, quae nominant diem V non. Iul., recenset Tillemont 5, 822.

natalis Valentiniani purpurae X k. Nov. (*Oct.* 23) silv.

Chr. Alex. ad a. 425: *ἐπήρθη Οὐαλεντινιανὸς νέος Αὔγουστος — πρὸ ι' καλανδῶν Νοεμβρίων.* Cf. Socrates 7, 25; Tillemont 6, 621. Cum tamen natalis imperii in Constantino Magno et Constantio II et Iuliano, item fortasse in Honorio dies is sit, quo Caesares facti sunt, haud scio an praestet hunc diem in Valentiniano III quoque intellegere. Caesar hic factus est testibus legum inscriptionibus a. 424 inter VI id. Oct. (Cod. Theod. 11, 1, 33) et XVII k. Nov. (Cod. Theod. 10, 20, 14; cf. Tillemont 6, 182); ut in lege hac describenda librarius XVII posuerit pro VII facili sane errore, licebit statuere Caesarem eum appellatum esse eodem die, quo post annum Augustus processit.

4. *CIRCENSES IMPERATORVM GENITALICII.*

Imperatoris natalem circensibus celebrandi mos coepit ab ipso Augusto, in cuius honorem a. u. c. 746 senatus decrevit, ut in omne tempus ludi in circo natali eius die ederentur (Dio 55, 16). Quod cum Tiberius ita secutus esset cum aliquo temperamento, ut natalem suum incurrentem in plebeios circenses unius tantummodo bigae adiectione honorari pateretur (Suet. Tib. 26 coll. Dione 58, 12), gliscente adulatione postea imperatoris regnantis natalem huiusmodi spectaculis concelebratum esse plerumque vix dubium est. Antoninus Pius adeo imperator modestissimus teste biographo (c. 5) *circenses natali suo dicatos non respuit*, licet ex his ipsis verbis arguas ad eam usque aetatem non omnes imperatores eiusmodi honorem admisisse. In fastis denique exaratis in urbe regnante Constantio II huius die natali (Aug. 7) non desunt circenses. — Aliter paullo statuendum est de natalibus imperatoris mortui, quae Graecis dici *τὰ γενέσια* et distingui a *γενεθλίοις* sive feriis natali imperatoris vivi celebratis recte observavit Valesius ad Dionem 77, 12. Nam etsi Augusti tam genethlia quam genesia ex eodem senatus consulto supra citato descendere videntur (cf. Dio 57, 14. 59, 24), postea tamen ut ludi illi post mortem continuarentur decreto peculiari opus fuit solebatque is honor cum consecratione coniungi. Certissimum eius consuetudinis testimonium hoc est, quod Antoninus Pius, quem natali suo dicatos circenses accepisse modo vidimus, tamen post mortem *meruit et flaminem et circenses et templum et sodales Antoninianos* (vitae c. 13); similiter biographus Pertinacis c. 15 inter honores mortuo ei oblatos haec ponit: *circenses et imperii natalis additi, qui a Severo postea sublati sunt, et genitalici* (*genitiali* cod.), *qui manent.* Licet vero genesii circenses soliti sint dicari imperatoribus consecratis, tamen is honor modo invenitur sine consecratione decretus, ut ab imperatore Claudio patri Germanico (Suet. Claud. 11), modo consecrato si non statim denegatus, certe postea sublatus, ut Titi fratris genesia sustulit Domitianus (Dio 67, 2), etsi id non tenuit, item Getae fratris Caracalla (Dio 77, 12). Omnino propter breve aevum numinum istorum ex caelo suo, quo saepe ridentibus cunctis adscenderant, non raro paucos post annos rursus ignominiose exturbatorum propterque continuam imperatorum diligentiorum curam, ne huiusmodi piae memoriae sumptus et otia continuo aucta rem publicam et privatam nimis onerarent, quot divos imperatores simul Romani coluerint, ibi tantum novimus, ubi diserta de ea re extant testimonia ad certum tempus relata. Imperante Commodo divos numero sedecim publice cultos esse constat ex actis Arvalium (tab. XXXII), quos Marinius (p. 385) probabili, etsi non omnino certa argumentatione effecit esse imperatores imperatorumve uxores hos: Augustum, Iuliam Augusti, Claudium, Poppaeam (?), Vespasianum, Titum, Nervam, Traianum, Plotinam, Hadrianum, Sabinam, Pium, Faustinam seniorem, M. Antoninum, Faustinam iuniorem, L. Verum. Imperante Elagabalo divi creverant ad viginti numerum, testibus item tabulis Arvalium XLI. XLIII, adiunctis scilicet Commodo Pertinace Severo Caracalla; suntque hi fere, quos in mente habuit Tertullianus (de spect. 6), ubi *ludorum de natalibus et sollemnibus* (scilicet suscepti imperii) *regum* mentionem inicit. Anno denique p. Chr. 354 testibus fastis Philocali celebrabantur in urbe natales memoriae imperatorum octodecim Augusti (Sept. 23), Vespasiani (Nov. 17), Titi (Dec. 30), Nervae (Nov. 8), Traiani (Sept. 18), Hadriani (Ian. 24), Pii Antonini (Sept. 19), M. Antonini (Apr. 26), Veri (Dec. 15), Pertinacis (Aug. 1), Severi (Apr. 11), Alexandri (Oct. 1), Gordiani (Ian. 20), Claudii Gothici (Mai. 10), Aureliani (Sept. 9), Probi (Aug. 19), Constantii I (Mart. 31), Constantini Magni (Febr. 27), denique Constantii II tum regnantis (Aug. 7). Eosdem natales iidem fasti enumerant in tabula separata (p. 356) sub inscriptione 'natales Caesarum', nisi quod in hac praeterea accedit genitaliciis ludis nullis ea certe aetate honoratus L. Aelius Caesar homo nullo nomine insignis et ex iusta oblivione mirum in modum tabula illa excitatus. Silvius ex natalium illorum circensibus mera neglegentia non adnotavit nisi Hadriani, M. Antonini, Severi, Gordiani, Constantii I. Unde denuo confirmatur hunc circensium honorem cum consecratione quodammodo coniunctum fuisse; nam et reliquos omnes supra recensitos imperatores divos factos esse constat certissimis publicae consecrationis testibus nummis; et duos reliquos Aurelianum et Probum, quorum eius generis nummi deficiunt, item divos appellant ipsi fasti Philocaliani, adsentientibus de Aureliano biographo eius (c. 41) et inscriptione Saguntina Grut. 105, 13 *deo Aureliano* posita, de Probo Eumenio (paneg. Const. 18). Tantum autem abest, ut consecrati omnes genesia sua ad hanc usque aetatem retinuerint, ut non solum expulsas videamus mulieres omnes, sed etiam deos nimia vel stultitia vel pravitate insignes Claudium Commodum Caracallam alios. — Continet igitur laterculus ille natalium tanquam aliquod posteritatis de imperatoribus qui fuerunt iudicium supremum. Similiter non solum Severus Alexander in lararium privatum non admisit nisi ex divis principibus *optimos electos et animas sanctiores* (vitae c. 29), sed publice etiam imperator Tacitus *divorum templum fieri iussit, in quo essent statuae principum bonorum, ita ut iisdem natalibus suis et Parilibus et kal. Ianuariis et votis* (Ian. 3) *libamina ponerentur* (vitae c. 9).

5. *CIRCENSES NATALIBVS IMPERII.*

Natales imperii licet et ipsi mature publice honorarentur, tamen et hi et reliqui natales non veri (ut natalis adoptionis vit. Hadr. c. 4) semper minore honore fuerunt quam natales genuini. Itaque a plerisque melioris aetatis imperatoribus eiusmodi ludi non videntur esse admissi et si qui recepti erant huius generis circenses, mortuo imperatore plerumque aboliti esse. Testis est vita Pertinacis c. 15: *circenses et imperii natalis additi, qui a Severo postea sublati sunt, et genitalici, qui manent.* In fastis publicis a. 354 eiusmodi circenses non reperiuntur nisi divi Constantini Magni (Iul. 25) et Constantii II (Nov. 8), id est imperatoris regnantis eiusque patris. Similiter natalis imperii Severi (Dio 78, 8) etiam post huius mortem celebrabatur regnante filio. Item Silvius circenses ponit natalis Honorii; quod vero in imperatorum qui tum fuerunt natalibus imperii de circensibus tacuit, fecit opinor propter consuetam sibi neglegentiam.

B. PARS POSTERIOR SPECIALIS.

COMMENTARII DIVRNI.

K · IAN · (Ian. 1) — F

[*Aescu*]lapio Vediovi in insula *praen.*

Nota est aedes in insula dedicata Aesculapio a. 462. Ibidem a. 560 dedicata aedes est non Iovi sicut hodie legimus apud scriptores (Liv. 31, 21. 34, 53 cf. 35, 41. Ovid. fast. 1, 293. Vitruv. 3, 2, 3), sed potius Diiovi sive Vediovi (vide supra ad n. 188), quem scriptores illi cum Diove sive Iove ita confuderunt, ut uno loco solo (Liv. 31, 21) vestigia certe veri remanserint, praeterea Ovidius Iovem illum cum Aesculapio similiter coniungat atque hoc loco a Verrio coniunguntur Aesculapius et Vediovis. Cf. Becker top. p. 652 n. 1399 et Preller myth. Rom. p. 237.

IV NON · IAN · (Ian. 2).

Circus privatus *silv.*

Sidon. Apoll. carm. 23 in narratione victoriarum paratarum a Consentio viro clarissimo Romae in ludis circensibus sic ait v. 305 sq.: *Ianus forte suas bifrons calendas ..... sumendas referebat ad curules. Mos est Caesaris hic die bis uno* (id est secundo) — *privatos vocitant* — *parare ludos. Tunc coetus iuvenum, sed aulicorum, Elaei simulacra torva campi exercet spatiantibus quadrigis.* Item Lydus 4, 9 huic diei attribuit circenses sacros (*τὰ ἱερὰ ἱπποδρόμια*). Circenses hi a Philocalo omissi utpote privati a quonam imperatore instituti et ubi facti sint nescio; fieri potest ut redeant ad ipsum Neronem factique sint in circo Gaiano Vaticano, quem theatrum peculiare imperatorum appellat Plinius h. n. 37, 2, 19 et ubi etiam Elagabalus privatos circenses edidit. Cf. Becker top. p. 671 et Friedlaender in enchir. 1, 674. 4, 479.

III NON · IAN · (Ian. 3).

Votorum nuncupatio *phil.* Dies auspicalium *silv.*

Similiter feriale Campanum anni 387 (I. N. 3571 = Henzen 6112): *III nonas Ian. vota.* Alios de notissimis hisce feriis locos collegerunt Marinius Arv. p. 56 et Avellinius *opusc.* 3, 233 sq. et Marquardt enchir. 4, 219; quibus adde vitae L. Aelii Caes. c. 4. Vota annua pro salute imperatoris instituta esse a. u. c. 724 Dio (51, 19) narrat; adiuncta esse ea ad vota antiquiora pro salute reipublicae kal. Ian. suscepta ita, ut diem suum acciperent, Ianuarii secundus autem propter religionem ut postriduanus praetermitteretur Marinius recte observat, nixus potissimum loco Iuliani misopog. p. 346 Spanhem.; utrum vero vota Augusta inde ab initio die III non. Ian. concepta sint an per aliquod tempus una cum votis pro ipsa re publica k. Ian. peracta, ignoratur, licet prior sententia mihi magis probetur. — Auspicalium nomen pro sollemni votorum nisi apud Silvium non reperi.

III NON — NON · IAN · (Ian. 3—5).

phil.	*silv.*
3 ludi	ludi
4 ludi	ludi compitales (comitalis *cod.*)
5 ludi	

Compitalia paullo post Saturnalia celebrata esse scribit Dionysius 4, 14 confirmatque Cicero (in Pis. 4, 8) a. 693 in kalendas Ianuarias compitalium diem referens incidisse. Lege erant unius diei, sed more per triduum extendebantur teste Festo (v. quinquatrus p. 254) ut Saturnalia. Libera re publica annua ea fuisse, sed conceptiva, praeter alios testatur Varro 6, 25, qui locus sic legendus est: *de statutis diebus dixi; de annalibus nec die* (*de* cod.) *statutis dicam. Compitalia dies attributus Laribus vialibus* (*ut alibi* cod.); *ideo ubi viae competunt, tum in compitis sacrificatur; quotannis is dies concipitur.* At inter Varronis aetatem et Constantinianam ad dies Ian. 3. 4. 5 Compitalia affixa esse Philocali Silviique fasti ostendunt. Quod si ea nihilo minus Ausonius (de fer. 17) et Macrobius (1, 16, 6) referunt inter ferias conceptivas, aut hoc dicemus magis eos legisse antiquos auctores quam suae aetatis fastos; aut eo nixi, quod Macrobius adicit ferias conceptivas quotannis concipi in dies vel certos vel etiam incertos, Compitalia vel ea aetate iure conceptiva fuisse (cf. Gell. 10, 24. Macrob. 1, 4, 27), sed cum in eundem semper diem concipi solerent, facta esse quodammodo stata (cf. quae dixi in chronol. p. 72 not.). — De ludis compitaliciis videatur Marquardtus 2, 3, 270. 4, 163; instituti sub ipsis regibus (Macrob. 1, 4, 34; Plin. h. n. 36, 27, 204) aetate liberae rei publicae vicatim edebantur pro collegio, ut fieri oportuit in sacris his popularibus magis quam publicis (Fest. p. 256; ubi quae nominantur Laralia omnino sunt Compitalia, cf. ad Dec. 23); unde in turbis civilibus collegia eorum ludorum causa constituta non exiguas partes habuerunt et extremo liberae rei publicae tempore discussa sunt. Augustus deinde inter alias antiquas caerimonias paulatim abolitas revocavit etiam ludos compitales (Suet. Aug. 31; Vergil. Aen. 8, 714 cum schol.).

IAN · MENSE.

Sacrificant dis Penatibus *rust.*

Cernitur in imagine Philocaliana Ianuarius mensis tura spargens in pateram candelabro impositam, cui astat gallus; in epigrammate subscripto apud Burmannum legitur: *adspice ut aris tura micent, sumant ut pia tura Lares.* Videntur haec pertinere ad Compitalia sive Laralia, quae imperatoria aetate diebus Ian. 3. 4. 5 celebrata esse modo probavimus, cum praesertim de Compitalibus agens Dionysius 4, 14 dicat: ἣν ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἑορτὴν ἄγοντες Ῥωμαῖοι διετέλουν σεμνὴν ἐν ταῖς πάνυ καὶ πολυτελῆ.

III NON · IAN · (Ian. 3).

Natalis Ciceronis *silv.*

VII ID · IAN · (Ian. 7).

Iano patri c(ircenses) m(issus) XXIIII *phil.* Prima consulis mappa, quae ideo sic vocatur, quia rex Tarquinius Romae, dum die circensium pranderet in circo, de mensa sua mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abiecerat *silv.*

Iano patri hos circenses edi existimo tanquam anni primos. Consules aetate imperatoria ad edendos ludos circenses obligatos fuisse notissimum est (Dio 60, 27. vita Aurel. 12. 15. Fronto ad M. Caes. 2, 4 al.) extremaque aetate ordinarios consules solos ad eiusmodi editionem adstrictos fuisse, contra non adstrictos fuisse consules codicillares vel ut hac aetate dicuntur consulares arguunt leges Cod. Theod. 15, 7, 6 et Cod. Iust. 12, 3, 3. 4. At quorum dierum

circenses consulibus ordinariis competiissent, memoriae prodidit Silvius solus, qui consulis mappam primam hoc die collocat, secundae tribuit circenses Iovi statori Ian. 13, tertiae circenses Cerialium Apr. 19, quibus peractis Apr. 21 fasces deponuntur. Quocum conferenda est Iustiniani novella 105, quae lex, ut sumptus minuantur cum consulatu ordinario coniuncti, non plus septem processiones consulares fieri iubet, ex quibus circensibus carent prima in ineundo magistratu k. Ian., tertia *θεάτρου κυνηγία*, quarta *μονημερίου* gladiatorio munere insignis, quinta *ἣν δὴ πόρνας καλοῦσι* scaenicis ludis destinata, denique septima in magistratu deponendo; contra *δευτέραν ἄξει θέαν τὴν τῶν ἁμιλλητηρίων ἵππων, ἣν δὴ μάππαν προσαγορεύουσι*, item sextam *θέαν ἵππων ἁμιλλητηρίων ἐπιτελέσει ἤτοι τὴν καλουμένην μάππαν*. Praeterea Symmachus ep. 7, 4 *circensium*, inquit, *sollemnitati consularis magnificentia satisfecit; ludorum adhuc et muneris splendidissimae imminent functiones, quibus ante Februarias nonas, ut opinamur, impletis iter ad nostra relegemus* (cf. ep. 7, 7. 8. 9, 130). Vides in summa re auctores inter se convenire, in minoribus differre; omnino usus saepe in hisce editionibus variavit.

VII ID · IAN · (Ian. 7).

E[*o die Caesar*] primum fasces sumpsit. Supp[*l*]icatio Iovi. *FER. CUM.* Imp. Caesar Augustu[*s primus fasces sumpsit*] Hirtio et Pansa [*cos.*] (*u. c.* 711) .... VII vir epul(onum) creatus .... [*cos.*] *PRAEN.*

Idem in ara Narbonensi (Orell. 2489) sic enuntiatur: (imp. Augustus) *VII idus Januar. — — primum imperium orbis terrarum auspicatus est* eodemque pertinent, quae divo Augusto *Spoleti primo potestatis suae die* accidisse narrat Plinius (h. n. 11, 17, 190). Conveniunt, quae de rebus eo anno gestis traduntur (Drumann 1, 291), maxime senatum Octaviano die Ian. 2 a. 711 summum imperium pro praetore decrevisse. Quod deinde retinuit ad diem usque mortis, unde iure hic dicitur primus potestatis eius dies. — Quae sequuntur de septemviratu, Borghesius effecit inde a. 711 Octavianum creatum esse epulonem; at quamquam constat eum ei collegio adscriptum fuisse (v. titulus Henzenianae syll. p. 60) extantque nummi eius inscripti *imp. Caes. divi f.* cum patera huius sacerdotii insigni (Eckhel 6, 87; Cavedoni *ann. dell' Inst.* vol. 22 p. 174), tamen fatendum est ex iis quae in lapide Praenestino supersunt neque cui homini neque quo anno septemviratus datus sit apparere.

IV ID · IAN · (Ian. 8). — C

Signum Iustitiae Augus[*tae dedicatum Planco*] et Silio cos. (*u. c.* 766) *PRAEN.*

Res alibi non memoratur, videtur tamen huius anni esse. Nam cum tres Silii hac aetate in fastis reperiantur a. 734. 756. 766, primus propterea intellegi nequit, quod adnotatio haec absolutis demum fastis Praenestinis adiecta est, id est scripta post a. 752; item secundus eo excluditur, quod suffectus non ante Iulium mensem fasces habuit. Restat tertius C. Silius consul cum C. Munatio Planco a. 766 qui et praeterea omnino aptus est et eo nomine, quod cognomine legitimo caruit et in anno illo signando secundo loco appellari solet (cf. Grut. 601, 2: *L. Munatio Planco C. Silio cos.*; Henzeni n. 7377: *Planco et Silo* (sic) *cos.*; item titulus Scirti infra ad fast. min. n. XIV allatus et Suet. Oct. 101; Frontin. de aq. 102).

V ID · IAN · (Ian. 9). — *Nota diei non traditur, fuit tamen sine dubio* NP.

AGON(IA) *MAFF. PRAEN.* Agonia .... ‖ aut quia .... *PRAEN.*

Cf. Fest. ep. p. 10 v. agonium et agonias; Varr. 6, 12. 14; Ovid. fast. 1, 317 sq. — Agonia hostia est ab agendo, id est caedendo; unde agonium sive agonale antiquo sermone sacrificium significat. Quo generali vocabulo feriarum natura cum non satis definiatur, in duobus aliis diebus similiter notatis (Mart. 17. Dec. 11) praecedit sequiturve aliud vocabulum huiusce determinativum; dies autem simpliciter dicti *agonalia* hic et Mai. 21 quo pertineant ex scriptoribus eruendum est. Hoc die tradunt ii regem in regia arietem immolasse Iano; nec potuerunt Ianuarii mensis primae feriae tribui nisi ei a quo omnia incipiunt deo Iano.

V · ID · IAN · (Ian. 9).

Senatus legitimus. Suffecti consules designantur sive praetores *SILV.*

X K · FEBR · (Ian. 23).

Senatus legitimus. Quaestores Romae designantur *SILV.*

Docuit Rossius (*le prime raccolte d'antiche iscrizioni* p. 139 sq.) quarto certe saeculo ordinarios consules ab imperatore nominari, suffectos confirmari ab eo nominatos a senatu. Silvii de suffectorum nominatione testimonium confirmat Symmachus praef. urb. (ep. 10, 66) Theodosio Augusto transmittens *magistratuum nomina, quibus varias functiones designationum tempore amplissimus ordo mandavit, ut muneribus exhibendis aut subeundis fascibus destinatos* (i. e. quaestores aut consules designatos) *cognitio imperialis accipiat*; quocum conveniunt orationum duarum in patres (*inter senatum et principes comitia transiguntur; eligunt patres, confirmant superiores*) et pro patre consule suffecto reliquiae. Contra ordinarios vel hac aetate ab imperatore electos esse aperte dicunt idem Symmachus ep. 5, 15 et maxime Ausonius in grat. act. ad Gratianum. Praetores et quaestores a senatu nominari certe inde a medio saeculo quarto abunde constat ex titulo cod. Theod. 6, 4. Quod quando coeperit, non satis constat; puto tamen aetate Constantiniana eoque revocandum esse, sicut iam ante observavi in analectis (acta soc. Lips. 1850 p. 310), notam inscriptionem syllogae Einsidlensis Orell. 3111 sic in codice scriptam: *Ceinonium* (scr. *Ceionium*) *Rufium Albinum v. c. cons. filosophum, Rufi Volusiani bis ordinarii cons. finium* (scr. *filium*), *senatus ex consulto suo, quod eius liberis post Caesariana tempora, id est post annos CCCLXXX et I, auctoritatem decreverit Fl. Magnus Ieiunarius* (scr. *Ianuarius*) *v. c. cur. statuarum* (scr. *statuendum*). Nam quamquam olim obiter inscriptionem eam tractans quaedam non recte posui, quae postea emendavit Rossius l. c., tamen *senatum consulto suo decernere alicui auctoritatem* nihil aliud esse quam nominare magistratum ab imperatore confirmandum; deinde cum id ius Caesaris aetate a senatu populoque Romano ad imperatores delatum sit, commemorationem temporum Caesarianorum in hoc titulo ideo fieri, quod paullo ante id ius senatus denuo quodammodo recuperarit, et mihi satis videtur constare et comprobavit Rossius. Denique tempora quoque recte ita videatur convenire. Rufius Volusianus consul fuit ordinarius annis p. Chr. 311 et 314; filius eius Rufius Albinus (sic dictus cum in subscriptione epistulae Mareoticorum allegatae a Relando ad a. 335 tum in epistula paschali Athanasii septima) consul item ordinarius a. 335. Qui cum in titulo consul simpliciter appelletur non adiecto ordinarii nomine, quod recte monuit Rossius hac aetate non omitti, suffectus tantummodo fuerit needum ad ordinarium consulatum pervenerit necesse est; scriptus igitur est titulus ante a. 335. Cum autem Albinus eo tempore iam haberet filios, quibus item senatus decerneret consulatum suffectum (nam *eius* vocabulum omnino referendum est ad Albinum, non ad Volusianum), quamquam ea aetate consulatus non ordinarii decennio post designationem iniri solebant itaque fere parvulis decernebantur (Cod. Theod. 4, 13, 21. 22. Symmach. or. pro Trygetio p. 38), tamen iure colligemus inde non multo ante a. 335 patri Albino statuam dedicatam esse. Iam a Caesarianis temporibus, id est, ut initium regni Caesaris spectemus, ab anno u. c. 705 numeranti annus CCCLXXXI incidit in annum p. Chr. 332, quod cum rationibus supra propositis satis convenit. Ceterum ne quis erret, sane per universam aetatem imperatoriam, postquam Tiberius comitia e campo in curiam transtulit, in consulibus creandis partes quaedam fuerunt senatus (cf. Becker-Marquardt in enchir. 2, 3, 202 sq.), sed diversae eae a constitutione supra explicata Constantiniana. Nam consulum creatio ita a populo ad imperatorem pervenit, ut huic ius esset candidatorum primum comitiis, mox senatui commendandorum, commendatos populus in campo curiave crearet. Quare

si imperator tot quot designandi erant consules commendabat candidatos, ut exempli causa Tiberius, cum consulatus semestres essent, singulis annis quaternos (Tac. ann. 1, 15), creatio illa inanis fiebat et re totum ius erat penes imperatorem; contra si commendabantur candidati plures paucioresve, erat aliqua in consulibus creandis senatus potestas populique libertas. Totam rem denique ita temperavit Constantinus ut ordinarios consules crearet imperator, suffectos senatus libere eligeret, imperator confirmaret. — Quod ad tempus harum designationum attinet, sub Gratiano praetores designatos esse a. d. V id. Ian. ex Symmacho ep. 1, 44 collato orationis pro Trygetio fragmento recte collegit Rossius eundemque diem indicat Silvius. Propter quas magistratuum nominationes supra p. 374 vidimus, cum praeterea singulis mensibus e lege senatus bis conveniret, mensi Ianuario tres dies legitimi senatus tributos esse, unde sequitur iam Philocali aetate eandem normam obtinuisse. Refragatur tamen constitutio a. 356 (Cod. Theod. 6, 4, 10), qua Constantius II die natali suo VII id. Aug. et sequentibus designationibus curiam operam dare iubet; quae iussio fortasse temporaria fuit.

IV ID · IAN · (Ian. 10).

Ti. Caesar .... *praen. in nota postea adiecta.*

Dies quo pertineat ignoratur.

III ID · IAN · (Ian. 11). — NP

KARM(ENTALIA) *praen.* CAR(MENTALIA) *maff.* — Dies Carmentariorum *phil.* — Carmentalia de nomine matris Euandri *silv.* — [*Feriae Carmenti* .... *quae partus curat omniaque*] futura; ob quam ca[*usam in aede eius cavetur ab scorteis omnique*] omine morticino *praen.*

Feriae Carmentis (Varr. 6, 12) sive sacrum pontificale (Ovid. fast. 1, 462) agebantur ad aras (sive fanum Gell. 18, 7) statutas Carmentibus duabus Porrimae sive Prorsae et Postvertae (Gell. 16, 16) ad portam inde dictam sub Capitolio (Becker top. p. 137). Magno in honore vel saeculo quarto eas fuisse praeter fastos Philocali et Silvii docet Macrobius sat. 1, 16, 6. — Verrius in adnotatione tetigit idem quod cecinit Ovidius 1, 629: *scortea non illi fas est inferre sacello*, collato Varrone 7, 84: *in aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus ne quid scorteum adhibeatur ideo, ne morticinum quid adsit.* Quae praecedunt, ex coniectura posui, sed probabili; nam Carmentem notum est fuisse deam partus mulierum potentem (Varro apud Gell. 16, 16; Plutarch. Rom. 21, al.).

III ID · IAN · (Ian. 11).

D[*ebellavit Imp. Caes. Augustus tertium*] ab Romulo et Ianum c[*lausit se V et Appuleio cos.*] (*u. c.* 725) *praen.*

Clausus est Ianus post Numam et T. Manlium C. Atilium cos. tertium a. u. c. 725 absente etiamtum Augusto (Dio 51, 20) idque videtur hoc loco intellegendum esse. Quamquam fieri potest, ut non de ea clausione hoc loco Verrius egerit, sed de altera a. 729, quae item facta est absente Augusto, tertiave, quae quo anno facta sit ignoratur.

PRID · ID · IAN · (Ian. 12).

Augustus Ti. Caesarem es (?)..... *praen.*

Res ignota.

ID · IAN · (Ian. 13).

Iovi statori c(ircenses) m(issus) XXIV *phil.* Secunda mappa *silv.*

Feriae fortasse antiquae, cum praesertim in idus incidant inde ab origine Iovi sacras. De circensibus secundis consulis ordinarii vide ad Ian. 7, ubi diximus de primis Iano sacris.

ID · IAN · (Ian. 13).

Corona quer[*na uti super ianuam domus imp. Caesaris*] Augusti poner[*etur senatus decrevit, quod rem publicam*] p(opulo) R(omano) restitui[*t*] *praen.*

Mon. Anc. 6, 14 sq. ad exemplum meo iussu confectum: *rem publicam ex mea potestate in senat[us populique Romani a]rbitrium transtuli, quo pro merito meo — — [coronaque q]uе[rna ci]vica super ianuam meam fixa est*, quod Graece legitur ita versum: ὅ τε δρύϊνος στέφανος ὁ διδόμενος ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν πολιτῶν ὑπερ[άνω] τοῦ πυλῶνος τῆς ἐμῆς οἰκίας ἀνετέθη. Unde quod legitur apud Ovidium fast. 1, 589: *redditaque est omnis populo provincia nostra* quodque defendi non posse perspexit Merkelius (p. IX) videtur ita esse emendandum: *populo res publica nostro.* De re, quae pertinet ad a. 727, cf. praeterea Dio 53, 16 quaeque Reimarus ad h. l., Eckhel 6. 88, Marquardt 3, 2, 442 collegerunt.

XVIII K · FEBR · (Ian. 15). — NP

KAR(MENTALIA) *praen.*; CAR(MENTALIA) *maff. phil.* — Feriae Car[*me*]nti ob eandem causs[*am, quod*] III idus. Hic dies dicitur institutu[*s ab* ....] si Fidenas eo die cepisset *praen.*

Diversam causam additorum secundorum Carmentalium Varro rettulit (Ovid. fast. 1, 617 sq.; Plutarch. q. R. 56), cum matronae iratae propter carpenta interdicta tamdiu abstinuissent a liberis generandis, donec senatus vehiculorum usum iis rursus concederet, propter fecunditatis usum ita sibi restitutum Carmenti deae aram eas dedicavisse et alterum diem festum addidisse (cf. Fest. v. pilentis p. 245). Quod Verrius posuit, praeterea non traditur nec nomen eius, qui cepit Fidenas, certa ratione potest suppleri. Marinius (eph. Pis. 41, 266) proposuit Mamercum Aemilium, qui dictator vel a. 317 vel a. 328 Fidenas cepisse dicitur, propter vota tum nuncupata (Liv. 4, 32, 8), certe aliquanto probabilius quam Klausenus (Aen. 2, 884) adsentiente Schweglero (3, 197) Q. Servilium dictatorem a. 319 propter nescio quam cuniculi in urbe capienda adhibiti cum parturiendo coniunctionem; alii alia excogitabunt nullo negotio in oppido, quod Livius prope saepius captum dicit quam oppugnatum. Equidem vix crediderim consulis dictatorisve nomen hoc loco intercidisse; nam sane non ignoravit Verrius ferias has litteris maioribus perscriptas ex vetustiore memoria repetendas esse. Praeterea spatium brevius aliquanto supplementum requirit, exempli causa *ab Romulo* vel *ab Anco.*

XVII K · FEBR · (Ian. 16).

Eo di[*e Caesar Augustu*]s appellatus est. Supplicatio Au[*gusto*] *fer. cum., praescribens* .. III · K · FEBR. Imp. Caesar [*Augustus est*] a]ppell[a]tus ipso VII et Agrip[*pa III cos.*] (*u. c.* 727) *praen.*

Censorin. 21, 8: *A. d. XVI (scr. XVII) k. Febr. imp. Caesar divi f. sententia L. Munati Planci a senatu ceterisque civibus Augustus appellatus est se VII et M. Agrippa III cos.* Feriale Cumanum rettulisse videtur ad XVIII k. Febr., errore opinor. Ovidius fast. 1, 590 rettulit ad idus Ian. (Ian. 13), item errore, sed excusabili, nam quod ait idibus Ianuariis omnem provinciam populo Romano redditam esse et Augustum propterea Caesarem appellatum, de priore re verum est, cuius tanquam pars erat altera. Cf. Mon. Anc. 6, 14: *rem publicam ex mea potestate in senat[us populique Romani a]rbitrium transtuli, quo pro merito meo senat[us consulto Augustus appe]llatus sum.* Peius multo Orosius 6, 20 et triumphum (actum a. 725 Aug. 14. 15) et Augusti nomen adscripsit ad VIII id. Ian. a. 725, nescio quid somnians de epiphania Christi.

XVII K · FEBR · (Ian. 16). — C

Concordiae Au[*gustae aedes dedicat*]a est P. Dolabella C. Silano co[*s.*] (*u. c.* 763 = *p. Chr.* 10) *praen. in nota postea adiecta.*

Coeptam aedem a. 747 (Dio 55, 8) a. 763 Tiberius absolvit. Dio 56, 24 post hiatum: τῷ δὲ δευτέρῳ (intellegit a. 763) — τό τε Ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη καὶ αὐτῷ τό τε ἐκείνου ὄνομα καὶ τὸ τοῦ Δρούσου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη. Ovid. fast. 1, 637 sq. Suet. Tib. 20. Becker top. p. 311.

XVII K · FEBR · (Ian. 16).

Ti. Caesar ex Pan[*nonis et Delmatis triumph*]avit *praen. in nota postea adiecta.*

Pertinet ad annum u. c. 765 = p. C. 12. Vell. 2, 21. Suet. Tib. 20.

XVI K · FEBR · (Ian. 17). — C

Pontifices a[*ugures XVviri sacris faciundis VII*]vir(i) epulonum victumas inm[*ol*]ant n[*umini Augusti ad aram q*]uam dedicavit Ti. Caesar. Fe[*licitati . . . ., quod Ti. Caesar aram*] Aug(usto) patri dedicavit. *PRAEN.*

Res alibi non traditur; comparandae sunt arae vivo etiamtum Augusto a Lugdunensibus et Florentinis dedicatae *numini Augusti* sive *Augusto* (Orell. 686. 2489). Agi vero hoc loco de dedicatione facta vivo Augusto demonstrat nomen Augusti in Tiberio omissum; praeterea recte monuit iam Fogginius cogitari non posse de templo divi Augusti a Tiberio aedificato in Palatio, cum id non dedicarit Tiberius (Tac. ann. 6, 45 al.; Becker top. p. 430). In fine noli supplere *fe*[*riae ex s. c. q. e. d.*] cet.; obstat enim cum nota diei comitialis, tum quod feriae ubicunque indicantur, primum in diei adnotatione locum obtinent.

XVI—XI K · FEBR · (Ian. 17—22).

	PHIL.	*SILV.*
17	ludi Palatini	ludi Palatini
18	ludi	ludi
19	ludi	ludi
[20	natalis Gordiani; circenses missus XXIV]	[natalis Gordiani, circenses]
21	ludi	ludi
22	ludi	

Dio 56, 46 ad a. p. Chr. 14: *ἡ Λιουία ἰδίαν δή τινα αὐτῷ* (Augusto) *πανήγυριν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ Παλατίῳ ἐποίησεν, ἣ καὶ δεῦρο ἀεὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν ἀεὶ αὐτοκρατόρων τελεῖται.* Ioseph. ant. 19, 1, 11: *ἄγονται* (*θεωρίαι ἐν Παλατίῳ*) *ἐπὶ τιμῇ τοῦ πρώτου μεταστησαμένου τὴν ἀρχὴν τοῦ δήμου Καίσαρος εἰς αὐτόν, μικρόν τε πρὸ τοῦ βασιλείου καλύβης πηκτοῦ γενομένης καὶ Ῥωμαίων τε οἱ εὐπατρίδαι θεωροῦσι ὁμοῦ παισὶ καὶ γυναιξὶ καὶ ὁ Καῖσαρ.* Memorantur praeterea apud Tacitum ann. 1, 73 et Dionem 59, 16. Caligula caesus est horum ludorum die extremo ad tres legitimos extra ordinem, ut videtur, adiecto IX k. Febr. (Ian. 24; Ioseph. l. c. Dio 59, 29 Suet. Calig. 56. 58). Videntur igitur tres dies pristini horum ludorum fuisse Ian. 21. 22. 23; cur vero dies extremus quarto saeculo sublatus inveniatur, contra adiecti dies Ian. 17—19, nescitur. Ceterum ludi hi scaenici semper manserunt fueruntque ita privati, ut senatores tantum et fortasse equites admitterentur. Quando in fastos publicos relati sint, ignoratur, praesertim cum mensis Ianuarii fastos non habeamus lapidi incisos nisi anno p. Chr. 14 antiquiores.

X K · FEBR · (Ian. 23).

Senatus legitimus. Quaestores Romae designantur *SILV.*

Vide supra ad Ian. 9.

VIII K · FEB · (Ian. 25).

N(atalis) chartis *PHIL.*

Collato *natale annonis* (Mai. 18) intellege diem, a quo incipit annus specierum anabolicarum annonae instar urbi Romae attributarum. Vita Aurel. c. 45: *vectigal ex Aegypto urbi Romae Aurelianus vitri chartae lini stuppae atque anabolicas species aeternas constituit.*

VI K · FEBR · (Ian. 27). — C

Aedis [*Castoris et Po*]llucis dedica[*ta est . . . . .*] *PRAEN.* Ludi Castorum Ostiis, quae prima facta colonia est *SILV.*

De eadem die Ovid. fast. 1, 706: *hac sunt Ledaeis templa dicata deis. Fratribus illa deis fratres de gente deorum circa Iuturnae composuere lacus.* Cf. Lydus 4, 13. Eandem aedem primum dedicatam esse a. 270 id. Quinct. Livius (2, 42) tradidit eumque secutus Plutarchus (Coriol. 3); unde diem dedicationis a. d. VI k. Febr. trahere solent ad dedicationem templi a Tiberio refecti a. 759 (Dio 55, 77), potueruntque eodem iure referre ad refectionem proxime praecedentem L. Metelli (cf. Becker top. p. 298). At Verrius et ante annum 759 fastos videtur perscripsisse nec, si Tiberianam dedicationem intellegeret, nomen Tiberii suppressisset; praeterea vix crediderim propter eiusmodi refectionem mutatum esse numinis natalem. Denique ludi Ostienses, de quibus mox videbimus, videntur esse antiquissimi. Quam ob rem cum Castoribus aedes dedicata sit propter pugnam ad Regillum factam id. Quinct. (Dion. 6, 13; Plutarch. l. c.), putarim Livium pro dedicationis die posuisse diem pugnae errore proclivi. — Ostiis celebrati ludi itaque iure urbani (cf. ad Portunalia Aug. 17) indicantur a Silvio solo, omissi scilicet apud Philocalum culpa librarii, qui extremam partem Ianuarii non explevit. Praeterea de iis habemus testimonia haec. Aethicus p. 716 Gronov.: *ubi* (in insula inter Portum et Ostiam) *populus Romanus cum urbis praefecto vel consule Castorum celebrandorum causa egreditur sollemnitate iucunda.* — In columella marmorea Ostiis reperta (Apian. 182, 3, inde Grut. 99, 2 collatis emend. Fabrett.; Doni 4, 55; Mur. 353, 3 e sched. Ambros.; Burmann anth. l. 1 n. 47) sic legitur:

Littoribus vestris quoniam certamina laetum
Exhibuisse iuvat, Castor venerandeque Pollux,
Munere pro tanto faciem certaminis ipsam,
Magna Iovis proles, vestra pro sede locavi,
Urbanis Catius gaudens me fascibus auctum
Neptunoque patri ludos fecisse Sabinus *).

Catius Sabinus idem qui a. 210 curator fuit aedium sacrarum et operum publicorum, a. 216 consul II ordinarius (cf. Rossi *Bullett.* 1852 p. 26; Borghesi ib. p. 134), ut hoc epigramma praefectus urbis Castoribus Ostiis, ita aliud simile dedicavit praetor urbanus Herculi ad aram maximam (Burmann anth. l. 1 n. 39; melius Rossi *Annali* 1854 p. 32). — Denique Ammianus 19, 10, 4 ad a. 359 narrat ventis naves frumentarias retinentibus urbeque inopia vexata subito tranquillitatem incidisse, *dum Tertullus* praefectus urbi *apud Ostia in aede sacrificat Castorum.* Ludos a Castoribus dictos proprie Neptuno patri nuncupatos fuisse epigramma ostendit; factos esse quotannis a praefecto urbis die Ian. 27 ex reliquis testimoniis efficitur.

V — PRID · K · FEBR · (Ian. 28—31).

	SILV.
28	ludi
29	ludi
30	
31	circenses Adiabenis victis.

Ludi hi, qui videntur fuisse quattuor dierum, apud Philocalum desunt, fortasse librarii culpa, qui in extremo Ianuario adnotationes nullas apposuit; nam post Constantium II ludos hos coepisse eo minus probabile est, quod victoria Adiabenica post Traianum et Severum quod sciam nulla commemoratur. Quamquam vel sic non sine causa mirabimur ludos saeculo secundo institutos propter victoriam non adeo claram tam diu permansisse, denique his solis iudis originem adscripsisse Silvium.

IV K · FEBR · (Ian. 29). — F

Feriae ex [*senatus consulto, quod eo die*] ab imp. Caes(are) [*Augusto pontifice*] || maxi[*mo*] . . . . || marina . . . . *PRAEN.*

Causa feriarum ignota; videntur tamen institutae post a. 741, quo pontificatum maximum suscepit Augustus. Certe non recte cogitavit Merkelius p. XXXVIII de ludis Palatinis, quos d. Ian. 22 aut 23 constat exiisse. — De feriis notaque diei vide supra p. 376.

III K · FEBR · (Ian. 30). — NP

De ara Pacis hoc die dedicata vide IV non. Iul. (Iul. 4).

K · FEBR · (Febr. 1).

N(atalis) Herculis, c(ircenses m(issus) XXIV *PHIL.* Circenses *SILV.*

Auson. de fer. 24 item memorat natalem Herculeum.

---

*) Exempla extant duo satis diversa, quorum optime repraesentant genus alterum Marcanova Bern. f. 80 r., alterum Ferrarinus cod. Trai. f. 95 r.; reliquorum qui ex his pendent v. l. afferre operae pretium non est. — 1 VESTRIS Ferr., NOSTRIS Marc. — CERTAMINA Marc., CERTAMINE Ferr. — 3 IPSAM Ferr., HVIVS Marc., AEQVAM cod. Chig. I. VI 203 f. 22 et Mur. — 5 VRBANVS Ferr. — CATIVS Ferr., TACITVS Marc. — FASTIBVS Ferr. — 6 SABINVS Marc., SATVRNVS Ferr., SABINOS Ap. aliique ex interpolatione.

PRID · NON · — V · ID · FEBR · (Febr. 4—9).

	PHIL.	SILV.
4	ludi Gottici	ludi
5	ludi	ludi
6	ludi	ludi
7	ludi	ludi
8	ludi	
9	Gottici. C(ircenses) m(issus) XXIV	circenses.

Victorias Gothicas nummi titulique praedicant Claudii Aureliani Taciti Probi Constantini Magni, quarum quaenam potissimum his ludis celebretur, non perspicio, nisi quod, cum eiusmodi feriae, quandocunque institutae sint, vix diuturnae fuisse videantur praesertim inter tantas rerum publicarum vicissitudines, quantas illa aetate constat accidisse (cf. Dio 69, 2), fortasse licebit ad Constantinum Magnum referre tam hos quam similes plerosque fastorum Philocalianorum ludos. Constantinum autem Gothos vicisse primis imperii annis inde constat, quod tituli eius anno 319 anteriores (Henzen 5576. 5578) inter alias similes etiam *Gothici maximi* appellationem ei tribuunt. Vicit deinde Gothos denuo a. 323 (Tillemont 4, 188) eoque rettulerim, quod in titulis posterioribus (Orelli 3120. Henzen 5580) iam non Gothicus maximus dicitur, sed splendidiore nomine *Gothorum victor ac triumphator*. Denique a. 332 die Apr. 20 Constantinus Caesar egregiam de Gothis victoriam patri paravit (Tillemont 4, 248). Ludi mense Februario facti cum ad hanc non satis quadrent, referendi erunt potius ad victoriam secundam, quam nummi quoque (Eckhel 8, 83. 90) videntur praedicare, quamvis annorum et ipsi sint incertorum.

NON · FEBR · (Febr. 5). — N̄P

Concordiae in arce *PRAEN.*

Aedes dedicata a. 536 (Liv. 22, 33); cf. Becker top. p. 409.

NON · FEBR · (Febr. 5). — N̄P

Feriae ex s(enatus) c(onsulto), quod eo die imp. Caesar Augustus pont(ifex) max(imus) trib. pot. XXI cos. XIII a senatu populoque Romano pater patriae appellatus *PRAEN.*

Notae chronologicae indicant annum u. c. 752 eidemque anno eum honorem adscribit Dio 55, 10: *ἡ ἐπωνυμία ἡ τοῦ πατρὸς ἀκριβῶς ἐδόθη· πρότερον γὰρ ἄλλως ἄνευ ψηφίσματος ἐπεφημίζετο*; id quod confirmant nummi (cf. Eckhel 6, 112) et in utramque partem (cf. inscr. Helv. n. 7) tituli. Diem habet etiam Ovid. fast. 2, 127. — Notam diei iam constat fuisse non N, sed solitam feriarum N̄P, nam supra p. 314 editum fragmentum fastorum Praenestinorum adhuc ex sola editione Ursiniana notum nuper reperi in libro Manutiano bibliothecae Vat. n. 5241 p. 67 descriptum ex schedis Fulvii Ursini ibique est N̄P, unde patet N editionis Ursinianae typothetis deberi.

III · PR · ID · FEBR · (Febr. 11. 12).

	PHIL.	SILV.
11	genialici; c(ircenses) m(issus) XXIV	circenses
12	ludi genialici	ludi.

Feriale Campanum a. 387 (I. N. 3571 = Henzen 6112) item habet *III idus Febr. genialia.* Feriarum publicarum aetate extrema Genio factarum, de quibus praeterea nihil repperi, institutio coniuncta fortasse fuit cum Aureliani Genii populi Romani in foro dedicatione. Cf. Becker top. p. 360.

ID · FEBR · (Febr. 13). — N̄P

Virgo Vesta(lis) parentat *PHIL.* Parentatio tumulorum incipit (inp *codex*) *SILV.* — Parentalia *mense Februario RVST.*

Lyd. 4, 24: *εἰδοῖς Φεβρουαρίαις ἀπὸ ταύτης τῆς ἡμέρας ἀπὸ ὥρας ἕκτης διὰ τὰς τῶν κατοιχομένων χοὰς τὰ ἱερὰ κατεσφραγίζοντο καὶ οἱ ἄρχοντες ἐν σχήματι ἰδιωτῶν προῄεσαν ἄχρι τῆς πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν Μαρτίων* (Febr. 22). Parentalia igitur, per quae fana clausa fuisse praeter Lydum tradit Ovidius (fast. 2, 561. 5, 485), non recte nubere puellas idem addit (fast. 2, 555), coeperunt Idibus Febr. hora sexta. Initium fecerunt parentationis virgines Vestales testibus fastis Philocalianis; videntur autem eo die inferiae publice factae esse Tarpeiae (Dion. 2, 40), quas ei utpote et ipsi virgini Vestali consentaneum est obtulisse Vestales. Continuabantur deinde per dies proxime sequentes, unde Lupercalia (Febr. 15) Plutarchus (Rom. 21) ait fieri *ἐν ἡμέραις ἀποφράσι τοῦ Φεβρουαρίου μηνός*, menologii rustici autem duo exempla alterum postponit, alterum praeponit Parentalia Lupercalibus, pari iure utrumque. Finierunt aut Feralibus (Febr. 21) aut fortasse Caristiis (Febr. 22) demum. Nam quamvis possis Lydi ita verba accipere, ut eo die magistratus praetextam resumpserint, tamen magis videtur hunc adnumerare ipsis Parentalibus; et quod testatur Ovidius (2, 567) tempus manium placandorum finiri die Febr. 21, non impedit, quominus carae cognationis dies coniunctae omnino cum Parentalibus hac appellatione comprehendatur. A Feralibus autem Parentalia ita apparet differre, ut haec significent universum tempus religiosum, illa diem Parentalium extremum fere et primarium*), quamquam recte omnino poeta Parentalia promiscue appellat *dies parentales* (fast. 5, 546), *dies ferales* (fast. 2, 34), *tempus ferale* (fast. 5, 486). Notae dierum quod ad Parentalium religionem non respiciunt unusque tantum ex diebus eorum nefastus esse invenitur Lupercalium, et is quidem nefastus non propter deorum manium religionem, sed propter longe antiquiorem lustrationem, indicat Parentalia non descendere ex fastis antiquissimis. Idque ipsum videntur sensisse auctores vetusti, cum modo narrant Feralibus antiquiora esse Lemuria et illa addita anno duobus mensibus aucto (Ovid. fast. 5, 423), modo Parentalia diu neglecta esse et post longum tempus deum manium placandorum causa restituta (Ovid. fast. 2, 553). — Ceterum quod his diebus parentatur defunctis omnibus, non excludit suo cuique mortis die a propinquis parentari.

ID · FEBR · (Febr. 13).

Roma liberata est de obsidione Gallorum *SILV.*

Eodem die Gallos abiisse scribit Plutarchus (Camill. 30), cum praeterea nec Livius nec quisquam alius eorum quos habemus scriptorum diem ponat.

XV K · MART · (Febr. 15). — N̄P

LVPER(CALIA) *MAFF. FARN. RVST. PHIL. SILV.*

Ferias has lustrandorum moenium urbis Palatinae causa deo Luperco sive Fauno dedicatas supra in mensium nominibus p. 364 iam tetigimus. Ab iisdem, quae sub nomine diei februati a rege sacrorum edicebantur (Varr. 6, 13; Fest. ep. v. Februarius p. 85), mensis ipse nomen accepit. Cum his feriis vetustissimis aperte coniuncta est nota nefasti ad omnes Februarii mensis dies idibus exceptis ad Lupercalia usque adscripta; dies scilicet qui lustrationem annuam praecedunt religiosi esse visi sunt. Ad Feralium autem religionem hi dies nequaquam pertinent (cf. Febr. 13).

XIII K · MART · (Febr. 17). — N̄P

QVIR(INALIA) *MAFF. FARN. PHIL.* Quirinalia, quo die Romulus occisus a suis, qui ab hasta, quae a Sabinis curis vocatur, [*Quirinus vocatur*], non apparuisse confictus est *SILV.* — Quirino in coll(e) *FARN.*

Collis simpliciter dictus significat Quirinalem. Cf. Becker top. p. 569.

IX K · MART · (Febr. 21). — F

FERAL(IA) *MAFF. FARN. PHIL.* — Dis infer[*is*] . . . . . . *FARN.*

Varro 6, 13: *Feralia ab inferis et ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulcrum, quibus ius ibi parentare.* Praeterea vide quae diximus de Parentalibus ad id. Febr.

VIII K · MART · (Febr. 22). — C

Caristia *PHIL.* Cara cognatio *RVST.* Cara cognatio ideo dicta, quia tunc etsi fuerunt vivorum parentum odia, tempore obitus deponantur *SILV.*

*) Id ipsum voluisse Ovidium 2, 565 sq. apertum est quamquam non constat, quomodo emendandum sit distichum omnino corruptum: *nec tamen haec ultra, quam tot de mense supersint Luciferi quot habent carmina nostra dies,* ubi requiri omnino diem Feralium a. d. IX k. Mart. recte iudicavit Merkelius p. XXXIX sq. Imperite vero Ausonius (Parental. praef.) Parentalium vocabulo abusus est tamquam sic vocaretur dies unus.

Val. Max. 2, 1, 8: *convivium etiam sollemne maiores instituerunt idque caristia appellaverunt, cui praeter cognatos et affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querella esset orta, apud sacra mensae et inter hilaritatem animorum et fautoribus concordiae adhibitis tolleretur.* Ex Ovidio fast. 2, 615 sq. apparet arta convivii coniunctio cum praecedentibus Parentalibus, ubi vide adnotata. Praeterea memorant diem carae cognationis inscriptio Orell. 2417; Martialis 9, 55; Tertullianus de idol. 10. Non recte autem ex eo, quod in fastis Maffeianis non adnotatur (alii enim ad hunc diem fasti aetatis Augustae supersunt nulli) effecit Marquardtius in enchir. 4, 440 caristia fuisse indictiva; imo fuit dies privatim quidem magis quam publice sollemnis, sed status omnino.

VII K · MART · (Febr. 23). — NP

TER(MINALIA) *MAFF. ARST. PHIL. SILV.*

VI K · MART · (Febr. 24). — N

REGIF(VGIVM) *MAFF. PHIL.* Regifugium, cum Tarquinius Superbus fertur ab urbe expulsus *SILV.*

Hoc die rex sacro in comitio peracto cito inde fugiebat (Plutarch. q. R. 63); cui regis fugae respondent quodammodo poplifugia Iul. 5. Quod antiqui quidam regifugium rettulerunt ad fugam Tarquinii Superbi (Ovid. fast. 2, 683 sq.; Auson. de fer. 13), destitutum est omni probabilitatis specie, quoniam nec poplifugia a regifugio separari debent et caerimoniae huius diei eiusmodi origini minime conveniunt; videturque adeo Verrius, si recte restituimus laceram hodie quae pertinet ad regifugium adnotationem eius (v. supra p. 367), opinionem hanc, Varronis opinor, reiecisse. Omnino tam origo quam vera natura et regifugii et poplifugii hodie ignoratur; N autem nota huic diei nec tamen poplifugiis adhaerens ostendit poplifugiorum laetum diem, regifugii tristem fuisse. Notandum praeterea regifugii ferias fere solas esse, quae incidant in diem numeri paris (p. 366), sicut poplifugii feriae solae sunt, quae fiunt ante sui mensis nonas.

V K · MART · (Febr. 25).

Lorio; c(ircenses) m(issus) XII *PHIL.* Circenses *SILV.*

Del nomen tertio casu hic nos habere certum est, quem exiguo in honore fuisse ostendit numerus circensium ex solito dimidiatus. Numen vero sic dictum novi nullum nec suppetit correctio probabilis.

III K · MART · (Febr. 27). — NP

EQ(VIRRIA) *MAFF.*

Vide prid. id. Mart. (Mart. 14) altera Equirria et ut videntur magis celebrata.

PRID · K · MART · (Febr. 28).

Ludi votivi *PHIL.* Ludi *SILV.*

Eadem adnotatio redit Iul. 19. 26. Aug. 8. Oct. 30. 31. Nov. 9; omnes quo pertineant ignoratur.

K · MART · (Mart. 1). — NP

Feriae Marti *PRAEN.* — Natalis Martis; c(ircenses) m(issus) XXVIII (*imo* XXIV) *PHIL.*

Hoc die ancile e caelo delapsum esse credebatur incipiebantque salii arma ferre Mamuriumque canere teste Ovidio (fast. 3, 259. 373). Arma autem moveri dicuntur per hunc mensem tribus diebus, primo (teste Lydo 3, 15. 4, 29), nono (teste Philocalo), vigesimo tertio (teste Lydo 4, 42); quod ita videtur explicandum esse, ut cum per totum mensem Martium ancilia a saliis per urbem circumferrentur (Polyb. 21, 10, 12. Liv. 37, 33), praeter movendi initium medio mense sacrum illud maxime celebraretur et propterea praeter primum dies nonus et tubilustrium vigesimus tertius insigniores essent. Fortasse cum ancile primarium die primo Martis de caelo decidisse crederetur, nundino sequente Mamurium narrabant reliqua undecim fecisse. De natali Martis cf. Martial. 12, 60. Ceterum antiquae hae feriae postea obscuratae sunt festo Iunonis Lucinae, cui a. u. c. 379 hoc die aedes dedicata est, commentique inde sunt varias rationes, quas referre operae pretium non est, posterioris aetatis grammatici, cur matronae maxime festa haec Martis colant.

K · MART · (Mart. 1). — NP

Iun[*o*]ni Lucinae Exquiliis, quod eo die aedis ei [*dedica*]ta est per matronas, quam voverat Albi[*nia*] .... vel uxor, si puerum .... [*at*]que ipsa[*m*] ....

Plin. h. n. 16, 44, 235: *Romae lotos in Lucinae area, anno qui fuit sine magistratibus CCCLXXIX* (*CCCLXIX* cod.) *urbis aede* (Lucinae) *condita, incertum ipsa quanto vetustior; esse quidem vetustiorem non est dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur.* Cf. Fest. ep. v. Martias calendas p. 145; Ovid. fast. 3, 248. Praeterea de ea dedicatione nihil comperimus adeoque Verrii verba cum lacera tum etiam mendosa, cum in *vel* vocabulo nomen mariti Albiniae latere videatur, quomodo restituenda sint hodie ignoratur. De loco aedis praeter Beckerum top. p. 536 vide Marinium *iscr. Alb.* p. 2 et Stephanium *Bull.* 1845 p. 68. Matronarum festum diem sive Matronalia plerique memorarunt. Nota Verrium Exquilias scribere maluisse quam Esquilias, docte magis quam secundum usum communem, qui in eo vocabulo vel in ipsa tribus nota agnoscit s litteram solam.

III NON · MART · (Mart. 5 = Phamenoth 9 anni Alexandrini).

Isidis navigium *ARST. PHIL.*

Lyd. 4, 32: Τῇ πρὸ τριῶν νωνῶν Μαρτίων ὁ πλοῦς τῆς Ἴσιδος ἐπετελεῖτο, ὃν ἔτι καὶ νῦν τελοῦντες καλοῦσι πλοιαφέσια· ἡ δὲ Ἶσις τῇ Αἰγυπτίων φωνῇ παλαιὰ σημαίνεται, τουτέστιν ἡ σελήνη, καὶ προτηκόντως αὐτὴν τιμῶσιν ἐναρχόμενοι τῶν θαλαττίων ὁδῶν. Describit caerimoniam Appuleius metam. 11, 17: *unus quem cuncti grammatea dicebant pro foribus* (templi) *adsistens, coetu pastophorum — velut in contionem vocato, indidem de sublimi suggestu de libro de litteris fausta vota praefatus principi magno senatuique et equiti totoque Romano populo nauticis navibus quaeque sub imperio mundi nostratis reguntur renuntiat sermone rituque Graeciensi ita* πλοιαφέσια (sic emendo; ΛΟΙΑΦΕCΙΑ cod.); *quam vocem feliciter cunctis evenire significavit populi clamor insecutus.* Cf. ibidem c. 5 ubi dea sic ait: *diem qui dies ex ista nocte nascetur aeterna mihi nuncupavit religio; quo sedatis hibernis tempestatibus — navigabili iam pelago rudem commendantes carinam primitias commeatus libant mei sacerdotes.* Lactant. 1, 11, 21: *certus dies habetur in fastis, quo Isidis navigium celebratur. Natalem ratis Isiacae* appellat Ausonius de fer. 24. Apparet nautarum festum fuisse initiumque navigationis vere redeunte. Cf. Veget. 5, 9: *Ex die III id. Nov.* (Nov. 11) *usque in diem VI id. Mart.* (Mart. 10) *maria clauduntur; — — post natalem vero ut ita dicam navigationis, qui sollemni certamine publicoque spectaculo multarum gentium celebratur — — maria temptantur.*

PRID · NON · MART · (Mart. 6). — NP

Hoc die Caes(ar) pontif(ex) maxim(us) fact(us) est *MAFF.* — Fe[*riae ex s. c. quod eo die*] imp. Caesar August. pont. m[*axim. factus est Quiri*]nio et Valgio. cos. [*a. u. c.* 742]. IIviri ob [*eam rem inmolant; p*]opulus coronatus feriatus [*agit.*] *PRAEN.* — *Eodem spectare videtur FER. CVM. versu extremo, ex quo non superest nisi* ...xim...; *nam praecedunt feriae Ianuarii* 16 *et fortasse* 30.

Res nota est (Dio 54, 27); diem praeterea nominat Ovid. fast. 3, 420, annum stabiliverunt demum fasti Praenestini. Noli mirari mortuo Lepido a. 741 non statim successisse Augustum; conferendum est Augusto mortuo a. 14 Aug. 19 Tiberium pontificatum suscepisse demum a. 15 Mart. 10. — Non recte autem cum alii tum Marinius (in eph. Pis. 41, 271) et Drumannus (3, 167) adnotationem Maffeiani hemerologii itemque Ovidii locum ad dictatorem Caesarem revocaverunt adeoque posuerunt Augustum Lepido a. 741 mortuo expectavisse in ineundo pontificatu diem, quo pater pontifex maximus factus esset. Nam verum quidem est Octavianum ex legitimo huius aetatis usu non appellari simpliciter Caesarem dempto non solum Augusti cognomine sed etiam sollemni praenomine imperatoris; at vulgo saepissime dicebatur Caesar tantum secutique sunt sermonem quotidianum magis quam legitimum hemerologiorum quadratarii (v. supra p. 363).

NON · MART (Mart. 7). — F

[*Vedi*]ovi. Artis Vediovis inter duo lucos *PRAEN.*

Ovidius (fast. 3, 429) scribit nonis Martiis in fastis solam dedicationem aedis Vediovis inter duos lucos neque quidquam praeterea adnotari. Idem sine dubio Verrius adscripsit, sed quadratarius verba eius ita corrupit, ut restitutio desperanda sit. Nam quod Foggiuius posuit p. 26 *arcis* ego ne intellego quidem; quod voluit Prellerus myth. p. 320 *Iovis Martis Vediovis* refellit constans in talibus tertii casus usus. Fortasse ARTIS corruptum est ex AEDIS exciditque praeterea *dedicata*. Ante *Vediovi* spatium requirit alia; nec tamen ausus sum inserere *feriae*, cum praesertim dies fastus sit. De aede Vediovis in Capitolio inter duos lucos cf. Becker top. p. 387. 410.

NON · MART · (Mart. 7). — F

Iunonalia *PHIL.*

Alibi non memorantur.

VII ID · MART · (Mart. 9). — C

Arma ancilia movent *PHIL.*

Vide quae notavimus ad Mart. 1.

VI ID · MART · (Mart. 10). — C

Feriae ex s(enatus) c(onsulto), q[*uod eo die*] Ti. Caesar pontifex max(imus) fac(tus) est Druso et Norbano [*cos.*] (*a. p. Chr.* 15) *PRAEN. in nota postea adiecta.* [*Ti. Caesar. pontifex*] maximus est factus [*Drus*]o et Norbano cos. *VAT.*

Orell. 686: *VI idus Martias — — Ti. Caesar pontifex maximus felicissime est creatus.* Cf. Eckhel 6, 187.

V ID · MART · (Mart. 11).

Natalis Favonii *SILV.*

Secundum communem opinionem rusticorum Favonii flare incipiunt circa idus Febr. (Varr. 1, 28; Colum. 11, 2, 15); neque ad eorum initium adnotationem Silvii traxerim, quae magis videtur corrupta esse et fortasse ex duorum adnotationum diversarum reliquiis conflata.

III ID · MART · (Mart. 13).

Iovi cultori; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Numen praeterea quod sciam non memoratur, ut adeo de menda suspicari liceat. *Iovem ultorem* nominant nummi Gallieni; nec male Herwartus (in epistula ms. ad Aleandrum inserta cod. Vat. 9135) proposuit *Iovi custodi*, quod fortasse praeferendum est. Ei numini notum est aedem magnam in ipso Capitolio dedicatam esse a Domitiano (Becker top. p. 407).

PRID · ID · MART · (Mart. 14). — NP

EQVIRR(IA) *MAFF. VAT.* — Feriae Marti *VAT.* — Sacr(um) Mamurio *ARVT.* Mamuralia *PHIL.*

Equirria sive ecurria (sic enim cum *r* littera geminata scribendum esse ostendunt lapis Vaticanus Varronisque liber scriptus) commemorant cum hemerologia et supra III k. Mart. (Febr. 27) et hoc die praeter consuetudinem feriarum pari (v. supra p. 375), tum Varro 6, 13 (secundum cod. Flor.): *Ecurria ab equorum cursu; eo die enim currunt in Martio campo* Festusque ep. p. 80: *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur* (cf. idem v. Martialis campus p. 131) itemque Ovidius fast. 2, 855 sq. 3, 517 sq. Altera equirria eadem esse ac Mamuralia posterioris aetatis (cf. Serv. ad Aen. 7, 188) ostendit tabula Philocali. Mamurius scilicet ancilium faber cum totus pertineat ad cultum Martis, huius autem mensis die 9 propter mota ancilia sacrum fiat, item die 19 Quinquatribus ancilia lustrentur, facile intellegitur, cur Equirria altera vulgo dicta sint Mamuralia. Neque contrarium, quod teste Lydo 4, 36 Mamurii aliquot partes fuerunt etiam die sequente. Ceterum in circo illo equos eo die cucurrisse recte negavit Beckerus top. p. 669; imo discurrebant eo curribus iuncti per campum.

ID · MART · (Mart. 15). — NP

Feriae Annae Perennae via Flam(inia) ad lapidem prim(um) *VAT.* Annae Per.... *FARN.*

Qui haec sacra instituerunt utrum magis cogitarint de amne perenni an de anno feliciter perennando, dubitatur (cf. Preller myth. p. 304 sq.) nec facile est certa ratione controversiam diiudicare. Illi opinioni favet Ovidius (fast. 3, 653), huic magis conveniunt quae scribunt Macrobius 1, 12, 6 sacrificari hoc die publice privatimque, *ut annare perennareque commode liceat* et Lydus 4, 36: *εἰδοῖς Μαρτίαις ἑορτὴ Διὸς διὰ τὴν μεσομηνίαν καὶ εὐχαὶ δημόσιαι ὑπὲρ τοῦ ὑγιεινὸν γενέσθαι τὸν ἐνιαυτόν*, ubi notandum ferias has Iovi tribui, fortasse proprie et recte (cf. Ovid. fast. 3, 660), sicut supra p. 375 vidimus. Ovidius fast. 3, 523 sq. plebis hilaritatem magis depingit quam publicum sacrificii ritum.

ID · MART · (Mart. 15).

Canna intrat *PHIL.*

Lyd. de mens. 4, 36: *εἰδοῖς Μαρτίαις — — ἱεράτευον δὲ καὶ ταῦρον ἑξέτη ὑπὲρ τῶν ἐν τοῖς ὄρεσιν ἀγρῶν, ἡγουμένου τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῶν κανηφόρων τῆς μητρόχου* (sic Roetherus; codex *μητρέχου*). Praeter hos Lydi et Philocali locos paucosque lapides, in quibus nominantur collegia *canoforarum*, *cannoforum*, *cannofororum* (Henzen 6072—6074) cannaria sacra quod sciam non commemorantur; puellae enim *κανηφόροι* Graecorum Aegyptiacorumque sacrorum omnino diversae fuerunt neque declinatae sunt a canna, sed a *κανῷ* canistro. Pertinuisse videntur cannophorae ad cultum matris magnae cannisque mulieres die Martis 15 in urbem similiter introisse ac die eiusdem mensis 22 arboribus viri; quod confirmat cum pontificis maximi eius sacri cura, quae non cadit in sacra peregrina posteriore aetate recepta, tum mitrophori appellatio cannophorae maximae tributa optime conveniens Phrygio sacro. Canna autem in his fortasse accipienda erit de thyrso. Fieri potest, ut sollemnitas haec quodammodo successerit in feriarum Annae Perennae locum, quibus meliore aetate urbanus populus veris initium hilare celebrarat. Cf. Iun. 18.

XVI K · APR · (Mart. 17). — NP

[LI]B(ERALIA) AGON(IA) *VAT.*; LIBER(ALIA) *MAFF. FARN. ARVT.* — Libero in Ca[*pitolio*] *FARN.* — Liberalici; c(ircenses) m(issus) XXIV[a] *PHIL.* Circenses *SILV.*

Diem hunc in libris Saliorum Agonensium sive Collinorum sub nomine non Liberalium, sed agonium perscriptum fuisse tradit Varro 6, 14; cf. Macrobius 1, 4, 15: *Masurius in secundo fastorum: Liberalium dies, inquit, a pontificibus agonium Martiale appellatur.* Certe in antiquissimis fastis aut simpliciter AGON scriptum fuit aut cum nomine illo generali speciale Liberalium coniunctum, sicut est in fastis Vaticanis; vide quae adnotavimus ad Ian. 9. — Aedes Liberi quo loco fuerit, non traditur; quamquam non intellegendam esse, quam intellexit Merkelius (praef. ad fast. p. CLVIII) aedem Cereris Liberi Liberaeque dedicatam a. 258 inde maxime patet, quod Liberi delubrum diversum fasti Farnesiani licet laceri indicant. Quorum supplementum petendum est ex Servio ad Vergilii ecl. 4, 50: *cum pueri togam virilem sumpserint* (quod antiquo tempore plerumque Liberalibus factum est, Ovid. fast. 3, 771 al.), *ad Capitolium eunt.* Conferenda praeterea lex Vespasiani de civitate danda proposita *in Capitolio in podio arae gentis Iuliae latere dextro ante signum Lib(eri) patris* (Cardinali dipl. IV). — Ludos circenses hoc die factos aetate posteriore commemorat etiam Ausonius de fer. 29: *et Dionysiacos Latio cognomine ludos Roma colit, Liber quae sibi vota dicat.*

XVI K · APR · (Mart. 17).

Caesar Hi[*spaniam vicit*] *FARN.*

Pertinet ad pugnam Mundensem, quam Liberalibus, id est hoc ipso die, a. 709 commissam esse notum est. Cf. Drumannus 3, 636.

XIV K · APR · (Mart. 19). — NP Vat., N Maff.

QVINQ(VATRVS) *MAFF. PRAEN. VAT. FARN. ROM. PICT.*; Quinquatria *ARVT. PHIL. SILV.* — ... [*rectius tamen alii putarunt dictum ab eo quod hic dies est post diem v idus, quo*]d in Latio post [*idus dies simili fere ratione decli*]narentur *PRAEN.* — Feriae Mar(ti)

VAT. [*Sali*] faciunt in comitio saltu [*cum po*]ntificibus et trib(unis) celer(um) PRAEN. Minerv . . . . FARN. — Artificum dies, [*quod Minervae*] aedis in Aventino eo die est [*dedicata*] PRAEN.

Antiquissimum de quinquatribus veriloquium refert Varro 6, 14 simul addita alia eaque sine dubio vera etymologia: *hic dies unus ab nominis errore observatur, proinde ut sint quinque dictus, ut ab Tusculanis post diem VI idus similiter vocatur sexatrus et post diem VII septimatrus, sic hic quod erat post diem V idus quinquatrus.* Derivationem quam hic refutat Varro antea in antiquitatum libris ipse videtur secutus esse, quoniam aliam non novit Ovidius (fast. 3, 810). Idem Festus p. 254: *Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum qui fere his celebrantur; quo* (quod cod.) *scilicet errant tam hercule, quam qui triduo Saturnalia et totidem diebus Compitalia, nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. Forma autem vocabuli eius exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem V iduum est is dies festus, ut apud Tusculanos triatrus et sexatrus et septimatrus et Faliscos decimatrus.* Etymologia illa de quinque diebus, licet falsa, tamen mature ita obtinuit, ut quinquatrus non solum suo die celebrarentur, sed per quattuor sequentes continuarentur; quod Livius 44, 20 arguit vel sexto saeculo factum esse, de sua aetate et ipse Varro testatur loco relato et alii complures confirmant. — Feriae hae proprie Martis fuerunt teste hemerologio Vaticano eoque videntur spectare cum quae de saltatione annua saliorum in comitio scribit Varro 5, 85 tum feriae saliorum circa Minervae festum Dionysii 2, 70; naturam tamen earum paulo accuratius indicat unus Charisius 1 p. 62 Putsch. 81 Keil.: *quinquatrus .. a quinquando, id est lustrando, quod eo die arma ancilia lustrari sint solita.* Non recte enim Prellerus p. 322 haec rettulit ad tubilustria; contra bene monuit Marquardtus (enchir. 4, 376) respondere sibi quinquatrus armis lustrandis dedicatas die Mart. 19 et armilustrium die Oct. 19. Scilicet antiquissima aetate, antequam per hiemem bella continuari coepta essent, comprehendebatur his fere diebus belli tempus lustranturque igitur militum arma et cum promuntur et cum conduntur. Ad saltationem eandem armorum lustrandorum causa factam pertinere patet Verrii adnotationem extremam, eo magis notabilem, quod inde maxime etiam post reges exactos fuisse tribunos (non tribunum) celerum didicimus (v. hist. Rom. meae vol. 1 p. 75 ed. 3), quamquam certa ratione verba Verrii explere non possumus. — Vetustas ferias has pridem obscuraverunt sacra Minervae propter aedem in Aventino hoc die ei dedicatam. Festus loco modo citato post verba relata ita pergit: *Minervae autem dicatum eum diem existimant, quod eo die aedis eius in Aventino consecrata est* (cf. v. scribas p. 333). Idem Ovidius fast. 2, 812 (cf. v. 838) de primis sive veris Quinquatribus: *est illa nata Minerva die.* Contra fastorum Philocalianorum auctor natalem Minervae refert ad a. d. XII k. Apr. (Mart. 21), ex quinque Quinquatruum Minervae sacrarum diebus pro natali deae medium venditans imperite. Artifices hunc diem vel maxime celebrasse praeter Verrium in fastis testatur Ovidius l. c., pleraque eorum collegia nominatim recensens; de qua re nuper diligenter dixit Otto Iahn (*Berichte der sächs. Ges.* 1856 p. 295 sq.) — De aede Minervae in Aventino cf. infra ad Iun. 19 et Becker top. p. 454; vetusta est et ante bellum Punicum secundum facta, etsi quo anno dedicata sit non constat.

XIII K · APR · (Mart. 20 = Phamenoth 24 anni Alexandrini) Pelusia PHIL. SILV.

Originem feriarum narrat Lydus de mens. 4, 40, qui scribit agi eas a. d. XIV k. Apr. Nilus cum aliquando non increvisset Aegyptiique ita plerique perirent, bonum genium iis apparuisse toto corpore lutulentum (πεπηλωμένον) et magna voce exclamasse iam crescere Nilum seque ipsum in aquam incidisse; quod cum verum reperissent, ferias Aegyptios constituisse Pelusias (ἑορτὴ Πηλούσιος). Praeterea M. Antonini biographus c. 23, ubi sic ait: *sacra Serapidis a vulgaritate Pelusiae submovit*, hoc videtur significare Pelusiae festi diei licentiam imperatoris M. Antonini iussu certis finibus circumscriptam esse.

XII K · APR · (Mart. 21)

N(atalis) Minerves PHIL.

Vide ad Mart. 19.

XI K · APR · (Mart. 22)

Arbor intrat PHIL.

Lyd. 4, 41: *τῇ πρὸ δεκάτης καλενδῶν Ἀπριλίων δένδρον πίτυς παρὰ τῶν δενδροφόρων ἐφέρετο ἐν τῷ Παλατίῳ· τὴν δὲ ἑορτὴν Κλαύδιος ὁ βασιλεὺς κατεστήσατο.* Iulianus orat. 5 p. 168 C Spanh.: *τέμνεσθαί φασι τὸ ἱερὸν δένδρον καθ᾽ ἣν ἡμέραν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ἰσημερινῆς ἀψῖδος ἔρχεται· εἶθ᾽ ἑξῆς περισαλπισμὸς παραλαμβάνεται· τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν καὶ ἀπόρρητον θέρος τοῦ θεοῦ Γάλλου· ἐπὶ τούτοις Ἱλάριά φασι καὶ ἑορταί.* Alios locos citat Marquardt enchir. 4, 316.

X K · APR · (Mart. 23). — NP

TVBILVST(RIVM) MAFF. VAT. FARN. Tubilustrium PHIL. — [*Feriae*] Marti. Hic dies appellatur ita, quod in atrio sutorio tubi lustrantur, quibus in sacris utuntur. Lutatius quidem clavam eam ait esse in ruinis Pala[*ti i*]ncensi a Gallis repertam, qua Romulus urbem inauguraverit. PRAEN.

Varro 6, 14: *Dies tubulustrium appellatur, quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubae lustrantur.* Fest. p. 352 coll. ep. p. 353: *[Tubilustria] quibus diebus adscriptum in [fastis est, in atr]io sutorio agna tubae [lustrantur, quos] tubos appellant; quod genus [lustrationis ex Ar]cadia Pallanteo trans[latum esse dicunt].* Ferias celebrari Lydus (4, 42) scribit Marti et Nerieni Martis uxori, quo conciliatur, quod Martem Verrius posuit, *fortem deam* Ovidius 3, 850. Porphyrio praeterea ad Horat. ep. 2, 2, 209 indicat mense Martio Nerienem de coniuge Marte victoriam obtinuisse. Tubilustrio utroque (vide Mai. 23) comitiis ordinariis diebus sequentibus Mart. 24 et Mai. 24 habendis tubos praecinuisse dixi in chronol. p. 243. — Posteriore aetate tubilustrium videtur quodammodo receptum esse inter ferias Gallorum per hos dies actitatas; certe id sibi persuasit Iulianus or. 5 p. 169 Spanh. — Atrium sutorium non memoratur nisi locis supra relatis, unde ubi fuerit non elucet; puto idem fuisse ac atrium Minervae prope arcum Severi ad comitium (Cur. urb. Rom. reg. VIII), cum quia sutorum dea Minerva est (Ovid. fast. 3, 823), tum quod posteriores Nerienem deam confuderunt cum Minerva (Porphyr. l. c.). — Lutatius praeterea citatur a Varrone 5, 150, Lydo 4, 2, Solino c. 1 p. 2 F Salm., enarratoribus Vergilianis Probo ad georg. 3, 293, Philargyro ad georg. 4, 564, Servio ad Aen. 9, 710, unde quaedam ei attribuit scriptor libelli de origine gentis Romanae. Inscripsit libros quattuor pluresve testibus Probo et Servio titulo communium historiarum, puto fabularum tam apud Graecos quam apud Romanos sparsarum; nam perperam omnino Cumanas pro communibus eas dicendas esse contendit nuper Reifferscheidius (mus. Rhen. nov. 15, 609). Scriptor videtur fuisse ipse consul a. 652 Q. Lutatius Catulus (v. chronol. meae p. 143); certe satis antiquus fuit Varroni Verrioque laudatus. Fabellam de lituo Romuli reperto illaeso in curia Martis (Dionys. 14, 5; Plut. Cam. 32) Saliorum a Gallis incensa praeter Verrium narrant Cicero de div. 1, 17, 30 aliique (Becker top. 421; Schwegler 3, 253). Hoc autem loco valde ea inconcinne adsuta est ad tubilustrii interpretationem estque hic locus inter eos, quos non tam a Verrio scriptos esse credas, quam male ex scriptis eius excerptos; nam a tuba ad lituum etsi simillimum eius (Gell. 5, 8, 8), deinde a lituo quo canitur ad lituum auguralem, qui ab illius similitudine nomen invenisse dicitur (Cic. l. c.), transitio sic quasi quodam saltu omissis intermediis nullo modo fieri debuit. — De ancilibus hoc die denuo motis diximus ad Mart. 1.

IX K · APR · (Mart. 24).

Sanguem PHIL.

Vita Claudii c. 4: *Cum esset nuntiatum IX k. Apr. ipso in sacrario Matris sanguinis die Claudium imperatorem factum neque cogi senatus sacrorum celebrandorum causa posset, sumptis togis itum est ad Apollinis templum.* Tertull. apolog. 25: *archigallus — die IX k.*

eorundem (Apr.) — *sanguinem impurum lacertos quoque castrando libabat.* Plura apud Marquardtium enchir. 4, 317. Ad *sanguem* formam Hauptius conferri iubet *inguem* plane similem in codice Frontonis epistularum ad M. Caesarem 5, 34 p. 98 ed. Mai Rom. 1846.

IX K · APR · (Mart. 24)

Natalis calices *SILV.*

Non intellego, quid subsit. Num ea aetate ab hoc die numerabantur anni militiae caligatae?

VIII K · APR · (Mart. 25).

Hilaria *PHIL.*

Macrob. 1, 21, 7: *Catabasi finita* (id est sole e sex inferioribus zodiaci signis emergente ad superiora) *simulationeque luctus peracta celebratur laetitiae exordium a. d. VIII k. Apr., quem diem Hilaria appellant, quo primum tempore sol diem longiorem nocte protendit.* Iulianus l. c. ad Mart. 22. *Hilaria matris deum* inter summae laetitiae publicae dies nominantur in vita Alexandri c. 37 (cf. vita Aurel. c. 1) eodemque videtur referri quod narrat Herodianus 1, 10 initio veris matrem deum celebrari pompa, in qua praeferatur ei quidquid reconditarum divitiarum per domus servetur, personatique fere ludibriis et omnis generis lusibus lasciviant. Alii loci de Hilariis citantur apud Marquardtum in enchir. 4, 318. Cf. infra Nov. 3.

VII K · APR · (Mart. 26).

Requetio *PHIL.*

Dies requietionis interpositus inter Hilarium lasciviam et lavationis taurobolilque caerimonias quo pertineat satis intellegitur, etsi praeterea non memoratur.

VI K · APR · (Mart. 27). — NP

Hoc die Caesar Alexand(ream) recepit *MAFF.*

Caesarem intellege dictatorem, quem notum est Alexandream recepisse vere a. 707; diem comperimus ex solo hemerologio. Cf. Drumann 3, 549.

VI K · APR · (Mart. 27).

Lavatio *RUST. PHIL.* Lavationem veteres nominabant *SILV.*

Ammian. 23, 3, 7: *a. d. VI k.* (Apr.) — *Romae Matri deorum pompae celebrantur annales et carpentum, quo vehitur simulacrum, Almonis undis ablui perhibetur.* Alios locos citat Marquardt enchir. 4, 318. Ante portam Capenam ad principium viae Appiae (cf. Statius silv. 5, 1, 222; Preller reg. p. 116), qui matris deum simulacrum ex Phrygia afferebant, id lavisse dicebantur antequam urbem ingrederentur (Ovid. fast. 4, 337 sq.) indeque sollemnitatem eam annuam factam esse; quod tamen cum annalium narratione in urbem deam invectam esse a. d. prid. non. Apr. in die non satis convenit. Quare fortasse aliunde exorta est illa deae lavandae consuetudo (cf. Martial. 3, 37, 2). Hoc notandum ex omnibus sacris matri magnae Martio mense peragendis testes duos antiquissimos Ovidium et menologium rusticum solam lavationem nominare; unde conicias reliqua aetate posteriore demum inter publica populi Romani sacra recepta esse.

V K · APR · (Mart. 28).

Initium Caiani *PHIL.*

Gaianum circus est trans Tiberim in Vaticano factus a Caligula, a quo nomen traxit (Dio 59, 14; Becker top. p. 671; Preller reg. p. 59. 205). Ibi taurobolinca sacra urbana peracta esse indicat et quod in Curioso reg. XIV coniunguntur *Gaianum et Frigianum*, id est Phrygiae matris sacrarium, et quod sacrorum tauroboliacorum in provinciis ad exemplum urbanorum institutorum locus item appellari solet Vaticanus (Orell. 2322) et insignis numerus inscriptionum tauroboliacarum repertarum ad ecclesiam S. Petri. Cf. Preller myth. p. 741. Ceterum quamquam notum est ad taurobolium consummandum pluribus diebus opus fuisse itaque recte se habet *initium*, tamen diem Mart. 28 praecipuum in tauroboliis locum obtinuisse inscriptionibus non videtur confirmari.

PRID · K · APR · (Mart. 28). — C

Lunae in Ave[*ntino*] *PRAEN.*

Ovid. fast. 3, 883. Becker top. p. 456.

K · APR · (Apr. 1). — F

Frequenter mulieres supplicant Fortunae virili humiliores etiam in balineis, quod in iis ea parte corpor[*is*] utique viri nudantur, qua feminarum gratia desideratur *PRAEN.* — Veneralia; ludi *PHIL.*

Lyd. 4, 45: *ταῖς καλάνδαις Ἀπριλίαις αἱ σεμναὶ γυναῖκες ὑπὲρ ὁμονοίας καὶ βίου σώφρονος ἐτίμων τὴν Ἀφροδίτην· αἱ δὲ τοῦ πλήθους γυναῖκες ἐν τοῖς τῶν ἀνδρῶν βαλανείοις ἐλούοντο πρὸς θεραπείαν αὐτῆς μυρσίνῃ ἐστεμμέναι.* Macrob. 1, 12, 15 postquam mensem Aprilem ab Aphrodite nomen traxisse negavit, ita pergit: *non tamen negat Verrius Flaccus hoc die (?) postea constitutum ut matronae Veneri sacrum facerent, cuius rei causam quia huic loco non convenit, praetereundum est.* Ovidius fast. 3, 145 ostendit eo die et Fortunae virili et Veneri verticordiae mulieres sacrificasse, illi ut viris placerent, huic ut pudicitiam servarent. Denique Plutarchus Num. 19 eandem relationem neglegenter reddidit. Apparet autem pendere omnes ex eodem auctore, scilicet Verrio Flacco, nisi quod quae ille posuit Macrobius pudoris causa omisit. Praenestinus autem quadratarius sententiam corrupit verbis quibusdam omissis; nam scripserit Verrius necesse est ita fere: *frequenter mulieres supplicant honestiores Veneri verticordiae, Fortunae virili humiliores, etiam in balineis* cet. — Veneri verticordiae aedes dedicata est a. 641 (Obseq. 37 al.) ad circum (Becker top. p. 467).

inter K · APR · (Apr. 1) et VII K · MAI (Apr. 25).

Sacrum Phariae *RUST.*

Isis Pharia nominatur apud Minuc. Octav. 21 aliosque, item in titulis (C. I. Gr. 3683*b*. 5119) nummisque (Eckhel 8, 136) eademque Ceres Pharia est Tertulliano apolog. 16.

III NON · APR · (Apr. 3).

N(atalis) dei Quirini; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.* Circenses *SILV.*

PRID · NON · APR · (Apr. 4). — C

Nobilium mutitationes cenarum solitae sunt fieri, quod Mater magna ex libris Sibullinis arcessita locum mutavit ex Phrygia Romam *PRAEN.*

Diem habet etiam Livius 29, 14 ad a. 550: *in aedem Victoriae quae est in Palatio pertulere deam prid. [non.] Apr. isque dies festus fuit; populus frequens dona deae tulit lectisterniumque et ludi fuere, Megalesia appellata.* Ita recte omnino Pighium emendasse quod est in libris *pr. id. Apr.* demonstrant fasti Verriani. De mutitationibus vide praesertim Ovid. fast. 4, 353 et Gellium 2, 24, 2. 18, 2, 11.

PRID · NON · — IV ID · APR · (Apr. 4—10).

MAFF.	*PRAEN.*	*VAT.*	*PHIL.*	*SILV.*
4 matr(i) mag(nae)	ludi m(atri) d(eum) m(agnae) I(daeae). Megalesia vocantur quod ea dea Megale appellatur	...	ludi Megalesiaci.	ludi
5 ludi	ludi	...	ludi	
6 ludi	ludi	...	ludi	
7 ludi	...	...	[ludi *excidit*]	
8 ludi	...	...	[n(atalis) Castoris et Pollucis; c(ircenses) m(issus) XXIV]	
9 ludi	...	..	ludi	
10 lud(i) in cir(co)	ludi in circo	lud ...	Megalesiaci; c(ircenses) m(issus) XXIV	circenses

Ludi Megalesiaci instituti sunt a. u. c. 550. Primarius dies fuit adventus deae primus Apr. 4 (vide ad eum notam) isque scaenicus mansit; postea aedes eidem dedicata est Apr. 10 (vide ibi), accesseruntque sive ipso dedicationis tempore sive postea demum in eius diei honorem circenses. Similiter creverunt Floralia.

NON · APR · (Apr. 5). — N

Fortunae publicae citerio[ri] in colle *PRAEN.*

Ovid. fast. 4, 375: *sacrata est colle* (al. *valle*) *Quirini hac Fortuna die publica.* Becker top. p. 580. Male iungunt *citerioris* vocem cum *colle*, cum sit Fortuna publica citerior; nam fasti ordinem verborum legitimum sic non invertunt. Potuit autem recte ex tribus Fortunae templis in colle Quirinali sitis una citerioris appellatione distingui.

VIII ID · APR · (Apr. 6). — NP

F(eriae) q(uod) e(o) d(ie) C. Caesar C. f. in Africa regem [*Iubam*] v[*icit*] *PRAEN.*

Eundem diem pugnae ad Thapsum a. 708 commissae Ovidius (fast. 4, 379) iisdem fere verbis adnotavit. Cf. Drumann 3, 594.

VI ID · APR · (Apr. 8).

N(atalis) Castoris et Pollucis; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Dies praeterea ignotus; cf. Ian. 27. Aug. 13. Etiam in circo maximo Castores aediculam habuisse colligas ex Tertoll. de spect. 8; cuius natalem nihil obstat quin hoc die celebratum esse statuamus.

IV ID · APR · (Apr. 10). — N

M(atri) d(eum) m(agnae) in Palatio, quod eo die aedis ei dedicata est *PRAEN.*

Dedicata est a. u. c. 563. Cf. Becker top. p. 421.

PRID · ID · APR · — XIII K · MAI · (Apr. 12—19).

TVSC.	*MAFF.*	*PRAEN.*	*VAT.*	*PHIL.*	*PHIL.*
12 [ludi] Cer(eri)	ludi Cereri	..... fructus	ludi Cerial(es)	Cerealici c(ircenses) m(issus) XXIV	ludi
13 ludi	ludi	...		ludi	
14 ludi	ludi	...		ludi	ludi
15 ...	ludi	...		ludi	ludi
16 ...	ludi	ludi		ludi	ludi
17 ...	ludi	lu[di]	...	ludi	
18 ...	ludi	lu[di]	...	ludi	ludi
19 ...	lud(i) in cir(co)	...	...	Cerealici c(ircenses) m(issus) XXIV	circenses. Consulis tertiae mappae

Ludi Ceriales incertae sunt originis, sed ut vetustate plebeis non multum cedant (vide hist. meae rei mon. Rom. p. 642). Primarius dies sine dubio fuit extremus a remotissimo inde tempore Cereri feriis destinatus. Postrema aetate Cerealium die ultimo consulem ordinarium circenses tertios edidisse ostendit Silvius (vide ad Ian. 7. 13); quocum coniunctum est, quod magistratum mox Apr. 21 deponit.

XVII K · MAI · (Apr. 15). — NP

FORD(ICIDIA) *MAFF. VAT. PRAEN.*

Fordicidia sive hordicidia (Fest. ep. p. 102), fordicalia (Lyd. 4, 49), hordicalia (Varro de r. r. 2, 5, 6), dicta a bubus fordis sive hordis, id est gravidis eo die immolandis (Varr. 6, 15 al.), fiunt Telluri (Ovid. fast. 4, 633: *nunc gravidum pecus est, gravidae quoque semine terrae; Telluri plenae victima plena datur.* Lyd. l. c.) partim in Capitolio, partim in curiis triginta (Varr. 6, 15; Ovid. fast. 4, 635).

XVI K · MAI · (Apr. 16). — N

Com..... *PRAEN.*

XIII K · MAI · (Apr. 19). — N.

CER(IALIA) *MAFF. PRAEN.* — *Vide supra ludos Ceriales, hoc ipso die finientes circensibus.*

Varro 6, 15 *Cerialia* (sic Flor.) *a Cerere.* Feriae ipsae vix memorantur obscuratae celebritate ludorum, quamquam postea demum ad antiquissimas ferias hos accessisse apertum est. Dionysius 6, 17 (cf. Merkel ad fast. p. CLVIII) Cerialium institutionem coniungere videtur cum dedicatione aedis Cereris Liberi Liberaeque a. u. c. 258; nos cur illam antiquiorem existimemus, supra p. 376 exposuimus. Cerealia denique memorat titulus anni p. Chr. 319 sine dubio urbanus, quem ex noto codice Vitaliano olim, nunc Parmensi Kyriaci Anconitani edidit nuper Rossius (inscr. christ 1, 35), sic conceptus: *potentiss. diis [matri deum et At]|ti menotyranno ...... | Serapias h. f. sac. [deum] | matris et Proserpinae | taurobolium criobol. caerno | perceptum per Fl. Antoni[um Eustochium sac. Phryg. | max. praesentibus et tradentib. | cc. vv. ex amplise. et sanctiss. | coll. XV vir. s. f. die XIII kal. | Maiar. Cerealibus dd. nn. | Constantino max. Aug. V et | Licinio iun. Caes. coss.* V. l. 3 supplevit Rossius. — V. 3 in codice est SACR, pro SAC·D opinor. — V. 5 intellege *κέρνον*, id est patellam; non recte Rossius pro CAERNO emendavit ET · AEMOB. Cf. I. N. 3144 titulus a patre positus puellae Heriae Victorinae *caernophoro;* sic enim scribendum ibi pro *aernophoro.*

XI K · MAI · (Apr. 21). — NP

PAR(ILIA) *MAFF. PRAEN.* ....|| est .... dae. || Qu[*are autem hoc die .... per*] || ignes tran[*siliant*] .... || principio an[*ni pastoricii*] ..... || redigitur *PRAEN.* N(atalis) Urbis. C(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.* Natalis Urbis Romae. Parilia dicta de partu Iliae *SILV.*

Varro 6, 15 *Palilia dicta a Pale, quod ei feriae.* Cf. quae congesserunt Schwegler 1, 444 et Marquardt 4, 164. Parilia a partu Iliae praeter Silvium derivant Charis. p. 58 Keil et schol. Pers. 1, 72 (cf. Lyd. 4, 50 extr.). — Dea cum dicatur Pales, festum eius diem Parilia nuncupari meliores grammatici et libri plurimi et optimi quique consentiunt accedente praeter Silvium tabula Maffeiana neque obstante Praenestina, in qua nihil superest nisi PA.... Putarim tamen utrumque vocabulum derivari a pariendo litteramque *r* in Pale abiisse in *l*, fere ut tribum Crustuminam a Crustumeria oppido dictam antiquo tempore elatam esse cum *l* littera pro *r* ostendit nota, quae est CLV (cf. Servius ad Aen. 7, 631). — Ex longa Verrii adnotatione de Parilium origine ritibusque paucae litterae quae remanserunt hoc ostendunt extremo capite eum exposuisse de nota consuetudine Parilibus ter per stipulas accensas transiliendi (Varro apud schol. Pers. 1, 72; Prob. ad Virg. georg. 3, 1; Dionys. 1, 88; Ovid. fast. 3, 727. 781; Tibull. 2, 5, 89; Propert. 514, 77), deinde egisse de anno pastoricio, qui ut prospere eveniret sacra haec obibantur. Cf. Ovid. l. c. v. 775: *quae precor eveniant et nos faciamus ad annum pastorum dominae grandia liba Pali.* Tibull. l. c. v. 81: *succensa sacris crepitet bene laurea flammis, omine quo felix et sacer annus erit.* — Circenses quos primum hic dies accepit propter nuntium victoriae Caesaris ad Mundam a. 709 pridie eius diei ad urbem allatum (Dio 43, 42), non diu tenuerunt (Dio 45, 6). Postea vero eidem diei eos attribuit Hadrianus propter natalem urbis teste nummo apud Eckhelium 6, 502 sic legendo: ANNO DCCCLXXXIIII (p. Chr. 121 vel 122) NATali VRBis *Parilibus* CIRcenses CONstituti. Scilicet constituit circenses, cum templum Romae et Veneris sive, ut postea fere di-

cebant, templum Urbis dicavit (Becker top. p. 444); sic Athenaeus (l. 8 p. 361) ferias Parilium iam ait appellari Ῥωμαῖα aede Fortunae Urbis dedicata ab Hadriano eumque diem quotannis sollemniter celebrare quicumque in urbe habitent. Circenses hos deinde ad extremam usque aetatem mansisse non tam probatur locis de saecularibus anni millesimi sub Philippo celebratis quam insigni Prosperi testimonio a. 444 ob reverentiam diei passionis natalem urbis Romae transiisse sine circensibus.

XI K · MAI · (Apr. 21).

Consules ordinarii fasces deponunt SILV.

Symmach. ep. 6, 40: *natali urbis suffectum consulem currus quo vehebatur evolvit per ferociam bigarum, quae triumphum vehebant; itaque palmata amictus et consulari insignis ornatu fracto crure sublatus est.* Cf. supra ad ludos Ceriales (Apr. 12—19).

IX K · MAI · (Apr. 23) — NP Maff., ꝑ Praen.

VIN(ALIA) MAFF. PRAEN. — Io[vi] . . . . | m . . . . | ded . . . . [*Vini omnis novi libamentum Iovi*] | consecratum [*est, cum Latini bello preme*]rentur ab Rutulis, quia Mezentius rex Etrus[*co*]rum paciscebatur, si subsidio venisset, omnium annorum vini fructum PRAEN.

Varro 6, 17: *Vinalia a vino. Hic dies Iovis, non Veneris* (idem repetiit Masurius fastorum II apud Macrob. 1, 4, 6). — — *In Tusculanis hortis* (*sortis* cod.) *est scriptum vinum novum ne vehatur in urbem ante quam vinalia kalentur.* Ibidem quae refert Varro de flamine Diali vindemiam auspicante, id alterutris vinalibus factum esse nec dixit nec dicere potuit, sed allegat, ut melius intellegatur in vini festo die locum esse Iovi; quod neglegentes recentiores in varios gravissimosque errores inciderunt. Fest. ep. p. 374: *Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum Iovi libabant;* p. 65: *calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Iovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant festa vinalia.* Plin. 18, 29, 287 *Vinalia priora — — IX k. Mai. degustandis vinis instituta.* Ovid. fast. 4, 863 sq. Vinalia et Iovis diem esse scribit et festum Veneris, quo dedicata sit aedes Veneris Erycinae ad portam Collinam (Liv. 40, 34; Becker top. p. 582; Merkel ad fast. p. CXXXVI) deamque suam celebrent meretrices; id quod confirmat Varronis satura 'vinalia περὶ ἀφροδισίων' et in adnotatione ad Robigalia (Apr. 25) Verrius. Apparet igitur Vinalium ferias proprie Iovis esse, accessisse postea (fortasse quoniam antiqui vinum Veneremque coniunctas putabant; cf. Plutarch. q. R. 45) natalem Veneris festumque deae eius. Nec potuerunt sane aberrantibus ab anno naturali fastis civilibus vinalia in antiquo statu manere vinique novi gustatio eo die recte fieri. Nam origine vinalia haec omnino fuerunt Latinorum πιθοίγια; scilicet quae posteriore tempore apud Romanos consuetudo invaluit vini novi non bibendi nisi post annum (cf. Varr. de r. r. 1, 65 ibique interpretes), recens sine dubio est et ab aucta luxuria repetenda, apertaque sunt antiquo tempore dolia primo vere, id quod apud Graecos semper obtinuit (Plutarch. quaest. symp. 8, 10, 3: οἴνου τὸν νέον οἱ πρωϊαίτατα πίνοντες Ἀνθεστηριῶνι πίνουσι μετὰ χειμῶνα). — De Mezentio Festus p. 265 in Vinalibus alteris: *Iovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium omnis vini libationem ei deo dedicaverunt* aliique (Cato apud Macrob. 3, 5, 10; Varro apud Plin. 14, 12, 88; Dion. 1, 65; Ovid. fast. 4, 879; Plutarch. q. Rom. 45; Schwegler 1, 288). Turnus rex Rutulorum dicitur a Latinis victus a Mezentio rege Caeritum auxilium petiisse et obtinuisse pactis in futurum primitiis vini cum ex agro ipsorum Rutulorum tum ex Latino coniunctis utrorumque copiis subigendo. Quo audito Aeneam eas primitias Iovi potius vovisse potioremque fuisse in pugna deum quam regem.

IX K · MAI · (Apr. 23).

Sig(num) divo Augusto patri ad theatrum Marc(elli) Iulia Augusta et Ti. Augustus dedicarunt PRAEN. *in nota postea adiecta.*

Tacitus (ann. 3, 64) ad a. 775 = p. C. 22 Tiberium scribit in urbem rediisse occultis inter eum matremque odiis: *neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem divo Augusto Iulia dicaret, Tiberi nomen suo postscripserat* (unde postscribitur item in tabula Praenestina) *idque ille credebatur ut inferius maiestate principis gravi et dissimulata offensione abdidisse.*

VIII K · MAI · (Apr. 24)

Ti. Caesar togam virilem sumpsit imp. Caesare VII M. Agripp[*a*] III cos. (*u. c.* 727) PRAEN. *in nota postea adiecta.*

Annus diesque alibi non memorantur. Ti. Caesar, natus a. 712 Nov. 16, a. 727 Apr. 24 habebat annos XIV menses V.

VII K · MAI · (Apr. 25). — NP

ROB(IGALIA) MAFF. PRAEN. — Feriae Robigo via Claudia ad milliarium V, ne robigo frumentis noceat. Sacrificium et ludi cursoribus maioribus minoribusque fiunt. Festus est puerorum lenoniorum, quia proximus superior meretricum est PRAEN.

Dei Robigi deaeque Robiginis natura aperta est; quamquam cum ludos hos alii (Tertull. de spect. 5) scribant a Numa factos esse Marti et Robigini, non absurde suspicere sub nomine Robigi non alium indigitari quam ipsum Martem rusticum (cf. Cato de r. r. 141). Via Claudia a Flaminia divertit ad sextum lapidem testibus tabula Peut. et Ovidio (ex Ponto 1, 8, 43), ut quintus eius lapis ibi fere fuerit ubi nunc est *la Storta* (Westphal *röm. Camp.* p. 153 sq.) Hunc locum a Verrio indicatum viri docti (cf. Merkel p. CLI; Becker top. p. 178) conciliare nescierunt cum Ovidio, narrante redeunti sibi Nomento in urbem obviam factum esse flaminem cum pompa euntem in lucum Robiginis; nec sane viam Claudiam transit proficiscens Nomento Romam. At Ovidii horti cum siti essent ad ipsam viam Claudiam non longe a bivio eius et Flaminiae (ep. ex Ponto l. c.), id est prope pontem Milvium, facile intellegitur poetam revertisse Nomento in hortos illos suburbanos et ibi prope incidisse in pompam sive Flaminia sive Claudia via iter facientem. Porta igitur alibi non memorata Catularia, per quam pompa illa ex urbe egrediebatur (Fest. ep. s. v. p. 45), quae cur urbana non fuerit, non perspicio, quaerenda erit ad Capitolinum montem collemve Quirinalem. De cursoribus maioribus minoribusque apte contulit Fogginius p. 65. 66 Suetonium Caes. 39: *troiam lusit turma duplex maiorum minorumque puerorum* similesque locos alios (Suet. Aug. 43. Tib. 6. Plin. h. n. 7, 20, 84). Dies festus puerorum lenoniorum alibi non memoratur, cum feriati meretricum Apr. 23 saepius mentionem fieri supra viderimus.

VII K · MAI · (Apr. 25 = Pharmuthi 30 anni Alexandrini).

Sarapia RVST. Serapia PHIL.

De feriis his praeterea nihil inveni.

IV K · MAI · (Apr. 28). — NP

Feriae ex s(enatus) c(onsulto) quod eo die [*aedicul*]a et [*ara*] Vestae in domu imp. Caesaris Augu[*sti po*]ntif(icis) ma[*ximi*] dedicatast Quirinio et Valgio cos. (*u. c.* 742) PRAEN.

Eodem anno d. Mart. 6 cum Caesar pontificatum maximum suscepisset, propterea sibi oblatam domum publicam recusavit quidem, ἀλλὰ μέρος τι τῆς ἑαυτοῦ, ὅτι τὸν ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν, ἐδημοσίωσε (Dio 54, 27). Haec est ipsa aedicula Vestae in domo Augusti d. Apr. 28 eius anni consecrata, id est publicata; quam consecrationem tetigit praeterea Ovidius (fast. 4, 949). Cf. Becker top. p. 236.

IV K · MAI · (Apr. 28).

Eodem die aedis Florae, quae rebus florescendis praeest, dedicata est propter sterilitatem frugum PRAEN.

Dedicaverunt aedem Florae ad circum maximum aediles plebis L. M. Publicii (Tac. ann. 2, 49; Becker top. 2, 472. 673.) anno u. c. 514 (Vell. 1, 14) vel 516 (Plin. 18, 29, 286 secundum libros scriptos). Cf. Marquardt et Friedlaender in enchir. 4, 324. 494.

IV K · — V · NON · MAI · (Apr. 28 — Mai. 3).

VENVS.	MAFF.	PRAEN.	PHIL.	SILV.
Apr. 28 ...	lud(i) Flor(ae)	ludi Florae		
29 ...	ludi	ludi		
30 ...	ludi	ludi	ludi Florales	Floria *(ad Apr. 27)*
Mai. 1 lud(i)	...	...	[ludi *excidit*]	
2 lud(i)	...	...	ludi	
3 lud(i) in circo	...	...	Floralici; c(ircenses) m(issus) XXIV	

Ludi Florales stati annui facti sunt a. u. c. 581. Coeperunt sine dubio a die dedicationis Apr. 28 (ubi vide), qui et ab initio scaenicis ludis videtur celebratus esse et in eodem ludicro semper permansit. Dies quattuor sequentes postea demum videntur accessisse, similiter ac Megalensia crevisse supra vidimus, extremusque eorum tam circensium spectaculum habuit, quo extremis liberae rei publicae temporibus ludi omnes finiebantur, quam sacrificium Florae (v. Mai. 3).

K · MAI · (Mai. 1). — F

Lar(ibus) *VEN.*

Hoc die aram Laribus praestitibus constitutam esse scribit Ovidius (fast. 5, 129 coll. Plutarcho q. R. 51). Num vero dies hic is sit, quo Augustus Lares compitalicios coli iussit floribus vernis (Suet. Aug. 31; cf. Marquardt 2, 3, 270), non satis constat. Laralia certe, quae inter popularia sacra Festus p. 253 recenset, Compitalia potius sunt (vide ad Ian. 3—5).

V NON · MAI · (Mai. 3). — C

Florae *VEN.*

Ex fastorum Venusinorum ad h. d. adnotatione LVD IN CIR FLORAE quem *circum Florae* effecerunt topographi antiquiores merito docti homines nostrae aetatis exploserunt (Becker top. p. 673), sed ut coniungentes ibi *ludos Florae* diversa ratione errarent. Nam qui usum fastorum probe novit, omnino rem ita expediet, collato inter alios loco fastorum Pincianorum Iul. 30 LVDI · IN · CIRCO · FORT · HVIVSQVE · DIEI, ut duas adnotationes de ludis in circo et de sacro Florae facto seiungat. Floralia igitur pariter ac Megalensia et incipiebant et finiebant oblato deae in cuius tutela erant sacrificio.

IV NON — VII · ID · MAI · (Mai 4—9).

	PHIL.	SILV.
4	ludi Maximati	ludi
5	ludi	
6	ludi	ludi
7	ludi	ludi
8	ludi	ludi
9	Maximati; c(ircenses) m(issus) XXIV	

Nomen ortum sine dubio ab appellatione Maximi ad victoriae titulum adiuncta, ut exempli causa Constantinus Magnus dicitur *Germanicus Maximus ter*, *Sarmaticus Maximus* cet.

VII ID · MAI · (Mai. 9). — N

LEM(VRIA). — *VEN. MAFF.*

V ID · MAI · (Mai. 11). — N

LEM(VRIA). — *TVSC. VEN. MAFF.*

III ID · MAI · (Mai. 13). — N

LEM(VRIA). — *TVSC. VEN. MAFF.*

Cf. Ovid. fast. 5, 419 sq. Porphyr. ad Horat. ep. 2, 2, 209. Inferiae hae a Lemuribus dictae nocturnisque celebratae sacris institutae dicebantur ante quam cum adiecto mense Februario feralia inventa essent. Fana his diebus veteres clausisse scribit Ovidius l. c. v. 485.

IV ID · MAI · (Mai. 12). — C fasti antiquiores, N̵P recentiores.

Lud(i) Mart(i) in circ(o) *MAFF.* — Martialici; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Marti Ultori, cui in foro Augusto aedem dedicarat Augustus, hoc die editos circenses commemorant praeterea Ovidius fast. 5, 597 et Dio 55, 10 inter privilegia novae aedi concessa hoc quoque referens: *τήν τε παράσχεσιν τῶν ἵππων τῶν ἐς τὴν ἱπποδρομίαν — καὶ βουλευταῖς ἐργολαβεῖν ἐξεῖναι, καθάπερ ἐπί τε τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ ἐπὶ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίου ἐνενομοθέτητο.* Instituti creduntur circenses hi eo anno, quo aedes dedicata est u. c. 752; sunt tamen antiquiores. Nam magnificentissima illa gladiatorii muneris naumachiaeque spectacula, quibus teste Velleio 2, 100 Augustus se et Gallo Caninio cos. Martis templum dedicavit, primum et re diversa fuerunt a circensibus annuis, et ab his de quibus agimus recedunt ipso die, cum L. Caninius Gallus fasces tenuerit per secundum illius anni semestre itaque ludos illos factos esse necesse sit a. 752 post Iunium mensem. Deinde a. 752 secundum ipsum Dionis locum supra relatum circenses non tam constituti esse videntur quam novo privilegio aucti. Denique praeter circenses hos Marti editos a. d. IV id. Mai., alteri inveniuntur eidem deo facti k. Aug., quos fieri propter aedem eo die dedicatam diserte scribit Dio (60, 5) quique optime conveniunt dedicationi a. 752 semestri posteriore factae. Quod si circumspicimus huius diei ludorum institutio quo apte referatur, Augustus voti a Marte Ultore bis damnatus et supplicio de patris interfectoribus sumpto et receptis a Parthis signis, cum fori aedificatio lente admodum procederet, interim a. u. c. 734 Marti illi aediculam fecit in Capitolio signaque in ea recepta deposuit (Dio 54, 8), quae deinde absoluta aede maiore in eam translata sunt. Probabile igitur est circenses diei Mai. 12 a. u. c. 734 constitutos esse post dedicatam aedem Capitolinam, alteros vero diei Aug. 1 accessisse dedicata aede in foro Augusto a. 752. Utros intellegat Dio 56, 27. 46, non liquet. Posteriores autem mature abolitos esse, priores mansisse testantur fasti Philocaliani.

III ID · MAI · — XVII K · IVN · (Mai. 13—17).

	PHIL.	SILV.
13	ludi Persici	ludi
14	ludi	ludi
15	ludi	
16	ludi	
17	Persici; c(ircenses) m(issus) XXIV.	

Ludi Persici non antiquiores sunt Diocletiano, nam Arsacidarum Sassanidarumque populi per saeculum tertium ad Aurelianum usque in monumentis publicis nominantur Parthi; Probo deinde Caroque imperantibus in nummis titulisque modo Parthi modo Persae (Eckhel 7, 509; cf. vita Alex. c. 57); mox a Diocletiano inde semper Persae. Instituti autem videntur esse ludi illi non a Constantino Magno, sub quo Persae fere quieverunt, sed aut a Diocletiano, qui plura cum Persis bella gessit et dictus est Persicus maximus bis, aut probabilius a Constantio II, qui cum novem gravissima proelia contra Persas commiserit (Hieron. ad a. Chr. 349), ludos hos instituerit propter aliquam de iis partam veram simulatamve victoriam, fortasse Nisibi a Saporis obsidione liberata a. 350.

PRID · ID · MAI · (Mai. 14). — C

Marti invict(o) *VEN.*

Nomen praeterea ignotum, nam inscriptio Orell. 601 falsa est, nec recte comparabuntur tituli provinciales labentis aetatis nummique imperatorii, in quibus invenitur *Mars victor*.

ID · MAI · (Mai. 15). — N̵P

Fer(iae) Iovi. Mercur(io) Maiae. *VENVS.*; *nam haec ad Mai. 15 pertinere certum est.* Merc(urio) *TVSC.* Sacrum Mercurio *ARVAL.* Natalis Mercurii *PHIL.*

Primitiva huius diei sacra Iovi oblata esse ostendit adiectum fe-

riarum vocabulum. Pertinuerunt ea omnino ad Argeorum hoc die quotannis in Tiberim deiciendorum caerimonium. Mercurio deinde Iovis ex Maia filio a. u. c. 259 hoc die dedicata est aedes ad circum maximum (Liv. 2, 21; Ovid. fast. 5, 669 al.; Becker top. p. 470). Praeterea cf. Macrob. sat. 1, 12, 19: *hoc mense (Maio) mercatores omnes Maiae pariter Mercurioque sacrificant;* Lyd. 4, 53: *εὔχονται δὲ Μαίᾳ τε καὶ Ἑρμῇ οἱ πραγματευταὶ ἀκίνδυνα τὰ τῶν κερδῶν εἶναι.*

XV K · IVN · (Mai. 18).

N(atalis) Annonis PHIL.

Natalem hunc optime explicavit Herwartus (in epistula ms. ad Aleandrum inserta cod. Vat. 9135) allato hoc Chronici Paschalis (p. 531 ed. Bonn.) loco: *ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ἤρξατο ἀναλίσκεσθαι τοῖς πολίταις Κωνσταντινουπόλεως ὁ ἄρτος ἀπὸ ιη΄ Μαΐου.* Scilicet cum nova Roma in omnibus rebus exaequaretur antiquae, non solum annonae domibus urbis Constantinopolis similiter attributae sunt atque urbis Romae, sed etiam dies, ex quo currere solebat *annua urbis aeternae annonae pensitatio* (Cod. Theod. 11, 1, 18), translatus est ad annonas Constantinopolitanas. Cf. *natalis chartis* Ian. 25.

XIV K · IVN · (Mai. 19). — C

Zenziarius PHIL.

Vide ad Mai. 29.

XII K · IVN · (Mai. 21). — NP

AGON(IA) FEN. MAFF. ESQ. — Vediovi FEN.

Agonia cum non significent nisi sacrificium (vide ad Ian. 9), hoc die quae fiunt, videntur esse ipsae feriae Vediovi eo die celebratae; nec sine causa dies non a noxio deo nomen traxit, sed in generali appellatione permansit. De sacrificii natura ne Ovidius quidem (fast. 5, 721) quidquam apud suos auctores videtur invenisse, nam ablegat simpliciter ad ea quae de agoniis dixerat in mense Ianuario.

XI K · IVN · (Mai. 22). — N

. . . . F AMIT., *si est huius diei.*

X K · MAI · (Mai. 23). — NP TVBIL(VSTRIVM) FEN. MAFF. ESQ. Fer(iae) Volcano FEN. AMIT.

Ovid. fast. 5, 725: *Proximo Volcani lux est; tubilustria dicunt. Lustrantur purae, quas facit ille, tubae.* Cf. tubilustrium prius Mart. 23.

X K · MAI · (Mai. 23).

Macellus rosa sumat PHIL. — Sacrum Florae RVST.

Utramque adnotationem ad idem sollemne referendam esse eo magis constat, quod in menologio rustico etsi dies non enuntiatur, tamen sacrum Florae collocatur post sacrum Mercurio, id est post Idus Maias. Macellum utrum sit magnum in Caelimontio an Liviae in Esquiliis, nescio neque omnino quod norim alibi memoratur dies rosae publicus urbanus, quamquam privatis feriis saepe aestatis initium similiter invenimus celebratum, ut exempli causa collegium Aesculapii et Salutis (Orell. 2417) urbanum diem rosae celebrat a. d. V id. Mai. (Mai. 11). Cf. quae collegi de diebus rosae in actis soc. Lips. a. 1850 p. 67.

VIII K · IVN · (Mai. 25). — C

Fortun(ae) prim(igeniae) in col(le) FEN. Fortun(ae) public(ae) pr(imigeniae) in coll(e) ESQ. — . . . . ri || . . . . . . in Velia AMIT.

Ovid. fast. 5, 729: *nec te praetereo, populi Fortuna potentis publica, cui templum luce sequente datum;* unde dea videtur dicta esse pleno nomine *Fortuna publica populi Romani primigenia*, nam errasse poetam in notis PR· solvendis (Merkel p. CXXIX) non crediderim et est sane publicum populi Romani quidquid vere publicum est. Item in Orelliana n. 1759 legendum est *F(ortunae) p(ublicae) pr(imigeniae).* Dedicatam esse aedem Fortunae primigeniae in colle Quirinali a. u. c. 560 Livius (34, 53) scribit. Cf. Becker top. p. 580. — Sacrum in Velia hoc die factum quo pertineat ignoratur.

VII K · IVN · (Mai. 26). — NP

[*Feriae ex s. c. quo*]d eo die . . . . . . [*C*]aesar [*appellatus*] invictus est AMIT.

Dies hic cum in antiquioribus fastis Venusinis Maffeianis Esquilinis notam habeat comitialis, feriae in Amiterninis memoratae institutae sint necesse est post a. 746; quo refellitur quam olim in Gerhardi ephem. archaeol. novu 1, 107 proposui coniecturam agi hic de statua C. Caesari post pugnam Mundensem posita sub nomine dei invicti (Dio 43, 45; cf. Drumann 3, 644). Contra quod Marinius (ephem. Pis. 41, 293) monuit hoc die a. p. Chr. 17 triumphasse Germanicum (Tac. ann. 2, 41) indeque supplevit [*Germanicus C*]*aesar*, cum feriarum aetate probabili convenit; quamquam sane aliud est triumphus, aliud invicti nominis attributio (cf. Suet. Tib. 17); neque hoc satis videtur convenire filio imperatoris adolescenti nec, cum tot eius tituli extent, reperitur in ullo. Quare rem in incerto reliquimus.

V K · IVN · (Mai. 28).

[*Feriae ex s. c. qu*]od eo die . . . . . AMIT.

Causa feriarum ignota est; institutas esse eas necesse est post a. 746, cum in Maffeiano dies habeat notam comitialis. Fogginii p. 120 coniectura latere honorem aliquem coniunctum cum Honoris et Virtutis praedicatione in fastis Philocalianis ad diem Mai. 29 adnotata, vel eo refellitur, quod nota haec non ad Mai. 29 adscripta videtur fuisse, sed ad diem praecedentem.

IV K · IVN · (Mai. 29).

Honos et Virtus Zinza PHIL.

Auctore Dione 54, 18 Augustus a. u. c. 737 *τὴν τῆς Τύχης καὶ τῆς Ἀρετῆς πανήγυριν ἐς τὰς νῦν ἡμέρας μετέστησεν.* Pompa ea Honori et Virtuti per plures ut videtur dies edita cum praeterea non memoretur, quo pertinuerit ignoratur, videtur tamen coniuncta fuisse cum equitum recognitione; nam et sollemnis equitum Romanorum travectio id. Iul. ab eadem Honoris aede orsa est et Augustus in ea recognitione novavit quaedam, de quibus non satis constat (cf. Becker enchir. 2, 1, 262 sq.). Ad eam autem pompam num referendum sit quod supra recitavimus ex fastis Philocalianis, plane incertum est; quin ne hoc quidem scimus *Zinza* vocabulum aperte cum Zenziario ad diem Mai. 19 adscripto coniunctum utrum ab Honore et Virtute separandum sit an coniungendum cum eo, ita fortasse ut celebretur hic nescio qui infimae aetatis barbarusque Marcellus. Certe Zizain quem Constantius a. 358 regem dedit Sarmatis vel temporis rationes excludunt.

IV K · IVN · — K · IVN · (Mai. 29 — Iun. 1).

	PHIL.	SILV.
Mai. 29	ludi	ludi
30	ludi	
31	ludi	
Iun. 1	fabarici; c(ircenses) m(issus) XII	circenses fabricii.

Varro de vita p. R. l. I apud Non. p. 341 M.: *quod k. Iun. et publice et privatim fabatam pultem dis mactat.* Macrob. sat. 1, 12, 31 sq. narrat Brutum pulso Tarquinio k. Iun. sacrum deae Carnae in Caelio monte fecisse: *hanc deam vitalibus humanis praeesse credunt. — — Cui pulte fabacia* (cf. Plin. h. n. 18, 12, 118) *et larido sacrificatur, quod his maxime rebus vires corporis roborentur. Nam et kalendae Iuniae fabariae vulgo vocantur, quia hoc mense adultae fabae divinis rebus adhibentur.* Cf. Ovid. fast. 6, 101—182; Becker top. p. 499. Praeterea ignoti ludi etiam ignobiles fuerunt editi deae plebeiae nec nisi dimidiato circensium numero honoratae.

K · IVN · (Iun. 1). — N

Iunoni monet(ae) FEN.

Lyd. 4, 57: *καλένδαις Ἰουνίαις ἑορτὴ Ἥρας καὶ εὐχαὶ ἐν τῷ Καπετωλίῳ.* Aedes in arce dedicata a. u. c. 410. Liv. 7, 28. Ovid. fast. 6, 183. Macrob. 1, 12, 30. Becker top. p. 409.

III NON · IVN · (Iun. 3). — C

Bellon(ae) in circ(o) Flam(inio) FEN.

Aedes ab Ap. Claudio cos. a. 458 vota est. Cf. Becker top. p. 606.

PRID · NON · IVN · (Iun. 4). — C

Herc(uli) magn(o) custo(di) FEN. Sacrum Herculi RVST. — Ludi in Minicia PHIL. Ludi SILV.

Aedem eam in circo Flaminio ex carminibus Sibyllinis factam et a Sulla probatam esse scribit Ovidius fast. 6, 209.; cf. praeterea

ad Aug. 12 et Becker top. p. 618. — Porticus Minucia cum fuerit in circo Flaminio (vide ad Dec. 22), ludus ibi factos coniunctos esse apparet cum sacrificio Herculi ibidem oblato commemoratoque non solum in antiquioribus fastis, sed in rustico quoque menologio.

NON · IVN · (Iun. 5) ad ID · IVN · (Iun. 13) — N; XVIII K · IVL · (Iun. 14) — F (*TVSC. antiquissimum*) N (*VEN. MAFF.*); XVII K · IVL · (Iun. 15) — Q · S · D · F

Vesta aperit *ad Iun.* 7, Vesta cluditur *ad Iun.* 15 *PHIL.*

Festus p. 250: *[Penus v]ocatur locus intimus in aede Vestae tegetibus saeptus, qui certis diebus circa Vestalia* (Iun. 9) *aperitur. Ii dies religiosi habentur.* Ovidius fast. 6, 219 sq. narrat his diebus, donec stercus ex aede Vestae in Tiberim delatum sit, nupsisse ominosum videri omnibus, flaminicae autem diali per eos non licere crines tondere, ungues ferro subsecare virumve tangere. Hanc autem religionem tam vetustam esse, ut vel ad notas diei pervenerit, supra p. 373 adnotavimus.

NON · IVN · (Iun. 5). — N

Dio fidio in colle *VEN.*

Dedicata aedes a. u. c. 288. Dion. 9, 60. Ovid. fast. 6, 213. Cf. Becker top. p. 577.

VIII ID · IVN · (Iun. 6). — N

Colossus coronatur *PHIL.*

Colossi Neroniani ad amphitheatrum vicissitudines enarrat Becker top. p. 220 (cf. Preller reg. p. 231). Vespasianus eum Soli dicavit (Herod. 1, 15: ἄγαλμα κολοττιαῖον σέβουσι Ῥωμαῖοι εἰκόνα φέρον ἡλίου. Plin. h. n. 34, 7, 45 al.). Annuae eius coronationis alii auctores non meminerunt.

VI ID · IVN · (Iun. 8). — N

Menti in Capitolio *VEN. MAFF. ROM. PICTI.* Ment[i] *TVSC.*

Aedes vota a. 537, dedicata a. 539 (Liv. 22, 10. 23, 31 Ovid. fast. 6, 241). Becker top. p. 403. Sollicite hanc deam Augusti aetate culta sit necesse est, cum vel ea hemerologia quae pauca sacra receperunt hoc admiserint.

V ID · IVN · (Iun. 9). — N

VEST(ALIA) *TVSC. VEN. MAFF. ROM. PICTI;* Vestalia *PHIL.* — Fer(iae) Vestae ad Ianu *ROM. PICTI;* fer(iae) Vestae *MAFF.*; Vestae *VEN.*

Varr. 6, 17 *dies Vestalia — ab Vesta.* Ovid. fast. 6, 249 sq. Lyd. 4, 59. De loco dixi *Bullett.* 1850 p. 114; intellegi Ianum in foro Romano confirmat Ovid. fast. 6, 389.

III ID · IVN · (Iun. 11). — N

MAT(RALIA) *TVSC. VEN. MAFF.;* Matralia *PHIL.* — Matr(i) matut(ae) *VEN.*

Festus ep. p. 125 *matralia matris matutae festa.* Aedes eius fuit in foro boario ad portam Carmentalem (Becker top. p. 483).

ID · IVN · (Iun. 13). — N aut NP

Fer(iae) Iovi *VEN.* Iovi *TVSC.* — Natalis Musarum *PHIL. SILV.*

Ovid. fast. 6, 644: *Idibus invicto sunt data templa Iovi.* Praeterea feriae hae non memorantur, obscuratae tibicinum festo instituto a. 443 et quinquatrium minorum nomine appellato a similitudine maiorum, quod tamen et ipsum ad Iovem pertinuit; nam tibicines licet ad aedem Minervae convenirent (Varr. 6, 17; Fest. v. minusculae p. 149; Ovid. fast. 6, 704), tamen epulabantur in Capitolio in aede Iovis (Liv. 9, 30. Censorin. 12). — Natalis Musarum aperte coniunctus est cum iisdem cantorum feriis.

XIV K · IVL · (Iun. 18).

Annae sacrum *PHIL.*

Sollemne hoc praeterea non memoratur. Vide ad Mart. 15.

XIII K · IVL · (Iun. 19). — C

Minervae in Aventino *ESQ. AMIT.*

Ovid. fast. 6, 722: *coepit Aventina Pallas in arce coli.* Dies dedicatae aedis cum sit Mart. 19, fortasse ea hoc die constituta est. Cf. Becker top. p. 454.

XII K · IVL · (Iun. 20). — C

Summan(o) ad circ(um) maxim(um) *VEN. ESQ. AMIT.*

Teste Ovidio (fast. 6, 725) aedes Summani restituta est per bella cum rege Pyrrho gesta. Cf. Becker top. p. 473. Preller myth. p. 217.

VIII K · IVL · (Iun. 24). — C

Forti Fortunae trans Tiber(im) ad milliar(ium) prim(um) et sext(um) *AMIT. idemque fere fuit in ESQ.* Fortis Fortunae *VEN. PHIL.* — Sacrum Fortis Fortunae *RVST.*

Varro 6, 17: *Dies Fortis Fortunae appellatur ab Servio Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Iunio mense.* De loco cf. Becker top. p. 479 et Preller reg. p. 216, qui viae Portuensis miliario VI fuisse statuunt aedem Servianam, miliario I in hortis Caesaris dedicatam a. p. Chr. 17. At cum utrumque locum sacrum et Esquilini fasti ante a. 757 conscripti commemorent et Ovidius libro fastorum 6, 765 (cf. Becker l. c.), quem librum scriptum esse vivo Augusto satis constat, denique aedes a. 17 dedicata sit non media aestate, sed exitu anni teste Tacito ann. 2, 41, intellegitur sacra tam primo quam sexto miliario hoc die peracta Tiberio antiquiora esse. Et sane utrumque templum Servio tribuit Ovidius ipse v. 775: *Tullius — constituit dubiae templa propinqua deae.* Nec mirum, imo plane ex consuetudine Romana, quod, ubi primum numen coli coeptum est, eidem postea dedicata templa complura ibidem statuebantur (cf. Liv. 10, 46).

VI K · IVL · (Iun. 26). — NP

Fer(iae) ex s(enatus) [*consulto, q*]uod eo die [*imp. Caesar*] Augus[*tus ado*]p[*tav*]it filiu[*m Ti. Caesarem*] Aelio [*et Sentio cos.*] *(p. Chr. 4) AMIT.*

Consules et diem eosdem nominat Vell. 2, 103, nisi quod ibi librariorum culpa *V k. Iul.* legitur pro *VI k. Iul.*

III K · IVL · (Iun. 29). — F

Quirino in coll(e). *VEN.*

Aedem Quirino dedicatam esse hoc die Ovidius fast. 6, 788 confirmat. Qui dies cum sit inter adiectos a C. Caesare, fasti Venusini autem exarati sint a. 727, dedicatio haec concluditur inter a. 709 et 727. Augustus quam aedem Quirino de novo fecit, eam Dio quidem scribit (74, 14) dedicatam esse a. u. c. 738; at cum eandem aedem iam commemoret Vitruvius 3, 2, 7, quem scripsisse ante a. u. 727 post alios Lachmannus (mus. Rhen. 6, 106) monuit, videtur apud Dionem hoc loco aliquid turbatum esse eaque ipsa aedes intellegenda. Praeterea cf. Merkel p. CXLIII et Becker top. p. 571.

K · IVL · (Iul. 1). — N

Felicitati in Cap[*it*]o(lio) *ANT.* — ..... cen(*vel* celi) *FALL.*

Vide Oct. 9.

V NON · IVL (Iul. 3).

Fugato Licinio c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Licinius victus est a Constantino apud Hadrianopolim a. d. V non. Iul. a. 323. Idat. ad a. 324: *bellum Hadrianopolitanum die V non. Iul.* similiterque *Chr. Alex.* ad a. 325, nisi quod ibi est errore πρὸ ε' καλανδῶν Ἰουλίων. Constantinus Cod. Theod. 7, 20, 1 loquitur de veteranis *qui ex die V non. Iul., cum prima per Thraciam victoria universo orbi inluxit, et qui postea apud Nicomediam missionem meruerunt.* Cf. Tillemont 4, 642.

IV · NON · IVL · (Iul. 4). — NP

Feriae ex s(enatus) c(onsulto), q(uod) e(o) d(ie) ara Pacis Aug(ustae) in camp(o) Mar(tio) constituta est Nerone et Varo cos. (*u. c.* 741) *AMIT.* [*Ara P*]acis August(ae) [*c*]onstitut(a) *ANT.*

III · K · FEBR · (Ian. 30). — NP

Feriae ex s(enatus) c(onsulto) quo[*d eo*] die ara Pacis Augusta[*e in campo*] Martio dedicata [*e*]st Druso et Crispino c[*os.*] (*u. c.* 745) *PRAEN.* — *Eodem fortasse pertinet quod scribitur in feriali Cumano post Ian.* 16 ...... est. Supplicatio im......

Cf. Monum. Ancyr. 2, 37—36, quem locum reiectis supplementis priorum male factis ita restituo ad exemplum mihi missum satis bonum: *[Ob res in] G[erm]ania Ga[llisque p]rovinciis prosp[ere gestas || senatus populusque Romanus Ti.] N[ero]ne P. Qui[nctilio cos.] aram [Paci Augustae || ...... constituit pro] redi[t]u meo con[secravitque] ad cam[pum Martium].* Diem dedicationis confirmat Ovid. fast. 1, 709. — Haec cum plerique acceperint de aris duabus diversis (cf. Becker top. p. 642), recte Kellermannus apud Iahnium (spec. epigr. p. 15) monuit ut Fortunae Reduci ita Paci Augustae unam tantummodo aram factam esse eandemque intellegendam utroque loco constitutam a. u. c. 741 Iul. 4 ob reditum Augusti ex Gallia (cf. Dio 54, 25), dedicatam a. u. c. 745 Ian. 30. Fieri tamen potest, ut alter Augusti ex Gallia reditus c. a. 744 extremum cum huius arae dedicatione aliqua ratione coniunctus fuerit; idque ipsum crediderim scriptum fuisse in monumento Ancyrano. — Diversae sane fuerunt arae Iani Concordiae Salutis Pacis memoratae ab Ovidio fast. 3, 881, quae videntur statutae a. 744 (Dio 54, 35).

III · NON · QVINCT · (Iul. 5). — NP

POPLIF(VGIA) *MAFF. AMIT. ANT.* — Feriae Iovi *AMIT.*

Post Gallorum ab urbe decessum mox coniurasse narrant Latinos duce Postumio Livio Fidenatium dictatore adversus Romanos et subita incursione consternatum populum fugisse conubiumque victoribus concessisse; sed per ancillarum piam calliditatem matronarum deditione simulata factum esse, ut hostes primum urbi parcerent, deinde somno strati vincerentur; in cuius rei memoriam ferias binas institutas esse Poplifugia Iul. 5 et nonas Caprotinas Iul. 7 (Varro 6, 18. Macrobius 1, 11, 36 sq. Plutarch. Rom. 29. Cam. 33). Tuscos pro Latinis nominat Hyllus apud Macrob. 3, 2, 14, qui de die erravit; Gallos Ovidius de arte am. 2, 257, cui adiungitur Pseudo-Plutarch. parall. 30 fabulam vetustam ut solet augens noviciis fabellis. Easdem ferias referunt alii ad fugam factam populi post Romuli excessum sacrificiumque ad paludem Caprae eidem oblatum nonis Quinctilibus (Dionys. 2, 56 Plut. l. c.) Genuinam autem feriarum illarum naturam non perspicimus ex nugis his originis satis recentis: quamquam vel eae sufficiunt ad refellendum Schweglerum Poplifugia nonasque Caprotinas pro iisdem feriis accipientem (1, 532). Altera enim inter fugam et victoriam inserit pacem factam ancillarumque deditionem et nuptias celebratas; altera eo ipso, quo rege sublato fuga facta est, die sacrificium oblatum esse nequaquam contendit. Denique ad quam confugit Schweglerus, ut manifestam dierum illorum in fastis quos habemus diversitatem explicet, Iuliana anni mutatio primum ferias loco suo movit omnino nullas, deinde ne potuit quidem in mense, quem Caesar non attigit. — Praeter fabulas istas nihil fere novimus de Poplifugiis nisi, sicut nonae Caprotinae sacrae erant Iunoni, ita ferias illas fuisse Iovi dedicatas, id quod ostendunt fasti Amiternini confirmatque locus Dionis 47, 18 a Merkelio p. CLIX opportune allatus. Praeterea videnda sunt quae supra observavimus de Regifugio (Febr. 24) cum Poplifugiis his quodammodo coniuncto.

PRID · NON · — III · ID · IVL · (Iul. 6—13).

TVSC.	*MAFF.*	*VALL.*	*AMIT.*	*ANT.*	*VEST.*	*PHIL.*	*SILV.*
						5 ludi Apollinares	
6 ...	ludi Apollin[i]	[ludi Apoll]in(i)	ludi Apollin(i) commit(tuntur)	ludi Apollini con(mittuntur) HS CCCXXC	Apollinar.	ludi	ludi
7 ...	ludi	...	ludi	ludi		ludi	
8 ...	ludi	...	ludi	ludi		ludi	
9 ...	ludi	...	ludi	ludi		ludi	
10 ...	ludi	...	ludi	ludi		ludi	ludi
11 ...	ludi	...	ludi	ludi		ludi	ludi
12 lu[di]	ludi	...	ludi	ludi		ludi	ludi
13 in cir[co]	lud(i) in cir(co)	...	ludi in circo	in circo		Apollinares; c(ircenses) m(issus) XXIV	

Ludi Apollinares instituti sunt a. u. c. 542 creveruntque libera re publica paullatim a singulis diebus ad octonos. Coepisse eos a die, qui postea eorum fuit extremus, a. d. III id. Quinct., colligitur ex Livio 27, 23, licet ibi in libris quos habemus scribae errore pro idibus inveniantur nonae; cf. Merkel in fast. p. XXVIII, Friedlaender enchir. 4, 493. Saeculo quarto utrum vere uno die auctiores fuerint an fastorum Philocalianorum scriptor peccarit, nescio; ex silentio Silvii cave quidquam colligas.

NON · QVINCT · (Iul. 7). — N

Ancillarum feriae, quarum celebritas instituta est ideo, quia capta urbe a Gallis cum finitimi prius victi tradi sibi Romanorum procerum coniuges postularent et consilio Philotidis ancillae famulae dominarum vestibus adornatae datae illis fuissent, his nuntiantibus praedictos somno sopitos et ebrios posse superari, facta victoria sic *SILV.*

Praeter supra ad Iul. 5 citatos locos cf. Varr. 6, 18: *nonae Caprotinae, quod eo die in Latio Iunoni Caprotinae mulieres sacrificantur et sub caprifico faciunt: e caprifico adhibent virgam. Cur hoc toga praetexta data eis .....* Ausonius de fer. 9: *festa caprotinis memorabo celebria nonis, cum stola matronis dempta teget famulas.* Ferias tamen has fuisse publicas populi Romani vix crediderim, sed privatas magis et fortasse initio Latinas potius quam urbanas, cum propter silentium fastorum antiquiorum tum quoniam dies Iul. 7 incidit in Apollinaria, per quae nulli deo sacrum facere licebat publice scilicet nisi soli Apollini (Dio 47, 18).

IV ID · IVL · (Iul. 12). — NP

Fer(iae) quod eo die C. Caesar est natus *AMIT.* — Divi Iul(i) natalis *ANT.* — Natalis Iulii Caesaris *SILV.* *male ad VIII idus.*

Diem habet praeterea Macrob. sat. 1, 12, 34. Feriae propter C. Caesaris natalem institutae sunt a. 712, sed propter religionem, de qua diximus ad diem Iul. 7, a suo die translatae in eum qui praecedit Apollinaria (Dio 47, 18; cf. Horatii mortui a. 746 epist 2, 5, 9 cum schol. Porphyr.). Unde supra iam p. 294 explicavi fastorum Tusculanorum huius diei notam C. Post aliquot annos religione illa neglecta ferias vero C. Caesaris natali attributas esse oportet, cum et Maffeiani fasti diem Iul. 12 faciant feriatum et ferias diserte commemorent Amiternini; quod factum esse ante a. 757 colligitur ex aetate tabulae Maffeianae.

PRID · ID · IVL vel ID · IVL — XIV K · AVG · (Iul. 14 vel 15—19).

MAFF.	*AMIT.*	*ANT.*
14 merk.	*omittitur*	
15 merk.	merk.	mercatus dies V
16 merk.	merk.	
17 merk.	merk.	
18 merk.	merk.	
19 merk.	merk.	

Iul. 14 mercatum male videntur adscribere fasti Maffeiani, eo decepti, quod praeterea mercatus ludos continuo sequuntur.

ID · IVL (Iul. 15.)

Equit(um) Ro(manorum) probatio *PHIL.*

Q. Fabius Maximus censor a. u. c. 450 *instituit, uti equites Romani idibus Quinctilibus ab aede Honoris albis equis insidentes in Capitolium transirent* (Vict. vir. ill. 32; reliqua testimonia Beckerus in enchir. 2, 1, 260 sq. collegit). *Equitum probationem* transvectionem hanc melioris aetatis auctores non appellant, sed praeter Philocalum solus Iulius Paris in epitoma Val. Max. 2, 2, 9. Mansisse eam vel labente aetate praeter hos confirmant Ulpianus Dig. 2, 4, 2 et Zosimus 2, 29. Mirum est quicunque adhuc de ea sollemnitate egerunt neglexisse locum Philocalianum. Cf. etiam quae notavimus ad Mai. 29.

ID · IVL · — XIII K · AVG · (Iul. 15—20).

PHIL.

15 ludi Francici
16 ludi
17 ludi
[18 *adventus divi*; *circenses missus XXIV*]
[19 *ludi votivi*]
20 Francici; c(ircenses) m(issus) XXIV

Franci nominantur primum sub Gallieno, sed cum initio ut Alamanni communi fere Germanorum appellatione comprehenderentur, proprium eorum nomen inclaruit demum sub Constantino Magno, ante cuius nummos, qui et *Alamanniam* et *Franciam* exhibent ad tropaea lugentes (Eckhel 8, 84. 100), eius gentis nomen in publicis populi Romani monumentis non invenitur. Quare ab Francicarum Constantini Magni victoriarum aliqua hos ludos derivare licebit, etsi certis argumentis refutari non poterit, qui eos aut ad Herculii de Francis victoriam revocaverit aut ad victoriam vel potius pacem quam pretio a Francis emit a. 342 Constantius II.

XV K · AVG · (Iul. 18). — C

Dies Allia[*e et*] Fab(iorum) *ANT.* Dies Alliensis *AMIT.*

Dixi de hoc die in chronol. p. 26.

XV K · AVG · (Iul. 18).

Adventus d(ivi); c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Adventus divi in fastis Philocalianis notatur ter Iul. 18. 21. Oct. 29, *profectio divi* semel Sept. 27. Quorum dierum cum adventum Oct. 29 constet significare ingressum Constantini in urbem post victum Maxentium a. 312, reliquos pertinere existimo ad eiusdem decennalia a. 315 et vicennalia a. 326 die Iul. 25 celebrata in urbe. Nam cum dies illi omnino referri non possint nisi ad ingressum egressumve sollemnem et festivum, posteriore certe regni sui parte Constantinus Romam praeterea non adiit. Romae autem egisse eum vicennalia testantur Hieronymus et Idatius; de decennalibus idem inde apparet, quod testibus legum subscriptionibus circa illud tempus in urbe morabatur. Utriusque itineris dies accuratius discernere liceret, si subscriptiones eae satis adiuvarent in hisce annis admodum corruptae; adscripsi quaecunque non manifestam prae se ferunt mendam:

a. 315 Iul.	18 (XV	k.	Aug.)	Aquileia	(C. Th. 8, 18, 1)	
Aug.	3 (III	non.	Aug.)	Treviris	(C. Th. 1, 16, 1)	
„	13 (	id.	Aug.)	Romae	(Vat. fr. §. 33)	
„	25 (VIII	k.	Sept.)	Roma	(C. Th. 11, 30, 3)	
„	29 (IV	k.	Sept.)	Roma	(C. Th. 1, 2, 2; nam *dat.*, non *pp.* videtur legendum)	
Sept.	13 (	id.	Sept.)	Roma	(C. Th. 10, 1, 1)	
„	18 (XIV	k.	Oct.)	Naisso	(C. Th. 14, 8, 1)	
Oct.	18 (XV	k.	Nov.)	Murgillo	(C. Th. 16, 8, 1)	
„	19 (XIV	k.	Nov.)	Mediolano	(Vat. fr. §. 273)	
a. 326 Iul.	6 (prid.	non.	Iul.)	Mediolano	(C. Th. 9, 21, 3)	
„	8 (VIII	id.	Iul.)	Roma	(C. Th. 15, 14, 3)	
Sept.	24 (VII	k.	Oct.)	Spoleti	(C. Th. 16, 5, 2)	
Oct.	23 (X	k.	Nov.)	Mediolani	(C. Th. 4, 22, 1)	

Quantopere dies hi vel inter se pugnent, exposuit Tillemontius (4, 166, 219); nec mihi successit, ut eas inter se cumque fastis Philocali conciliarem.

XIV K · AVG · (Iul. 19). — NP
LVCAR(IA) *MAFF. AMIT.*
XII K · AVG · (Iul. 21). — NP
LVCAR(IA) *MAFF. AMIT.*

Fest. ep. p. 119: *Lucaria festa in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam et Tiberim fuit, pro eo, quod victi a Gallis fugientes e proelio ibi se occultaverint.* Nomen memorat Macrob. sat. 1, 4, 15. Cuiusnam numinis feriae fuerint veraque festi natura ignoratur.

XIV K · AVG · (Iul. 19).

Ludi votivi *PHIL.*

Vide Febr. 28.

XIII—III K · AVG · (Iul. 20—30).

PINC.	*ALLIF.*	*MAFF.*	*AMIT.*
20 ...	...	lud(i) vict(oriae) Caes(aris)	lud(i) victor(iae) Caes(aris) divi Iul(i) commit(tuntur)
21 ...	...	lud	...
22 ludi	...	ludi	...
23 ludi . . .	ludi	ludi	...
24 ludi . . .	...	ludi	...
25 ludi . . .	ludi	ludi	...
26 ludi . . .	...	ludi	...
27 ludi in circo	...	in circ	...
28 ludi in circo	...	in circ	...
29 ludi in circo	... in circo .	in circ	...
30 ludi in circo	... in circo .	in circ	...

Ludi victoriae Caesaris instituti sunt a. 708, quo quos Caesar dictator ediderat ludos in dedicatione aedis Veneris Genetricis die Sept. 24 aut 25 (fasti enim variant), eos collegium nescio quod magistratuum in perpetuum recepit edendos (Dio 43, 22. 45, 6). Causam diei mutati reperisse mihi videor in anni mutatione, quae eo ipso tempore accidit. Scilicet cum dies aedis dedicatae, sicut feriae reliquae omnes, quo nomine ante fastos Iulianos receptos fuerat, idem postea quoque retineret, tamen potuerunt vel potius debuerunt magistratus illi votum in annum proximum et deinceps sequentes concipere secundum fastos mox recipiendos, in quibus dies Sept. 24. 25 respondent diebus Iul. 23. 24. — Deinde mira diversitate ludi hi dedicati dicuntur modo Victoriae Caesaris, modo Veneri genetrici sive victrici (utroque enim nomine appellatur); nam illud numen ponunt fasti Maffeiani et Amiternini, Matius qui ipse ludos hos procuravit (Cic. ad fam. 11, 28, 6), Suetonius (Caes. 88. Aug. 10); hoc praeferunt annalium scriptores quique ex iis pendent (Obseq. 68; Plin. h. n. 2, 25, 93; Appian. b. c. 3, 28; Dio 49, 42). Scilicet erraverunt neutri, sed Victoria dea eadem est ac Venus victrix Iuliorumque genetrix utuntur que et alibi duobus nominibus promiscue. Ita quam aedem Veneri Victrici in theatro suo Pompeius posuit, Victoriae appellat optimus testis Tiro apud Gellium 10, 1, 7, non recte propterea erroris incusatus a Beckero top. p. 676. Cf. Varro 5, 62 et Prellerus myth. Rom. p. 389. 707. Notandum praeterea Victricem quoque absolute reperiri pro Victoria in nummis gentis Porciae (*Gesch. des röm. Münzwesens* p. 572).

XII K · AVG · (Iul. 21).

Adventus divi; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Vide adnotata ad Iul. 18.

XI K · AVG · (Iul. 22). — C

Concor(diae) . . . . *PINC.*

X K · AVG · (Iul. 23). — NP

NEPT(VNALIA) *PINC. MAFF.* NEPTVNAL *ARV.* — Feriae Neptuno *PINC. ALLIF.* — *Iul.* 22 ludi, 23 Neptunalici *PHIL.*

Varro 6, 18: *Neptunalia a Neptuno; eius enim dei feriae.* Cf. Fest. ep. v. umbrae p. 377. Ludi etsi posteriore demum aetate instituti nec circenses tamen in magno honore videntur fuisse, cum honorificentissimo loco nominentur a Tertulliano de spect. 6. Putarim iis diebus navigia certavisse (Auson. de fer. 19 sq.), cum praesertim fuisse in urbe naumachias complures ex Curioso constet (cf. Preller reg. p. 206). Nummos Nervae inscriptos *Neptuno circenses constitut.* vel *restitut.* (Eckhel 6, 406) falsos esse hodie constat.

VIII K · AVG · (Iul. 25). — NP

FVRR(INALIA) *PINC. ALLIF. MAFF.* — Feriae Furrinae *ALLIF. PINC.*

Varro 6, 19: *Furrinalia Furrinae, quod ei deae feriae publicae dies is; quoius deae honor apud antiquos, nam ei sacra instituta annua et flamen attributus; nunc vix nomen notum paucis.* Cf. 5, 84. 7, 45. Ab ea nomen traxit lucus Furrinae trans Tiberim (Vict. vir. ill. 65; cf. Cic. ad Q. fr. 3, 1, 2, 4. Becker top. p. 656); contra vix ad eam referendi genius et ara forinarum (Orell. 1712. 2551). Natura numinis plane incerta; nam parum iuvat, quod Cicero (de n. d. 3, 18, 46) et Plutarchus (C. Gracch. 17) Graecorum Eumenidas Latine inde ab Ennio Furias a furendo dictas cum Furrina hac comparant quodque Martianus Capella (2 p. 40 Grot.) Furae nescio cui et Furinae inter deos inferos locum tribuit.

VII K · AVG · (Iul. 26).

Ludi votivi *PHIL.*

Vide Febr. 28.

VI K · AVG · (Iul. 27).

Vict(orias) Sarmaticas; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Vide ad Nov. 25, ubi redeunt ludi Sarmatici.

III K · AVG · (Iul. 30). — C

Fortunae huiusq[*ue diei i*]n campo *ALLIF.* Fort(unae) huiusque diei *PINC.*

Aedes hinc tantum nota. De aede Fortunae reducis in campo a Domitiano statuta cf. Becker top. p. 642.

III K · AVG · (Iul. 30).

Vict(orias) Marcomannas; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Marcomanni cum secundo saeculo primum inter hostes imperii Romani locum obtineant, tertio rarius memorantur nec pugnatum esse cum iis legitur post a. 299 (Idat. chr. ad h. a.; Vict. Caes. 39, 43; cf. Zeuss *die Deutschen* p. 365). Mirum igitur circenses ob victorias Marcomannicas Romae actos esse vel saeculo quarto medio.

K · AVG · (Aug. 1). — NP

Spei ad forum holitorium *FALL.*; Spei *ANT.*; sacrum Spei *ARV.*

Aedes dedicata ab A. Atilio Caiatino bello primo Punico. Becker top. p. 601.

K · AVG · (Aug. 1). — NP

Feriae ex s(enatus) c(onsulto), q(uod) e(o) d(ie) imp. Caesar divi f. rem public(am) tristissimo periculo liberat *AMIT.* — Au-g(ustus) Alexan(dream) recepit *ANT.*

Nuntius de recepta Alexandrea caesoque M. Antonio a. 724 cum Romam perlatus esset, decrevit senatus, ut dies faustus haberetur (τὴν ἡμέραν ἀγαθὴν εἶναι; Dio 51, 19). Eodem die, scilicet k. Sextilibus Antonium victum esse narrans Orosius (6, 19) postremam eius pugnam cum deditione videtur confudisse (Drumann 1, 496). Inde deinceps annos numeravisse Alexandrinos, quod item scribit Dio l. c., ita verum est, ut non ab hoc die, sed ab anno suo novo proxime insequente, id est a die 30. Aug. a. 724, annos postea numerarint (v. chronol. meae p. 262 sq.). — Ceterum quod suspicatur Merkelius (p. XXVI) Antonii nomen in Amiternino hemerologio non efferri propter metum Caligulae Antonii fautoris (Dio 59, 20), non recte observavit; imo civium omnium a Caesare Augustove bello superatorum nomina a fastis penitus arcentur.

K · AVG · (Aug. 1).

Natal(is) Ti. Claudii Germanici *FALL. in nota postea adiecta.* — Ti. Clau[*di Caesaris Augusti natalis*] *ANT.*

Claudius natus a. u. c. 744 k. Aug. (Suet. Claud. 2; Dio 60, 5) iacuit ad a. usque 37 p. Chr., quo Caligula imperator factus honorem ei aliquem maxime circa initia imperii impertivit (Suet. Claud. 7); quare natalis eius fastis inscriptus esse non potest ante hunc annum.

IV NON · AVG · (Aug. 2). — NP

Hoc die [*Caesar in Hispania*] cit(eriore) vicit *MAFF.* — Feriae quod hoc die imp. Caesar Hispaniam citeriorem vicit *FALL.* — Fer[*iae q*]uod eo die C. Caes(ar) C. f. in Hispan(ia) citer(iore) et quod in Ponto eod(em) die regem Pharnacem devicit *AMIT.* — Divus Iulius Hisp(aniam) vicit *ANT.*

Dies tam is quo a. 705 legati Pompeii Afranius et Petreius in deditionem venerunt (Drumann 3, 464) quam victoriae a. 707 apud Zelam de Pharnace reportatae (Drumann 3, 558) innotuerunt ex locis supra allatis. — Hemerologium Vallense dictatorem Caesarem hoc loco appellat imperatoris praenomine, perperam omnino.

III NON · AVG · (Aug. 3). — C

Ti. Aug(ustus) in [*Il*]lyrico vic(it) *ANT.*

Spectant haec ad bellum gestum in Dalmatia (nam hanc ea aetate Illyricum appellari notum est) a. p. C. 6—9 = u. c. 759—762 intellegiturque omnino extrema a. 762 victoria, qua facta Bato se dedidit honoresque ducibus Romae decreti sunt (Dio 56, 16. 17. Vell. 2, 115).

PRID · NON · AVG · (Aug. 4).

Vict(oria) senati; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Certa explicatio non suppetit.

NON · AVG · (Aug. 5). — F (NP Ant.)

Saluti in colle Quirinale sacrificium publicum *FALL.* Saluti in colle *AMIT. ANT.* Sacrum Saluti *ARV.* Natalis Salutis; c(ircenses) m(issus) XXIV *PHIL.*

Dedicata a. u. c. 452 (Liv. 10, 1). Cf. Cic. ad. Att. 4, 1, 4: *Brundisium veni non. Sextil. — — die qui casu idem natalis erat tuae vicinae Salutis.* Becker top. p. 578. — Nota diei cum in reliquis fastis, etiam Amiterninis, sit F, in Antiatinis est NP; quorum nisi quadratarius erravit, imperante Tiberio vel Caligula vel Claudio hic dies ferias accepit.

VIII ID · AVG · (Aug. 6). — F, postea NP

Dies hic fastus in fastis antiquioribus, etiam in Amiterninis, deinde in Antiatinis notam habet NP, N in Romanis pictis, qui NP et N non videntur distinxisse. Ferias igitur etiam hic dies imperante Tiberio vel Caligula vel Claudio videtur accepisse; annus earum et causa ignorantur.

VI ID · AVG · (Aug. 8) — C Vall. vel V ID · AVG (Aug. 9) — NP Amit.

Soli indigiti in colle Quirinale *AMIT.* So(lis) indigitis in colle Quirinale sacrificium publicum *FALL.*

Pulvinar Solis qui colitur iuxta aedem Quirini commemorat Quintilianus inst. 1, 7, 12. Cf. Becker top. p. 589, enchir. 2, 1, 400.

VI ID · AVG · (Aug. 8).

Ludi votivi *PHIL.* Ludi *SILV.*

Vide Febr. 28.

V ID · AVG · (Aug. 9). — NP

Fer(iae) q(uod) e(o) d(ie) C. Caes(ar) C. f. Pharsali devicit *AMIT.* — Divus Iulius Phars(ali) vicit *ANT.* — Hoc die Caesar Hispali vic(it) *MAFF.*

Dies victoriae Pharsalicae a. 706 patefactus est hemerologiis his (cf. Drumann 3, 510). Quod ait Lucanus 7, 410 post commemoratam pugnam Cannensem et *damnatum diu Romanis fastis*

Alliam: tempora signavit leviorum Roma malorum, hunc voluit nescire diem, fasti refellunt. Miro errore in Maffeiano pro Pharsalo substituitur Hispalis; nam de lectione constat ex optimorum descriptorum consensu nec licet eam adnotationem accipere de deditione legionum Hispaniae ulterioris post victoriam Ilerdensem.

ID · AVG · (Aug. 10). — NP

Feriae quod eo die arae Cereri matri et Opi Augustae ex voto suscepto constituta[*e*] sunt Cretico et Long(o) c[*os.*] *AMIT.* — Feriae. Arae Opis et Cereris in vico iugario constitutae sunt *VALL.* — Feriae Cereri et Opi Aug. *ANT.*

Scriptores tacent et ne consules quidem Creticus Longusque alibi memorantur; probabiliter tamen Marinius (eph. Pis. 41, 299; Arv. p. 15) Borghesiusque (apud Nipperdeium ad Tac. ann. 4, 15) eos referunt ad a. p. Chr. 7, cuius consules ordinarii sunt Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus et A. Licinius Nerva Silianus, ut ille in integrum annum fasces tenuerit, huic suffectus sit k. Iul. Lucilius Longus (Tac. ann. 4, 15). Eandem opinionem infra secutus est Henzenus in commentario ad annum u. c. 760 favetque eidem praeterea, quod hoc anno Dio (55, 31) scribit famem incidisse. — De loco harum ararum v. Becker top. p. 487.

PRID · ID · AVG · (Aug. 12). — C

Herculi invicto ad circum maxim(um) *AMIT.* Herculi magno custodi in circo Flamin(io) *VALL.*

Hercules est omnino notissimus victor in foro boario ad aram maximam prope ianuas circi sitam; cf. Rossi *ann.* 1854 p. 32 et supra p. 150 locum Varronis Herculem hunc pro victore appellantis invictum. Hunc ab hemerologii Vallensis lapicida perperam confusum esse cum Hercule circi Flaminii nati non hoc die, sed Iun. 4, pervidit Merkelius p. CXXXV.

PRID · ID · AVG · (Aug. 12). — C

Veneri victrici, Hon(ori) Virt(uti), Felicitati in theatro marmoreo *AMIT.*

Intellege theatrum Pompei, quod cum primum in urbe lapide factum esset, hoc nomen retinuit (Beker top. p. 619 not. 1310). Veneris Victricis sive Victoriae aedem ibi fuisse notum est (Becker l. c. p. 676); reliquae aediculae praeterea non memorantur.

PRID · ID · AVG · (Aug. 12).

Lychnapsia *PHIL.*

Romani testes praeterea desunt; nam quod ait Fulgentius myth. 1, 10: *lampadarum dies Cereri dedicatus est illa videlicet ratione, quod hoc tempore cum lampadibus, id est cum solis fervore, seges ad metendum cum gaudio requiratur*, pertinet ad diem solstitii aestivi VIII k. Iul., *quem lampadem appellant, quo tempore messis tritici caeditur*, teste scriptore sermonis editi inter opera Chrysostomi Latine versa ed. Paris. a. 1588 tom. II p. 1086. 1088. Num cogitari liceat de notis feriis Aegyptiacis (Herod. 2, 62), nescio; diem harum quod sciam scriptores non memorant.

ID · AVG · (Aug. 13). — NP

Fer(iae) Iovi *AMIT.*

Dianae in Aventino *AMIT. VALL. ANT.* Sacrum Deanae *ARV.* Natalis Dianes *PHIL.*

Vortumno in Aventino *AMIT.* Vortumno in loreto maiore *VALL.*

Castori Polluci in circo Flaminio *AMIT.*

Feriae Iovi antiquissima huius diei sacra praeterea non memorantur; nec recte legit fastos Amiterninos Beckerus top. p. 453, cum inde effecit in Aventino ferias has celebrari composuitque cum iis aedem Iovis Libertatis ab Augusto in Aventino dedicatam. Contra saepe celebratur natalis Dianae in Aventino dedicatae a Ser. Tullio rege (Festus v. servorum p. 343; Martial. 12, 67; Plutarch q. R. 100; Becker top. p. 455). Eundem etiam circensibus celebratum esse eosque sola culpa librarii in Philocali fastis desiderari probabile est propter senatum legitimum ab idibus Augustis ad diem tertium post idus translatum, quod propter circenses fieri solere supra p. 374 vidimus. — Vortumni aedem in Aventino aliunde non novimus; lauretum in Aventino vicique duo Aventinenses loreti maioris minorisque aliquoties memorantur (Becker top. p. 450 cf. p. 453). — Castorum aedis in circo Flaminio praeterea mentio fit apud Vitruvium 4, 8, 4 (Becker top. p. 619).

XIX K · SEPT · (Aug. 14). — F

August(us) triump(bavit) *ANT.*

Triumphi intelleguntur per triduum acti a. 725 mense Sextili (Macrob. sat. 1, 12, 35). Triumphavit autem Augustus, teste tabula Barberiniana iam expleta, de Dalmatis id. Sextil., de Aegypto a. d. XIX. XVIII k. Sept.; fasti Antiatini posuerunt secundi triumphi diem priorem.

XVI K · SEPT · (Aug. 17). — NP

PORT(VNALIA) *MAFF. AMIT. VALL. ANT.*; Tiberinalia *PHIL.* — Fer(iae) Portuno *AMIT. ANT.* — Portuno ad pontem Aemilium *sive* Aemili *AMIT. VALL.*

Varro 6, 19: *Portunalia dicta a Portuno, quoi eo die aedes in portu Tiberino facta et feriae institutae.* Cf. Schol. Veron. ad Vergilii Aen. 5, 241. Tiberinum a Portuno non esse diversum mythographi etsi adhuc neglexerunt, tamen extra controversiam ponunt fasti Philocaliani. Unde simul intellegitur, cur Portunalibus sacrum fiat etiam Iano; Ianus enim pater fuit Tiberini. — Sacrum fit Portuno sive Tiberino duobus locis, in urbe ad pontem Aemilium sive in insula, Ostiis in portu Tiberino. Pons Aemilius, quem indicant fasti ad h. d., is est qui postea dicitur Gratiani hodie Sancti Bartholomaei iuxta sublicium pontem ab insula in Ianiculum tendens, nec sane alius intellegi potest in sacro tantae antiquitatis, cum ad extremam usque liberae rei publicae aetatem in urbe pons fuerit eo solo loco (v. analecta mea epigraph. c. XVII in actis Lipsiensibus a. 1850 p. 325). A quo non diversus est nisi nomine locus quem ad Dec. 8 fasti sic enuntiant: 'Tiberino in insula.' Habuit igitur sacrarium Tiberinus vel Portunus in ipsa insula ad caput pontis Sancti Bartholomaei; qui locus et aliis nominibus aptus est et eo, quod inde non longe ad campum Martium prope insulam Tiberinam fuerunt navalia (Becker top. p. 159, enchir. 2, 1, 397; Preller reg. p. 242). — Aedes autem Portuni in portu Tiberino a solo Varrone memorata Ostiis potius quaerenda est quam Romae; cf. Serv. ad Aen. 1, 13: *Ostiam ideo veteres consecratam esse voluerunt sicut Tiberim, ut si quid bello navali ageretur, id auspicato fieret ex maritima et effata urbe, ut ubique coniunctum auspicii .... ut Tiberis, cum colonia esset.* Ovidii (fast. 4, 329) *atria Tiberina* certe non inventa a poeta stationem puto fuisse pompae Roma ad aedem Portuni Ostiensem quotannis ducendae.

XVI K · SEPT · (Aug. 17). — NP

Iano ad theatrum Marcelli *VALL.*

Id est in foro holitorio. Becker top. p. 254. 603. Idem redit Oct. 18. — Cf. adnotatio quae proxime praecedit.

XV K · SEPT · (Aug. 18). — C

Aedis divi Iul(i) ded(icata) *ANT.* Divo Iulio ad forum *AMIT.*

Constituta est a. u. c. 712 eo loco, quo C. Caesar crematus est. Dio 47, 18. Becker top. p. 336.

XV K · SEPT · (Aug. 18).

Ludi *SILV.*

XIV K · SEPT · (Aug. 19). — F · P Maff. Amit., F Ant., NP Vall.

VIN(ALIA) *MAFF. VALL. AMIT. ANT.* — Veneri ad circum maximum *VALL.*

Vinalia haec altera sive rustica, ob vinum novum eo die primum in urbem illatum celebrata, item ac priora (Apr. 23) Iovis diem festum fuisse, eodem autem die postea aedes duas dedicatas esse Veneri alteram ad circum maximum (in Murcia valle, Becker top. p. 467. 472) alteram in luco Lubitinae (Preller myth. p. 387. n. 3) Festus (p. 265 coll. ep. p. 264) scribit, cum reliquis qui agunt de Vinalibus locis (Varr. de l. L. 6, 20, de r. r. 1, 1, 6; Fest. p. 289) Veneris sacra sola neque Iovis commemorentur. Inter ferias autem has dierum nominatorum olim nullas fuisse Veneris vel inde constat, quod testantur auctores optimi deam Venerem in antiquissimis sacris non reperiri. De cultu Veneris postea coniuncto cum utris-

que Vinalibus diximus ad priora, et in rusticis Veneralia antiquas ferias etiam citius videntur oblitteravisse; Murcia quippe Libitinaque Veneres multo antiquiores sunt Erycina. Origine quid significaverint Vinalia altera tam incertum est quam certum de prioribus; nam tempestatibus leniendis hunc diem institutum esse non facile credetur Varroni (apud Plin. 18, 29, 289) nec magis probabile est, quamquam id plerisque hodie placet, vota eo die suscepta esse pro vindemia mense Octobri futura. Fuerunt potius, ut indicat Festus ep. p. 264, πιθοίγια altera tum instituta, cum coepit consuetudo apud Romanos vini novi non bibendi nisi fere annui. Rustica autem inde videntur dicta esse, quod posteriore aetate holitores praesertim has ferias observabant (Varro 6, 20; Fest. p. 283).

XIV K · SEPT · (Aug. 19).

[*Eo die Caesar pri*]mum consulatum in[*iit*] (*u. c.* 711); [*Supplicatio*] ...... *fer. cum.*

Dies periit in feriali notus tamen ex multis veterum scriptorum testimoniis, quae collegit Drumannus I, 336.

XIV K · SEPT · (Aug. 19).

Dies tristissi[*mus*] *amit.* — Augustus excess(it) *ant.*

Excessit Augustus a. u. c. 767 = p. C. 14.

XIII K · SEPT · (Aug. 20). — C

Infer(iae) L. Caesaris *ant.*

Contra dicunt fasti Gabini ad a. 755: *[L. Caesar] decessit XIII k. Oct.* apparetque alterutro loco erratum esse in mense. Erraverunt autem Gabini. Primum enim Suetonius (Aug. 65) scribit Gaium et Lucium nepotes Augustum amisisse in duodeviginti mensium spatio, unde cum C. Caesarem decessisse constet a. 757 Febr. 21, Lucii obitus refertur ad labentem a. 755 mensem Augustum, non Septembrem. Deinde cum Pisani de honoribus L. Caesari mortuo habendis decreverint ipso illo die, quem fasti Gabini pro emortuali eius posuerunt, eo tempore iam per Italiae oppida de ea re nuntius sparsus fuit.

XII K · SEPT · (Aug. 21). — NP

CONS(VALIA) *pinc. maff. vall.* — Conso in Aventino sacrificium *vall.*

Varro 6, 20: *Consualia dicta a Conso, quod tum feriae publicae ei deo et in circo ad aram eius ludi illi, quibus virgines Sabinae raptae.* Consi ara modo in circo collocatur (Becker top. p. 98. 468), modo in Aventino. Eandem utraque indicatione significari topographi quidam male negaverunt; nam fuit omnino in ea parte circi, quae Aventinum spectabat. — Consus et Ops coniunguntur in feriali ita, ut illi Aug. 21 et Dec. 15 Consualia, huic Aug. 25 Opiconsiva, Dec. 19 Opalia celebrentur. Scilicet Consus deus est condendi, id est messis horreorumque, unde ara eius latere solet sub terra secundum antiquissimam frugum ita condendarum consuetudinem nec nisi festis eius diebus aperitur; Ops autem consivia terra est, cui gratiae aguntur eodem tempore pro seminibus acceptis et cum fructu restitutis.

X K · SEPT · (Aug. 23). — NP

VOLCANALIA *pinc. maff. vall. arv.* — Volcano in circo Flaminio *vall.*; Volcano *pinc.* — (Ludi) Vulcanalici; c(ircenses) m(issus) XXIV *phil.* Circenses *silv.*

Varro 6, 20: *Volcanalia a Volcano, quod ei tum feriae et quod eo die populus pro se in ignem animalia mittit.* Cf. Orell. 736. Aedes praeterea non memoratur (cf. Becker top. p. 620); deo incendiorum potenti propterea factam esse extra urbem recte monuit Varro (apud Plutarch. q. R. 47). — Ludos circenses Volcanales constitutos esse una cum Martialibus a. u. c. 734 signis a Parthis receptis nummi videntur indicare ob eam rem cusi inscripti *Mars ultor* et *Volkanus ultor* (Eckhel 6, 96); obstat tamen silentium fastorum aetatis Augustae. Hoc constat a. p. Chr. 217 ludos Volcanales a Macrino abolitos esse (Dio 78, 25; Hier. in chron. ad a. 218), ut tamen propter religionem populo inde iniectam et amphitheatri incendio confirmatam mox revocarentur.

IX K · SEPT · (Aug. 24). — C

Lunae in Graecost(asi) *pinc.*

Alibi sacrificium non memoratur. Notabile est id fieri die religioso, scilicet quo mundus pateat; vide supra p. 373.

VIII K · SEPT · (Aug. 25). — NP

OPIC(ONSIVA) *allif. maff. vall.* OPICID *male pinc.* — Opi con[*siviae*] *allif.*, ... ons *pigh.*; Opii in Capitolio *vall.*

Varro 6, 21: *Opeconsiva dies ab dea Ope consivia, quoius in regia sacrarium, quod ideo actum, ut eo praeter virgines Vestales et sacerdotem publicum introeat nemo.* Cf. Fest. v. opima spolia p. 187. Becker top. p. 290. Feriae Opis non celebrantur in Regia nec potuerunt celebrari eo loco, quo populum adire nefas erat, sed in aede Opis ad forum in imo Capitolio. Vide Dec. 19, quo eidem deae alterae feriae fiunt.

VI K · SEPT · (Aug. 27). — NP

VOLT(VRNALIA) *allif. maff. vall.* — Volturno flumini sacrificium *vall.*, Voltorno *pigh.*, Volturn(o) *pinc. hoc loco confusi.*

Varro 6, 20: *Volturnalia* (*vortunalia* cod.) *a deo Volturno* (*vorturno* cod.), *quoius feriae tum.* Flaminem eiusdem commemorat 7, 45. Fest. ep. p. 379: *Volturnalia Volturno suo deo sacra faciebant, cuius sacerdotem Volturnalem vocant.* Praeterea deus Volturnus non memoratur, nisi quod pater dicitur Iuturnae, avus Fonti nati ex Iano et Iuturna (Arnob. 3, 29). Tantum autem abest, ut Volturno amni Campaniae haec sacra vetustissima urbana fiant, ut Volturnus sit ipse Tiberis. Omnino vocabula quae sunt *volturnus, voltur, volturius* declinata a volvendo pertinent origine ad omnia quae volvuntur et cursu graviter incitato feruntur; unde cum volturnus currentem aquam omnem olim significaret vocabulo non minus generali quam amnis aut fluvii, Tiberis autem nomen non antiquissimum esse plerique scribant, quid impedit, quominus vetusta aetate urbem praeterfluens amnis ut a colore Albula ita Volturnus appellatus sit a volvendo, coluber dictus in augurum libris (Serv. ad Aen. 8, 95)? — Cum Vortumno autem deo, qui a vertendo nomen traxit, a volvendo dictum Volturnum soli librarii confuderunt.

V K · SEPT · (Aug. 28). — NP

H(oc) d(ie) ara Victoriae in curia dedic(ata) est *maff.* — Feria[*e hoc die*] q(uod) de[*ae Victoriae ara*] de[*d*]icata est *vat.*

Ara Victoriae statuta est a. 725 in curia Iulia ab Augusto aedificata (Dio 51, 22). Cf. Becker top. p. 346. 353 et Marquardt enchir. 4, 138.

V K · SEPT · (Aug. 28).

Solis et Lunae; c(ircenses) m(issus) XXIV *phil.* Circenses *silv.*

Natalis aut cogitatione suppletur aut excidit. Templum Solis et Lunae descriptio urbis recenset in reg. XI ad circum maximum; neque intellego, cur topographi (Becker p. 469; Preller reg. p. 192) ibi deprehendant duo utriusque numinis templa, cum praesertim et fasti Philocali et tituli complures (Orell. 1924. 1927) ostendant Solem et Lunam coniunctos in urbe cultos esse.

PRID · K · SEPT · (Aug. 31). — NP

Nat(alis) C. Caesaris Germanici *vall.* — Nat(alis) Germanic(i) *pigh.*

Caligula natus est prid. k. Sept. a. p. Chr. 12 (Suet. Calig. 8; vita Comm. 10 cf. 1), ad spem successionis elatus caeso Seiano a. p. C. 31 (Dio 58, 8. Sueton. Cal. 12), imperio potitus post obitum Tiberii a. p. C. 37, interfectus a. p. C. 41. Post annum 31 adnotatio illa fastis inscripta sit necesse est; antea enim latuit. Melius autem convenit utraque extremis Tiberii annis quam ipsius Caligulae imperio; nam postquam Augustus factus est, fastis inscribi vix potuit sine cognomine illo, multo minus appellari simplici Germanici nomine, quo sic videtur usus esse primis annis propter patris recordationem, cum postea nunquam admiserit solitarium.

K · SEPT · (Sept. 1). — F

Iovi tonanti in Capitolio *amit.* Feriae Iovi *ant.*

Dedicata aedes a. u. c. 732 ab Augusto. Dio 54, 4. Becker top. p. 407. — De feriis notaque diei vide supra p. 377.

IV NON · SEPT · (Sept. 2). — NP

Fer(iae) ex s(enatus) c(onsulto), quod eo die imp. Caes(ar) divi f. Augustus apud Actium vicit se et Titio cos. [*u. c.* 723] AMIT. *Eodem pertinent frustula* Act... VALL. *et* ..ti... ANT.

Diem confirmant Dio 51, 1 et Lydus 4, 80. Caligula fautor Antonii magistratibus imperium abrogavit, quod huius diei ferias sollemnes observassent (Dio 59, 20).

III NON · SEPT · (Sept. 3). — NP

Fer(iae) et supplicationes aput omnia pulvinaria, quod eo die Caes(ar) divi f. vicit in Sicilia Censorin(o) et Calvis(io) cos. (*u. c.* 715; *rectius* 718) AMIT. — Feriae .... VALL.

Eckhelius (6, 72) in anno erratum esse statuit, quem recentiores cum alii plerique secuti sunt tum Drumannus (4, 584), recte omnino. Confudit autem qui haec scripsit pacem inter IIIviros et Sex. Pompeium ad Misenum factam Censorino et Calvisio cos. a. 715 et debellatum Sex. Pompeium ad Naulochum a. 718 Cn. Nerio consule cum collega hodie ignoto. Nam a. 715 neque victoria ulla in Sicilia parata est et, ut pacem illam improprie victoriam appellari potuisse concedamus, inita ea est sine dubio ante mensem Septembrem eius anni. Contra in pugnam ad Naulochum omnia recte conveniunt praeter annum. Facta est teste Appiano (b. c. 5, 117) ἐν φθινοπώρῳ, id est inter Aug. 15 et Dec. 15. Item cum paulo post pugnam hanc commissam Lepidus Caesari se tradiderit, utramque rem feriale Cumanum inter Aug. 19 et Sept. 23 comprehendit; celebrataque est ovatio ex Sicilia secundum fastos Capitolinos huius anni Nov. 13. Denique propter hanc victoriam ferias institutas esse scribunt Appianus (b. c. 5, 130: *ἐτήσιον ἱερομηνίαν εἶναι καθ᾽ ἃς ἡμέρας ἐνίκα*) et Dio (49, 15).

Inter III NON · SEPT · (Sept. 3) et IX K · OCT · (Sept. 23).

[*Eo die exer*]citus Lepidi tradidit se Caesari. Suppli[*c*]a[*tio*].......

Factum hoc est, postquam apud Naulochum Agrippa Sex. Pompeium devicit, id est post Sept. 3 a. u. c. 718, item ante diem Sept. 23, qui sequitur in feriali.

PRID · NON · SEPT · — XIII K · OCT · (Sept. 4—19).

SAB.	MAFF.	VALL.	AMIT.	ANT.	PHIL.
4 ...	ludi Romani	lud....	ludi Romani magni commit(tuntur)	[ludi Romani] comm(ittuntur) HS DCCLX	
5 ...	ludi	...	ludi	ludi	
6 ...	ludi	...	ludi	[l]udi	
7 ...	ludi	...	ludi	...	
8 ludi	ludi	...	ludi	lu..	
9 ludi	ludi	...	ludi	lu..	
10 ludi	ludi	...	ludi	lu..	
11 ludi	ludi	...	ludi	lu..	
12 ludi	ludi	...	ludi	lu..	ludi Romanorum
13 Iovi epul(um)		Iov(i) in[dictum epulum]		epuli i[ndictio]	ludi
14 .... prob.	equor(um) prob(atio)	equo.......	equor. prob.	equor...	ludi
15 ...	lud(i) Rom(ani) in circ(o)	ludi...	lud. Rom. in circ	in circ..	Romaniani; c(ircenses) m(issus) XXIV
16 ...	in circ(o)	ludi...	lud. in circ	in cir..	
17 [in] cir[co]	in circ(o)	ludi...	lud. in circ	in circ..	
18 [in] circo	in circ(o)	ludi...	lud. in circ	...	
19	in circ(o)	ludi...	lud. in circ	...	

Ludos Romanos magnos statorum omnium antiquissimos et honoratissimos annuos statos factos videri a. u. c. 386 alio loco ostendi (mus. Rhen. nov. 14, 86). Primarius eorum dies qui fuerit si quaerimus, primum non poterit cogitari nisi de circensium aliquo, cum scaenicos ludos post Romanos hos ordinatos demum inventos esse constet; deinde ludorum Romanorum et plebeiorum ea coniunctio est cum *ludorum epulari sacrificio* (Cic. de or. 3, 19, 73), quod idibus fit, ut epulo proximum eligere necesse sit. Quamobrem primarium fuisse arbitror diem Sept. 15, die postridie idus propter religionem intermisso et in equis probandis absumpto. Cui opinioni item favet, quod aetate extrema imminutorum ludorum hic remansit dies principalis. Libera re publica paullatim creverunt ad dies quindecim (Cic. Verr. act. 1, 10, 31); quem decimum sextum habent aetatis imperatoriae fasti, is post Caesaris mortem demum in honorem eius adiectus est (Cic. Philipp. 2, 43, 110). Adiectum autem esse puto diem Sept. 4, cum cogitari omnino non possit nisi aut de primo aut de postremo, hunc autem ante a. 684 ludos habuisse efficiatur ex Cicerone (Verr. act. 2, 52, 130). Nam quod ibi ait orator inter binos ludos, scilicet Romanos et Victoriae Sullanae, intercessisse dies XXXV (haec enim est lectio cod. Lagomars. 42 unice vera), ostendit intervallum illud ludis vacuum a die Sept. 20 pervenisse ad diem Oct. 25, id est ludos Romanos finiisse iam eo tempore die Sept. 19. Saeculo autem quarto ludi Romani etsi non desierunt, tamen ex sedecim eorum diebus non manserunt nisi quattuor.

NON · SEPT · (Sept. 5). — F

Mammes vindemia PHIL.

Cf. Arnob. 5, 31: *Aesculapii geritur celebraturque vindemia; colunt enim dii vineas et adsuasionibus contracti* (*contractis* codex) *exprimunt vindemiatoribus vinum.* Invocabant igitur vindemiatori Aesculapium, ut in legendo sibi adesset; quod festum compositum ab Arnobio cum lavatione matris, epulo Iovis, lectisternio Cereris puto esse id ipsum, quod sub obscuro ceteroquin *Mammes vindemiae* nomine notatur apud Philocalum initio mensis Septembris. Nam festivitatem, quae post mortem Severi Alexandri matris eius ipsiusque nomine instituta est quamque sua aetate religiosissime celebrari natali eius (Alexandri opinor) die biographus Alexandri c. 63 scribit, huc non rettulerim, sed ad circenses natali Alexandri Oct. 1 editos.

III ID · SEPT · (Sept. 11).

N(atalis) Asclepi PHIL.

Quaenam aedes intellegatur, ignoramus; certe quae in insula fuit, festum diem habuit k. Ian. Nota dei nomen Graecanicum, quod item reperitur in titulis plerisque aetatis labentis.

ID · SEPT · (Sept. 13). — NP

Iovi epul(um) SAB. Iov(i) in[*dictum epulum?*] VALL. Epuli in[*dictio*] ANT. Epulum Minervae *mense Septembri* ARVT.

Iovis epulum proprie ita dictum cum pertineat ad ludos plebeios mensis Novembris neque celebretur nisi semel in anno (cf. Arnob. 7, 32: *Iovis epulum cras est; Iupiter enim cenat magnisque implendus est dapibus, iamdudum inedia gestiens et anniversaria interiectione ieiunus*), Minervae autem epulum alias ignotum me-

moret menologium rusticum mense Septembri, epulum Iovis quod dicitur inter ludos Romanos scaenicos et circenses a quibusdam fastis insertum, ab aliis, ut a Maffeianis et Amiterninis omissum, proprie putarim praebitum esse Minervae. Certe in huiuscemodi epulis in Capitolio celebratis omnibus Iovem Iunonem Minervam invitatos esse et per se constat et confirmant scriptores (Val. Max. 2, 1, 2). Quantopere splendore cesserit epulum ludorum Romanorum Iovis epulo proprie dicto, ostendunt fasti Philocaliani, qui illud silentio praetermittunt, hoc honorant circensibus.

ID · SEPT · (Sept. 13). — NP

Feriae ex s(enatus) c(onsulto), q(uod) e(o) d(ie) nefaria consilia, quae de salute Ti. Caes(aris) liberorumq(ue) e(ius) et aliorum principum civitatis deq(ue) r(e) publica inita ab M. Libone erant, in senatu convicta sunt AMIT.

Accusationem mortemque M. Libonis ad a. 16 p. Chr. enarrat diligenter Tacitus ann. 2, 27, adicitque in fine decreta esse a senatu *dona Iovi Marti Concordiae utque iduum Septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur.* Cf. p. 377.

ID · SEPT · (Sept. 13).

Hoc die Romae in aede Minervali per magistratum annis singulis ex aere clipei figebantur SILV.

Proficisci haec apparet ex male corrupta narratione Livii 7, 3 de clavo ad aedem Minervae pangendo quotannis idibus Septembribus. Vide chronol. meae p. 176.

XVIII K · OCT · (Sept. 14). — F

Infer(iae) Dr[*usi*] *Ant.*

Drusum intellege seniorem mortuum in consulatu a. 745, patrem Claudii imperatoris, quo regnante hemerologium Antiatinum scriptum est. Convenit quod Drusi ad Rhenum defuncti corpus Romam advenit asperrima hieme (Tac. ann. 3, 5).

XV K · OCT · (Sept. 17). — NP

Fer(iae) ex s(enatus) c(onsulto), q(uod) e(o) d(ie) divo Augusto honores caelestes a senatu decreti Sex. Appul(eio) Sex. Pomp(eio) cos. [*p. C.* 14] AMIT. — [*Augusto honores*] cael(estes) d[*ecreti*] ANT.

Res nota; diem didicimus ex fastis.

XIV—X K · OCT · (Sept. 18—22).

	PHIL.	SILV.
18	Natalis Traiani. Triumphales; c(ircenses) m(issus) XLVIII	
[19	*Pii Antonini; circenses missus XXIV*]	
20	ludi triumphales	ludi
21	ludi	
22	ludi	

Triumphales circenses instituti sunt ob postremam Constantini Magni de Licinio victoriam ad Calchedonem a. 323 reportatam; diem Sept. 18 indicant Idat. ad a. 324 et Chr. Alex. ad a. 325. Duplicatur numerus missuum, quoniam concurrunt feriae hae cum feriis ob natalem Traiani. Quod contra consuetudinem ludi triumphales non circensibus finiunt, sed ab iis incipiunt, factum est propter ludos Romanos proxime praecedentes; scilicet nec circenses alio die edi placuit atque ipso victoriae, et si quinque dierum ludi hi finissent circensibus, duo primi eorum incidissent in extremos duos ludorum Romanorum. — Cum hac fastorum Philocalianorum adnotatione post alios Eckhelius (6, 442) composuit locum Dionis 69, 2 de victoria Parthica Traiani post obitum eius celebrata: *αἱ θέαι αἱ Παρθικαὶ ὀνομασθεῖσαι ἐπὶ πολλὰ ἔτη ἐγένοντο· ὕστερον γὰρ καὶ αὐταὶ ὥσπερ καὶ ἄλλα πολλὰ κατελύθη*, titulumque Orell. 2581 gladiatoris qui pugnavit *Romae ob triumphum divi Traiani*, non recte; nam munus ob triumphum eum editum omnino non pertinet ad circenses, ludi autem Parthici Dionis aetate aboliti quomodo compareant in fastis saeculi quarti? denique quid iis cum Traiani natali?

XII—IX K · OCT · (Sept. 20—23).

	PINC.	MAFF.	VALL.
20	. . . .	merk.	merca . . .
21	. . . .	merk.	merca . . .
22	merc.	merk.	merca . . .
23	merc.	mer.	. . . .

X K · OCT · (Sept. 22). — C

HVVADMAR PINC.

Nota corrupta.

IX K · OCT · (Sept. 23). — F Pinc. Sab., NP Maff. Vall. Pigh.

Fer(iae) ex s. c., quod is dies imp. Caesar. natalis est PINC. — [N]atalis Caesaris. Immolatio Caesari hostia. Supp[*l*]icatio PIN. CUM. — H. d. Augusti natalis; lud. circ. MAFF. — Nata . . . . VALL. — Nat. Aug.; epul. PIGH. — n(atalis) divi Aug(usti); c(ircenses) m(issus) XXIV PHIL. NAT. — Ludi SILV.

Scriptorum de Augusti natali testimonia collegit Drumannus 4, 245; adde Orell. 686. 2489. 4068. Ferias (*ἐν ταῖς γενεθλίοις ἱερομηνίαν εἶναι*) decrevit senatus a. 723 vel 724 post pugnam Actiacam (Dio 51, 19); ludos circenses (*ἐς τὰ γενέθλια ἱπποδρομίαν ἀΐδιον*) a. u. c. 746 (Dio 55, 6), cum antea eo die quotannis fere circenses ab aliquo praetorum sua sponte editi essent (Dio 54, 26. 34; cf. Sueton. Aug. 57). Celebratos esse hos ludos etiam post mortem Augusti praeter hemerologia auctor est Dio (56, 46. 57, 14). De epulo scriptores tacent, nisi quod scribit Dio (54, 26) a. 741 praetorem extra ordinem ex senatus consulto Augusto senatuique epulum praebuisse in Capitolio. — Nota diei non ab anno inde 723/4, sed postea demum ex F facta est NP. Vide supra p. 294. 377.

VIII K · OCT · (Sept. 24). — C antiquiores et Vall., N Pigh.

Feriae . . . . . . VALL. Fer . . . . . . PIGH.

Feriae hae coniunctae videntur fuisse cum praecedente die natali Augusti; cf. Suet. Aug. 57: *equites Romani natalem eius sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.* Arvales aetate Claudii Neronisve constat sacrificasse primum IX k. Oct. in Capitolio Iovi bovem marem et ad aram gentis Iuliae vaccam, deinde VIII k. in Palatio divo Augusto bovem marem, divae Augustae vaccam (Arv. tab. XI). Item Florentiae natalis Augusti celebrabatur victimis immolatis per biduum IX et VIII k. Oct. (Orell. 686) idemque fiebat Luguduni (Orell. 2489); in talibus autem coloniis secutas esse urbanam consuetudinem ostendunt decreta Pisana. — Nota diei quae est in Vallensi C ut et in antiquioribus cum pugnet cum feriis, aut feriae hae post incisam tabulam institutae sunt et ita insertae, ut antiqua nota remaneret, aut lapicida erravit. In Pighiano N nota male videtur excepta esse pro NP. Cf. p. 377.

VII K · OCT · (Sept. 25). — C Pinc.; VI K · OCT · (Sept. 14). — C Vall.

Veneri genetrici in foro Caesar(is) PINC.; Vener . . . . VALL.

Dedicavit Veneri genetrici aedem C. Caesar dictator a. u. c. 708 post triumphos. Becker top. p. 364. Cf. quae de ludis in huius dedicationis memoriam institutis notavimus ad d. Iul. 20—30.

V K · OCT · (Sept. 27).

Profectio divi; c(ircenses) m(issus) XXIV PHIL.

Vide quae notavi ad Iul. 18.

III · PR · K · OCT · (Sept. 29. 30).

	PHIL.	SILV.
29	ludi fatales	ludi
30	ludi	

Fatis victricibus inscriptos nummos habemus Diocletiani et Maximiani (Eckhel 8, 6. 18) notumque est Parcarum statuas fuisse in urbe dictas vulgo *tria fata* (Becker top. p. 361).

K · OCT · (Oct. 1). — N

Tigill(um) sor(orium) OST.

Tigillum sororium in Esquiliis quotannis piatum esse noramus e scriptoribus; cf. schol. Bob. ad Cic. pro Mil. 3 p. 277 Orell.:

constitutis duabus aris Iano Curiatio et Iunoni sororiae superque eas iniecto tigillo Horatius sub iugum traductus est. Id expiamentum memoriae servatum ad hunc usque diem tigillum sororium appellatur. Dion. 3, 22 de tigillo sororio: *φυλάττεται θυσίας γεραιρόμενον ὑπὸ Ῥωμαίων καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν.* Schwegler 1, 572. Becker top. p. 529. Rossi *Bullett.* 1860 p. 75. Diem piationis nuper rescivimus ex fastis Ostiensibus. Ceterum quadratarius brevitatis causa in fine videtur omisisse *constitutum* vel *piatur.*

K · OCT · (Oct. 1). — N

Fidei in Capitolio AMIT. OST.

Fidei populi Romani in Capitolio aedes restituta est a M. Aemilio Scauro. Becker top. p. 403. Dixi de ea aede in ann. inst. 1858 p. 202.

V · NON · — IV · ID · OCT · (Oct. 3—12).

AMIT.	ANT.	PHIL.
3	[ludi divo Augusto et Fortunae reduci committuntur] HS X	
4	....	
5 ludi divo Augusto et Fort(unae) reduci committ(untur)	ludi	
6 ludi	ludi	
7 ludi	ludi	
8 ludi	ludi	
9 ludi	ludi	
10 ludi	*omissi*	
11 ludi	....	
12 lud in cir	in circo	12 Augustales; c(ircenses) m(issus) XXIV

Dixi de ludis his ad diem eorum extremum et primarium Augustalium Oct. 12, cui applicati sunt ut Ceriales ludi diei Cerialium. Stati annui facti sunt anno demum p. Chr. 14 itaque desunt in fastis anterioribus Maffeianis et Sabinis. — Quarto saeculo ludi rursus exoleverant exceptis Augustalium circensibus; quam ob rem quae Byzantii narrant scriptores de saltatione nescio qua in Augusteo Constantinopolitano die 5 Oct. peracta ad ludos Augustales non recte Marquardtius (enchir. 2, 3, 271) videtur rettulisse.

IV NON · OCT · (Oct. 4). — C

Ieiunium Cereris AMIT.

Liv. 36, 37 ad a. 563: *libros Sibyllinos ex senatus consulto decem viri cum adissent renuntiarunt ieiunium instituendum Cereri esse; id quinto quoque anno servandum.* Fest. p. 154: *minuitur — luctus — privatis, — cum in casto Cereris est;* nam castus proprie est abstinentia a pane (Arnob. 5, 16 ibique interpretes). Statum annuum tamen Cereris ieiunium, quod flagitat tabula Amiternina, neque his locis neque usquam alibi praeterea commemoratur. Tempore respondere Graeca thesmophoria monuit Prellerus myth. p. 439.

III NON · — VI ID · OCT · (Oct. 5—10).

PHIL.	SILV.
5 ludi Alamannici	
6 ludi	ludi
7 ludi	ludi
8 ludi	
9 ludi	
10 Alamannici; c(ircenses) m(issus) XXIV	

Alamannorum nomen cum primum memoretur sub Caracalla, deinde saepe redit clarasque de eis victorias ad saeculum usque quartum medium paraverunt Caracalla Gallienus Claudius Aurelianus Probus Constantinus Magnus. Alamannorum tamen nomine in publicis litteris, id est in nummis titulisque ante Constantinum abstinuerunt imperatores, quorum qui de gente victa nomen receperunt vel victoriam in moneta praedicarunt, usi sunt omnes Germanici Germanicaeque victoriae titulis. Nam quod ipsum Caracallam Alamannici nomen adsumpsisse biographus scribit (c. 10), apertus error est in tanta nummorum titulorumque imperatoris eius copia nullo modo audiendus. Nec casu hoc factum est. Asinius Quadratus, scriptor saeculi tertii, apud Agathiam 1, 6 Alamannos appellat *ξύγκλυδας ἀνθρώπους καὶ μιγάδας* idque ipsum nomen significare; item Vopiscus trig. tyr. c. 13 Proculum refert Alamannos vicisse, *qui tunc adhuc Germani dicebantur.* Primus Constantinus quamquam et ipse non ut Valentinianus I et Iustinianus Alamannici nomen adscivit, sed ut fecerant Caracalla Gallienus Claudius Aurelianus Probus Germanici, tamen nummis suis *Alamanniae devictae* nomen inscripsit (Eckhel 8, 100. 107) posuitque in iis lugentem ad tropaeum *Alamanniam* (l. c. p. 84. 100). Quam ob rem non recte opinor Rossius (*Bullett.* 1860 p. 77) ludorum Alamannicorum in fastis Philocalianis qui nominantur originem rettulit ad Aurelianum; crediderim potius institutos esse a Constantino Magno, non propter victoriam longe clarissimam a. 310, quam lapis nuper repertus (Henzen n. 5379) ostendit a. d. V k. Iul. (Iun. 27) contigisse, sed propter aliam hodie non satis notam. Appellatur autem Constantinus in titulo inter a. 315 et 318 dedicato (Henzen n. 5576) *Germanicus maximus tertium* ipsique illi nummi, in quibus praedicantur victoriae Alamannicae, cum plerique eorum sint Caesarum Crispi et Constantini II creatorum a. 317, videntur cudi coepti esse aliquanto post a. 310.

NON · OCT · (Oct. 7). — F

Iovi fulg(uratori) Iunoniq(ue) in campo OST.

Haec numina in urbe aedem habuisse ex fastis Ostiensibus primum innotuit. Cf. Rossi *Bullett.* 1860 p. 74.

NON · OCT · (Oct. 7).

Drusi Caesaris natalis. Supplicatio Vestae FER. CUM.

Drusum iuniorem natum esse a. u. c. 739 demonstravit Borghesius (*Bullett.* 1846 p. 80). Quaestor fuit a. u. c. 764 = p. C. 11, consul primum a. u. c. 768 = p. C. 15.

VII ID · OCT · (Oct. 9). — C

Apol(lini) in Pal(atio) AMIT. — Aug(ustus) aed(em) Apol(lini) dedicavit ANT.

Aedes notissima dedicata est a. 726. Vide Beckerum in top. p. 426.

VII ID · OCT · (Oct. 9). — C

Genio public(o) faustae Felicitati Vener(i) victr(ici) in Capitolio) AMIT.

Genii publici aedicula fuit in foro Romano in ipsis rostris (Becker top. p. 344. 360), scilicet aetatis posterioris sub clivo Capitolino proxime arcum Severi. Faustae Felicitatis aedes ea est, quam in loco dirutae curiae Hostiliae a Sulla aedificatae dedicavit Caesar a 710 (Dio 44, 5; Becker top. p. 310); eandem in Capitolio collocant item fasti Antiates ad Iul. 1. Egregie autem inde confirmatur quod dudum docui curiam Hostiliam Sullae fuisse in imo clivo Capitolino. Venus victrix eadem fortasse ac Venus Capitolina (Suet. Calig. 7 Galba 18) quo loco in Capitolio aediculam habuerit, ignoratur (Becker top. p. 404).

VI ID · OCT · (Oct. 10). — C

Iunoni m . . . . . SAB.

Fortasse supplendum m*[onetae]*, quamquam natalem huius deae vidimus diem esse Iun. 1.

VI ID · OCT · (Oct. 10). — C

Infer(iae) Germanic(i) ANT.

Mortuus est Germanicus a. p. Chr. 19; diem ex fastis Antiatibus comperimus, fastis Ostiensibus (Henzen n. 6443), in quibus similiter indicatus fuit, hodie fractis. Praetereunt diem silentio fasti Amiternini scripti imperante Tiberio; enuntiant eum ut par erat servi Antiatini regnante Claudio Germanici fratre naturali.

V ID · OCT · (Oct. 11). — NP

MEDITR(INALIA) *sab. maff. amit.* — Fer(iae) Iovi *amit.*

Varro 6, 21: *Octobri mense Meditrinalia dies dictus a medendo, quod Flaccus flamen Martialis dicebat hoc die solitum vinum novum et vetus libari et degustari medicamenti causa; quod facere solent etiamnunc multi, cum dicunt: novum vetus vinum bibo, novo veteri vino morbo medeor.* Paul. p. 123: *Meditrinalia dicta de hac causa: mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, dicere ominis gratia: vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinae deae nomen conceptum eiusque sacra Meditrinalia dicta sunt.* Ferias tamen huius diei non tam Meditrinae quam Iovi sacras fuisse ut Vinalium priorum posteriorumque hemerologia docent.

IV ID · OCT · (Oct. 12). — NP

AVGVST *sive* AVG *sab. maff. amit. ant.* — *Vide praeterea supra ludos Oct.* 3—12.

Fer(iae) ex s(enatus) c(onsulto), q(uod) e(o) d(ie) imp. Caes(ar) Aug(ustus) ex transmarin(is) provinc(is) urbem intravit araq(ue) Fort(unae) reduci constit(uta) *amit.*

XVIII · K · IAN · (Dec. 15). — NP

Eo die a[r]a Fortunae reducis dedicatast, quae Caesarem A[*ug. ex transmari*]nis provincis reduxit. Supplicatio Fortunae reduci *praen. cum.* — Ara Fortunae reduci dedic(ata) est *amit.*, *ubi haec adnotatio quadratarii neglegentia sic scripta est, ut ad Dec.* 16 *pertinere videatur.*

Dio 54, 34 ad a. 735 narrat Augusto post ordinatum statum Siciliae Graeciae Asiae Syriae Romam redeunti plurimos honores decretos esse, nullum vero eum accepisse *πλὴν Τύχης τε Ἐπαναγωγοῦ βωμὸν ἱδρυθῆναι καὶ τὴν ἡμέραν ἣν ἀφίκετο ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι* (cf. mon. Ancyr. 2, 30 loco toto corrupto nummique inscripti *Fortun(ae) redu(ci) Caesari Aug(usto) s. p. q. R.* apud Cohenum vol. 1 p. 53). Apparet tres honores diversos ab imperatore acceptos esse, primum ut ara Fortunae sibique dedicaretur, deinde ut feriae eo die deinceps celebrarentur, denique ut hic dies proprium Augustalium nomen acciperet; quae recentiores non satis distinxerunt. — Ludi plane ut in natali Augusti ita in hoc die celebrando postea demum accesserunt. Coepisse eos a. 743 Dio (54, 34) scribit videnturque re vera deinceps quotannis editi esse (cf. Dio 58, 29); at lege annui effecti sunt anno demum u. c. 767 = p. C. 14, qua de re praeter breve Dionis (56, 46) testimonium disertum habemus Taciti ann. 1, 15: *tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur; sed decreta pecunia ex aerario utque per circum triumphali veste uterentur, curru vehi haud permissum. Mox celebratio annua* (*annum* cod.) *ad praetorem translata cui inter cives et peregrinos iurisdictio evenisset.* Perscripti sunt ludi hi sub nomine *diei Augusti et Fortunae reducis* in hemerologio Amiternino ab Oct. 5 ad Oct. 12, in Antiatino recentiore ab Oct. 3 ad eundem diem, ut inter Tiberium et Claudium duobus diebus aucti esse videantur. Commissos esse sestertium X milibus Antiatinum scribit, cuius summae parvitas explicanda videtur ex certamine inter magistratus ludorum dominos et senatum privataene eorum expensae an publicae essent.

III ID · OCT · (Oct. 13). — NP

FONT(INALIA) *sab. maff. amit.* — Feriae Fonti *amit.*

Varro 6, 22: *Fontanalia a Fonte, quod is dies feriae eius; ab eo tum et in fontes coronas iaciunt et puteos coronant.* Fest. ep. p. 85: *Fontinalia fontium sacra; unde et Romae Fontinalis porta* (ad campum Martium; cf. Becker top. p. 133). Frontin. de aquis c. 4: *Fontium memoria cum sanctitate adhuc extat et colitur.*

III ID · OCT · — XV K · NOV · (Oct. 13—18).

phil.

13 ludi Iovi liberatori
14 ludi
15 ludi
16 ludi
17 ludi
18 Iovi liberatori; c(ircenses) m(issus) XXIV

Nota vox morientium Senecae et Thraseae *libare se Iovi liberatori* (Tac. ann. 15, 64. 16, 35); certiore autem nominis notitia destituimur nec compararim Iovem Liberum, qui aedem habuit in Aventino.

PRID · ID · OCT · (Oct. 14).

Natalis Virgilii *silv.*

Debuit indicari dies sequens id. Oct.

ID · OCT · (Oct. 15). — NP

Equus ad nixas fit *phil.*

Antiquissimum sacrificium equi ex biga victrice dexterioris hoc die Marti offerebatur ad aram in campo Martio prope ciconias nixas (de his cf. Preller reg. p. 173). Cf. Marquardt enchir. 4, 277.

ID · OCT · (Oct. 15). — NP

Sacrum Libero *mense Octobri rust.*

Sacrum Libero apud antiquiores non memoratum idibus Octobribus adscripsi propter duas causas, primum quod in interpretatione Gothica Cod. Theod. 2, 8, 19 vindemiales feriae a X k. Sept. ad id. Oct. extenduntur, deinde quod legitur in feriali Campano anni 387 (I. N. 3571 = Henzen 6112): *idus Oct. vendemia Acerusae.* In urbe hoc sacrum institutionis omnino recentioris successit fortasse in locum vetusti equi sacrificii prope ciconias nixas; ibidemque ad ciconias arca publica vinaria stationem habuit (Henzen 5089 collato commentario meo in edictum Diocletiani p. 76).

XV K · NOV · (Oct. 18). — C

Iano ad teathr(um) Marcelli *amit.*

Cf. Aug. 17.

XV K · NOV · (Oct. 18).

Eo die Caesar togam virilem sumpsit. Supplicatio Spei et Iuve[*ntuti*] *praen. cum.* Divus Aug(ustus) tog(am) [v]irilem sum(psit) *ant. hoc loco confusum ad XIV k. Nov.*

Virilem togam sumpsit Octavianus a. 706 vel 707 ante triumphum C. Caesaris de rege Iuba (Sueton. Aug. 8). Cf. Drumannus 4, 246. 249.

XIV K · NOV · (Oct. 19). — NP

ARM(ILVSTRIVM) *sab. maff. arv. ant.*

Varro 6, 22: *armilustrium ab eo, quod in armilustrio armati sacra faciunt — — ab ludendo aut lustro, id est quod circumibant ludentes ancilibus armati.* Fest. ep. p. 19: *armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac dum sacrificarent tubis canebant.* Armilustrium fuit in Aventino ad circum maximum (Varro 5, 153; Becker top. p. 480). Fuerunt omnino feriae Martis, ut simillimae quinquatrus die Mart. 19, ubi vide, celebrabanturque tum cum finito bello arma reponebantur.

XIV—XI K · NOV · (Oct. 19—22).

phil.

19 ludi Solis
20 ludi
21 ludi
22 Solis; c(ircenses) m(issus) XXXVI

Origo incerta. De agone Solis, quem teste chronographo a. 354 et Hieronymo instituit Aurelianus, noli cogitare; agones enim omnino diversi fuerunt a ludis neque illi celebrabantur nisi quarto quoque anno (Iulian. or. 4 p. 155 Spanh.). Nota numerum missuum solito maiorem. Cf. p. 379.

VII K · NOV · — K · NOV · (Oct. 26 — Nov. 1).

	SAB.	MAFF.	AMIT.	ANT.
Oct. 26	lud(i) Vict[or(iae)] Sull(anae) co[mm(ittuntur)]	lud(i) Vict(oriae)	...	...
27	ludi	ludi	...	...
28	...	ludi	...	...
29	...	ludi	...	...
30	...	ludi	...	...
31	...	ludi	...	...
Nov. 1	...	...	*omissi*	in circo

Instituti sunt ludi Victoriae Sullanae a. u. c. 672; primarius dies fuit extremus k. Nov., quo die Sulla vicit ad portam Collinam. Cf. *Gesch. des röm. Münzwesens* p. 625 n. 464. Victoriae Sullanae ludi dicuntur et apud Velleium 2, 27 et in fastis, ut distinguantur ita a ludis Victoriae divi Caesaris (Iul. 20—30); vide quae dixi in adnotatione critica ad fastos Sabinos (supra p. 302). — Ad quartum saeculum ludi hi non pervenerunt.

V K · NOV · (Oct. 28).

Evictio tyranni PHIL.

IV · K · NOV · (Oct. 29).

Advent(us) divi; c(ircenses) m(issus) XXIV PHIL.

Pertinere haec ad Constantini de Maxentio victoriam a. 312 et illius in urbem ingressum vidit post alios Tillemontius 4, 633, quamquam falsus in conciliandis cum hoc de Maxentianae cladis tempore testimoniis Lactantii de mort. persec. c. 44 et auctoris paneg. VIII c. 16. Nam non hoc illic ait a. d. VI k. Nov. ad pontem Mulvium pugnam commissam esse, sed Maxentium eo die, *quo imperium ceperat et quinquennalia terminabantur* (scilicet postquam factus est Augustus a. 307 extremo), natali suo (scilicet imperii) circenses edidisse et libris Sibyllinis inspectis ad pugnam se parasse; quocum optime convenit, quod teste Philocalo die sequente V k. Nov. victus est. Paullo indiligentius vel potius paullo inflatius rhetor, quem supra citavimus, divinam mentem hoc ait sibi proposuisse, ut Maxentius *consumpto per desidias sexennio* (scilicet per annum fere in urbe dominatus fuerat Caesar) *ipsum diem natalis sui ultima sua caede signaret, ne septenarium illum numerum sacrum et religiosum vel inchoando violaret.*

V K · NOV · ad K · NOV · (Oct. 28 ad Nov. 1).

Isia PHIL.; *extremo diei Nov. 1 adscribitur praeterea* ex se nato c(ircenses) m(issus) XXIV. *In iisdem fastis November mensis pingitur dextra tenens sistrum, sinistra patellam vel potius cymbium cum cibariis et serpente; ad pedes anser astat, ad latus in basi cernitur caput asini; subscriptum est epigramma:* Carbaseo post hunc artus indutus amictu Memphidos antiquae sacra deamque colit, a quo vix avidus sistro compescitur anser devotusque sacris incola Memphidiis.

Inter XVIII et PRID · K · DEC · (inter Nov. 14 et 30).

Heuresis ARSP.

Plutarchus de Iside c. 39 (cf. c. 13. 42) narrat mori Osirim mensis Athyr die 17, redire eiusdem mensis die 19 mortemque eius et resurrectionem quotannis celebrare Aegyptios luctum per quatriduum agitantes inde ab Athyr die 17. Ubi quamquam certum est intellexisse Plutarchum annum Aegyptiacum Alexandrinum sive fixum, tamen omnium consensu dies quos nominat Plutarchus secundum vetustam feriarum Aegyptiacarum ordinationem pertinuerunt ad annum vagum, nec litigant nisi de ea re, utrum Graecus scriptor suo errore suae aetatis annum vagum cum fixo confuderit (quod facile fieri potuit, cum inter annum fixum et vagum casu tum non multum interesset; exempli causa mensis Athyr, quem Plutarchus c. 13 scorpioni Oct. 19 — Nov. 17 aequiparat, anni Alexandrini respondet mensi Oct. 28 — Nov. 26, anni vagi circa annum Iulianum p. Chr. 100 mensi Oct. 8 — Nov. 6), an feriae ad annum vagum ordinatae ab ipsis Aegyptiis aetate extrema celebratae sint secundum annum Alexandrinum, quae est opinio Bioti (*recherches sur l'année vague des Egyptiens* p. 145 sq.) omnino si quid video probabilis. Utut est, Isia secundum antiquum institutum ad annum vagum constituta tempore procedente annum fixum percurrisse totum, extra controversiam ponit et ipsa res et diligentissimi Gemini de Isiis testimonium (c. 6). Nam quod feriae origine sua ad anni naturalis mutationes relatae male aiunt vagari per annum, est quidem verissimum, sed Isiaci omnis aetatis parum solliciti fuerunt de primaria caerimoniarum quas observant causa et natura, et ut argutiores quidam rei absurditatem intellexerint, non hoc nostro demum tempore pii homines invenerunt credendum esse quia absurdum esset. — Iam si accedimus ad heuresin in menologio mensi Novembri attributam et Isia Philocali, primum hoc certissimum est utroque loco idem festum significari. Nam cum alibi tum in Italia longe primarias ferias Isiacorum fuisse eas quae finirent in invento Osiri redivivo, demonstrant scriptorum loci complures (Lucanus 8, 831 sq.; Iuvenalis sat. 8, 29; Serv. ad Aen. 4, 609; Minuc. Felix c. 21; Firmicus de err. c. 2; Lactant. 1, 21, 20 al.). *Haec*, inquit Minucius postquam luctum illum et exultationem enarravit, *haec Aegyptia quondam, nunc et sacra Romana sunt; haec est Isiaci sacri summa,* Firmicus addit. Omnino igitur a fastis ab Isiacis sacris non alienis abesse non magis potest inventio Osiris quam a fastis Christianis resurrectio Christi. Quare cum Osiris inventio in fastis Philocali omnino debuerit scribi memorata iam in menologio ut longe antiquiore ita in Isiacis sacris referendis multo parciore, reperiantur autem in fastis Philocali circa idem fere tempus Isia quinque dierum nec praeterea festum Isiacum ullum per complures dies celebratum, Isia Philocali pertineant necesse est ad eam ipsam, quam nominat menologium heuresin. Denique adnotationem apud Philocalum ad postremum Isiorum diem adscriptam *ex se nato c(ircenses) m(issus) XXIV* coniungendam esse cum Isiis vel inde patet, quod hac aetate feriae maiores omnes finiunt circensibus; nec puto quemquam dubitaturum, qui praesertim similia compararit *Iano patri c. m. XXIV; n(atalis) Invicti* (id est Solis) *c. m. XXIV*, recte haec rettulisse me ad Osirin quotannis ex se renascentem, id est ad heuresin. Ne vero opposueris Isia Philocaliana quinque dierum esse non posse descriptas a Plutarcho et secundum eum per quadriduum agitata ferias Isiacas, discrepantia ea non solum per se non magni est momenti, cum facile dies aut praecedens aut subsequens per certas causas modo connumerari potuerit, modo omitti, sed re vera ne extat quidem; Plutarchus enim in narratione ceteroquin non satis apte cohaerente non festum per quattuor dies ait continuari, sed luctum. — Hoc posito videamus de die inventi Osiris secundum fastos sacros Romanos. Iam ipsi Aegyptii cum antiquo tempore observarent diem Athyr 19 anni vagi, dies autem is omnino in fastos Iulianos referri non posset nisi errore, eiusmodi error duplex esse potuit, ut aut annus vagus qualis certo tempore erat talis putaretur semper esse futurus, quam opinionem sua aetate apud Graecos vulgo obtinuisse Geminus scribit, aut annus vagus confunderetur cum anno fixo, a quo errore ipsos Aegyptios aetate imperatoria non alienos fuisse videri supra observavimus. Et hanc quidem opinionem secutis dies Osiris redeuntis Athyr 19 fiebat mensis Novembris dies 15, quod optime convenit menologio. Fasti autem Philocaliani cum hanc interpretationem non admittant, vi-

deamus, num dies quos Isiacis destinant probabiliter explicentur secundum opinionem priorem, id est num eo tempore quo Isiaca sacra primum recepta sunt in fastos publicos populi Romani, dies Athyr 19 anni vagi responderit Oct. 31 vel Nov. 1 anni Iuliani. Iam anni vagi dies Athyr 19 cum incidat in anni Iuliani mensem Novembrem per annos a. Chr. 85 ad p. Chr. 35, in Octobrem per annos 36—159, in Septembrem per annos 160—281, in Augustum per annos 282—405 p. Chr., diei Nov. 1 respondit per annos 32—35, diei Oct. 31 per annos 36—39 p. Chr., id est per extremos annos Tiberii († 37) et Caligulae primos. Quod si quaerimus, quo tempore Isiaca sacra publica populi Romani facta sint, annus quidem non memoratur, sed evenit id post annum p. Chr. 19, quo Tiberius novissime in Isiacos saeviit (Tacit. ann. 2, 85. Sueton. Tib. 36. Ioseph. antiq. 18, 3, 4) et ante annum 65, nam hoc anno mortuus Lucanus sic ait (8, 831): *nos in templa tuam Romana accepimus Isin* (cf. Arnob. 2, 73: *nos Aegyptiaca numina quibus Serapis atque Isis est nomen non post Pisonem et Gabinium consules in numerum vestrorum rettulistis deorum?*) conveniteque publica sacrorum Isiacorum admissio vel optime initiis Caligulae blanda segnitie severas Tiberii leges evertentis. In iis recipiendis et fastis publicis inserendis si eundem errorem commiserunt qui Romae fastos ordinabant quem apud Graecam plebem sua aetate obtinere Geminus arguit (et est sane admodum probabile Romanos in ea re Graecis non fuisse prudentiores), Isia in Romanorum anno sacro eum ipsum locum accipere debuerunt, quo deprehenduntur in fastis Philocalianis, id est publicis populi Romani, neque errorem non esse emendatum postea mirabitur, qui Romanorum indolem ipsamque fastorum publicorum naturam recepta omnia vera falsa summa cura custodientem satis perspexerit. Usu autem magis obtinuisse crediderim Isiorum medio mense Novembri celebrationem in menologio privato indicatam quam in publicos fastos relatam a die Oct. 28 ad Nov. 1, cum praesertim mensium imagines ipsis fastis Philocalianis adiunctae prodant Isiaca sacra habuisse Novembrem potissimum. — Ceterum in hac de Isiorum tempore disputatione consulto praetermisi fere quae de epocha eorum Geminus (c. 6) tradit, scilicet Graecos opinari Isia secundum Agyptiacos fastos et Eudoxi incidere in solstitium hibernum; at hoc ita obtinuisse ante annos CXX adeoque ante hoc tempus ea celebrata esse circa solstitium aestivum teste Eratosthene in commentario de octaeteride, nunc vero Isia mense integro distare a bruma. Nam ex hoc loco docti et accurati auctoris Isiorum tempus effici ideo nequit, quod qua aetate vixerit ita ignoratur, ut coniecturas de ea re huic potissimum loco viri docti superstruxerint; scilicet cum anni Iuliani Novembri 24 Athyr 19 anni vagi responderit annis ante Chr. 61—58, eo fere tempore Geminum scripsisse. Denique ex eo, quod Achilles Tatius (c. 23) agens de luctu Aegyptiorum tempore brumae addit: *ἔστιν ὁ καιρὸς οὗτος ὁ παρ' αὐτοῖς τῶν καλουμένων Ἰσίων*, nihil colligitur nisi plebis errorem de tempore Isiorum a Gemino castigatum ad Achillem quoque pertinuisse. Praeterea de Isiis Aegyptiorum quae diligenter exposuit Lepsius in chronol. 1, 192 sq. digna omnino sunt, quae conferantur, etsi ibi non tractat quaestionem supra agitatam de tempore Isiacorum apud Romanos.

III · PRID · K · NOV · (Oct. 30. 31).

PHIL.

Oct. 30 ludi votivi

31 ludi

Vide ad Febr. 28.

IV NON · NOV · (Nov. 2).

Ter novena PHIL.

III NON · NOV · (Nov. 3).

Hilaria PHIL.

Lydus fragm. Caseol. p. 113 ed. Bekker: *τῇ πρὸ τεσ[σά]ρων καὶ τριῶν νωνῶν Νοεμβρίων ἐν τῷ ναῷ τῆς Ἴσιδος συμ[πέ]ρασμα τῶν ἑορτῶν· ἐπετελ[εῖτο] δὲ καὶ ὁ λεγόμενος δρε[π]αν..., καθ' ἣν ἑορτὴν* cet. Praeterea haec Isiorum conclusio non memoratur comparanda ea cum Matris magnae hilaribus feriarum ordinem similiter claudentibus, eo magis, quod etiam castus Isidis saepe componitur cum castu Cybeles (Tertull. de ieiun. 2. 16; Hieron. contra Iovian. p. 209. 211; ep. ad Castam 57), consentaneumque est utroque finito luctuque deposito pios homines devotam tristitiam laetabundo animo compensavisse dapibus opimis. Ter novena vero in Isiacis quid significent, nescio.

PRID · NON · NOV · — XV K · DEC · (Nov. 4—17).

MAFF.	AMIT.	ANT.	ARST.	PHIL.
4 ...	*omissi*	lúd(i) pleb(ei) com(mittuntur) HS DC		
5 ...	*omissi*	lúdi		
6 ludi	ludi	lúdi		
7 ludi	ludi	lúdi		
8 ludi	ludi	lúdl		
9 ludi	ludi	lúdi		
10 ludi	ludi	lúdi		
11 ludi	ludi	lúdi		
12 ludi	ludi	lúdi		ludi plebei
13 epul(um) indict(um)	ludi	epulum indicitur	Iovis epulum	Iovis epulum; c(ircenses) m(issus) XXX
14 equor(um) prob(atio)	equor. [pro]batio	equor. prob.		ludi
15 lud(i) pleb(ei) in circ(o)	lu[d]i in circo	in circ.		ludi
16 in circ.	[lu]di in circo	in circ.		plebei; c(ircenses) m(issus) XXIV
17 in circ.	[lu]di in circo	in circ.		

Ludi plebei post Romanos magnos antiquissimi et honoratissimi instituti sunt a. u. c. 534. Primarium eorum diem fuisse arbitror Nov. 15 propter easdem causas, quas exposui in ludis Romanis. Saeculo quarto redacti sunt ad quinque dierum spatium item exemplo Romanorum.

VIII ID · NOV (Nov. 6).

Agripp(inae) Iul(iae) natalis ANT.

Nata Agrippina Iulia ex Germanico et Agrippina seniore a. p. Chr. 16 (Eckhel 6, 255), Claudioque a. 49 nupta interfecta est a. 59 a filio Nerone.

ID · NOV · (Nov. 13). — NP

Epul(um) indict(um) MAFF. Epulum indicitur ANT. Iovis epulum ARST. PHIL. — Ludi *errore* AMIT.

Hoc est quod proprie dicitur epulum vel Iovis epulum (cf. mus. Rhen. nov. 14, 81), inter summae laetitiae dies vel tertio saeculo celebratum testibus et fastis supra relatis et auctore vitae Alex. c. 37. Alterum Iovis epulum, id quod id. Sept. inter ludos Romanos scaenicos circensesque celebratur, similiter atque hoc interpositum inter ludos utriusque generis plebeios, magis Minervae quam Iovis fuisse videri supra docui (ad Sept. 13). Institutum hoc videtur esse una cum ipsis ludis plebeiis, id est anno u. c. 534; memoratur inde

ab anno 541 (Liv. 25, 2). Indictum autem quod vocatur, minime impedit, quominus dii Capitolini stato die annuo epulati sint; haec enim indictio non ideo fit, ut dies antea incertus definiatur, sed ut receptae convivarum invitandorum consuetudini satisfiat. Ceterum quamquam fasti Antiatini parum fidi alio ducunt, mihi persuasum est hoc die non indictum esse epulum (cf. Arnob. 7, 32: *Iovis epulum cras est*), sed celebratum, cum praesertim idus omnes Iovi sacrae sint nec recte postridie idus cena videatur collocari.

XVI K · DEC · (Nov. 16). — C

Natalis Ti. Caesaris. Supplicatio Vestae FER. CVM. — Ti. Au-g(usti) natal(is) ANT.

Natus est Tiberius a. u. c. 712; diem praeter fastos habent Suet. Tib. 5 et Dio 57, 18. Silentio eum praeteriri in fastis Amiterninis incisis paulo post a. p. C. 16 supra p. 295 explicavi ex modestia, qua initio imperii usus est Tiberius; postea vero et ipsum in fastos relatum esse praeter Antiatinam tabulam Suetonius l. c. testatur.

XIV—XII K · DEC · (Nov. 18—20).

	MAFF.	AMIT.	ANT.
18	merk.	[me]rk.	mercatus
19	merk.	[me]rk.	.....
20	merk.	.....	.....

VII K · DEC · — K · DEC · (Nov. 25 — Dec. 1).

	PHIL.	SILV.
Nov. 25	ludi Sarmatici	
26	ludi	
27	ludi	ludi
28	ludi	
29	ludi	ut supra
30	ludi	
Dec. 1	Sarmatici; c(ircenses) m(issus) XXIV	

Victoriae Sarmaticae etsi celebrantur in titulis nummisve complurium imperatorum saeculi secundi et tertii, tamen ludos hos pariter atque Alamannicos Gothicos Francicos rettulerim ad Constantinum Magnum, qui et ipse Sarmaticus maximus appellatur in titulis (Henzen 5576. 5578. 5580) Sarmatiamque devictam praedicat in nummis (Eckhel 8, 87. 101. 107) cuius probabiliter propter victoriam a. 332. — Cf. Iul. 27.

K · DEC (Dec. 1). — N

Neptuno Pietati ad circ(um) Flamin(ium) AMIT.

Sacrificia Neptuno Veneri Amphitritae Saturno Fortunae respicienti (ἰφόρῳ) Pudicitiae Amori hoc die oblata esse scribit Lydus fr. Caseol. p. 117. Neptuni aedem in circo Flaminio dedicavit Cn. Domitius (Becker top. p. 619; Preller myth. p. 505), Pietatis in foro holitorio M' Acilius Glabrio a. 573 (Becker top. p. 602).

IV NON · DEC ·	(Dec. 2)	Initium muneris	PHIL.
PRID · NON · — VIII ID · DEC ·	(Dec. 4—6)	munus arca	
VI ID · DEC ·	(Dec. 8)	„ kandida	
XIV K · IAN ·	(Dec. 19)	„ arca	
XIII „ „	(Dec. 20)	„ kandida	
XII · X „ „	(Dec. 21. 23)	„ arca	
IX „ „	(Dec. 24)	„ consummat	

Tacit. ann. 11, 22 ad a. p. Chr. 47: *P. Dolabella censuit spectaculum gladiatorum per omnes annos celebrandum esse pecunia eorum, qui quaesturam adipiscerentur.* Suet. Claud. 24: (Claudius) *collegio quaestorum pro stratura viarum gladiatorium munus iniunxit.* Nero deinde a. p. Chr. 54 senatui petenti concessit, *ne designatis quaestoribus edendi gladiatores necessitas esset* (Tac. ann. 13, 5). At quaestoria munera olim omissa postquam revocavit Domitianus (Suet. Domit. 4), exinde manserunt (cf. Symmach. ep. 4, 8). Severus Alexander postea *quaestores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed ut post quaesturam praeturas acciperent et inde provincias regerent; arcarios vero instituit, qui de arca fisci ederent munera eademque parciora.* Duo igitur genera quaestorum ea aetate erant, candidatorum, qui de sua pecunia ludos edebant et cursum legitimum honorum ita inchoabant, et arcariorum, qui cum ludos ederent de pecunia publica, ius honorum inde sibi parabant nullum (cf. Marquardt enchir. 2, 3, 203). Unde postea distinguitur editio muneris arcae a locupletiori muneris candidae; cuius locutionis Valesius ad Amm. 27, 3, 6 Ducangiusque in glossario s. v. haec citant exempla Ambrosii serm. 81 (editionum antiquiorum; Benedictini omiserunt): *praeparemus nova et praeclarissima munera: edamus primam editionem candidam in vestitu et indumentis sudorum; secundam vero non minus nobilem (?) fessas et pereuntes animas reparemus; tertiam nihilo minus editionem famosissimam praeparemus cet.*; et actorum Bonifacii martyris (Acta Sanct. ad Mai. 14 p. 281) de Aglae matrona Romana: *haec ter candidam egerat apud urbem Romam ex praefectura*; et actorum Eleutherii martyris (Acta Sanct. ad Apr. 18 p. 530) patrem Eleutherii *virum illustrem nomine Eugenium tertio candidam Romae dedisse*; et actorum Seraphiae et Sabinae (Acta Sanct. ad Aug. 29 p. 500): *filia Herodis quondam metallarii quae sub Vespasiano ter in urbe Roma candidam dedit Romanis.* — Quaestores designati cum munus ederent, factum est, ut initium muneris figeretur ad dies proxime praecedentes nonas Decembres, quibus scilicet magistratum inibant (Becker enchir. 2, 2, 344). Semel tantum in anno munus statum editum esse ostendunt fasti confirmatque enarrator vitae Alexandri l. c., hunc in animo habuisse testatus, ut munera per totum annum dispersa per XXX dies populo daret. Ausonius item (de feriis 33) gladiatores ait in foro pugnare extremo Decembri; cum Saturnalibus (Dec. 17—23) munera et idem coniungit et Lactantius (inst. 6, 20, 35). Similiter Iulianus (vide ad Dec. 25) post anni (naturalis scilicet a bruma ad brumam) mensem extremum Saturno sacrum celebrari ait natalem Solis: *μεθ' ὃν εὐθὺς θέαις ὧν ὁ τελευταῖος μὴν ἔχει σκυθρωπῶν μέν, ἀναγκαίων δ' ὅμως ἐπιτελεῖσθαι θεαμάτων*; plane ut secundum fastos Philocalianos munus consummatur die eo, qui et Saturnalium extremus est et proxime praecedit natalem Solis. Iidem ostendunt munera edi per mensis Decembris dies decem non continuos candidas duas, arcas sex; primus extremusque utrius generis fuerit, non indicatur, puta tamen alterum utrum candidam fuisse, cum loci supra relati quaestores indicent ter candidam edidisse. Candidas autem honoratiores fuisse quam arcas confirmant acta Sancti Ignatii (c. 7. p. 14 Ruinart) bestiis obiecti die XIII k. Ian., quae putabatur *sollemnis dicta apud Romanos tertia decima, secundum quam studiose convenerant.* Cf. Friedlaender in enchir. 4, 556.

VI ID · DEC · (Dec. 8). — C

Tiberino in insula AMIT.

Vide Portunalia Aug. 17.

IV ID · DEC · (Dec. 10). — C

Tr(ibuni) [*plebis magistratum ineunt*] PRAEN.

III ID · DEC · (Dec. 11). — NP

AG(ONIA) IN...... AMIT.; AGON(IA) MAFF. PRAEN. ANT. — Septimontia PHIL. — Septimontium (*errore ad Dec.* 12) SILV.

Fest. p. 340: *[Septimontium dies ap]pellatur mense [Decembri, qui dicitur in f]astis agonalia.* Ita recte supplevisse Scaligerum probant cum hemerologia saeculi quarti tum Lydus fr. Caseol. p. 118 ed. Bekk., quamquam in die errans: *ἐκτέλουν δὲ καὶ ἑορτὴν λεγομέν[ην Ἀ]γω[ν]άλια δαφνηφόρῳ καὶ γενάρχῃ Ἡλίῳ — — ἐν ταύτῃ καὶ ἡ λεγομένη πα[ρ' αὐτοῖς Σεπτι]μούντιος ἑορτὴ ἐπετελεῖτο, τουτέστιν ἡ περίοδος τῆς πόλ[εως].* Accedit quod mensi Decembri ante brumam Septimontium assignat Palladius 13, 1 (cf. Colum. 2, 10, 8) et quod Macrobius 1, 16, 6 narrat suo tempore inter ferias stativas praecipue servari Agonalia, cogitans omnino non de reliquis sic dictis diebus ea aetate fere abolitis, sed de Septimontio. Errore autem Od. Mueller (ad Fest. l. c.) Varronem de l. L. 6, 24 ait apertis-

sime ostendere Septimontium fuisse post Dec. 23; potius enim Varro post explicata quae in fastis reperisset nomina dierum subicit ibi tanquam appendiculam quandam diem Septimontium et ipsum certi nominis nec tamen in fastos relati. Denique ipsum agonium sive agonalium generale vocabulum convenit sane Septimontiorum sacro. Determinativum autem, quod requiritur, adest in fastis Amiterninis, ubi quod Agoniis his additur secundum nomen *In . . . .*, iure componetur cum Agonium Martii 17 altero nomine Liberalium, nisi quod illud quomodo expliceemus non liquet nec novimus ne nomen quidem, cui Septimontium proprie dedicatum fuit. Celebratum esse Septimontium Varro scribit propter additum urbi quae tum fuit septimum collem (Varro l. c. 5, 41. 6, 24.; Plutarch. q. Rom. 69; Lyd. de mens. p. 118 Bekk.); at neque inde multum proficimus neque facit ad naturam sacrificii stabiliendam, quod probabile est id moderatum esse flaminem Palatuarem (cf. Marquardt in enchir. 4, 270 n. 1644). Sane ad vocabulum illud explendum offert sese Inui vetustum numen et obscurum, quod antiquarii ab ineundo declinatum putant et nescio quibus rationibus moti Graecorum Pani comparant; sed ab incertis coniecturis abstineamus.

PRID · ID · DEC · (Dec. 12). — EN

Conso in Aventin(o) *AMIT.*

Ibidem sacrificium fieri vidimus in feriis Consualium utrisque Aug. 21 et Dec. 15.

PRID · ID · DEC · — XV K · IAN · (Dec. 12—18).

PHIL.

12 ludi Lancionici
13 ludi
14 ludi
[15 *natalis divi Veri; circenses missus XXIV*]
16 ludi
17 ludi
18 Lancionici; c(ircenses) m(issus) XXIV

Lancionum neque populum ego novi ullum neque suppetit alia de nominis origine probabilis coniectura.

ID · DEC · (Dec. 13). — NP

Tel[*luri*] *AMIT.* — [*Telluri et Cere*]ri in Carinis. Aedi[*les*] . . . . . et lectisternium e lec[*tis . . . faciunt, quos*] manceps praestat *PRAEN.*

Iduum Dec. die cum Amiternini fasti licet laceri et ipsi tamen certo ostendant Telluri sacrificium factum esse, eodem rettuli cum Praenestinorum fragmentum supra relatum, quod cuius diei sit praeterea non constat, tum locos hos Tertulliani de idol. 10: *flaminicae et aediles sacrificant Cereri; schola honoratur feriis* et Arnobii 7, 32: *lectisternium Cereris erit idibus proximis; habent enim dii lectos atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque incitatur impressio.* Nam fastorum Praenestinorum frustulum illud agit omnino de sacrificio oblato in aede Telluris in Carinis a. u. c. 486 a P. Sempronio Sopho dedicatae (Becker top. p. 524). Loci autem Tertulliani Arnobiique aperte pertinent ad id ipsum cuius mentionem faciunt l. c. fasti Praenestini sacrificium; neque obstat quod Telluris aedes in his nominatur, quominus illos verba facere putemus de sacrificio Cereri, cum Tellus et Ceres simul fere invocentur (cf. Fab. Pictor apud Serv. georg. 1, 21: *flamen sacrum Cereale faciens Cereri et Telluri;* Varro apud Non. p. 163: *porca praecidanea suscipienda Telluri et Cereri);* fierique potest, cum Arnobius statim pergat: *Telluris natalis est,* ut idem sacrificium bis memoraturus propter sermonis varietatem solam Telluris Cererisque vocabula alternarit. Denique de iduum die Arnobio convenit cum fastis Amiterninis; nec praeterea ullis quod sciam idibus in urbe Ceres culta est. Nam quem attulit Marinius (Arv. p. 139 n. 24; cf. Marquardt 4, 291) Plinii locum ep. 9, 39 de aede Cereris in praediis ipsius dedicata id. Sept., nequaquam is pertinet ad fastos urbanos. — Lectisternium statum annuum hoc novimus solum; praeterea enim quae eius nominis epulae commemorantur, fiunt ex indictione (cf. Marquardt 4, 52 sq.). Solet autem de his quoque adnotari, quot in singulis epulis lecti sternantur (Liv. 5, 13. 22, 10. Dion. 12, 9).

XVIII K · IAN · (Dec. 15). — NP

CONS(VALIA) *MAFF. PRAEN. AMIT. ANT.* — Feriae Conso *PRAEN. AMIT.* — Equi et [*muli floribus coronantur*] | quod in eius tu[*mulo*] . . . . | itaque rex equo [*vectus*] . . *PRAEN.*

Dion. 1, 33: ἐν ᾗ (feriis Consualium) παρὰ Ῥωμαίοις ἐξ ἔθους ἐλινύουσιν ἔργων ἵπποι καὶ ὀρεῖς καὶ στέφονται τὰς κεφαλὰς ἄνθεσιν. Idem Plutarch. q. R. 48, ex Varrone uterque. Fest. ep. p. 148: *mulis celebrantur ludi in circo maximo Consualibus, quia id genus quadrupedum primum putatur coeptum currui vehiculoque adiungi.* Quomodo Verrius hunc morem interpretatus sit, ignoramus, quamquam apparet tumulo significari aram sub terra absconditam Consi et in ea re partes aliquas habuisse regem sacrorum. Ceterum vide Consualia priora die Aug. 21.

XVIII K · IAN · (Dec. 15).

Ara Fortunae dedicata, v. Oct. 12.

XVI (ante Caes. XIV) K · IAN · (Dec. 17). — NP

SATVRNALIA *MAFF. AMIT. AFST. PHIL.* — Feriae Saturno *MAFF. AMIT.* Saturn(o) ad fo(rum) *AMIT.* Feriae servorum *SILV.*

Varro 6, 22: *Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriae eius.* Macrob. 1, 8, 1: *Tullum Hostilium cum bis de Albanis, de Sabinis tertio triumphasset, invenio fanum Saturno ex voto consecravisse et Saturnalia tunc primum Romae instituta, quamvis Varro l. VI, qui est de sacris aedibus, scribat aedem Saturni ad forum faciendam locasse L. Tarquinium regem, T. vero Larcium dictatorem* (a. 253) *dedicasse.* Liv. 2, 21 ad a. 257: *aedis Saturno dedicata, Saturnalia institutus festus dies.* Dion. 6, 1. Fest. v. Saturno p. 325. Populares epulationes, quibus postea Saturnalia celebrabantur, accesserunt demum a. u. c. 537 ex oraculo Sibyllino ad Graecum ritum reformatis Saturnalibus (Liv. 22, 1). Quo facto comissationibus epulisque a primario die prorogatis in sequentes Saturnalia ita creverunt, ut vel ante aetatem imperatoriam quodammodo per dies septem (Dec. 17—23) celebrarentur (Novius apud Macrob. 1, 10, 3; Cic. ad Att. 13, 52, 1). Cui consuetudini aliquatenus obsecutus Augustus dum iudiciorum statum legibus ordinat, Saturnalibus ferias servari iussit per triduum (Macrob. 1, 10, 4. 23), quae feriae imperantibus Caligula et Claudio ad quinque dies pervenerunt (Suet. Cal. 17. Dio 59, 6. 60, 25. Martial. 14, 72. 79). Verene rettulerit Macrobius (1, 10, 2) aucto per C. Caesarem anno dieque Saturnalium mensis Decembris decimo septimo ex a. d. XIV k. appellato a. d. XVI k. Ian., antiqua autem illa appellatione ad diem Dec. 19 translata, alios Saturnalia agitavisse iusto die Dec. 17, alios antiquum nomen secutos die Dec. 19, indeque vulgo creditum Saturnalia per triduum agitari, non satis constat; certe consuetudo vetusta Saturnalium per dies complures celebrandorum vel sola satis explicat, cur trium dierum ferias Saturnalibus attribuerit Augustus. Hoc certum est vera Saturnalia etiam sub imperatoribus non fuisse nisi diei unius testibus tam Festo (v. quinquatrus p. 254) quam hemerologiis omnibus, ea autem quae de tribus vel quinque Saturnalium diebus legitimis supra rettulimus, ad ferias iudiciarias potissimum pertinere.

XIV (ante Caes. XII) K · DEC · (Dec. 19). — NP

OPAL(IA) *MAFF. AMIT.* — Feriae Opi. Opi ad forum *AMIT.*

Varro 6, 22 *Opalia (feriae) Opis.* Fest. ep. p. 184: *Opalia dicebantur dies festi, quibus Opi supplicabant (quorum alter . . . .* adiungunt Festi schedae Pomponianae p. 185). Macrob. 1, 10, 18 postquam exposuit iam Saturnalibus ad triduum extractis comprehendi diem Opalium proprie Saturno pariter et Opi adscriptum ita pergit: *hanc deam Opem Saturni coniugem crediderunt, et ideo hoc mense Saturnalia idemque Opalia celebrari, quod Saturnus eiusque uxor tam frugum quam fructuum repertores esse creduntur itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus hos deos coli.* Quocum convenit, quod Opalia priora sive Opeconsiva fiunt Augusti die 25

messe peracta. Aedem Opis et Saturni (ita enim proprie dictam fuisse ostendit Orell. 1506) fuisse ad forum in Capitolio docent praeter Liv. 39, 22 utrorumque Opaliam hemerologia inter se collata (cf. Becker top. p. 404). Sita fuit autem omnino prope aedem Saturni adhuc ex parte extantem; nec longe inde in vico Iugario ara Opis Augustae dedicata est a. p. Chr. 7 die Aug. 10 (vide ad h. d.). In illa Opis aede cum pecunia publica servabatur (Cic. Phil. 1, 7, 17. 2, 14, 35) aeque atque in vicino fano Saturni tum mensurae ponderaque publica (Fabrett. 524, 369. 370).

XII K · IAN · (Dec. 21). — NP

DIVA(LIA) *MAFF. PRAEN.* — Feriae diva[*e Angeronae, quae ab angina morbo*] appell[*atur, quod remedia eius quondam*] prae[*cepit. Statuerunt eam ore obligato*] in ar[*a Volupiae, ut qui no*]sset n[*omen*] occul[*tum urbis, taceret. S*]unt tamen, [*qui fieri id sacru*]m aiunt ob an[*num novum; mani*]festum esse [*enim principiu*]m [*a*]nni nov[*i*] *PRAEN.*

Varro 6, 23: *Angeronalia ab Angerona, cui sacrificium fit in curia Acculeia et cuius feriae publicae is dies.* Plin. h. n. 3, 5, 65, qui locus secundum indicem petitus videtur ex Verrio Flacco: (Romae) *nomen alterum dicere [nisi] arcanis caerimoniarum nefas habetur; · — non alienum videtur inserere hoc loco exemplum religionis antiquae ob hoc maxume silentium institutae; namque diva Angerona, cui sacrificatur a. d. XII k. Ian., ore obligato obsignatoque simulacrum habet.* Inde pendet Solinus c. 1. Macrob. sat. 1, 10: *XII* (k. Ian.) *feriae sunt divae Angeroniae, cui pontifices in sacello Volupiae sacrum faciunt; quam Verrius Flaccus Angeroniam dici ait, quod angores ac sollicitudines animorum propitiata depellat. Masurius adicit simulacrum huius deae ore obligato atque signato in ara Volupiae propterea collocatum, quod qui suos dolores anxitatesque dissimulant, perveniant patientiae beneficio ad maximam voluptatem. Iulius Modestus ideo sacrificari huic deae dixit, quod populus Romanus morbo qui angina dicitur praemisso voto sit liberatus.* Idem 3, 9, 4 postquam monuit maiores urbis nomen Latinum ignotum esse voluisse, sic ait de numine in cuius tutela Roma sit: *sunt qui Angeronam* (crediderunt), *quae digito ad os admoto silentium denuntiat.* Festus ep. p. 17: *Angeronae deae sacra a Romanis instituta sunt, cum angina omne genus animalium consumeretur, cuius festa angeronalia dicebantur.* Gloss. Philox. p. 12 Labb.: *Angeronia ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν.* — Sacellum Volupiae fuit in Palatino ad viam novam (Varro 5, 164; Becker top. p. 114); curia Acculeia praeterea non memoratur. Supplementa quae posui etsi pleraque incerta sunt, tamen eo commendantur, quod exscriptores Verrii Plinius et Macrobius deae Angeronae silentii praeceptum coniungunt cum urbis nomine occulto. Quae postremo loco effeci ex reliquiis Verrianis, apud antiquos auctores praeterea non reperiuntur; nihilo minus hac demum explicatione arbitror veram numinis naturam patefieri. Nam feriae tantae antiquitatis cum incidant in ipsam brumam, certe non fuerunt alienae ab incipiente diei augmento omnibus gentibus prima aetate vel maxime celebrato. Quod confirmat nomen, nam ut agonalia ab agendo, ita angeronalia dicta sunt ab angerendo, id est ἀπὸ τοῦ ἀναφέρεσθαι τὸν ἥλιον. Cf. de simili Aegyptiorum solis natali Plutarch. de Iside c. 52 collato Lepsio *Chronol. der Aeg.* 1, 192. Denique ne quis suppleat *[diem] festum esse,* observet accentum vocali *e* natura brevi non convenientem.

XI K · IAN · (Dec. 22). — C

[*Laribus perma*]rinis in port[*icu Mi*]nuci[*a*] *PRAEN.*

Macrob. sat. 1, 10, 10: *XI autem kal. feriae sunt Laribus dedicatae, quibus aedem bello Antiochi Aemilius Regillus praetor in campo Martio curandam vovit.* Rem accurate narrat allata etiam aedis inscriptione Liv. 40, 52; aedes dedicata est a. u. c. 575. Quo loco fuerit, nunc demum patefactum est (cf. Becker top. p. 630); Regginius enim male supplevit *in portu* neglectis quae postea sequuntur litteris quae sunt *nuci*. Porticus Minucia (cf. supra Iun. 4) facta est a. u. 644 aliquanto post Larum aedem constitutam, ut similiter ad Iovis Iunonisque aedes in circo Flaminio aedificatas post aliquantum temporis porticus adiecit Metellus. Fuisse videtur porticus Minucia prope theatrum Balbi, cf. Becker top. p. 621; Preller reg. p. 168. 251.

X K · IAN · (Dec. 23). — NP

LARENT(ALIA) *MAFF. PRAEN.* — Feriae Iovi. Accae Larentin[*ae* . . . .]. Hanc alii Remi et Rom[*uli nutricem, alii*] meretricem, Herculis scortum [*fuisse dic*]unt; parentari ei publice, quod p(opulum) R(omanum) he[*redem fece*]rit magnae pecuniae, quam accepe[*rat testame*]nto Tarutili amatoris sui *PRAEN.*

Varro 6, 23: *Larentinae* (cf. 6, 17 *dies Fortis Fortunae*), *quem diem quidam in scribendo Larentalia appellant, ab Acca Larentia nominatus, cui sacerdotes nostri publice parentant sexto die, qui atra dicitur diem tarentum accas tarentinas* (fortasse scribendum: *stato die, qui ab ea dicitur dies parentalium Accas Larentinas*). *Hoc sacrificium fit in Velabro, qua in Novam viam exitur, ut aiunt quidam ad sepulcrum Accae.* Cf. Gell. 7 (6), 7, 8; Macrob. sat. 1, 10, 11: *X k. feriae sunt Iovis quae appellantur Larentinalia. Ferunt regnante Anco aedituum Herculis per ferias otiantem deum tesseris provocasse ipso utriusque manum tuente, adiecta condicione, ut victus cena scortoque multaretur. Victore itaque Hercule illum* (sic scribendum pro *illam*) *Accam Larentiam, nobilissimum id temporis scortum, intra aedem inclusisse cum cena, eamque postero die distulisse rumorem, quod post concubitum dei accepisset munus, ne commodum primae occasionis, cum se domum reciperet, offerendae aspernaretur. Evenisse itaque, ut egressa templo mox a Carutio capto eius pulchritudine compellaretur: cuius voluntatem secuta adsumptaque nuptiis post obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cum decederet populum Romanum nuncupavit heredem. Et ideo ab Anco in Velabro loco celeberrimo urbis sepulta est, ac sollemne sacrificium eidem constitutum, quo dis Manibus eius per flaminem sacrificaretur, Iovique feriae consecratae, quod aestimaverunt antiqui animas a Iove dari et rursus post mortem eidem reddi. Cato ait Larentiam meretricio quaestu locupletatam post excessum suum populo Romano agros Turacem Semurium Lintirium et Solinium reliquisse, et ideo sepulcri magnificentia et annuae parentationis honore dignatam. Macer Historiarum libro primo Faustuli coniugem Accam Larentiam Romuli et Remi nutricem fuisse confirmat. Hanc regnante Romulo Carutio cuidam Tusco diviti denuptam auctamque hereditate viri, quam post Romulo, quem educasset, reliquit; et ab eo parentalia diemque festum causa pietatis statutum.* Locum integrum apposui, ut appareret Praenestinos fastos descendere ex eiusmodi fere commentariis, quales hoc loco exscripsit Macrobius, sive Verrii Flacci hi fuerunt (cf. p. 363) sive alius cuiusvis grammatici. Reliquos qui huc pertineant locos congessit Schweglerus 1, 375. 431 sq. 2, 46. Amatori postea coniugi meretricis nomen est Tarutii (Ταῤῥούτιος Plutarch. Rom. 5 et q. Rom. 35; Tarutius Augustin. c. d. 6, 7; Carutius Macrob. l. c.); pro quo in fastis Praenestinis errore quadratarii est TARVTILI. De sepulcro Larentinae in Velabro cf. Becker top. p. 492. Ferias has Larentalia appellant antiquiores Varro et Ovidius (fast. 3, 57), Larentinalia recentiores Macrobius et Lactantius 1, 20; Laralia Festi v. popularia sacra p. 253 omnino diversa sunt et meo iudicio eadem ac Compitalia (cf. Ian. 3). De origine Larentalium ipsiusque Larentinae indole ac natura parum constat. Plerique hodie Larentinam aliqua ratione coniungunt cum Laribus, recte fortasse, sed certe sine auctore antiquo, neque satis sic assequimur, cur feriae hae Iovi sacrae sint, Larentinae autem eo die publice parentetur.

VIII K · IAN · (Dec. 25).

N(atalis) Invicti; c(ircenses) m(issus) XXX *PHIL.*

Iulianus or. 4 p. 156 Spanhem.: πρὸ τῆς νεομηνίας (intellege natu-

ralis anni a bruma initium) *εὐθέως μετὰ τὸν τελευταῖον τοῦ Κρόνου μῆνα ποιοῦμεν ἡλίῳ τὸν περιφανέστατον ἀγῶνα, τὴν ἑορτὴν Ἡλίῳ καταφημίσαντες Ἀνικήτῳ — —, τοῖς Κρονίοις οὖσι τελευταίοις* (Saturnalia intellege sensu latiore Dec. 17—23) *εὐθὺς συνάπτει κατὰ κύκλον τὰ Ἥλια.* Corippus de laud. Iust. min. 1, 314 sq. exponit *Solis honore novi grati spectacula circi* antiquos patres sanxisse itaque non rite coluisse Christum, *esse deum Solem recta non mente putantes;* sed Christo in terram misso errorem intellectum esse: *tunc munere Solis adempto principibus delatus honor munusque Latinis et iucunda novas circensia gaudia Romae.* Item auctores ecclesiastici saepe respiciunt ad antiquiorem hanc natalis Christi appellationem: ita Augustinus serm. 190 (ed. Benedict. 5 p. 892) gloriatur habere Christianos *sollemnem istum diem non sicut infideles propter hunc solem, sed propter eum qui fecit hunc solem;* ita scriptor homiliae in S. Lucam de nativ. Ioannis Bapt. (editae in opp. Chrysostomi Latine versis Paris. 1588 tom. 2 p. 1088) appellari eum diem ait *invicti natalem* et *Solis natalem;* ita Leo Magnus serm. 21 (2 de nat. dom.) c. 6 eos increpat, *quibus haec dies non tam de nativitate Christi, quam de novi, ut dicunt, solis ortu honorabilis videtur;* ita Ambrosius (serm. 6 ed. Bened. de nativ. domini init.) sic ait: *bene quodammodo sanctum hunc diem natalis domini solem novum vulgus appellat.* Cf. Varro 6, 8: *tempus a bruma ad brumam vocatur annus;* Ovid. fast. 1, 163: *bruma novi prima est veterisque novissima solis;* Censorin. 21, 13: *aliis a novo sole id est a bruma — incipere annus naturalis videtur;* Servius ad Aen. 7, 720: *proprie sol novus est VIII k. Ian.* Nec diversus est, opinor, dies, quem *brumam* appellat Tertullianus (de idol. 10. 14), festum eum esse et vulgo etiam ab ipsis Christianis celebrari significans, alii brumalia. — Natalem Christi cum pristina ecclesia omnino non celebrarit, Aegyptiaca secta deinde per aliquod tempus celebrarit epiphaniae die Ian. 6, saeculo quarto demum Romae natalis Solis commutari coepit in natalem Christi, quae consuetudo mox et in Occidente universo invaluit et ad Orientem quoque pervenit. Ingenue satis scriptor Syrus (apud Assemanum bibl. Orient. 2 p. 164 allatus a Crednero in commentario mox citando): '*causa*, inquit, *ob quam mutarunt patres sollemnitatem die 6 Ian. celebratam et ad diem 25 Decembris transtulerunt, haec fuit: sollemne erat ethnicis hoc ipso 25 Decembris die natalicia Solis celebrare, in quibus accenderunt lumina festivitatis causa. Horum sollemnium et festivitatum etiam Christiani participes erant. Cum ergo animadverterent doctores ad hoc festum propendere Christianos, consilio inito statuerunt hoc die vera natalicia esse celebranda, die vero 6 Ian. festum epiphaniorum. Hic itaque una cum hoc instituto ad diem usque sextum invaluit mos ignium accendendorum*'. — Rem explicaverunt inter alios Philippus a Turre in monum. vet. Antii p. 219—237, Credner de natalíciorum Christi origine (Illgen *Zeitschrift für die historische Theologie* vol. 3 part. 2 p. 228 sq.), Baur *die christliche Kirche vom 4. bis 6. Jahrhundert* p. 265. — Priorum de natali Invicti opiniones diversae recensitae a Tillemontio in adnotatione de Constantino Magno undecima, quamquam me quoque olim in errorem induxerunt, post testimonia supra allata refutatione non indigent.

PRID · KAL · IAN · (Dec. 31).

Magistrati iurant *silv.*

Antiquissima consuetudo magistratus extremo die eiurandi etiam sub imperatoribus obtinuit. Cf. Becker in enchir. 2, 2, 82 addito Frontone ad M. Caes. 2, 11 Mai.

dies incerta.

Apollini Laton(ae) ad theatr(um) Marc(ell)i; Felicitati in cam(po) Mart(io); Iovi stator(i) Iun(oni) reg(inae) ad cir(cum) Flam(iuium) *cap.*

Apollini aedes extra portam Carmentalem ad theatrum Marcelli notissima est (Becker top. p. 605); Latonam ibi simul cultam esse praeterea non traditur. Felicitatem in campo Martio eandem existimat esse Beckerus top. p. 677 ac Felicitatem celebratam in theatro marmoreo prid. id. Aug. Iupiter stator Iunoque regina aedes habebant in porticu Metelli (Becker top. p. 608 cf. p. 618).

MVNICIPALIA ET PRIVATA.

PRID · NON · MART · (Mart. 6).

Fe[*riae ex s. c. quod eo die*] imp. Caesar August. pont. m[*aximus factus est Quiri*]nio et Valgio cos. IIviri ob [*eam rem immolant; p*]opulus coronatus feriatus [*agit*] *praen.*

Vide supra p. 376.

V · IV · ID · APR · (Apr. 9. 10), ut videtur.

[*Hoc biduo sacrific*]ium maximum; Fortunae prim[i]g(eniae), utro eorum die oraclum patet, IIviri vitulum I *praen.*

Fortuna Praenestina sortesque eius notissimae sunt; his duobus diebus sacrificium primarium ei offerri et oraculum altero utro eorum patere aliunde non accepimus. Fuisse autem oraculum eo ipso loco *religiose saepto*, unde sortes primum ex silice erupisse credebaotur (Cic. de div. 2, 41, 85) probabiliter coniecit Fogginius p. 48. Cf. Preller myth. p. 562.

XVI K · NOV · (Oct. 17).

Vernar(um) dies fest(us) *ant.*

FERIAE CHRISTIANAE EX FASTIS SILVII.

VIII	id. Ian.	(Ian. 6)	Epiphania, quo die interpositis temporibus visa est stella magis, quae dominum nostrum nuntiabat. Et aqua vinum facta et in amne Iordanis salvator baptizatus est.
XI	k. Febr.	(Ian. 22)	Natalis sancti Vincentii martyris.
VIII	k. Mart.	(Febr. 22)	Depositio sancti Petri et Pauli.
VIII	k. Apr.	(Mart. 25)	Crucimissio gentilium. Christus passus hoc die.
VI	k. Apr.	(Mart. 27)	Resurrectio.
	k. Aug.	(Aug. 1)	Martyrium Maccabaeorum.
IV	id. Aug.	(Aug. 10)	Natalis sancti Laurenti martyris.
prid.	id. Aug.	(Aug. 12)	Hippolyti martyris.
VIII	k. Ian.	(Dec. 25)	Natalis domini corporalis.
VII	k. Ian.	(Dec. 26)	Natalis sancti Stephani martyris.

VERSVS DE MENSIBVS, DE DIEBVS AEGYPTIACIS DEQVE ISIDIS NAVIGIO.

Placuit hoc loco subiungere quaedam apte cum hoc fastorum argumento coniuncta, quae dum commentarii diurni imprimuntur in bibliothecis Romanis inveni. Singulis fastorum Philocalianorum mensibus olim disticha subscripta fuisse conici tantum potuit e pentametro in codice Bernensi (*B*) in fine mensis Decembris servato. Apographum Peirescianum (cod. Vat. 9135; v. p. 333 et meam chronographi a. 354 ed. p. 555) etiam in reliquis mensibus, exceptis Martio Aprili Maio Iunio, pentametros exhibet: sed remansit in bibliotheca Barberina altera schedarum Peirescianarum pars (cod. 31, 39), quae hexametros continet praeter Aprilis Maii Iunii Iulii, qui perierunt. Hexametri sub mensium imaginibus, pentametri sub mensium tabulis scripti sunt, utrique maiusculis litteris; tetrasticha vero a Burmanno edita in archetypo Arrasiano (Anthol. 5, 72 sq.) minusculis exarata iuxta imagines legebantur in margine libri interiore.

Disticha haec sunt:

Ian. Ianus adest bifrous primusque ingreditur annum,
Undique cui semper cuncta videre licet.
Febr. Umbrarum est alter, quo mense putatur honore
Pervia terra dato Manibus esse vagis.
Mart. Condita Mavortis magno sub numine Roma
. . . .
Iul. . . . .
Caesare qui Iulio te pia causa dedit.
Aug. Tu quoque Sextilis venerabilis omnibus annis
Numinis Augusti nomen in anno venis.
Sept. Tempora maturis September vincta racemis
Velate, e numero nosceris ipse tuo.
Oct. Octobri laetus portat vindemitor uvas,
Omnis ager Bacchi munere voce sonat.
Nov. Frondibus amissis repetunt sua frigora mensem
Cum iuga Centaurus celsa retorquet *atrox.*
Dec. Argumenta tibi mensis concedo December
*Quae sis quam vis annum claudere possis

5. nomine *codex.*
8. *utrum* Iulio *vocabulum sive prima correpta sive bisyllabum ferendum sit, an* Caesar cui — Iull *scribendum, quoniam deest hexameter, diiudicari nequit. Postremum si statuimus, sententia haec fuerit: 'Iulius mensis, cui tuum, Iuli Caesar, nomen pietas dedit.'*
11. 12. temporibus autumnis — — vineta — — Velate iam *codex; emendavit Hauptius.*
16. retorque . . . . *codex hoc loco lacer; supplevit Hauptius.* Iuga celsa *videntur esse signum Octobris libra, Graecis ζυγός, quam sagittarius Decembris signum retorquere dicitur.*
18. Quae vis *cod. Bernensis; certa emendatio non suppetit. Hauptio, non nescio hoc esse ludere, in mentem haec venerunt:* argumenta tibi mensis concedo December Quaevis, quis annum claudere poscis ovans, *i. e. concedo tibi quaevis argumenta omnemque materiem Saturnaliciorum iocorum, quibus annum hilare claudere cupis.*

In eodem cod. Vat. 9135 f. 243 reperi *versus de Aegyptiacis diebus ex v(etere) c(odice) biblioth. v. illustr. I. A. Thuani,* quos a me rogatus Hauptius ita constituit:

Bis deni binique dies scribuntur in anno,
In quibus una solet mortalibus hora timeri.
Mensis quisque duos captivos possidet horum,
Nec simul hos iunctos, homines ne peste trucident.
Si tenebrae Aegyptus Graeco sermone vocantur,
Inde dies mortis tenebras sic iure vocamus.
Iani prima dies et septima fine timetur;
Ast Februi quarta et praecedens tertia finem.
Martis prima necat, cuius et cuspide quarta est.
Aprilis decimo, ast undeno a fine minatur.
Tertius in Maio lupus est et septimus anguis.
Iunius in decimo quindenum a fine salutat.
Tredecimus Iuli decimo innuit ante kalendas.
Augusti nepa prima fugat, de fine secunda.
Tertia Septembris cuspis ferit, a pede dena.
Tertius Octobris gladius decimum ordine nectit.
Quinta Novembris acus vix tertia mansit in urna.
Ac duodena cohors septem inde decemque Decembris.
His caveas ne quid proprio de sanguine demas,
Nullum opus incipias, nisi forte ad gaudia tendat.
Et caput et finem mensis in corde teneto,
Ne in media ima ruas, sed clara per aethera vivas.

2. mortalis *in marg. a m.* 1.
4. Haec *codex: quod correxi. Hoc dicitur: 'unus quisque mensis horum periculosorum dierum duos habet, sed capticos suo quemque loco et separatos, ne coniuncti humanum genus perimant.'*
5. *Explicantur haec eis quae protulerunt Scaliger ad Paulum in v.* Aegyptinos, *Wesselingius ad Diodori* 1, 19, *interpretes Hesychii in v.* αἰγυπτιῶται.
6. sic *addidi: 'inde dies qui mortis quasi tenebrae sunt iure dicimus Aegyptiacos.'*
7. fine: *i. e.* a fine.
8. est praecedit *codex: quod correxi.*
9. cuius et: *eadem licentia v.* 21 mensis in *positum est.*
10. ast: *codex* decimo est.
13. Tredecimus: *vocabulum duplici barbarismo insigne non licet corrigere.*
14. fugat: *i. e.* terret.
15. uulpis *codex: quod correxi. Nam quod Martii mensis dies Aegyptiaci dicuntur* lupus *et* anguis, *quorum ille dentibus, hic veneno periculosus est, eo* vulpis *nomen vix recte tueare. Contra* cuspidem *habemus v.* 9, nepam *v.* 14, gladium *v.* 16, acum *v.* 17. *Mox* a pede *idem est atque* a fine.
17. *Ex his duos qui requiruntur dies probabiliter eruere non possum.*
18. Hac *codex: quod correxi; 'et duodena cohors noxiorum dierum constat diebus septimo ac decimo Decembris.' Ineptas numeralium formas non muto.*
20. *Exspectamus potius* quod forte.
22. medio *codex: quod correxi. Mox quod* clara per aethera *plurali numero et neutro genere dictum est, eiusdem soloecismi exempla praebet Vossius de analogia* 1 *p.* 575.

Ceterum dies hi Aegyptiaci (*Ian.* 1. 25. *Febr.* 4. 26. *Mart.* 1. 28. *Apr.* 10. 20. *Mai.* 3. 21. *Iun.* 10. 16. *Iul.* 13. 22. *Aug.* 1. 30. *Sept.* 3. 21. *Oct.* 3. 22. *Nov.* 5. 28. *Dec.* 7. 22) *cum Philocalianis* (*p.* 374) *prorsus non conveniunt; sed conveniunt cum versibus infimi aevi qui in codice Laudunensi saeculi XII inveniuntur* (*Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements t.* 1 *p.* 61):

Dies Aegyptiaci.

Prima dies mensis et septima truncat ut ensis.
Quarta subit mortem, prosternit tertia sortem.
Primus mandentem dirumpit, quarta bibentem.
Denus et undenus sicut mors est alienus.
Tertius occidit, et septimus ora relidit.
Denus pallescit, quindenus federa nescit.
Tredecimus mactat Iulii, denus labefactat.
Prima subit mortem, perditque secunda cohortem.
Tertia septembris, et denus fert male membris.
Tercius et denus fit mortis vulnere plenus.
Ruinta subit mortem, prosternit tercia sortem.
Septimus exsanguis, virosus denus ut anguis.

Adnotationi ad Mart. 5 (p. 387) continuanda sunt quae leguntur in cod. Vat. 9135 folio duplici 262. 263, cuius originem Marinius testatur, qui *B(ibliothecae) B(arberinae)* ei notam adscripsit:

Ex veteri cod. Cuiacii, quae reperi etiam apud Gnosium (inquit Stephanus Claverius in suo Claudiano [Paris. 1602. 4. praef. f. 1 v.]) Incerti auctoris

De Isidiae navigio [vel Isidis].

Isi, o fruge nova quae nunc dignata videri,
Plena nec ad Cereris munera poscis opem
(Nam tu nostra dea es nec te deus ipse tacendi
Abnegat, expertus quis tua vela ferat:
Namque tibi Zephyrus favet ac Cyllenius ales),
Ne nostra referas de regione pedem.

Claverius, ut Marinius observaverat, in indice operum Claudiani editioni suae praefixo, *erant praeterea*, inquit, *in vet. codice et schedis Gnosianis multa et varia opuscula — — —, qualia sunt haec praecipue:*

panegyricus amicorum (*om. cod. Vat.*)
de lavacro (*cod. Vat., cf. Burmanni anthol.* 3, 50)
de dulcio (*cod. Vat., B.* 5, 192)
epithalamium Laurentii (*om. cod. Vat.*)
laus Martis (de Marte *vel* ad M. *cod. Vat., B.* 1, 26)
de vinalibus (*cod. Vat., B.* 1, 25)
de Cithera (de Cythera *cod. Vat., B.* 3, 276)
de Isidae navigio (*cod. Vat.*)
de hirundine (*om. cod. Vat.*)
de cereo (*cod. Vat.*, B. 5, 190)
de vitulis marinis (*om. cod. Vat.*)
de paupere singulari (*om. cod. Vat.*)
de ape (*om. cod. Vat.*)

In cod. Vat. leguntur praeterea haec, excerpta ut videntur e cod. Divionensi:

de aquila (*B.* 5, 147)
de Baccho *vel* ad B. (*B.* 1, 21)
de Hyppopotamo
ad Maximum (B. 5, 191).

ADDENDA AD FASTOS.

Ad p. 293. Post inspectum tam bibliothecae Angelicae quam alterum eiusdem compagis exemplum insertum cod. Vat. olim Aldi Manutii n. 5234 p. 86 intellexi sic omnino seorsum prodiisse syllogen illam compositam ex quaternionibus tribus A · B · C, foliis 1—XII complexamque menologia hemerologiaque tum nota omnia. Annus locus editor non indicantur.

Ad p. 301. Fastorum Venosinorum exemplum Petri Sabini (cod. Ven. f. 47) a vulgaribus non multum discedit et tam in diei notis collocandis quam in omittenda adnotationis parte Iun. 9. 11 cum his consentit contra Peutingerum et Moratorium. Ex v. l. praeterea adnotabo haec: Mai. 3 ut Maz. — Mai. 15. 16 MER · MAIAE bis legitur et ad 15 post IOVI et ad 16. — Mai. 25 FORTVN · PVBLIC · PRIM · IN COL. — Iun. 25 F · XVII · F · Q · S · D · F; suprascriptum: ? I · D. — 19 SOL · IN · CANCRO · MINERVAE · PI AD MIL · III 'non ut in alio' IN · AVENTINO. — 24 FORTVNIS · FORTVNAE · AD · XIII · TI · AD · III. — Apparet exemplum hoc interpolatum esse ex fastis Esquilinis, qui sequuntur paulo post f. 49.

Ad p. 303. Ex Maffeiana fastorum tabula in museo Capitolino hodie non solum fragmentum servatur mensium quinque primorum partem inferiorem continens, sed etiam praefationis particula ea quam primam appellavimus, cui adhaerent dies Mart. 1 Apr. 1. Unde apparuit praef. fr. I v. 4 extremam litteram N fuisse, non M, legendumque igitur ibi CON . . . . . *d* E · *suo*; item Apr. 1 in marmore non superesse nisi C · V. Extat item in museo Capitolino lapis is, in quem Maffei fastorum fragmenta ita concluserunt, ut ubi ea adessent, ad recipienda ea excavaretur, deficientibus illis et manente ita prima superficie, in eam supplementa inciderentur ea ipsa quae cernuntur in tabula Lafreriana a pictore una cum antiquo titulo ex lapide excepta. Quae supplementa iam ideo referemus, quod inde coniectura fieri potest de eo quod fuit in fragmentis hodie deperditis; quamquam qui supplementa illa lapidi incidit in elementis fractis recte explendis non semel erravit. Ex praefationis v. 1 ibi sola prima littera C expleta est. V. 2 additae sunt fr. 1 in. littera V tota, litterarum ALE partes superiores; fr. 1 extr. pars litterae I; fr. 2 in. pars litterae P (unde iam apparet etiam ex hac aliquid in lapide reliquum fuisse) et fr. 2 extr. pars litt. V. V. 3 expletae sunt inter fr. 1 et 2 litterae VMET. V. 4 non expleta est nisi fr. 3 littera extrema T, item v. 5 sola fr. 1 littera extrema, ex qua errore non N facta est, sed M. In ipsis fastis praetermissis iis, quae ad lectionem partis antiquae constituendam nullam utilitatem hodie habent, supplementis Apr. 1 suppleta sunt APR. — Apr. 2 suppletur sic NC, ut dubius sim, secunda littera, quae C fuit, utrum pertinuerit ad notam Apr. 3 an ad notam Apr. 2. Illi opinioni magis favet lapis; hanc commendat tabula Lafreriana. Mai. 4 in supplementis est, plane ut habet Lafrerius, NFN, cum requiratur DC. — Iun. 2 suppletum est AF, ita ut litterae F hasta infima in lapide videatur adfuisse accedatque iam de huius diei nota ad Venusinorum fastorum Maffeianorum auctoritas. — Iun. 3 B litterae cum non nisi exigua pars in supplemento conspiciatur, videtur ea in lapide superfuisse. — Aug. 1. 2 supplementa confirmant quam exhibui lectionem. — Sept. 2 suppletur EN; in lapide olim fuerit necesse E NP. — Nov. 1 dedit NOV. — Nov. 3 elementi F adsunt vestigia /; requiritur autem ibi non F, sed C.

Praeterea deprehendi inter Ligoriana schedarum Taurinensium vol. XI exemplum fastorum Maffeianorum ab Ligorio interpolatum, in quo praefationis fragmenta exhibentur sic:

ualeri ////////// prim. au ////// gu. flaui //////////////// e //////////// apitolin ////
expoliendum et pingendum ///// stauit. in // n ///////// iast ///////// n t o n i n ////
tabulis pictis et m //// cura ///// is decor ///////////////// menses /////// libet at ////
com ////////////////////// publ. mune ////

Fasti ipsi praeterquam quod retinent interpolationes iam apud Paulum Manutium reperiendas, denuo impudentissime interpolati sunt; ita Ian. 1 additur IAN · SACR, Ian. 2 IVNONIS · TOTELA, Ian. 29 DIS PENALIBO SACRIFICANTVR, Febr. 25 CAR · C et sic deinceps; quae omnia referre non visum est operae pretium esse.

Ad p. 314. Cod. Manut. 5241 p. 67 fragmentum Praenestinorum fastorum mensis Februarii exhibet ex Fulvii Ursini libro ms. legiturque ibi v. 1 NP pro N, v. 2 FAERIAE. Illud omnino verum est, mutatum scilicet ab Ursini typotheta.

Ad p. 319. Praeneste in aedibus Fiumarae.

IL · SVBIL
SOLIS · ET · LVNAE
O · MARTEM

Descripsi. Et forma litterarum, quae parvae sunt et elegantes et interstitium versu primo indicatum virgula et ipsum argumentum movent me, ut fragmentum hoc credam superesse ex fastis Verrianis.

Ad p. 331. Fastorum fragmentum a Fea editum reperi nuper in museo Capitolino, in quod venit cum lapidibus Sartianis. Unde vidi recte me primum versum corruptum indicavisse; in lapide enim non A littera est, sed /\ reliquum ex F. Fragmentum itaque pertinere potest ad dies Ian. 2 sq.; Iun. 2 sq.; Sept. 6 sq.; Oct. 8 sq.; Oct. 16 sq.; Nov. 2 sq.

Ad p. 333. Philocalianorum fastorum editionem Herwartianam antea frustra quaesitam reperi item insertam codici Barberiniano 31, 39; folium est unum et solitarium formae maximae, ab una tantum parte impressum, sic inscriptum: 'Calendarium Romanum Constantini magni temporibus ipso anno Christi 325, quo synodus prima Nicaena celebrata, confectum. E museo Iohannis Georgii Herwart ab Hochenburg.'

FASTI CONSVLARES

AD A. V. C. DCCLXVI

EDITI A GVILELMO HENZENO.

Fastorum consularium et triumphorum actorum fragmenta quae dicuntur Capitolina, quia ad liberae rei publicae aetatem fere omnia pertineut, huic volumini inserere placuit, licet aliquot post Caesarem interfectum annis marmori incisa. Item ad fastos illos tractandos restituendosque ne quid deesset, cetera quoque addidimus fastorum fragmenta, quae ad eandem aetatem spectant. Fasti igitur Capitolini cum procedant ad annum usque 766, qui est annus ante eum quo obiit Caesar Augustus, eundem annum ego quoque terminum mihi constitui. Consulum autem fastis publicis municipales quoque et collegiorum acta ea adiunxi, quibus una cum municipiorum collegiorumque magistratibus consulum ordo continetur.

I. FASTORVM CONSVLARIVM TRIVMPHORVMQVE ACTORVM FRAGMENTA QVAE DICVNTVR CAPITOLINA.

Fastorum Capitolinorum fragmentum nomina continens magistratuum annorum 385—396 et 436—447 Varr., cui numeros adscripsi VIIII*a* et VIIII*b*, Romae hominibus litterarum studiosis notum erat exeunte iam saeculo decimo quinto; nam iure Mommsenus (*Berichte der Sächs. Ges. der Wissenschaften* 1850 p. 226) et Rossius (*i fasti municipali di Venosa* cet. Romae 1853 p. 17) anno 1488 de hoc fragmento scripsisse affirmarunt Pomponium Laetum et Angelum Politianum. Ille enim ubi agit de fastis Venusinis, *Romae*, inquit, *fere idem, sed multo ante, verum fine caret;* cui sic scribit Politianus: *sed et semenstre calendarium mire fuit gratum, et quam ais tabulam bello Marsico factam* (intellegit fastos menstruos consularesque Venusinos); *quae si eadem est, quam Romae obiter legerim, vereor ut satis ex fide sit exscripta. Si quidem Aimilius erat in saxo* (Politiani epist. 1, 15, 16 ed. Basil. 1522 p. 25; Pomponii opp. Argentor. 1510 p. 64). *Aimilius* autem in fragmento illo ter legitur, annis 437. 438. 443. Etiam Hermolaum Barbarum idem fragmentum a Pomponio accepisse illius castigationibus in Plinium et Pomponium Melam (Romae 1493; ad Plin. 7, 9. 13, 13) docemur; ut Rossius monuit. Extabat ea aetate *apud aedem S. Mariae in Publicolis in pariete domus d. Prosperi de S. Cruce* (ita Incundus cod. Magl. 83, Veron. 74—76), ubi etiam Mazochii tempore erat; is enim *ante fores S. Mariae in Publicolis statim a sinistra in quodam pariete fragmentum in tabula marmorea* legi tradit (f. 121 v. et 122). Item (omissis tamen a. 436—447) legitur in libro Peutingeri August. 526 f. 105 cum hac praescriptione: *ex marmore domus Iacobi Bufali non integro, sed supra et infra et innxto* (in dextro?) *latere fracto.* Narrat denique Panvinius (praef. ad comment. in fastos): *fragmentum illud . . . . aliquando pro limine ostii aedis S. Mariae de Publicolis inservicit, donec ab aeditimo forte antiquitatis studioso eo loco tamquam indigno motum fani muro affixum est.* Et hic quidem fragmentum illud complecti dicit annos Varronianos 383—396 et 434—447; cum tamen a Iucundo, Petro Sabino (cod. Marc. 50 v. — 51 v.), Mazochio, eodem omnibus exemplo usis anni 383—385 et 434. 435 omittantur, haud scio an recte scribat Panvinius, frustulum cui VIII*a* VIII*b* numeros apposui tum iam effossum fuisse. Aliud porro fastorum fragmentum, *in quo ludi saeculares quinti exarati sunt* (n. XXXIX; cf. Panvin. l. c.), Iucundus (cod. Magl. 88, Veron. 138, inde Petrus Sabinus cod. Marc. 124) et qui eum secutus est Mazochius (f. 132 v.) *in pariete domus d. Antonii de Rusticis* infixum esse scribunt, eoque loco diu id remansisse Panvinius testis est. Idem tertium fragmen, *in quo tribuni militum consulari potestate incisi sunt ab anno urbis* 331 (332 Varr.) *usque ad annum* 340 (341 Varr.), quod numero IV notavi, *fixum* fuisse scribit *in gradibus arae maximae sive tribunae basilicae S. Apostoli Pauli extra urbis muros via Ostiensi*, cuius rei nullam praeterea apud scriptores eius temporis mentionem inveni. Porro fragmentum quod annos complectitur 489—496 et 547—552 Varr., nobis XVII*a* XVII*b*, collocatur apud Mazochium f. 145 v. et 146 *in pariete domus d. Francisci de Fabii.* Et de his quidem fastorum partibus satis constat. Fragmentum autem, in quo sunt consules annorum 761—763 (n. XXXVII) alterumque, in quo triumphi annorum 472—482 (n. XI) quando prodierint, non liquet. Quamquam enim nullum habemus testimonium, quo constet ea ante annum 1547 nota fuisse, tamen Ioannes Metellus (cod. Vat. 6039 f. 204 v.) cum reliqua, quae exhibet fragmenta, fere apud cardinalem Farnesium ipse descripserit, ad haec adnotat: *M. Fland.* (qui est Smetius) *exsc. cum saxum esset in domo Delphinii Gentilis.* Gentilem Delphinium iussu cardinalis Farnesii fastorum fragmenta per urbem sparsa conquisivisse mox videbimus, nec tamen crediderim eum marmora ab ipso cardinali effossa aliquamdiu domi suae adservasse.

Plurima vero fastorum fragmenta effossa sunt annis demum 1546 et 1547 ante templum Antonini et Faustinae prope tres columnas, quas Castoris aedis esse nunc plerique affirmant. De tempore enim ita inter se discrepant scriptores illis fossionibus aequales, ut Panvinius l. c., quem Fea (*framm. di fasti* p. X) secutus est,

anno 1547 lapides inventos esse narret, Metellus vero (cod. Vat. 6039 f. 204 sqq.) et Smetius iam anno 1546 erutos esse referant. Quorum narrationem Ligorius quoque confirmat, cum in diagrammate arcus quadrifrontis, cuius parietibus fastos affixos fuisse vult (cf. mss. Taurin. vol. XV et annales inst. archaeol. 1853 p. 246 tab. F. G.), sic scribat: *pianta del Giano quadrifronte delli fasti romani detto Sumo Iano, et scoperto il di XV di Agosto del MDXLVI et finito di spiantare infra giurni XXX.* Videntur igitur mense Augusto anni 1546 nonnulla fastorum fragmenta casu in lucem prolata esse, reliqua vero eruta per ceteros eiusdem anni menses et insequentis quoque partem, dum loca vicina data opera explorantur. De qua re haud pigebit Panvinii verba referre, qui l. c. ita scribit: *ea enim, quae urbis cladibus superfuerant fragmenta, ruderibus ante templum Faustinae inter forum et sacram viam (ut nunc in urbe mos est) egestis, casu inventa sunt, Pauli III pontificis maximi felicissimo principatu anno d. 1547. In quibus quae ex tertia tabula supersunt fragmenta* (de qua re agemus postea) *loco antiquo adhuc mota non fuerant, unde et ipsarum tabularum haec descriptio a peritissimis architectis formata fuit, reliquarum autem trium tabularum lapides omnes convulsi male habiti fuerant et in frusta divisi. Quantumque coniectura consequi licuit, bona earum pars in calcem fuerat decocta; haud enim longe ab eo loco calcis fornax inventa fuerat. Cum autem marmora illa crassissima fuissent, reliqua eorum pars, quae ignem effugerat, in subtiles tabulas dissecta fuerat — —. Cum autem crypta ipsa, in qua lapides ipsi inventi fuerant, impensis Alexandri Farnesii cardinalis amplissimi effoderetur, summo studio et diligentia cautum est, ut undequaque in circuitu longe lateque per cuniculos excavaretur, quo quicquid superesset temporum malignitati inveniri posset.* — Item de iisdem fossionibus Ligorius (apud Feam p. XIII) ita scribit fere ut Panvinius: *cavandosi in esso luogo presso la via sagra oltre al fornice Fabiano e vicino all' altro Giano simile chiamato da' Latini ab imo Iano, dove la via sagra si spartiva in due strade, nella via nova e quella che montava già all' antica porta Mugonia del Palatino, ove scoprendosi molti de' suoi ornamenti dell' ordine dell' edifizio, incontanenti erano venduti, come si vendono i buoi a' macellarj, così questi parte colle mazze di ferro rompendoli per farne calcina, e parte agli scarpellini per farne altre moderne opere, e così a poco a poco essendo venduti e guasti, Roma ne rimase priva, come eziandio ne sono rimasti privati gli studiosi dell' architettura. Perciò fino a un certo termine non si conosceva che cosa si fosse, perchè per alcuni tempi addietro ancora era stato fatto il simile — —. Così finalmente venuti più vicino col cavamento al suolo, si scopersero le piante e parte delle rovine scritte a terra e parte in opera. Si vide come quella era una delle più belle memorie degli antecessori che si potessero trovare, e si riconobbe affatto il danno fattone. Per questo restarono di spiantare infino alli fondamenti il rimanente che vi era; che meritava in quel luogo edificarvi una stanza per conservarlo nel suo proprio stato. Or dunque dopo tanto errore mosso a pietà il generoso cardinale Farnese, con sua impensa lo fece collocare in Campidoglio* cet.

Reperta eo tempore sunt fragmenta fastorum consularium haec:

I	ad	annos		271—282	pertinens	
II	„	„		288—304	„	
V	„	„		345—356	„	
(VIII*a*. VIII*b*	„	„	383—385,	434—435	„	?)
X	„	„		404—408	„	
XI	„	„		448—452	„	
XII	„	„		453—454	„	
XIII	„	„		455—461	„	
XIV	ad	annos		459—461	pertinens	
XVIII*a*. XVIII*b*	„	„	497—532,	553—600	„	
XIX	„	„		601—615	„	
XX*a*. XX*b*	„	„	601—612,	705—710	„	
XXII	„	„		617—621	„	
XXIII. XXIV. XXV	„	„		621—623	„	
XXVI*a*. XXVI*b*	„	„	643—646,	717—718	„	
XXVII	„	„		655—667	„	
XXVIII	„	„		668—681	„	
XXIX	„	„		676—681	„	
XXX	„	„		676—679	„	
XXXI	„	„		694—698	„	
XXXII	„	„		710—711	„	
XXXIII. XXXIV	„	„		728—731	„	
XXXV	„	„		728—732	„	
XXXVI	„	„		742	„	
(XXXVII	„	„		761—763	„	?)
XXXVIII	„	„		764—765	„	
XL	ad ludos saeculares a.			518	spectans.	


Praeterea inventa sunt tabularum triumphalium omnia, quae supersunt, frusta exceptis XI (?), XVII, XXII, XXIV, XXV. Quae in hortos suos Transtiberinos transportanda curasse Alexandrum Farnesium edocemur ab Ioanne Metello, in cuius schedis Vaticanis supra laudatis ad fastorum exemplum legitur adnotatum calamo diverso: *haec consulum et triumphatorum saxa nunc habentur in hortis Transtyberinis cardinalis Farnesii.* Desiderantur autem apud Metellum quaecunque fragmenta antea iam innotuisse supra demonstravimus *). Paullo post autem ex privatis Farnesiorum sive hortis sive aedibus (*in privatae* enim *domus ornamentum maiestatemque* Farnesium ea *contulisse* Marlianus refert in fastis ed. 1549 praef. p. 6) translata sunt in splendidissimum locum. *Diligentissime* enim *omnibus circumvicinis locis* (verba sunt Panvinii) *longoque intervallo distantibus perquisitis, multis doctissimis viris rogantibus actum est, ut lapides inventi ab eodem cardinali populo Romano donarentur et in aliquam honestam formam redacti in Capitolium publicae studiosorum commoditatis ergo conlocarentur. Tum ex s. c. auctoritateque Alexandri ipsius cardinalis amplissimi id munus datum est Gentili Delphinio civi Romano, totius antiquitatis studiosissimo indagatori; quae eius incredibili propemodum studio labore et diligentia in area palatii Capitolini Conservatorum urbis in eam quam nunc conspicimus formam posita fuerunt.* Qua occasione oblata simul conquisitum est, *quidquid insuper horum fragmentorum dispersum* per urbem *inveniri potuit* adiunctumque fragmentis recens inventis et in Capitolio collocatis (cf. Marliani praef. p. 6). Delphinium in ordinandis et componendis reliquiis illis adiuverunt doctissimi illius aetatis viri Antonius Augustinus, Gabriel Faernus, Octavius Pantagathus, Bartholomaeus Marlianus, Thomas Cavalerius. Rationem vero, qua in parietem infigerentur, summus eius aetatis sculptor invenit Michael Angelus Bonarotus fecitque is imaginem quam voluit esse veteris monumenti eam quam adhuc cernimus in Capitolio in aedibus Conservatorum, ita ut in tabula adiecta depingitur (cf. Fea *framm. di fasti* p. X).

Posteriore aetate lapidibus in Capitolium translatis pauca tantum fragmenta accesserunt. Ac primum quidem fragmentum tabularum triumphalium annorum 631—643 (n. XXIV), de quo Nico-

*) Ad fragmentum annorum 288—304 (nostrum n. II) manu eius qui descripsit in iisdem schedis adnotatum est: MDXLVI *repertum Romae in foro Romano prope tres columnas illic erectas pone Capitolium. In palatio Reformatorum* cett., quod cum pugnet cum iis, quae de hortis Farnesiorum ibidem leguntur, fortasse posteriore tempore locum, quo tum fasti collocati erant, Metellus adiecit.

PARIES AEDIVM CONSERVATORVM CVI FASTORVM FRAGMENTA INSERTA SVNT

ad pag. 416



laus Florentius in cod. Bruxell. 4347 f. 32 sic scribit ad Laevinum Torrentium: *hoc autem praesens triumphorum fragmentum non ita procul a foro iuxta aedes Scti* (deest nomen, sed scribendum est *Andreae*) *in Portugallo in vinea D. Ludovici Mathei hoc anno circa mensem Februarium eff*(ossum...). Idem Florentius in eodem libro f. 33 r. ubi denuo refert, extare ait Romae apud cardinalem S. Angeli. Illa Florentii epistula usus Smetius id *effossum* dicit *anno* 1563 *circa mensem Februarium in vinea d. Ludovici Matthaei, quae est ad radices Exquiliarum et habet exitum posticae vicinum ad divi Andreae in Portugallo nuncupati* (f. 40). Fea tamen probabiliter id antea iam repertum esse suspicatus est, vel cum Alexander Farnesius loca aedi Castorum vicina perscrutanda curaret, vel tempore etiam priore, una cum fragmentis ante annum 1547 effossis; multa enim omnis generis marmora eo loco eruta clam periisse supra ex Ligorio cognovimus (cf. Fea l. c. p. XIII et XXVI) fierique potuit ut ita illud de quo agimus fragmentum in vineam Matthaei deferretur. Quod anno demum 1819 iussu Pii VII summi pontificis curante Carolo Fea e museo Kircheriano Iesuitarum collegii Romani, in quod ignoratur quando illatum sit, ad Capitolinas Conservatorum aedes delatum est et cum ceteris fastorum tabulis coniunctum (Fea l. c. p. XXXVI.·XXXVII). Ab his enim antiquitus divulsum esse et antea viri docti intellexerant (cf. Pigh. ann. 3, 56) et constitit ipso facto, effosso anno 1816 ad gradus aedis Castoris frustulo marmoreo apud nos n. XXV maiori illi musei Kircheriani adiungendo, id quod, simulatque addidit minus fragmentum Fea (*prodromo di nuove osservazioni e scoperte fatte nelle antichità di Roma da varj anni indietro* cet. Romae 1816 p. 16), statim fecit Labusius (*biblioteca Italiana* 1816 tom. IV p. 263). Deinde continuato alacrius opere cum per menses insequentes usque ad diem X kal. Apriles rudera in altitudinem XXX palmorum effoderentur locaque vicina gradibus aedis curiose pervestigarentur, reperta sunt fragmenta complura, quae quamvis exigua et mutila tamen novam nonnullis fastorum locis lucem attulerunt et quasdam partes ante effossas feliciter expleverunt. Fragmenta scilicet eo tempore eruta sunt fastorum consularium haec

III	ad	annos	spectans	295—304
VI	„	„	„	350—360
VII	„	„	„	361—364
XV	„	„	„	462—464

triumphalium vero tabularum fragmenta ad annos pertinentia 557—559 (n. XVII) ac 628 et 631 (n. XXII). Anno deinde 1818 cum rudera circa columnam Phocae egererentur, aliud non parvum fragmentum prodiit, quod ad annos spectat 470—474, 536—539 (XVI *a*. XVI *b*). Denique Biondius frustulum addidit fastorum annorum 607—613 (n. XXI) ab Alexandro d' Este sculptore sibi donatum (*atti dell' Accad. pontif. d' archeologia* 6 p. 367 tab. III et IV). Quae omnia in aedes Conservatorum translata et tabulis antea erutis adiuncta in eodem cum iis pariete visuntur (v. parietis imaginem).

Fragmenta Capitolina si quis diligentius examinaverit, fastos consulares quattuor tabulis dispositos fuisse cognoscet, singulis tabulis in binas columnas divisis (v. tabulas n. VIII *a*. VIII *b*. VIIII *a*. VIIII *b*. XVI *a*. XVI *b*. XVIII *a*. XVIII *b*. XXVI *a*. XXVI *b*), fastis autem consularibus triumphos parastatarum modo adnexos. Similiter iam olim Panvinius in praefatione libri qui est de fastis fastos ipsos in quattuor tabulas distribuere conatus est, octo tamen additis parastatis, quorum quattuor priores pontificum sacerdotumque nominibus impletos fuisse coniecit, reliquos actis triumphorum. Sed neque ullum ex sacerdotalibus tabulis fragmentum superest, et in ceteris Panvinius, quamquam universam fastorum dispositionem bene perspexit, multa minus accurate disputavit. Nemo autem est quin videat ad restituendam pristinam fastorum formam quam maxime opus esse, ut fragmentorum, quae nunc extant, sede explorata eorum quoque quae desiderantur ambitus ac fere numerus versuum ducta ratione inveniatur. Quapropter singularum tabularum restitutionem proponam addito diagrammate a Detlefseno delineato (tab. I—IV), qui mea caussa summa cum diligentia fragmenta omnia dimensus nec tempori nec labori pepercit, donec imaginem eorum perficeret exactissimam. In qua reliquiis omnibus suam singulis sedem ita adsignavimus, ut in iis quae desunt partibus ad Baiteri potissimum fastos calculum subduceremus, in tabulis autem hiatus colore subfusco indicarentur.

Iam vero testimonium Panvinii, tertiae tabulae quae supersunt fragmenta magna ex parte reperta esse coniuncta neque unquam antea loco mota, qui marmora perlustraverit in Capitolio proposita, non solum verum esse inveniet, sed etiam triumphorum fragmenta parastatarum instar illis adnexa nunquam ab iis avulsa fuisse manifesto deprehendet. Trabibus enim marmoreis tam longis tantaeque molis haec certe fastorum pars composita est, ut binis tantum saxis singulae trabes efficiantur. Cum consulum igitur tabulis non solum minores illi parastatae, qui marginis loco fastos includunt, et quae vacua hinc inde his coniuncta sunt spatia, sed ipsi quoque maiores triumphorum parastatae ita cohaerent, ut de dispositione huius certe partis nemo dubitare possit. Neque aliud quidquam Gentilis Delphinius et Michael Angelus fecerunt, nisi ut marmora eodem quo effossa erant ordine in parietem insererent, avulsa rursus adiungerent, minores de quibus diximus parastatas capitulis instruerent, fastigium denique, quo parastatae carere non potuissent, supra ponerent. In qua quidem operis parte eorum quae restituerunt addideruntve nihil omnino videntur ex arbitrio egisse; denique quod capitulis parastatas minores ornarunt, id recte eos fecisse confirmatur invento nunc frustulo tabulae quartae n. XXI, in quo particula capituli adhuc superest ordinis Corinthii. Itaque in tabulis Capitolinis ad formam antiquam restituendis a tabula tertia incipiendum esse apparet.

Huius tabulae supersunt inferiores duae trabes integrae, e superioribus fastorum consularium ac prioris triumphorum parastatae fragmenta haud exigua, alter parastata fere integer. Ex partibus eius superstitibus fragmenta annos complexa 472—481 et 482—491 eiusdem altitudinis sunt ac connexum cum fastis consularibus fragmentum, in quo triumphi annorum 494—513 inscripti sunt; alta enim omnia sunt metrorum Gallicorum 0, 59. Unde multum proficimus in consularibus quoque fastis restituendis; nam eorum partes superiores aeque atque inferiores cum tabulis triumphalibus aut ipso saxo coniunctae fuerunt, quod ego quidem intellegam, aut certe eandem altitudinem habuerunt cum triumphorum tum fastorum saxa. Superior igitur tabulae fastorum margo eadem linea formatus fuit, qua terminatur fragmentum triumphorum ad annos 472—481 pertinens; tota igitur tabula alta erat m. 0,64+0,59+0,59+0,59 = m. 2,41. Inde si detraxeris m. 0,07 pro margine superiore, quem inter capitula vacuum mansisse veri est simillimum, fiunt m. 2,34. Cui rationi videndum est num conveniat computatio ex ipsis fastorum versibus instituenda. Quare quasdam quasi tabulas hic proponemus, quibus et superstitum et, quoad fieri poterat, deperditorum versuum numerum consignavimus, adscripta et fragmentorum altitudine et supplementorum qualis efficitur coniectura nostra, ut tamen ratiocinando inventa includantur uncis angulatis. Et primum quidem dicendum erit de priore columna, quam ab anno inde 462 incepisse certum est; quae enim praecedit tabulae secundae columna altera, eam anno 461 terminari spatio indicatur post hunc annum vacuo relicto.

Columnae igitur prioris (a. 462—532) supersunt:

fr. XV	(a. 462—464)	= l. 4	= m. 0, 07, 0
„ XVI *a*	(a. 470—474)	= „ 11	= „ 0, 22, 0
„ XVII *a*	(a. 489—496)	= „ 14	= „ 0, 25, 0
„ XVIII *a* 1	(a. 497—513)	= „ 31	= „ 0, 59, 0
„ XVIII *a* 2	(a. 514—532)	= „ 30	= „ 0, 64, 0
		90	1, 77, 0

Unde hoc modo restauranda columna erit:

[supplementum anni 462 et margo		=	m. 0, 03]
fr. XV (a. 462—464)	= l. 4	=	„ 0, 07
[inter a. 464 et 470 a. 5	= l. 5		
addc pro dictatura a. 468	= „ 2		
desunt (cf. col. 2)	„ 3		
	circ. —— l. 10	= circ.	„ 0, 20]
fr. XVI *a* (a. 470—474)	= „ 11	=	„ 0, 22
[inter a. 474 et 489 a. 14	= l. 14		
adde pro dictatura a. 478	„ 2		
„ „ censuris „ 479. 482	„ 2		
„ „ cos. suf. „ 481	„ 2		
„ „ consulibus „ 489	„ 1		
	circ. —— l. 21	= circ.	„ 0, 34]
fr. XVII *a* (a. 489—496)	= l. 14	=	„ 0, 25
„ XVIII *a* 1 (a. 497—513)	= „ 31	=	„ 0, 59
„ XVIII *a* 2 (a. 514—532)	= „ 30	=	„ 0, 64
	—— l. 75		
	summa l. 121	= metr.	2, 34

Alterius columnae (a. 533—600) supersunt:

fr. XVI *b* (a. 536—559)	= l. 16	=	m. 0, 32
„ XVII *b* (a. 547—552)	= „ 15	=	„ 0, 25
„ XVIII *b* 1 (a. 553—578)	= „ 36	=	„ 0, 59
„ XVIII *b* 2 (a. 579—600)	= „ 34	=	„ 0, 64
	summa l. 101	=	m. 1, 80

Itaque sic restituenda columna erit:

margo			m. 0, 02
[inter a. 533 et 536 a. 3	l. 3		
adde pro dictatura „ 533	„ 3		
„ „ censura „ 534	„ 1		
„ „ bello Punico secundo	„ 2		
	circ. —— l. 9	= circ.	„ 0, 18]
fr. XVI *b* (a. 536—539)	„ 16	=	„ 0, 32
[inter a. 539 et 547 a. 7	= l. 7		
adde pro suppl. a. 539	= „ 3		
„ „ censuris a. 540. 544. 545	= „ 3		
„ „ dictaturis a. 541. 544. 545	= „ 6		
	circ. —— l. 19	= circ.	„ 0, 34]
fr. XVII *b* (a. 547—552)	= „ 15	=	„ 0, 25
„ XVIII *b* 1 (a. 553—578)	= „ 36	=	„ 0, 59
„ XVIII *b* 2 (a. 579—600)	= „ 34	=	„ 0, 64
	summa l. 119	=	m. 2, 34

De parastatis iudicium minus certum est; non omnes enim triumphi nobis innotuerunt. Constat tamen parastatam primum, quem a Romulo rege incepisse nemo infitias ibit, triumpho terminari anni 452. Coepit igitur secundus a fragmento triumphi acti a. 453 continuanturque deinceps triumphi ad annum 532 parastatae huius extremum ita integri, ut non desint fere nisi acti inter kalendas Sextiles anni 464 et a. d. III nonas Martias anni 472. Comparatis igitur duobus inter se parastatis de numero versuum, qui in iis desiderantur, cum quadam certe probabilitate iudicium feretur, praesertim cum singulae utriusque sive trabes sive tabulae eadem altitudine fuisse videantur ac loco eodem collocatae in parastata altero. Itaque primum et alterum parastatam sic restituo:

I

[triumphi acti ab urbe condita usque ad triumphum Anci de Veientibus	circ. l. 16 =	m. 0, 31, 9]
triumphi a. ? — 18--	„ 11 =	„ 0, 21, 8
„ „ 18-- — „ 260	„ 22 =	„ 0, 44, 0
	l. 49 =	m. 0, 97, 7
[„ „ 260. 267. 268	circ. „ 6 =	m. 0, 11, 5]
„ „ 268—286	„ 6 =	„ 0, 11, 5
[„ „ 286—292	circ. „ 2 =	„ 0, 04, 0]
„ „ 292	„ 3 =	„ 0, 05, 0
[„ „ 295	circ. „ 1 =	„ 0, 02, 0]
„ „ 295—317	„ 13 =	„ 0, 25, 0
	l. 31 =	m. 0, 59
[„ „ 323—392	circ. „ 28 =	m. 0, 50, 0]
„ „ 393—394	„ 5 =	„ 0, 09, 0
	l. 33 =	m. 0, 59
„ „ 395—425	„ 33 =	„ 0, 59
„ „ 425—452	„ 36 =	„ 0, 64
continebat parastata primus	circ. l. 182 =	m. 3, 38, 7

II


triumphus a. 453	l. 3 =	m. 0, 09, 0
triumphi „ 455—464	„ 19 =	„ 0, 41, 0
[„ „ 464—472	circ. „ 21 =	„ 0, 47, 7]
	l. 43 =	m. 0, 97, 7
„ „ 472—481	„ 27 =	„ 0, 59, 0
„ „ 482—491	„ 26 =	„ 0, 59, 0
„ „ 494—513	„ 30 =	„ 0, 59, 0
„ „ 513—532	„ 33 =	„ 0, 64, 4
continebat parastata secundus	circ. l. 161 =	m. 3, 38, 7
adde lineam in margine inferiore scriptam, nunc in ipso marmore restitutam, in ratiocinio tamen omittendam	„ l. 1	

parastatarum altitudini margines ponamus adiungendos esse superiorem et inferiorem . . . . = m. 0, 11, 3
ita ut tota eorum altitudo fuerit . . . . = „ 3, 50

Tabula quarta fastorum consularium, cui triumphorum parastatae tertius et quartus adnexi erant, eodem modo quo tertia disposita erat, quamquam e saxis minoribus et ipsa et triumphorum tabulae consistebant. — Columnae eius prioris (a. 601—704) haec supersunt:

fr. XIX. XX *a*. XXI	(a. 601—615)	= l. 18	= m. 0, 32, 5
„ XXII. III. IIII. V	(a. 617—623)	= „ 10	= „ 0, 18, 5
„ XXVI	(a. 643—646)	= „ 8	= „ 0, 14, 0
„ XXVII	(a. 655—667)	= „ 18	= „ 0, 27, 0
„ XXVIII. IX. XXX	(a. 668—681)	= „ 21	= „ 0, 31, 0
„ XXXI	(a. 694—698)	= „ 4	= „ 0, 07, 0
		l. 81	= m. 1, 30, 0


Tabula III



m. 0,31,9
L 15
0,21,8
L 11
0,44,0
L 22
0,50,0
L 28
0,58,0
L 33
0,64,0
L 36
XI
L 19
XII
L 27
XIII
XIV
XV
L 30
XVI
L 35
XVII a
XVII b
XVIII a
XVIII b

Tabula IV

ad pag 41?



Eam sic restituendam esse puto:

fr. XIX. XX *a*. XXI (a. 601—615) . =		l. 18 =	m. 0, 32, 5
[inter a. 615 et 617 a. 1 . . . . . . = circ.		„ 2 =	„ 0, 03, 2]
fr. XXII. III. IIII. V (a. 617—623) . =		„ 10 =	„ 0, 18, 5
[inter a. 623 et 643 a. 19	= l. 19		
adde pro censura a. 629. 639	„ 2		
„ „ cos. suf. a. 624	„ 2		
„ „ cognominibus datis . . circ.	„ 3		
	——	„ 26 = circ.	„ 0, 40, 1]
fr. XXVI (a. 643—646) . . . . =		„ 8 =	„ 0, 14, 0
[inter a. 646 et 655 a. 8.	= l. 8		
adde pro censura a. 652	= „ 1		
	——	„ 9 =	„ 0, 14, 4]
fr. XXVII (655—667)		„ 18 =	„ 0, 27, 0
fr. XXVIII. XXIX. XXX (a. 668—681) .		„ 21 =	„ 0, 31, 0
[inter a. 681 et 694 a. 13	= l. 13		
adde pro censura a. 684. 689. 690 . .	„ 3		
„ „ suff. a. 689	„ 2		
„ „ cognominibus datis	„ 3		
	circ. ——	„ 21 = circ.	„ 0, 33, 5]
fr. XXXI (c. 694—698) . . . . =		„ 4 =	„ 0, 07, 0
[inter a. 698 et 704 a. 6	= l. 6		
adde pro censura a. 699. 704	„ 2		
	circ. ——	„ 8 = circ.	„ 0, 12, 8]
	circ.	l. 145 =	m. 2, 34, 0

Alterius columnae (a. 705—742) supersunt:

fr. XX *b*	(a. 705—710)	= l. 19 =	m. 0, 34, 0
„ XXXII	(a. 710. 711)	= „ 11 =	„ 0, 18, 2
„ XXVI *b*	(a. 717. 718)	= „ 7 =	„ 0, 14, 0
„ XXXIII. IV. V	(a. 728—732)	= „ 10 =	„ 0, 16, 3
„ XXXVI	(a. 722)	= „ 5 =	„ 0, 07, 0
		l. 52 =	„ 0, 89, 5

Restituenda autem ita est:

fr. XX *b* (a. 705—710) . . . . . . =		l. 19 =	m. 0, 34, 0
[supplementum a. 710 . . . . . . =		„ 1 =	„ 0, 01, 7]
fr. XXXII (a. 710. 711) . . . . . =		„ 11 =	„ 0, 18, 0
[supplementum a. 711 . . . . . . =		„ 1 =	„ 0, 01, 7]
[inter a. 711 et 717 a. 5	= l. 5		
adde pro triumviris	= „ 3		
„ „ censura a. 712	= „ 1		
„ „ suff. „ 713	= „ 2		
desunt (cf. col. 1) . . . . circ.	„ 12		
	—— = circ.	„ 23 = circ.	„ 0, 38, 9]
fr. XXVI *b* (a. 717. 718) . . . . . =		„ 8 =	„ 0, 14, 0
[inter a. 718 et 728 a. 10	= l. 10		
adde pro suffectis, nomine Augusti Caesari dato cet. . . . circ.	„ 24		
	—— = circ.	„ 34 = circ.	„ 0, 56, 1]
fr. XXXIIII. IV. V (a. 728—732) . =		„ 10 =	„ 0, 16, 3
[inter a. 732 et 742 a. 9, qui cum Augusti et Agrippae potestas tribunicia laudanda esset, efficiunt	l. 26		
adde pro suffectis a. 735. 736 cet.	„ 3		
	—— = circ.	„ 29 = circ.	„ 0, 46, 8]
fr. XXXVI (a. 742)		„ 5	„ 0, 6, 5
		circ. l. 141 =	circ. m. 2, 34, 0]

Parastatarum tertii et quarti pauca fragmenta reliqua sunt, plura tamen quarti, quapropter ab hoc incipiemus. Principium eius fragmenta exhibent ad triumphos annorum 628 et 631 pertinentia, quorum alterum a Fea repertum corona adhuc ornatum est, quam in altero deletam scalpro videmus. Ita autem videtur restituendus esse:

(corona			m. 0, 09, 0)
(margo superior omittendus in ratiocinio			„ 0, 06, 0)
triumphi a. 628. 631	=	l. 4 =	„ 0, 07, 3
" „ 632—643	=	„ 20 =	„ 0, 41, 5
[" „ 643—654	= circ.	„ 26 = circ.	„ 0, 52, 0]
" „ 656—673	=	„ 13 =	„ 0, 24, 0
[" „ 673—691	= circ.	„ 28 = circ.	„ 0, 56, 0]
" „ 692—700	=	„ 7 =	„ 0, 13, 3
[" „ 703—709	= circ.	„ 16 = circ.	„ 0, 32, 0]
" „ 709—720	=	„ 31 =	„ 0, 54, 7]
[" „ 721—726 (cf. tab. Barberinianae, et triumphus Augusti) . .	circ.	l. 15 = circ.	„ 0, 26, 9]
" „ 726—735 cum margine vacuo	=	„ 12 =	„ 0, 31, 0
continebat parastata quartus	circ.	l. 172 = circ.	m. 3, 38, 7

Parastata tertio triumphi comprehenduntur acti ab anno inde 532, in quo desinit secundus parastata, ad annum usque 625. Qui enim hoc anno triumphus a Sempronio Tuditano ductus est, incisus est in frustulo marmoreo, cuius margine inferiore ipse parastata olim terminabatur. At si cum hiatibus parastatae huius tabulas triumphales a viris doctis restitutas conferimus, quindecim fere remanent lineae, quae notis nobis triumphis non implentur; ignoramus igitur triumphos quosdam per hos annos actos. Iam si quinos versus singulis supplementis addideris, ita parastata restituetur:

[triumphi a. 533—557	= circ.	l. 31 = circ.	m. 0, 63, 8]
[. . . adde.		„ 5 =	„ 0, 10, 4]
" „ 557—559	= .	„ 9 =	„ 0, 21, 5
[" „ 559—579	= circ.	„ 52 = circ.	„ 1, 07, 0]
[. . . adde.		„ 5 =	„ 0, 10, 4]
" „ 579—599	= .	„ 26 =	„ 0, 51, 5
[" „ 600—623	= circ.	„ 27 = circ.	„ 0, 55, 5]
[. . . adde.		„ 5 =	„ 0, 10, 4]
" „ 625 (cum margine)		„ 2 =	„ 0, 08, 2
continebat parastata tertius . . .	circ.	l. 162 = circ.	m. 3, 38, 7

Ex iis, quae de tabulis fastorum tertia et quarta deque triumphorum parastatis hucusque exposuimus, anno 742 finiri fastos consulares, triumphales anno 735 colligitur. Praeterea autem nomina consulum, qui ab anno inde 743 usque ad annum 766 fasces gesserunt, cum iam in ipsis tabulis spatium nullum superesset, ad latus quartae tabulae inter ipsam et parastatam quartum incisa sunt litteris paullo maioribus et in unam tantum columnam disposita. Quod quo tempore factum sit, postea videbimus, cum de aetate fastorum agendum erit. Post consules denique anni 766 adscripti leguntur ludi saeculares quinti et sexti. Scilicet anno 841, quo ludi saeculares ex s. c. facti sunt sextum, Domitianus Augustus et hos ipsos et antea factos in tabula Capitolina perscribi iussit, quorum cum reliqui ad annum quo pertinebant in margine adicerentur, quintos, margine ibi supplementis illis a. 743—761 iam occupato, una cum sextis apposuit loco extremo. In quibus commemorandis aera quae dicitur Varroniana imperator usus est. Cf. Mommseni *chronol.* p. 185 et 193 (ed. 2).

Partem fastorum ad latus tabulae quartae exaratam sic restitue:

supersunt:

fr. XXXVII (a. 761—763) } „ XXXVIII (a. 764—765) } = ...		l. 26 =	m. 0, 54, 7
„ XXXIX (a. 765. 766. ludi saec.)	l. 19		
pro margine circ. . . .	„ 4		
	——	„ 23 =	„ 0, 48
		l. 49 =	m. 1, 02, 7
desunt a. 743—760 = a. 18 = circ.		„ 80 =	„ 1, 68, 3
circ. . . .		l. 129 =	m. 2, 71

Tabulas denique fastorum primam et alteram dispositas fuisse simili ratione atque tabulas tertiam et quartam cum per se probabile sit, triumphi vero his adscribendi supersint nulli, Panvinius in parastatis illis perscriptos fuisse opinatus est pontificum augurum sacerdotum indices; sed cum nulla eiusmodi fragmenta reliqua sint, in eam sententiam concedere equidem non ausim. Quamquam minoribus illis, de quibus diximus, parastatis has quoque tabulas ornatas fuisse docemur tabulae secundae fragmento n. V, in quo fragmento latus, quem hodie vides, margo extitit, erasis scalpro parastatae reliquiis. Praeterea quin cadem altitudine qua tertia et quarta priores quoque tabulae fuerint, vix dubitari potest. Denique ex singulis, quibus efficiuntur, trabibus invicem sibi oppositae eadem videntur altitudine fuisse.

In tabulis restituendis ab altera incipiendum erit, cuius columnae prioris (a. 365—409) haec supersunt:

fr. VIII *a* (a. 383—385) = l. 10 = m. 0, 16, 5
„ VIIII *a* (a. 385—396) = „ 34 = „ 0, 54, 7
„ X (a. 404—408) = „ 9 = „ 0, 15, 0
summa l. 53 = m. 0, 86, 2

Itaque sic restituenda columna est:

[a. 365—378 a. 14 trib. mil. . . . . . . = l. 44
adde pro dictaturis a. 365. 368. 374 . . „ 6
„ „ censuris a. 374. 376 . . . . „ 2
„ „ annis 379—382, quibus solitudo magistratuum fuit . . . . „ 10
circ. l. 62 = circ. m. 1, 05, 8]
fr. VIII *a* (a. 383—385) . . . . „ 10 = „ 0, 16, 5
„ VIIII *a* (a. 385—396) . . . . „ 34 = „ 0, 54, 7
[a. 396 pro dictatura . . . . l. 2
a. 397—404 a. 8 . . . . „ 8
adde pro dictaturis a. 398. 401. 2. 3. 4. „ 9
„ „ censura a. 403 cet. . . . . „ 3
circ. „ 22 = circ. „ 0, 37, 0]
fr. X (a. 404—408 . . . . „ 9 = „ 0, 15, 0
[a. 409 cum dictatura . . . . „ 3 = „ 0, 05, 0
circ. l. 138 = circ. m. 2, 34, 0

Alterius columnae (a. 410—461) haec supersunt:

fr. VIII *b* (a. 434—435) = l. 8 = m. 0, 13, 2
„ VIIII *b* (a. 436—447) = l. 31 = „ 0, 54, 7
„ XI (a. 448—452) = „ 12
„ XII (a. 453—454) = „ 6
„ XIII (a. 455—461) }
„ XIV (a. 459—461) } = „ 9
l. 27 = „ 0, 54, 0
summa l. 66 = m. 1, 21, 9

Columna igitur sic restituetur:

[a. 410—434 = a. 24 . . . . . . = l. 24
adde pro dictaturis a. 410. 412. 414. 415. 417. 419. 420. 422. 423. 427. 429. 432. 433 bis . . = „ 28
adde pro abdicationibus, suffectis, cognominibus datis, cet. . . . . = „ 6
adde pro censura a. 422 . . . . = „ 1
circ. l. 59 = circ. m. 1, 09, 1]
fr. VIII *b* (a. 434—435) . . . . = „ 8 = „ 0, 13, 2
„ VIIII *b* (a. 436—447) . . . . = „ 31 = „ 0, 54, 7]
„ XI (a. 448—452) . . . . = „ 12 }
„ XII (a. 453—454) . . . . = „ 6 }
[a. 455 2] } = „ 0, 57, 0
„ XIII (a. 455—461) }
„ XIV (a. 459—461) } . . . . = „ 9 }
l. 127 = circ. m. 2, 34, 0

De tabula prima paulo difficilior inquisitio est, cum ne de anno quidem, a quo fasti initium ceperint, satis constet. Habemus autem columnae secundae haec fragmenta:

fr. IV (a. 332—340) . . . . = l. 20 = m. 0, 32, 5
„ V (a. 345—356) }
„ VI pars prior (a. 350—356) } . . . = „ 34 = „ 0, 54, 7
„ VI „ altera (a. 356—360) . . . = „ 14 = „ 0, 22, 0
„ VII (a. 361—364) . . . . = „ 11 = „ 0, 18, 0
summa l. 79 = m. 1, 27, 2

Pars igitur columnae annos complexa 332—364 sic componenda:

fr. IV (a. 332—340) . . . . = l. 20 = m. 0, 32, 5
[a. 341—344 a. 4 . . . . = „ 4 = circ. „ 0, 06, 4]
fr. V (a. 345—356) }
„ VI pars prior (a. 350—356) } . = „ 34 = „ 0, 54, 7
„ VI „ altera (a. 356—360) . . = „ 14 = „ 0, 22, 0
[adde anno 360 . . . . = „ 2 = „ 0, 03, 2]
fr. VII (a. 361—364) . . . . . . = „ 11 = „ 0, 18, 0
[adde anno 364 pro trib. mil. . l. 2
„ „ „ „ dict. . . . „ 2 = „ 4 = „ 0, 06, 4
[adde spatium in fine vacuum . . . . . . = „ 0, 07, 4]
summa circ. l. 89 = circ. m. 1, 50, 6
tota tabularum altitudo . . . . = „ 2, 34, 0
restant pro parte deperdita columnae . . = m. 0, 83, 4
quibus circ. l. 51 comprehenduntur.

Quae lineae 51 quantos annos continuerint, definiri nequit, quia prioris quoque columnae pars haud exigua desideratur. Huius enim supersunt:

fr. I (a. 271—282) = l. 14 = m. 0, 20, 8
„ II (a. 288—304) }
„ III (a. 295—304) } = „ 34 = „ 0, 54, 7
l. 48 = m. 0, 75, 5

Intercidit trabs columnae ima, quam m. 0, 57 altam fuisse altera columna ostendit. Continebat igitur lineas circiter 36, vel paullo minus, si vacuum in fine spatium fuit in hac quoque columna. Additis his 51 circiter lineis, habebis lineas supra 80 annis 305—331 olim occupatas; quorum tamen magistratibus quos novimus recensendis 60 circiter lineae videntur sufficere. Itaque quo anno prior columna exierit, altera inceperit, investigari non potest.

Restat, ut de superiore columnae parte quaeramus, cuius exstare vidimus:


fr. I (a. 271—282) = l. 14 = m. 0, 20, 8
[adde a. 283—287 = circ. „ 5 = circ. „ 0, 07, 4]
summa l. 19 = circ. m. 0, 28, 2
pars eadem tabulae secundae alta erat „ 1, 22, 3
restant pro parte deperdita circ. m. 0, 94, 1
quae capiunt lineas circiter 60.

At consulum nominibus describendis cum lineae circiter 36 sufficiant, fastos Capitolinos apparet non ab exactis regibus, sed ab urbe condita initium cepisse.

Iam videamus de aedificio, ad quod fasti olim steterunt cuiusque ex ruinis fragmenta prodierunt. De quibus quae saeculi XVI viri docti tradiderunt, ita incerta sunt, ut ad dignoscendum et restituendum aedificium illud vix conducant. Scribunt quidem et Panvinius et Ligorius tertiam tabulam inventam esse maiore ex parte integram et antiquo loco etiam tum fixam, additque ille a Michaele Angelo Bonaroto aliisque architectis aedificii formam descriptam eiusque ex vestigiis restitutionem eam effectam esse quae extat in Capitolio. Quod si recte haec tradiderunt, ipsi certe egregium Bonaroti exemplum minime secuti de fastorum aedificio restaurando in diversissimas opiniones abierunt, hemi-


Tabula I

ad pag 420



Tabula II

ad pag 420



cycliumque id fuisse Panvinius ratus est, Ianum quadrifrontem Ligorius. Et Panvinii quidem de forma aedificii sententia nititur loco Suetonii de Verrii fastis in hemicyclio ad forum Praenestinum propositis male relato ad fastos hos urbanos; quapropter opinionem eius refellere nihil attinet. Ligorii autem narrationem nostra aetate resuscitavit Fea (*framm.* p. XII); Canina (ann. inst. arch. 1853 p. 227—250) adeo diagramma a Ligorio libris istis Taurinensibus iure infamatis insertum tamquam imaginem arcus veram et fide dignissimam aeri incidendum curavit eiusque ope universum aedificium restauravit. Quorum virorum auctoritate ne quis in errorem denuo inducatur, paulo diligentius de ea re videamus. Narrat igitur Ligorius fastos prostitisse in arcu quadrifronte, quem statuit *summum Ianum* fuisse ab Horatio commemoratum, et ita in eo dispositos fuisse, ut sedecim parastatae arcus parietes tam extra quam intus decorantes triumphorum acta continerent, octo deinde tabulae mediae inter parastatas collocatae fastis consularibus occuparentur, denique in spatiis inter tabulas et parastatas sedecim vacuis relictis ludi saeculares et pontificum augurum quindecimvirum acta perscriberentur. Atqui tam fastos consulares quam triumphos in quaternas tantum tabulas digestos fuisse antea vidimus, neque, siquidem parastatarum modo tabulae triumphales iis adnexae erant, fieri potuit, ut in sedecim columnas distribuerentur, nisi ipso arcu tam depresso, ut vix homo adultus per eum transiret. Cum enim totus triumphorum index vix septingentos versus habeat, singuli parastatae ne quinquagenas quidem lineas continuerunt in sedecim tabulas fastis divisis. Capita autem eorum ipsum attigisse monumenti zophorum comprobatur corona eius parastatae, quem ab anno 628 initium capere antea exposuimus. Quae cum ita sint, vix est credibile, viros rerum antiquarum haud mediocriter peritos et quibus ipsa monumenta inspicere quotidie liceret hariolationibus et mendaciis Ligorianis ita deceptos esse, ut Feae valde probarentur, Canina propterea non solum ut solebat magnificum in charta fingeret aedificium, sed etiam eum arcum ob signa a Parthis recuperata a Caesare Augusto extructum esse multis verbis demonstrare conaretur, ne temporum quidem ratione habita; nam arcum illum tribunicia potestate V, id est anno 735, Augustum aedificasse declaratur nummis ab ipso Canina allatis, fastos autem pluribus annis antea exaratos esse postmodum videbimus. Mihi vero constat narrationibus Ligorii non maiorem quam inscriptionibus fidem tribuendam esse. Quae de ruderibus tum in foro effossis Panvinius tradidit, tam incerta sunt tamque male digesta, ut formam aedificii inde minime definias.

Ne locum quidem, unde lapides eruti sint, aequales accurate nobis indicant; Marlianus (praef. ad fastos) in foro eos latuisse tradit, Panvinius erutos inter forum et sacram viam ante templum Faustinae, Smetius in comitio ad forum Romanum, Ligorius denique loco supra relato prope viam sacram ultra fornicem Fabianum et prope Ianum imum, ubi noua via a sacra via discedebat. Quae indicationes etsi incertae sunt omnes, tamen eundem iis locum significari, quo nova fragmenta Fea effodit, docemur paulo accuratiore Iohannis Metelli adnotatione servata in codice Vatic. 6039, ubi scribit fragmenta reperta esse *in foro Romano prope tres columnas illic erectas pone Capitolium.* De loco igitur, quo fasti Capitolini eruti sunt, accuratam notitiam ex ea tantum narratione desumere licet, quam de fragmentis a se effossis Fea publici iuris fecit.

Narrat autem Fea in libello qui inscribitur *prodromo di nuove osservazioni e scoperte fatte nelle antichità di Roma* cet. (Romae 1816 p. 13 seq.): '*nello scavo, che ho aperto nel mese di Marzo coi forzati, ove era la fontana in campo Vaccino, profittando della bella opportunità che debbo far trasportare d'ordine della Santità di nostro Signore la tazza di granito, 27 palmi di diametro, al Quirinale, per compimento di quel maestoso gruppo e ad animare con buon getto d'acqua tutta la piazza: si sono rinvenute cose degne della comune nostra attenzione — —. Dalla parte verso l'arco di Tito, alla profondità di 39 palmi dal piano di Santa Maria Liberatrice, sempre con scarico di calcinacci, si è trovata tolta ogni selciata; e più sotto è comparsa acqua limpida, corrente in qualche modo, la quale faceva credere, essere di un' antica cloaca, che dalla strada fra il tempio di Antonino e Faustina e quello di Remo e Romolo s'avviava tra Santa Maria Liberatrice e le tre colonne. Nell' intervallo fra questi due ultimi punti si vede sempre scarico di calcinacci e sassi a tutta profondità; per cui è chiaro, che tra l'uno e l'altro edifizio vi era una strada. Alla fronte delle tre colonne verso la via sacra si è trovato il masso della scala, che metteva alla facciata ristrettamente ossia d'un branco con due scalini di marmo lisci, alti un palmo e 8 once; e tutti dovevano essere 17,019: quale forma di scala, con 6 colonne d'avanti e dietro e 8 nei lati del tempio, si vede nel frammento della pianta marmorea antica di Roma, ora fissa alle pareti della scala nel museo Capitolino, data incisa dal Bellori nella tavola V, accanto e in linea con un tempio rotondo, che è quello di Vesta.*' Post alia p. 17: '*nel nostro scavo non si sono trovati marmi scolpiti di mole grande, ma soltanto una gamba di cavallo in marmo al naturale, di buona maniera; alcuni frammenti di tegole in marmo e di scorniciature, che pajono del tempio. Il pezzo prezioso, benchè piccolo, e un frammento dei fasti Capitolini in marmo, che presentato da me alla sua lacuna dell' ultimo pilastro nelle camere Capitoline vi combacia a puntino.*' Quem locum ne Fea quidem ipse statim eundem esse suspicatus est, quo fragmenta Farnesiana olim reperta essent; addit enim p. 17 et 18: '*è inconcepibile, come siasi trovato qui questo frammento; mentre si sa, che tutti gli altri, al riferire del Panvinio, furono rinvenuti casualmente dal cardinale Alessandro Farnese nel 1547 nello scavare a qualche distanza in faccia al tempio di Antonino e Faustina, tra il foro Romano e la via sacra, parte al suo luogo, parte nascosti in una grotta* cet.' et p. 19: '*nel luogo, dove si è cominciato lo scavo attuale, immediatamente sotto la fontana e intorno la scala del tempio, diligentemente osservando, non è stato nè in quel tempo nè da molto prima scavato in regola di seguito; perchè vi si sono trovati muri anteriori di piccole fabbriche e materiali di rovine vergini e di marmi, che ne sarebbero stati tolti.*' Paucis tamen annis post in effodiendis novis fragmentis paulo accuratius loca templo adiacentia perscrutatus sententiam videtur mutavisse. Ita enim scribit in libello, quem de ipsis his fastorum frustulis anno 1820 edidit (*frammenti di fasti consolari e trionfali* cet. p. X et seq.): '*dalla maniera peraltro con cui fu fatto lo scavo allora, riferita più ricercatamente dal Ligorio, poco regolare dal principio, e in fine* per cuniculos, *come dice il Panvinio, vale a dire per tasti e a salti quà e là: ho mai sempre creduto, che il terreno non fosse esaurito. La speranza mi si risvegliò, quando nel 1816 per ordine della Santità di nostro Signore dovetti far trasportare la tazza di granito (che ivi negletta e quasi interrita serviva ad una fontana per bestie) a far pomposa mostra della vasta sua mole di 27 palmi di diametro e a dar compimento al gruppo del Quirinale, divenuto sorprendente. — Con questa prevenzione toltane la tazza, si dette mano allo scavo nel Marzo colla più scrupolosa diligenza. Incominciando da quella parte medesima del primo scavo sull' angolo della scalinata del tempio, riconobbi subito la terra ossiano i calcinacci stati mossi e quasi cricellati da cima a fondo. Inoltrandomi in seguito al lato destro del tempio*

verso il mezzogiorno, ove cessavano le antiche ricerche, a mezza altezza dello scavo si rinvenne inaspettatamente per primo un pezzetto, riportato al numero 7. Questo benchè piccolissimo e solitario provato subito coll' opportuno rincontro, che apparteneva ai frammenti Capitolini trionfali, mi rincorò e mi fece raddoppiare l'impegno e le ricerche per trovarne altri. E così difatti riuscì sul fine dell' anno stesso 1816, e nel principio del seguente fino ai 23 Marzo, che più e più mano mano se ne rinvennero, movendo e portando via i calcinacci per un sufficiente largo spazio fino alle radici del tempio e all' antica selciata rimasta a 30 palmi di profondità. — — La meraviglia mi crebbe al vedere, che i pezzi anche rotti minutamente stavano bensì poco lontani uno dall' altro, ma confusi in modo stravagante e a varie altezze dei calcinacci. Pareva che vi fossero stati gettati dall' alto in confuso colli calcinacci stessi.' Quae verba Fea cum scriberet videlicet non dubitabat, quin eodem fere loco et Farnesiana et nova fragmenta reperta essent et ad templum trium columnarum ea referebat eo tempore nondum deceptus fraudulentis Panvinii et Ligorii narrationibus; nam *la vicinanza del tempio*, addit, *ci potrebbe far congetturare che vi stessero affissi ai muri esterni della cella.* Eandem sententiam Borghesium video secutum esse, qui cum fossioni coram adfuerit, magna in hac re auctoritate testis est. Haec enim verba sunt ipsius de Fea (*framm. dei fasti consolari Capitol.* 1 p. 5): *egli ci mostrerà che quei fasti erano esposti nei portici del tempio di Castore.'* Nam ad Castoris aedem post alios Fea tres columnas pertinuisse existimabat, recte omnino, ut patuit nuper retecta basilica Iulia quatenus in longitudinem patet tota; licet Beckerus nuper curiae Iuliae et a Domitiani inde aetate Minervae eas aedi tribuerit (top. p. 335 et 355), Canina vero nescio quod aliud in eo loco collocaverit aedificium. Enimvero basilicam illam inter aedes Saturni et Castoris sitam fuisse inter omnes constat (v. mon. Ancyr.: *forum Iulium et basilicam quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni*; cf. Becker l. c. p. 305 n. 530 et p. 339), inter basilicam autem et tres columnas nullum aliud extitisse aedificium ipsa basilicae rudera ostendunt. At quamvis commode tabulae Capitolinae cum aede Castoris videantur coniungi, tamen obstant quae de ea aede tradita accepimus. Eam de manubiis olim a L. Metello Delmatico refectam (Cic. pro Scauro 46; Verr. 1, 59, 154; cf. Ascon. p. 28 et Pseudo-Ascon. p. 199 Or.), cum anno, ut videtur, 747 una cum basilica Iulia incendio deleta esset (cf. Dio 55, 8; Becker top. p. 299; Merkel ad Ovid. fast. p. CXXVI), Tiberius Caesar denuo restituit et a. d. VI kal. Febr. anni 759 suo fratrisque nomine dedicavit (Dio 55, 27; Suet. Tib. 20; Ovid. fast. 1, 705; kal. Praenest., cf. supra p. 385). Ad aedem Tiberianam fastos Capitolinos non pertinuisse inde constat, quod mox eos docebimus incisos esse ante bellum Actiacum. Quominus vero ad templum a Metello restauratum eos referamus, praeter litterarum formam, quae antiquitatem indicat minus remotam, ipsa impedimur templi materia; quippe quod lapide indigeno extructum fuisse e Ciceronis discimus verbis Verrem accusantis, quod *maiore pecunia quattuor columnas dealbandas, quam* Metellus *omnes aedificandas locaverit* (1, 59, 154). Contra fasti Capitolini exarati erant in muro solidi marmoris, minime in tabulis marmoreis muro fortasse insertis; nam et saxa in quibus leguntur satis crassa sunt et litterae nonnunquam lapidum compagibus ita separantur, ut eiusdem litterae in altero lapide superior, in altero inferior pars collocata sit (cf. Fea *framm.* p. XXV et XXVIII et tab. aeri incis.; Borghesi *fasti Cap.* 2, 119: *le nuove scoperte ci — — — fanno manifesto, che queste iscrizioni furono incise dopo chè i marmi erano già collocati in opera, poichè le lettere della seconda riga per metà furono scolpite sul primo sasso e per l'altra metà sul secondo*).

Quod si igitur ad aedem Castoris fasti referri nequeunt, ex accurata Feae narratione hoc certe efficitur, ad aedificium eos pertinuisse prope tres columnas a parte Palatini situm. Quo cum pervenissem et de ea quaestione sermo incidisset cum Detlefseno, quaesivit ille ex me, num ad regiam forte fasti pertinuissent. Regia enim cum aede Vestae coniuncta posita fuit inter Palatinum et aedem Castoris (cf. Becker l. c. p. 222 sq.); neque ullum aliud aedificium inter Regiam et Castoris aedem interiectum erat, siquidem huic recte tres illas columnas tribuimus. Et cum negare viderimus Feam aedificium ullum interfuisse inter S. Mariam Liberatricem et tres columnas, via tantum publica ab aede Castoris Regiam separabat. Iam cum teste Fea fragmenta fastorum inventa sint ita collocata, ut ab alto cecidisse viderentur, si angustiam in mentem tibi revocaveris viarum veterum, concesseris tam ex aede Castoris quam ex aedificio ab altera viae parte ei opposito marmora delabi potuisse. Quae si minus placent, cogitari etiam potest cum Detlefseno de atrio regio sive Vestae (v. Becker top. p. 289). Cuius si latera duo sibi opposita portis patebant, duo reliqua parietibus claudebantur, quattuor fastorum tabulae ita fortasse in eo dispositae erant, ut prima iuxta portam intranti a dextra parieti affixa esset, cui continuaretur in pariete clauso quarta, secunda vero in pariete iuxta portam intranti a sinistra tertiaque in pariete clauso ei contiguo conspicerentur, quartus denique atrii paries cum altera porta vacuus relinqueretur. Primam enim tabulam et quartam iuxta positas fuisse indicat altitudo aequabilis lapidum inferiorum, quibus superpositae erant. Regia autem domus erat pontificis maximi, in quam etiam aetate imperatorum pontifices conveniebant, ut de rebus sacris deliberarent (cf. Plin. epist. 4, 11); qui cum annalibus kalendario fastis conficiendis praeessent (cf. Mommseni *chronol.* p. 208, 19), domus suae parietibus fastos apte incidere potuerunt. Domum hanc regis incendio deletam post triumphum anno 718 actum ex auro coronario Cn. Domitius Calvinus refecit eodemque anno dedicavit (Dio 48, 42; de anno cf. tab. triumph.). Iam Borghesius notavit (*framm. di fasti* 1 p. 5) nomen M. Antonii triumviri, quod solis annis 707 et 717 Varr. in fastis consularibus conservatum est, primum abrasum ibi esse, mox denuo restitutum, idemque observari etiam in avi eius nomine M. Antonii oratoris qui anno 657 Varr. lustrum condidit. Quod certo non casu factum est, praesertim cum etiam in fastis Colotianis (infra n. IV) triumviri nomen in litura repositum sit. Narrat autem Dio (51, 19), postquam de honoribus Caesari Augusto post bellum Actiacum decretis verba fecit: *καὶ τὰ τοῦ Ἀντωνίου κοσμήματα τὰ μὲν καθεῖλον, τὰ δ' ἀπήλειψαν, τήν τε ἡμέραν, ἐν ᾗ ἐγεγέννητο, μιαρὰν ἐνόμισαν, καὶ τὸ τοῦ Μάρκου πρόσρημα ἀπεῖπον μηδενὶ τῶν συγγενῶν αὐτοῦ εἶναι*; cf. Plut. Cic. 49: *ἐπεὶ μέντοι τάχιστα κατεπολέμησεν* (Καῖσαρ) *Ἀντώνιον, ὑπατεύων αὐτὸς εἵλετο συνάρχοντα τοῦ Κικέρωνος τὸν υἱόν, ἐφ' οὗ τάς τ' εἰκόνας ἡ βουλὴ ἀνεῖλεν Ἀντωνίου καὶ τὰς ἄλλας ἠκύρωσε τιμὰς κτλ.* et Ant. 86: *αἱ μὲν οὖν Ἀντωνίου καθῃρέθησαν εἰκόνες.* Recte igitur Borghesius in fastis censet nomen Antonii post victoriam Actiacam deletum esse, ipsos autem fastos exaratos certe ante annum 724; scilicet M. Antonii oratoris nomen vel errore abrasum esse a quadratario parum cauto, vel quod propter praenomen Marci eius quoque memoria erat damnata. Restituit vero eorum nomina Claudius Augustus, de quo Suetonius (Claud. 11): *ne Marcum quidem Antonium inhonoratum ac sine grata mentione transmisit, testatus quondam per edictum tanto impensius petere se, ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset et avi sui Antonii.*

Optime igitur, quae de aetate fastorum ex eorum ipsorum condicione Borghesius collegit, conveniunt cum aetatis fastorum indiciis iis quae loco, quo stetisse eos supra vidimus, continentur.

Nam quod Domitianus Augustus ludos saeculares tabulis consularibus addi iussit, pugnat id quidem cum Beckeri opinione nuper prolata (l. c. p. 234—237) regiam incendio Neroniano deletam esse nec posteriore tempore commemorari; sed praeter scriptorum locos, quorum Beckerus auctoritatem eludit potius quam refutavit, ex inscriptione Grut. 28, 6 = Murat. 387, 2 regiam superfuisse patet etiam anno 378 p. C.

Quamquam autem post annum 718 et ante annum 724 fasti Capitolini marmori inscripti sunt, eosdem ad mortem usque Caesaris Augusti continuatos esse supra vidimus, ubi de dispositione tabularum diximus. Quotannis vero factos consules statim albo adiectos esse, id quod in fastis sacerdotalibus usu venisse ex ipsa scripturae diversitate colligitur (cf. Or. 6053. 6058), quominus statuamus obstat quae est in fastis Capitolinis extremis litterarum aequalitas. Immo omnia, quae leguntur in tabulis bipertitis, eas litterarum formas exhibent, quas qui examinaverit nescius eorum, quae de rerum argumentis antea exposuimus, omnino ad eandem omnes aetatem relaturus sit. Quod quoniam abrasum Antonii nomen non permittit, certe posteriorum consulum nomina tabulis addita sunt eodem tempore omnia regnante Augusto neque ante annum 742, cum fragmentum n. XXXVI fastos eius anni continens eandem et litterarum formam et nominum dispositionem monstret, quae in prioribus fragmentis visuntur. Contra fragmentum n. XXXVII a tribunicia potestate Caesaris Augusti XXX (a. 761) incipiens iuxta quartam tabulam adiectum est una tantum columna litterisque paulo maioribus. Eandem litterarum formam invenimus cum in ceteris fragmentis, in quibus fasti ad annum usque 766 continuantur, tum in extremo, quod agit de ludis saecularibus a. 841 factis a Domitiano Augusto, convenitque ea multo magis quam Caesaris Augusti aetati Flaviorum, ut ipse demum Domitianus et consulum illorum nomina et ludos saeculares marmori incidenda curasse videatur. Obstat tamen, quod ante ludos saeculares quintos abrasum conspicitur cognomen C. Silii, cuius effigies anno 777, cum imminentem damnationem voluntario fine praevertisset (Tac. ann. 4, 19), senatus consulto abolita est (Tac. l. c. 11, 35) eodemque omnino tempore etiam nomen eius in fastis erasum; ut quadratarium credas parum cautum cognomen quidem delevisse, nomen vero in lapide intactum reliquisse. Et hanc quidem opinionem olim ipse proposui (ann. inst. archaeol. 1855 p. 5), quamquam non recte nomen patris eo tempore erasum esse opinatus, quo propter Messalinae amores filius condemnatus est. Iam vero inspectis denuo fastorum fragmentis cum magis magisque mihi persuaserim ab eadem manu esse quaecunque in margine tabularum incisa sunt, praestat Domitiano Augusto illa tribuere et de cognomine Silii ita statuere, memoriae eius damnatione a scriba neglecta et mox errore intellecto id rursus exemptum esse. Sane enim non casu factum est, ut versus ille periret. Ita igitur evenit, ut imperante Caesare Augusto anno u. c. 742 tabulis fastorum expletis in ea consulum publica adnotatione pontifices substiterint, ad mortem usque Augusti eos margine usus continuarit Domitianus anno 841, ludos saeculares sextos celebrans. Quo tempore et hos et ante factos ludos saeculares in fastos rettulit et illos quidem loco extremo posuit, hos vero quantum fieri potuit ad suos quosque annos adscripsit. Unde ludi tertii (n. XL) in medio marmore leguntur undique vacuo; quinti vero sequuntur fastos anni 766 nullo spatio interiecto. Nam si sumpseris fastos anni 766 incisos fuisse ad marginem anni 736, ludi saeculares anni 737 ut huic anno adiungerentur post annum 766 incidendi erant. Quibus denique Domitianus notitiam addidit ludorum suorum, qui cum facti essent post eam aetatem, ad quam fasti Capitolini pervenirent, consentaneum erat, consulum rationem in iis nullam haberi.

Sed quod Domitianus huic potissimum monumento memoriam ludorum a. 841 adici voluit, inde colligo post mortem Augusti fastos consulares Romae in publico certe monumento non amplius exaratos esse. Accedit quod Romae quidem nullum fastorum fragmentum in lucem prodiit, quod ad publicum eorum exemplum referri potuerit. Frustulum enim fastorum annorum 962—965, quod in hortis Farnesiis Palatinis repertum Biondius edidit, ad eiusmodi fastos minime pertinet (*atti dell' Acc. pont. d'arch.* 6, 368); nam cognomina tantum citat sexto casu posita, ita ut actorum potius collegii cuiusdam vel laterculi militum particula fuisse videatur. Iure igitur Mommsenus quoque (*chronol.* p. 111) fastorum consularium publicam propositionem ultra annum 766 deductam esse negavit, propterea quod inde ab illo tempore et breviores consulatus facti essent et diversa invaluisset ordinariorum et suffectorum dignitas.

Quamquam autem Romae fasti publici non continuabantur, continuati tamen sunt in municipiis. Cuius rei testimonia luculentissima reliquiae praebent fastorum municipalium, quorum novissimum hucusque exemplum fasti Caleni exhibent ad annum pertinentes aerae nostrae 289 (I. N. 3946 = Or. 6447).

Ex fragmentis fastorum ante annum 1546 vel 1547 effossis tria primus edidit Mazochius, scilicet f. 121 v. 122 fragmentum n. VIII*a* VIII*b* annos continens 385—396 et 435—447; f. 145 v. 146 alterum n. XVII*a* XVII*b* annorum 489—496 et 547—552; f. 132 v. tertium n. XXXIX ad annos pertinens 765 et 766 ludosque saeculares continens annorum 737 et 841. In edendis fragmentis primo et tertio iisdem exemplis usus est, quae Iucundus exhibet (cod. Magl. 83 Veron. 74—76, inde Petrus Sabinus cod. Marc. 50 v.—51 v., et cod. Magl. 88 Veron. 138, inde Petrus Sabinus cod. Marc. 124). Variam lectionem, cum satis neglegenter monumenta descripta sint, haud referendam esse credidi.

Fragmenta deinde annis 1546 vel 1547 eruta primum descripsisse vidimus Ioannem Metellum, cuius apographo manu diversa passim emendato, quod in bibliotheca Vaticana adservatur (cod. 6039 f. 204—212), ita usus sum, ut potiores tantum inde varias lectiones lectoribus proposuerim. Desunt apud Metellum non solum fragmenta quaecunque ante annum 1546 innotuisse constat, sed etiam alia quaedam; praeterea nonnullas et consularium et triumphalium tabularum particulas sibi non visas a Smetio se accepisse narrat Metellus et ab Hegio, quorum illa quidem (cons. n. XXXVII triumph. n. XI) apud Delphinium eo tempore adservata non eo demum tempore, sed priore effossa esse antea coniecimus; haec autem cum sint exigui ambitus frustula (cons. n. XII et XXXII) Metellum in describendo fugisse crediderim. Descripsit lapides Metellus apud Farnesios. — Deinde cum in aedibus Capitolinis Conservatorum collocati essent, ex auctoritate Pauli III pontificis maximi editionem eorum principem paravit Bartholomaeus Marliani Mediolanensis, quae omnia complexa frustula ad eam usque aetatem effossa litterisque maiusculis nitidissimis satis diligenter descripta anno 1549 Romae prodiit (*consulum dictatorum censorumque Romanorum series una cum ipsorum triumphis, quae marmoribus sculpta in foro reperta est atque in Capitolium translata, impressum Romae k. ian.* 1549). In qua cum sine supplementis et commentariis ipsa tantum fragmenta proposuisset, alterum de fastis postea librum edidit, cui titulus est *Bartholomaei Marliani patricii Mediolanensis annales consulum dictatorum censorumque Romanorum a condita urbe usque ad Ti. Caesarem. Eiusdem in eosdem ac triumphos commentarius; Romae* s. a. Nos editionis principis variam lectionem accurate adnotavimus (*Marl.*). — Marliani

Censores huius anni a scriptoribus non commemorantur. Ex litteris in fragmento tabularum Capitolinarum ante clausulam L · F · LVIII residuis Panvinius et Sigonius suspicati sunt Fulvii Nobilioris cos. a 601 nomen excidisse, cui ille Q. Fabium Maximum Servilianum adiunxit, hic probabilius Ap. Claudium Pulchrum. Nam constat quidem tam de Fulvii censura propter locum Festi s. v. *religionis* (p. 286 ed. M.), quam de Appii cos. a. 611 propter Plut. Ti. Gracch. 4; hic autem cum anno 612 a Scipione Africano de petitione censurae delectus (Plut. Aem. Paul. 38) ante annum certe 625 vita functus sit (Appian. b. c. 1, 18 et 19), duo tantum restant anni censorii, quos ei tribuere possis, 618 et 623. Iam cum anno 623 Q. Caecilium et Q. Pompeium censuram administrasse sciamus (v. ad hunc annum), ut Appius Claudius anno 618 censor fuerit sequitur; cf. post Sigonium Cardinalius *Atti dell' Accad. pont.* 9, 325. — De eo v. etiam ad a. 611.

619 De praenomine Pisonis Drumannus 2, 92, 20 praeter Cassiodorum Obsequentem 26 ed. Iahn (85) et Orosium 5, 6 citat. De maioribus consulum non constat.

621 P. Mucius filius consulis a. 579 est teste Cicerone Brut. 26, 98; de patre autem Calpurnii nihil comperimus (Drumann 2, 81, 16).

622 Popillius filius fuit consulis a. 582 et 596, ut apparet ex notis C · F; quapropter avo praenomen fuit *Publio.*

622 De Muciano cf. Cic. Brut. 29, 98. Valerius Flaccus Lucio patre natus est, si recte ad eum refertur s. c. a Iosepho allatum (antiq. 14, 8, 5); quod non suo loco proponi videtur; cf. Haackh apud Pauly *Realenc.* 2, 1311, 3 et 6, 2341, 47. Panvinius et Sigonius filium eum credunt consulis anni 602, id quod sane probabile est, quamquam Haackhius dubitat. De censoribus v. Liv. epit. 59; Cic. Brut. 76, 263; cf. 25, 96. Consules sunt annorum 611 et 613, ubi videsis. Pompeius male a fastorum scriptoribus nominatur Rufus, quod cognomen in consulatu omissum in censura etiam Baiterus ei tribuit; cf. Drumann 4, 307, 3.

624 Frustulum lineae ab initio versus positum ex littera I vel L residuum ad consulum huius anni C. Claudii C. f. Ap. n. Pulchri, M. Perpernae praenomina non pertinuit; v. Obseq. 28 ed. Iahn. (87); cf. Borghesi *decad.* 14, 9, 44 sq. Accedit quod chronographus, quem fastos Capitolinos descripsisse diximus, hoc anno ita habeat *Lentulo et Nepote*, quorum cum verbum quod est *nepote* ad Perpernam pertineat, non pro cognomine illud habendum, Lentuli cognomen ad collegam eius referri debet. Unde Baiterus praeter Pulchri Lentuli quoque cognomen tribuit Claudio. At neque

*) Ad a. 553. Aeliorum Paetorum nomen gentilicium ubicumque fasti Capitolini servaverunt (a. 553. 555. 556. 560. 587), non *Aelius* ibi legitur, sed *Allius;* quocum conferendus est nummus inscriptus *C. Alli Bala.* Contra ad a. 582 in illis nominatur *P. Ailius Ligus.* Apud scriptores quamquam Paetorum familia non solum constanter Aeliorum genti adscribitur (nam solitarium *q. alio pacto* Puteani libri Liv. 22, 35 casui tribuendum est), sed etiam coniungitur cum Tuberonibus certe Aeliis, non Alliis (Cic. de rep. 1, 18), tamen Paeti illi Allii potius videntur fuisse et postea demum extincta familia, ut superstitum Aeliorum honores augerentur, Paetorum imagines ab iis acceptae esse nomine immutato, fere ut Sarrani facti sunt Serrani. Th. M.

ullos Lentulus ex Claudia gente praeterea innotuit, neque ita explicatur littera L vel I initio versus posita, cum Lentulus Gai praenomine usus sit. Quae cum ita sint, melius fortasse scriptorum et lapidum testimonia ita inter se conciliantur, ut statuamus L. quendam Lentulum re vera fasces cum Perperna obtinuisse, mox vero vel magistratu se abdicasse vel vita functum esse, ita ut in solis fastis publicis memoria eius conservata sit. Id quod anno 361 itidem evenisse antea exposuimus; cf. etiam a. 646. Supplendum igitur ita fere esse opinor:

L. Cornelius. -. f. -. n. Lentulus, M. Perperna. f. -. nepos vitio creatus abd. (vel: *in m. m. e. in. e. l. f. e.*) *C. Claudius. C. f. Ap. n. Pulcher.*

Lentulum quendam praeterea ignotum hac aetate magistratus gessisse Florus probat, qui bello servili castra Lentuli praetoris capta esse narrat 2, 7 ed. Iahn (3, 19).

643 Nasica filius est consulis anni 616; cf. Cic. de off. 1, 30, 109. — De Bestia v. Drumann 2, 95, 32.

644 Minucii praenomen paternum habes in sententia inter Genuates et Viturios n. 199, ad quam Mommsenus adnotavit nondum de praenomine consulis huius satis constare (p. 73). Quintum enim Sallustius Iug. 35, 2, Marcum vero Livius epit. 65 eum appellant; cf. Sex. Ruf. 9. Fratres autem fuerunt Q. et M. Minucii Rufi. — Albinum filium putat Panvinius consulis anni 606, et Pighium secuti *Sp. f. Sp. n.* eum dicunt Laurentius et Baiterus. Haackhius (Pauly *Realenc.* 5, 1942) fratri eius A. Albino nummos tribuit, quibus *A.* quidam *Albinus Sp. f.* commemoratur; unde de praenomine patris constaret. Mommsenus *Gesch. d. R. Münzwesens* p. 558 n. 291 nummos eos filio potius vindicavit consulis anni 644. Quare de patre huius nihil certi traditum videtur esse.

645 Metellus Numidicus filius consulis a. 612, frater Delmatici, cuius memoria extat in actis triumph. a. 637; de eo cf. Cic. de or. 3, 18, 68; ad fam. 1, 9, 16; pro Balbo 5, 11; et Drumann 2, 37, 23. — De Silano cf. Mommsenus p. 55; Borghesi in annall. inst. arch. 1849 p. 9. — Scauri genus habes in actis triumph. a. 639; de eo cf. Drumann 1, 25 et Mommsen *R. G.* 2, 130. De abdicatione eius cf. Plut. quaest. Rom. 50. — M. Drusus cos. a. 642, a Cicerone Brut. 28, 109 filius dicitur Gai, consulis anni 607.

646 De Galba v. Borghesi *ultima parte della serie de' censori* in actis acad. pontif. arch. 7, 204, qui filium eum censet fuisse consulis anni 610; cf. Panvinius. Collega eius *Hortensius* ex solo chronographo eruitur; nam aliud nomen corrupta voce *Kotensio* vix potest indicari. L. Hortensium autem Quinti oratoris patrem hic commemoratum fuisse Panvinium secuti viri docti statuerunt non recte, cum circa annum 657 pro praetorem Siciliam rexerit. In marmore male Pighius 3, 129 litteras M et N puncto distingui adserit; recte igitur Panvinius notas illas interpretatur *damnatus est.* — Drumannus 3, 80, 4 parum accurate de hoc loco disseruit.

Ab Obsequente 40 ed. Iahn (100) et Cassiodoro consules dicuntur Sergius Galba et M. Scaurus. Hunc fuisse *Aurelium Scaurum* consularem in Gallia bello Cimbrico occisum omnes consentiunt; cf. Liv. epit. 67; Vell. 2, 12; Tac. Germ. 37.

Collegii censorum huius anni nulla apud veteres mentio; nam apud Frontinum (de aquis 96) C. Licinium Caesullam (corr. Getam) et Q. Fabium consules potius esse anni 638 confirmarunt nuper Du Rieu de gente Fabia p. 408 et Mommsenus in annal. inst. arch. 1858 p. 177. Nihilominus recte huic anno tribui videntur Q. Fabius Maximus Allobrogicus et C. Licinius Geta, quorum alterum censorem fuisse docet Pseudo-Ascon. ad Verr. 1, 7, 19 p. 133 ed. Orell., alterum Cicero pro Cluent. 42, 119 narrat *cum a L. Metello et Cn. Domitio censoribus ex senatu eiectus esset, censorem esse ipsum postea factum;* cf. Val. Max. 2, 9, 9. Metellus et Domitius anno 639 censura functi sunt, ab anno autem inde 657 usque ad annum 681 ex ipsis tabulis Capitolinis de censorum collegiis ita constat, ut nec Licinio neque Fabio locus ibi relictus sit. Anno porro 652 Q. Metellus Numidicus censuram administravit (Val. Max. 9, 7, 1; cf. App. b. c. 1, 28; Cic. pro Sestio 16, 37; 47, 101; Aur. Vict. de vir. ill. 62), cuius collega patruelis fuit Metellus Caprarius (Vell. 2, 8, 2; cf. Cic. post red. in senat. 15, 37; post red. ad Quirit. 3, 6, qui *censorium* eum dicit); Scaurum et Drusum vidimus anno 645 censores fuisse. Nullus igitur praeter 646 restat annus, in quo Getae censura collocetur. — De Fabio censore haud ignoro dubitasse nuper Mommsenum (annal. inst. arch. 1858 p. 177); neque tamen video, cur Pseudo-Asconio in hac re fides abrogetur; cf. Rosslus in annall. inst. arch. 1859 p. 136 seq., qui de anno censurae nihil constare putat. Cum vero Fabius anno 633 fasces gesserit, itaque post hunc annum demum ad censuram pervenerit, idem de eo statuendum erit, quod de Geta modo comprobavimus, nullum scilicet censurae eius patere annum praeter 646. De hac re praeter Sigonium Panvinium Pighium cf. Cardinali in actis acad. pont. arch. 9, 331 et 332. Du Rieu de gente Fabia p. 408 Licinio collegam tribuit Fabium Eburnum, loco usus Valerii Max. 6, 1, 5 ad Fabium potius Servilianum trahendo. — Fabii notas genealogicas desumpsi ex actis triumph. a. 634; Getam Publii filium Pighium secuti viri docti dixerunt, nullo tamen allato veteris scriptoris testimonio.

655 M. Antonius quod C. f. a recentoribus dici solet, fit propter solos nummos Goltzianos (apud Morellium inter Goltzianos tab. IV Anton. 16. 17); cf. Drumann 1, 60 n. 15. — Postumius frater est consulis a. 644, ubi v.; cf. Sall. Iug. 26.

656 *Q. Metellum Nepotem Balearici filium Macedonici nepotem, qui consul fuit cum T. Didio* . . . Asconius ait in Cic. Cornel. p. 63 ed. Or.; cf. Drumann 2, 23, 14. — De Didio cf. acta triumph. a. 661.

657 De Lentulo v. Plin. n. h. 30, 1, 3; de maioribus eius nihil scimus, cf. Drumann 2, 529, 15. — Crassum habes in actis triumph. a. 661; cf. Drumann 4, 70, 32. — Censores nominat Val. Max. 2, 9, 5. Valerius consul est a. 654. Is male pro eodem habetur cum consule a. 668, qui nunquam *consul iterum* dicitur; idem autem est ac magister equitum anni 672; cf. Mommsen *R. G.* 2, 315 not. (ed. 2). — Haackhius non solum consulem anni 654 a consule anni 668 distinguit, sed magistrum quoque equitum a censore diversum esse iudicat in Pauly *Realenc.* 6, 2, 2343 sq. n. 54, 57, 59.

658 De Domitio cf. censores anni 662. — Nummum L. Cassii Q. f., quo avum C. Cassii Quinti praenomine usum esse viri docti confirmare conati sunt (Drumann 2, 115 n. 91. 93), aetatis posterioris esse Mommsenus ostendit *Gesch. d. R. Münzw.* p. 613 n. 428.

659 De Crassi patre v. censores a. 662; avi nomen ignoratur; cf. Drumann 4, 62 n. 38. — Patrem Scaevolae habes a. 621, ubi vide; cf. Haackhius in Pauly *Realenc.* 5, 184 n. 11.

660 *C. Coelio C. f. Caldo, (L.) Domitio Cn. f. Ahenobarbo cos* legitur supra n. 571. De Caldo homine novo (Cic. de or. 1, 25, 117) v. Drumann 2, 409, 2 et Borghesi *decad.* 5, 9, 31 sq.; Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 563, 180. — Ahenobarbus recte pro fratre habetur Gnaei consulis a. 658, id quod epistula confirmari videtur a Metello Numidico ad Cn. et L. Domitios missa (Gell. 15, 13); cf. Drumann 3, 16, 5.

661 Consules laudantur ab Obseq. 52 ed. Iahn (112); Plin. n. h. 19, 3, 15. — De eorum genere nihil certi novimus; cf. Haackhius in Pauly *Realenc.* 6, 2, 2343 n. 55 et 3, 1203.

662 De C. Claudio Borghesius (*decad.* 14, 9) demonstravit titulum elog. n. IX (supra p. 279) ad eum spectare, Appii vero filium eum fuisse; cf. Cic. Verr. 2, 49, 121; de off. 2, 16, et Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 562 n. 178. Drumann 2, 182, 27 et 184, 36 C. Claudium Appii filium male distinguit ab alio C. Claudio, quem Gaii filium dicit. — Perperna filius est, ni fallor, consulis anni 624; de patris certe praenomine constat lineola in lapide conservata. — De censoribus v. Borghesius in Act. acad. pontif. arch. 7, 247 sq., qui Sigonium secutus lustrum eos condidisse negavit.

663 Philippus censura functus est anno 668, ubi v.; cf. Haackhius in Pauly *Realenc.* 4, 1538; Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 548, 152. — Avus Caesaris ignotus; Drumannus 3, 767 n. 41 *Gaio* potius quam *Sexto* ei praenomen fuisse suspicatur; l. c. 128 n. 26, 27, 29.

664 De Caesare v. censores a. 665 et Drumannus 3, 119, 20.

665 De morte Catonis v. Liv. epit. 75; App. b. c. 1, 50; cf. Oros. 5, 18. — Ceterum lectio certa est, neque aliter priores; debuit tamen esse M. f. Vide acta triumph. a. 661. De censoribus cf. Borghesius in act. acad. pont. arch. 7, 251, qui lustrum eos fecisse negat; v. Cic. pro Archia 5.

666 Sullae patrem et avum habes a. 672. — De Pompeii cognomine cf. Cic. Brut. 56, 206; de praenomine patris constat denario Q. Pompeii Rufi trib. pl. a. 702; v. Mommsenus *Gesch. d. R. Münzw.* p. 643, 292; cf. Drumann 4, 311, qui filium eum esse putat tribuni plebis a. 622, nepotem consulis a. 613. De morte eius v. Liv. epit. 77.

667 Cn. Octavium iure videtur Drumannus 4, 5 filium dixisse consulis anni 626, nepotem consulis anni 589. De patris certe praenomine testimonium fastorum extat anni 679. — Cinnae notas genealogicas habes a. 669. — De Merula flamine Diali Cinnae suffecto v. Vell. 2, 20; cf. App. b. c. 1, 65, 70, 74.

668 De L. Valerio cf. ad a. 657; de Perperna ad a. 662.

669 De Carbone cf. a. 670.

670 De rebus hoc anno gestis cf. Liv. epit. 83; Appian. b. c. 1, 78 cet.

671 Norbani nomen gentilicium parum recte Drumannus 4, 50 n. 54 pro cognomine habet. Cognomen autem eius praeter chronographum nemo veterum commemorat; nam inscriptio Grut. 1031, 9, qua Haackhius in Pauly *Realenc.* 5, 695 *C. Norbanum Bulbum* tueri conatur, Ligoriana est. Apud chronographum *Pulbus* legitur.

672 De L. Valerio Flacco v. ad a. 657.

673 Dolabellam filium facit Drumannus 2, 562 Gnaei trib. pl. interfecti anno 654 cum Saturnino probabili sane ratione neque tamen ita certa, ut in supplementa recipi debuerit.

674 Metellus Pius Numidici filius est; v. Cic. pro Arch. 3, 6; Vell. 2, 15 cet.; cf. Drumann 2, 41 n. 21.

675 De Claudii maioribus magna est discordia; alii enim *Ap. f. Ap. n.* eum appellant (Sigon.), alii *C. f. C. n.* (Panvin. Pigh. Laurent.), alii denique *Ap. f. C. n.* (Baiter). Drumannus 2, 184 n. 37 natum eum esse credit consule a. 662, quem *Ap. f. C. n.* fuisse antea vidimus. Contra Borghesius *decad.* 14, 9, 46 consules Claudios a. 662 et 675 fratres fuisse docuit allatis verbis Ciceronis de harusp. resp. 12: *istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus? Is mihi enim generis sui mentionem facit, cum Athenionis aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Gaii aut Appii Claudiorum.* Cf. quae de aedilitate consulis anni 662 ac ludis in circo ab eo editis tradiderunt Plin. n. h. 8, 7, 7; 35, 4, 7; Val. Max. 2, 4, 6; Cic. Verr. 4, 3, 6. Itaque consul anni 675 pariter atque a. 662 fuit Appii filius Gaii nepos; id quod inscriptione Borghesius confirmavit P. Claudii Pulchri filii Clodii trib. pleb. (Or. 578). Hic enim ibi appellatur, avus autem eius consul is fuit de quo agimus anni 675. De loco qui obstat Cic. pro Cn. Plancio 21, 51: *vidit enim pater tuus Appium Claudium, nobilissimum hominem, vivo patre suo, potentissimo et clarissimo cive, C. Claudio, aedilem non esse factum* cet. verum videtur Borghesius vidisse, qui *fratre* ibi scribendum esse censet pro *patre.*

676 Fragmentum nostrum n. XXX (CATVL cet.) omittitur a Smet., ab Urs. Piran. Sancl. inter fragmina sedis incertae ponitur; recte tamen iam a Marliano, Panvinio, Pighio adiunctum erat annis 676—679.

De Catulo cf. Grut. 170, 6 = Or. 31. — Ambos consules habes in s. c. de Asclepiade (supra n. 203).

677 Cognomen *Liviani* declarat consulem e gente Livia in Aemiliam adoptatione transiisse; quare *Mamerci filius* recte iam a Panvinio appellatus est. Temere idem *Mamercum* patrem consulem anni 628 fuisse opinatur; nam *Marco* huic in fastis nomen datur. De praenomine igitur avi nihil scimus.

678 Gaios Curiones tres distinguit Cic. in Bruto: avum 29, 110; 32, 122; patrem 49, 182; 58, 210; 60, 217, cet.; nepotem Caesaris asseclam 81, 280, de quibus Plin. n. h. 7, 41, 42: *una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores extiterint.* — Recte igitur consul a. 678 *C. f.* dicitur; cf. Sigon. Panvin. cet.

680 M. Cotta consulis a. 679 frater est; cf. Ascon. in Cornel. p. 67 ed. Orell. Filius igitur *Marci* erat.

681 De Terentio v. Or. 570; cf. Sanclem. p. 20.

694—698 cf. Sanclem. p. 28 sq.

694 De Metello Celere cf. Drumann 2, 24 n. 16. — Afranii titulum habes supra n. 601 (Orelli — Henzen 5127).

695 De *Marci* praenomine Bibulo dato v. Drumannus 2, 97 not. 62.

696 De Pisone Caesonino egit Drumann 2, 63, 12, qui cf. quoque de *Aulo* Gabinii praenomine 3, 40 not. 88. Patrem eius non novimus nisi ex indice consulum libro Dionis 38 praefixo. Filius creditur eius qui *rebus adversus Lucanos prospere gestis et pluribus oppidis expugnatis in obsidione castrorum hostilium cecidit* anno 665 vel 666 (Liv. epit. 76); cf. Orell. onomast.

697 Lentuli avus Lucius quidam fuit; cf. denarius apud Eckhelium 5, 182; Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 611, 243 not. 423; Drumann 2, 533. — Metellus filius fuit Q. Metelli Nepotis, Q. Balearici nepos, Ascon. in Cornel. p. 63 ed. Orell., cf. Drumann 2, 29, 18.

698 De Lentulis Marcellinis v. Drumann 2, 405 n. 29 et 31, Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 577, 204 et 611, 242. Marcellinus pater adoptione praenomen Publii obtinuit, a Publio quodam Lentulo e gente Claudia in Corneliam adscitus; consul igitur anni 698 *Publii nepos* fuit. — Philippus filius est consulis anni 663: Cic. pro Sest. 51, 110; schol. Bob. p. 304 Orell.; cf. Teuffel in Pauly *Realenc.* 4, 1540.

705 De Lentuli genere nihil traditur (Drumann 2, 548, 28), nisi quod in indice consulum Dionis libro 41 praemisso *Publii filius* dicitur. — De dictatura Caesaris v. Caes. b. c. 3, 1; 2; Appian. 2, 48; cf. Zumpt studia Romana p. 207—209.

706 Servilius filius est consulis a. 675; nam *Publii filius* dicitur in indice consulari apud Dionem 41; cf. Teuffel in Pauly *Realenc.* 6, 1 p. 1119, 41.

707 Dictator II Caesar in annum integrum mense Octobri anni praecedentis dictus est; cf. contra Drumannus 3, 529 et 565; Fischer *Zeittafeln* p. 279 et 282; Zumpt studia Romana p. 211 sq. In fastis autem dictatura anno potius 707 quam 706 adsignatur, quia ad illam plures eius menses pertinuerunt; prodiitque adeo nuper Pompeiis titulus infra adscriptus*), in quo eponymorum magistratuum eius anni loco non consules procedunt extremo eo in breve tempus creati, sed dictator Caesar II cum magistro equitum M. Antonio. Sanclementius quod (p. 38) dictaturam alteram cum altero consulatu in fastis coniungi contendit, verbaque quae sunt *eodem anno,*

*) *'Gran masso di tufo incontrato sulla via che discende dal foro, e che già fece parte di alcuno de' pilastri ivi ancora in piedi ed a lato dell' ingresso di un' abitazione aperta sulla strada .... Era questa pietra ricoverta di varj strati di calce sovrapposti ad un intonaco primitivo, su i quali stavano effigiate figure umane e di animali rendute invisibili dal lungo rimaner sotterra; ma esposta la pietra al sole ed alla pioggia, quegli strati di calce si ridussero in minutissimi pezzi e lentamente scomparvero, lasciando intatto l'intonaco sottoposto, ove era dipinta in piccioli caratteri neri la seguente epigrafe.'* Fiorelli.

C · IVLIO · CAESARE · DICT · ITER a. 707
M · ANTONIO · MAG · EQ
MAG · VICI · ET · COMPITI
M · BLATTIVS · M · F
M · CERRINIVS · M · P
M · SEPVLLIVS . . . . .
. . . .
Q · PRA . . . .
C · CORNS . . . .
. . . .
P · RO . IVS . . . . S
SALVIVS · E . . . RO · M · S
C. CAESARE · M · LEPIDO COS a. 708
. . BLATTIVS · M · F
C · ERMATORIVS · P · P
M · TITIVS · M · L · PLVTVS
M · STRONNIVS · M · L · NIC . . O
M · OPPIVS · S · L · AES . . . .
C · CEPIDIVS · C . . . . .
. . . .

Fiorelli *giornale degli scavi di Pompei* anno 1861 p. 2, q. v.; Minervini *bull. italiano* 1 p. 7, q. v.

v. 1 CAESARE Min. — 6. L · SEPVLLIVS id. — 11 P · RO . . . VS . . . . . S id. 13 Nota omissum numerum III post nomen Caesaris. — 17 NICIO id.

ad annum refert 706, ipsis tabulae lineolis refutatus, quibus, quae ad singulos annos pertinent, distinguuntur. — Zumptius p. 213 per totum annum 707 dictaturam eum retinuisse docet, Dionis praecipue loco usus (42, 55), quo de illo anno sic narrat: *ταῦτ' ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει, ἐν ᾧ δικτάτωρ μὲν ὄντως αὐτὸς τὸ δεύτερον ἦρξεν, ὕπατοι δὲ ἐπ' ἐξόδῳ αὐτοῦ ἀποδειχθέντες ὅ τε Καλῆνος καὶ ὁ Οὐατίνιος ἐλέγοντο εἶναι, ἐποίησε*; cf. Plut. Caes. 51. Vatinium certe Ciceronis locis a Macrobio sat. 2, 3 relatis per paucissimos tantum dies consulatum administrasse apparet, id quod ita Zumptius cum narratione Suetonii Caes. 76 conciliare studet, ut mense quidem Octobri creatum consulem Vatinium esse dicat absentem, Romam autem tarde reversum brevi tantum tempore reapse fasces gessisse. — Dictaturam alteram cum tertio consulatu Caesaris nummi coniungunt hac inscriptione insignes: COS · TERT · DICT · ITER, ita explicata a Zumptio, ut consulatum in quinquennium una cum dictatura decretum (cf. Dio 43, 49), quia non iniisset Caesar, fasti quidem neglexerint, nummi autem commemorent, cusi secundum eum anno 707 (l. c. p. 216). Equidem ad priores potius menses anni 708 referendos eos esse crediderim, quibus re vera consul III Caesar erat; dictatura autem altera licet eo tempore vere non fungeretur, ea tamen ita in iis indicata est, ut in imperatorum titulis omnes quos gesserant honores commemorantur. Cf. Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 657 n. 555. — Dictaturam recte fortasse Zumptius l. c. p. 214 *rei gerundae* vel *seditionis sedandae causa* susceptam esse putat.

Praenomen patris Vatinii habes in indice consul. Dion. 42 et in actis triumph. a. 712. Nepos autem fuit P. Vatinii *Reatinae praefecturae viri, qui noctu urbem petens existimavit duos iuvenes excellentis formae albis equis residentes obvios sibi factos nuntiare die, qui praeterierat, Persen regem a Paullo captum* cet. (Val. Max. 1, 8, 1). Cicero enim (de nat. deor. 2, 2, 6) *avum* eum dicit *huius adolescentis*; sin autem recte anno 677 dialogus ille a Drumanno 6, 349 adscribitur, consul anni 707 adolescens tum erat; cf. Haackh in Pauly *Realenc.* 6, 2, 2396. In tabulis tamen triumphalibus avi praenomen omittitur, quia homo novus consul fuerat, quapropter etiam in fastis consularibus solo patris praenomine eum indicatum fuisse iudico.

708 Tertium Caesaris consulatum cum tertia eius dictatura Dio 43, 1 coniungit; quam deposita altera mense Octobri anni 707 eum iniisse volunt; cf. Drumann 3, 565 et Fischer *Zeittafeln* p. 282. Rectius vero Zumptius l. c. p. 221 tertiam Caesaris dictaturam decennalem esse statuit post victoriam Africanam ei delatam; cf. Dio 43, 14. Vicit ad Thapsum a. d. VIII id. April. (kal. Praenest.) anni 708, exeunte mense Quintili triumphans Romam intravit, dictatura iam exornatus (Dio l. c.). Quae quod anno demum 709 in fastis collocatur eodem id modo explicandum censeo, quo alteram anno 707 adsignatam esse vidimus. Cf. bell. Hisp. 2, quo loco recte Nipperdeius Caesarem in Hispaniam abiisse scripsit *dictatorem III, consulem designatum IV*, approbante Zumptio l. c. p. 223, qui collatis quoque Dionis (44, 33) de Lepido verbis Caesarem, cum dictaturam iniret, consulatu se abdicasse docet. — Sanclementius p. 39 ad annum 708 omnia trahit, quae de tertia dictatura traduntur; cf. ad a. 707.

709 De consulatu Caesaris quarto videsis fastos Colotianos a me correctos (infra n. IV); cf. Dio 43, 33 et Zumptius l. c. p. 225 sq., qui quae de tempore suscepti huius consulatus disputat, ea non satis intellego. Dictaturam enim tertiam non kalendis Ianuariis acceptam ideoque quartum consulatum eodem anno in fastis collocatum post kalendas Ianuarias sumptum esse affirmat, oblitus opinor ad annum iam praecedentem pertinere dictaturae principium. Quamquam eius quidem sententiam Dionis verba tuentur, qui cum victoria Mundensi Romam nuntiata in decem annos Caesari consulatum decretum esse retulerit (43, 45), *τὴν δ' οὖν ἀρχὴν*, scribit, *τὴν ὕπατον παραχρῆμα μὲν καὶ πρὶν ἐς τὴν πόλιν ἐπελθεῖν ἀνέλαβεν, οὐ μέντοι καὶ διὰ τέλους ἔσχεν, ἀλλ' ἐν τῇ Ῥώμῃ γενόμενος ἀπεῖπέ τε αὐτὴν κ. τ. λ.* (46). Itaque sic fortasse inter se conciliantur diversae scriptorum narrationes, ut designatus quidem consul IV Caesar in Hispaniam profectus fasces non antea susceperit, quam in decem annos ei decreti essent. — De consulibus suffectis cf. Zumpt l. c. p. 226 sq., qui cum in actis triumphalibus iam a. d. III id. Oct. consulem Fabium vidisset appellari, ineunte mense Octobri Caesarem consulatu se abdicasse statuit; cf. Sueton. Caes. 76.

710 v. 8 Zumptius l. c. p. 200 fracto deceptus marmore ante quintum Caesaris consulatum lineolam inserit, quam qui paullo diligentius lapidem inspexerit ceterasque, quibus anni distinguuntur, lineolas comparaverit, hoc loco minime extare facile cognoscet. — De quarta Caesaris dictatura cf. Zumptius l. c. p. 230 sq. contra Eckhelium D. N. 6, 14 disputans. Fuit illa perpetua, de qua v. App. b. c. 2, 107; Dio 44, 8 et 46, 17; Cic. Phil. 2, 34. — De C. Octavio mag. eq. v. Dio 43, 51; App. b. c. 3, 9; cf. Zumpt l. c. p. 240, 241. Drumannus 3, 685 cum inter nomina Lepidi et Domitii quidquam excidisse negaret, de solo fragmento n. XXXII cogitavit; nam inter fragmenta n. XX *b* et XXXII nomen quoddam desiderari ipsis verbis, quae sunt VT QVVM cet., satis declaratur. — De Antonio Caesaris collega cf. Cic. Phil. 2, 32, 82; 34, 87; Liv. epit. 116; Vell. 2, 56 cet.; de Dolabella suffecto Vell. 2, 58; App. b. c. 2, 22; Dio 44, 22; Cic. Phil. 1, 13; cet. — Dolabellae filium consulem anni 763 dicit Drumann 2, 565 not. 78 et 579, 3, minus, opinor, recte; nam consul anni 763 huius potius videtur esse nepos; cf. ann. inst. arch. 1855 p. 5. Praenomen tamen patris legitur in tabula Colotiana.

711 Totum caput ad an. 711 pertinens omittitur a Metello et Marliano. C. Vibii notas genealogicas habes in nummo sic inscripto: C · VIBIVS · C · F · C · N · PANSA; cf. Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 652 et 416 n. 14; Eckhel 5, 339. — De ceteris consulibus cf. tabula Colotiana.

717 Triumvirum nomina ad annum 716 referenda esse Borghesius (*decad.* XVI, 5) nummo quodam confirmare conatus est, in quo alterum triumviratum Caesaris Octaviani cum nomine M. Agrippae consulis designati coniunctum legi proposuit. Rectius tamen A. W. Zumptius (comm. epigr. I p. 18 sq.) litteras in illo nummo obvias ad iteratam a Caesare appellationem imperatoriam pertinere docuit, eodemque modo numerum II in tabulis triumphalibus a. 718 interpretandum esse: alterum autem triumviratum a kalendis demum Ianuariis anni 717 initium cepisse. — Id non fastis modo Colotianis comprobatur, quibus triumviratus prior pridie kal. Ian. eius anni exiisse traditur (cf. infra n. IV), sed in ipsis etiam fastis Capitolinis eo videtur indicari, quod post nomina triumvirum illa omittitur lineola, qua divi Iulii magistratus distingui paullo antea vidimus. — Ignotum Agrippae (*ignobilis loco* Tac. ann. 1, 3) avum ne commemoratum quidem fuisse in fastis credo, nec T. Statilio Tauro avi praenomen tabulis triumphalibus additur, quibus pater ei Titus tribuitur; v. a. 720. — Statilium hoc anno Caninio suffectum esse, quod ex duorum versuum spatio post nomen Agrippae vacuo Panvinius olim collegerat, fastis nunc Biondianis (v. infra n. V) confirmatur. Habemus praeterea inscriptionem Pompeianam (Or. 7181), qua *a. d. VI eid. Dec.* consules dicuntur M. Agrippa et T. Statilius. — Praenomen patris Caninii legitur in indice consul. Dion. 48; cf. Borghesi *decad.* 13, 10, 52 sq.

718 Cocceium Marci filium viri docti appellant propter indicem, credo, consulum Dionis libro 49 adnexum (Sanclemente p. 43); in quo apud Reimarum praenomen patris desideratur. Unde in supplementis id omittendum esse iudicavi. De Cocceio v. Borghesi *decad.* 9, 5, 20 sq.; consulum nomina habes in latere Velleiate n. 795. — De suffectis iudicium difficile: fastorum scriptores Panvinium secuti L. Munatium Plancum Gellio subrogatum esse volunt, quem Plinius 13, 3, 5 *bis consulem* dixerit *et censorem*; Nervae vero Sulpicium Quirinium suffectum esse. At consulatus geminati mentio in monumento Planci Caietano extat nulla (I. N. 4089=Or. 590), in quo eum censura, qua anno demum 732 functus est (Dio 54, 2; Vell. 2, 95 cet.), commemoretur, ab anno autem 732 ad annum usque 742 tabulis Colotiana et Biondiana (n. IV et V) omnes consules suffecti produntur, ante annum certe 742 fieri non potest ut iterum Plancus consulatum gesserit, si quidem Plinii testimonio tantum auctoritatis tribueris, ut necessario alterum ei consulatum ad-

signandum esse censeas. Sulpicium deinde Quirinium anno 742 fasces gessisse scimus. Constat ideo e fastis anni 718 ambos eximendos esse. Cf. Visconti *icon. Rom.* 2, 24; Cardinali *mem. di antich. e belle arti* 1, 13, 265; Biondi *atti dell' accad. pontif.* 6, 345; Borghesi l. c. 7, 200. Iure igitur Sanclementius p. 45 de consulibus huius anni parum constare affirmavit. Quamquam minus recte Biondius l. c. ne id quidem apparere contendit, utrum unus, an duo hoc anno consules suffecti sint, oblitus, credo, verborum Dionis 48, 35, qui ad annum 715 notat: *ὑπάτευον δὲ οὐ δύο ἐτησίους, ὥσπερ εἴθιστο, ἀλλὰ πλείους τότε πρῶτον εὐθὺς ἐν ταῖς ἀρχαιρεσίαις ἑλόντες*; per exceptionem enim toto anno 717 Agrippa consul fuerat. — Quae cum ita essent lucem aliquam in tantis tenebris haud spernendam fastis huius anni fragmentum attulit a Biondio repertum (infra n. V). In quo cum ab anno inde 713 usque ad annum 718 consulum nomina tradantur, quamquam sub nomine Cocceii una tantum N littera superest, eam editor recte vidit ex nomine aliquo gentilicio superesse. Quem secutus Borghesius *M. Nonium C. f. C. n. Gallum* ibi commemoratum fuisse coniecit, cuius nomen cum ad notas L · N in fastis Capitolinis conservatas parum quadrare intellexisset eas rettulit ad collegam priore loco nominatum scilicet *L. Autronium P. f. L. n. Paetum (atti dell' accad. pontif.* 7, 255—261). At fugit virum doctissimum spatium in fastis Capitolinis vacuum ad recipiendum nomen L. Autronii minime sufficere; neque verum est nullam aliam huic loco aptam familiam praeter Noniorum eo tempore inveniri. Ipse enim Borghesius paullo post laterem Velleiatem (supra n. 796) edidit CN · NErii *consulis*, quem cum annum 718 a C. Nonio Gallo occupatum esse putaret tribuit anno 719. Cf. ann. inst. arch. 1840 p. 237. Huius nomen spatio in tabula Capitolina vacuo aptius certe quam Autronii nomen inseritur; unde, licet de patris avique nominibus nihil traditum repperim, Cn. Nerii potius quam L. Autronii fasces hoc loco signandos esse puto. De Nerio cf. Cic. ad Q. fr. 2, 3, 5; Eckhel 5, 260: Mommsen *Gesch. d. R. Münzw.* p. 650. — De altero consule suffecto nihil certi inveni; probabile tamen est aut Nonium Gallum aut Autronium Paetum una cum Nerio consulatu functum esse, cum utrumque circa id tempus fasces gessisse titulo I. N. 5021 et tabulis triumphalibus a. 726 Borghesius probaverit (*atti dell' accad. pont.* 7, l. c.)

728—730 Cf. fastorum fragmentum in monte Albano repertum (infra n. VIII) et Sanclem. p. 14 sq.

728 De Statilio v. ad a. 718.

729 De Silano cf. Borghesi ann. inst. arch. 1849 p. 20, 21, qui senatus consulto de ludis saecularibus (Grut. 328, 1), cui scribendo ille adfuit, Marci filium Silanum esse probavit.

730 Norbanus *C. f.* in indice consul. Dion. l. 53 dicitur; filium igitur consulis a. 716 eum fuisse credo (cf. acta triumph. a. 720), ideoque notas C · N ei adscripsi.

731 De Sestio v. Dio 53, 32 et fasti Colotiani; cf. Eckhel 5, 312 et Teuffel in Pauly *Realenc.* 6, 1, 1179, qui natum eum putat a P. Sestio a Cicerone defenso. Huius enim filio praenomen *Lucii* fuisse ipse Cicero scripsit ad fam. 13, 8, 1. Idem vero ad fam. 5, 6, 1, patrem *Lucii* filium dicit; id quod cum fragmento nostro minime convenit; quapropter aut corrigendus erit Ciceronis locus aut duo distinguendi Lucii Sestii Publiorum filii, nepotes autem alter Vibii, alter Lucii. — De Varrone Murena v. Orelli — Henzen 5311; de morte eius cf. Dio 54, 3; Suet. Aug. 19; Tib. 8. Qui de vita eius scripserunt, anno 731 consulatu functum, propter coniurationem Fannii Caepionis anno demum 732 Varronem occisum esse volunt; cf. Drumann 4, 194; Teuffel in Pauly *Realenc.* 4, 1077, 8. Quae sententia fragmento Capitolino refellitur, quod sic, ut feci, supplendum est. Contra Panvinius scripsit: *antequam iniret, mortuus est*, propterea, opinor, quod in ceteris fastorum exemplis ne nominis quidem eius mentio extat; cf. fast. Colot. — De tribunicia potestate a Caesare Augusto suscepta v. Dio 53, 32; cf. Sanclem. p. 16, qui contra Sigonium et Panvinium disputat.

732 Tribuniciam potestatem a. d. V. kal. Iulias Caesarem suscepisse viri docti demonstrarunt (cf. Noris cenot. Pis. 2 c. 15; Eckhel 6, 91 et 8, 404); quam cum eodem die iteraret, quo acceperat, prioribus mensibus anni 732 priore ornatus erat. Atque ita sequentium quoque annorum fasti concepti sunt, ut, quae initio anni numerabatur potestas tribunicia, ea in iis scriberetur; cf. a. 761 sq. — Nota tamen in iis fragmentis Capitolinis, quae eodem modo quo priorum temporum fasti scripta sunt, tribuniciam potestatem post consulum nomina signari; in fragmentis vero fastorum ad tempora posteriora pertinentium praecedere potestatem tribuniciam, id quod manifeste patet fastis anni 761 in quibus IMP vocabulum paullulum extra lineam positum est. — De Marcello cf. Drumann 3, 404, 25. Aeserniui cognomen, quod in solo indice consulari ante Dionis l. 54 posito legimus, omisi utpote a chronographo ceterisque fastis manuscriptis neglectum, unde in fastis quoque marmoreis defuisse videtur. — De censoribus v. fragm. Colot. et Borghesi *atti dell' acc. pont.* 7, 218 sq., qui verbis Velleii 2, 95: *censura Planci et Paulli acta inter discordiam neque ipsis honori neque rei publicae usui fuit, cum alteri vis censoria, alteri vita deesset*, lustrum ab iis non factum esse demonstrat. Laurentius, Baiterus, Fischerus parum recte Paullum hoc anno vita functum esse statuerunt, quem anno etiam 738 vixisse Propertii docemur versibus (5, 11, 66), quibus P. Cornelii Scipionis consulatus commemoratur.

742 Consulum nomina in indice cons. Dion. l. 54 sic exhibentur: M. Οὐαλέριος Μ. υἱ. Μεσσάλας Βαρβᾶτος καὶ Π. Σουλπίκιος Π. υἱ. Κυρῖνος. De iis v. Borghesius *decad.* 8, 9, 48 et *atti dell' accad. pont.* 7, 201, qui nec Quirinium ipsum nec patrem eius anno 718 consulem processisse demonstrat. Cum domum Quirinii *obscurissimam* Tacitus ann. 3, 23 dicat, in fastis avi ne mentionem quidem factam fuisse credo. — Ad eum fragmentum tituli Tiburtini Or. 414 pertinere iure affirmavit Sanclementius p. 414; cf. quae contra Zumptii comment. epigr. 2, 109 sq. exposui, Orelli — Henzen 3 p. 496. — Praenomen Marco patri Valerii Messallae in fastis Colotianis tribuitur. — C. Valgius Rufus saepius cum Quirinio in monumentis antiquis commemoratur (cf. Orell. 3693; 7041; kal. Praenest. m. Mart. et April.); *C. f.* notae fastis Colotianis debentur. — Rebilum filium puto fuisse consulis anni 709. — Quirinio Volusium Saturninum suffectum esse primus demonstravit Sanclem. p. 54, chronico paschali usus et annalibus chronographo adnexis (p. 657 sq. ed. Mommseni), in quibus post *Messalam* et *Quirinum* consules sequuntur *Rubellius et Saturninus*, sive Ῥίβιλος καὶ Σατορνῖνος; confirmavit Borghesius *decad.* 6, 6, 26; cf. *giorn. Arcad.* 1831, 49, 280, memoriam eius consulatus superesse docens in fragmento fastorum Ripae Transonis reperto (infra n. IX). Idem Vaillantii opinionem secutus (numm. fam. p. 576) Quinti eum filium fuisse suspicatus est. — De pontificatu maximo ab Augusto suscepto cf. kal. Praenest. m. Mart. et ipsi quos indicavi fasti Ripae Transonis reperti. — De Agrippa v. a. 717. Tribunicia potestas in quinquennium anno 736 data (Dio 54, 12) in alterum quinquennium anno 741 ei prorogata erat (l. c. 28). De morte eius v. ibid.

761 De fastorum huius anni et sequentium dispositione v. quae antea exposui.

762—766 cf. nunc fasti Antiates p. 327 n. XV.

763 Collegam Lentuli Q. Iunium Blaesum, antequam fastis Antiatibus nomen eius proditum esset, ex inscriptionibus Grut. 992 3 et Cardinali dipl. 222 Borghesius felicissime iam detexerat; cf. *iscriz. del museo Campana* p. 13 (e *Saggiatore* anni 1844) et quae de consulibus huius anni ego exposui in annal. inst. arch. 1855 p. 5.

764 *Marcus*, non *Manius*, fastis Antiatibus Aemilius vocatur; sed cf. Grut. 334, 9; Murat. 304, 3 = Or. 4263 (correct. vol. III p. 460) et annal. l. c. — De Statilio v. Borghesi *decad.* 17, 7, 54; et annal. l. c. — Per integrum annum eum fasces gessisse apparet titulo Grut. 229, 1.

766 v. 4. Cognomina *Caecina Largus* scalpro erasa esse docui in annal. inst. arch. 1855 p. 5; cf. fasti Antiates et index consul. Dion. l. 56. — Effigies eius senatus consulto abolita est anno 777, quo filius manus sibi intulit; nec tamen eo tempore nomen eius hoc

loco sublatum est, hac fastorum parte sub Domitiano demum lapidi incisa (vide supra p. 423*).

Hoc anno terminari fastos consulares exposuimus, cum de aetate eorum verba faceremus. Ibidem vide de ludis qui sequuntur saecularibus. — Nota Domitianum, cum annum p. R. c. 841 in marmore incidendum curaret, neglecta temporum ratione in ipsis fastis usitata secundum aeram, quam Varronianam dicere consuevimus, annos computasse; cf. Eckhel 6, 383, qui minus recte fastis Capitolinis anno Varr. 842 ludos eius adsignari credidit. — De ludis saecularibus cf. nunc Mommsen *chronol.* p. 185 sq. (ed. 2).

841 Tres versus scalpro erasi Domitiani nomina continuerunt.

---

*) Quamquam verum vidit sine dubio Henzenus hoc loco sublatum esse ex fastis Capitolinis nomen secundum C. Silii id ipsum, quod superest tam in indice Dionis (Γ. Σίλιος Γ. υἱ. Καικίνα Λάργος) quam in fastis Antiatinis *(C. Silius A. Caecina Largus)*, tamen non minus certum est Silium illum proprio cognomine caruisse; nam non solum nec Tacitus neque alii qui eum nominant boni auctores usquam cognomen ei tribuunt, sed etiam tam laterculi chronographi, Idatii, Cassiodori, Epiphanii quam inscriptiones complures (v. supra n. 760; infra ad fast. min. n. XIV; Orelli—Henzen 7379) non cognomine utuntur, sed simplici nomine. Denique erasio illa quae cernitur in tabula Capitolina, si accidisset propter memoriae damnationem, sane non in cognominibus substitisset, a nomine multo magis noto abstinuisset. Quam ob rem undecunque traxerit Silius ille nomen alterum A. Caecinae Largi, ius quod habuit in id ita comparatum esse crediderim, ut secundum proprium legitimumque usum illo abstineret et propter hanc ipsam causam adscitam id a scriba fastorum Capitolinorum ex vulgaribus indicibus, postea publico iussu sublatum esse. Ita quae supra tangitur de erasionis tempore offensio iam evanescit. Th. M.

DE C. CAESARIS DICTATVRIS

TH. MOMMSENI ADNOTATIO.

De dictaturis Caesaris quid sentiam quoniam supra p. 182 ad n. 620 recepi hoc loco me explicaturum esse, simplicissima opinionis meae aperiendae ratio visa est schema proponere, secundum quod cum ipsius Caesaris aetate tum apud posteriores dictaturarum numeratio instituta sit; sic enim optime intellegetur totam rem eo redire, ut antiqua et vera computatio a recentiore et quodammodo ficta accurate distinguatur.

a. u. c.	*ante Chr.*		*schema verum*		*schema recentiorum*	
705	49	Nov./Dec. per dies XI	dict. I		=	
706	48	in. — Oct.		cos. II	=	
		c. Oct. — extr.	dict. II	cos. II	=	
707	47		dict. II		=	
708	46		dict. II	cos. III	dict. III	cos. III
709	45		dict. III	cos. IIII	dict. IIII	cos. IIII
710		in. — Mart. 15	dict. IIII	cos. V	dict. V	cos. V

Iam testibus ad examen vocatis cum priore ordine convenire demonstrabo fastos, nummos, lapides, scriptores aetatis Caesarianae, cum altero Suetonium, Dionem et si qui sunt sequioris aetatis testes; quod ubi demonstratum erit, in ipsam rem inquiretur et explicabitur primum quomodo dictaturae vere se exceperint, deinde quam ob causam posteriores ab antiqua numeratione recesserint. Incipiemus autem a fastis Capitolinis a. 705—710 et Colotianis cum iis plane consentientibus a. 709. 710, quorum posthabita auctoritate qui Graecos aetatis imperatoriae auctores sequuntur, sane temere faciunt et ultro quodammodo ipsi sese decipiunt. Ordinem autem rerum fasti illi ponunt hunc, ut Caesar iterum dictator factus sit postquam inierunt consules a. 706, tertium postquam consules inierunt a. 708, quartum post suffectum Rebilum, qui extremo anni 709 die paucis horis fasces gessit, anno igitur 710 incipiente; id quod supra proposito ordini plane convenit. Deinde cum singuli anni in tabula Capitolina dirimantur lineolis, dictaturae tertia et quarta vere annuae quibus annis adscriberentur nec potuit dubitari et inveniuntur sane suis locis perscriptae; contra dictatura secunda ab auctumno anni 706 incipiens et per duos annos continuos 707. 708 continuata quoniam quidem ad unum ex his tribus revocanda fuit, refertur secundum lineolas istas ad a. 707, quem impleri dictatura ista et lineola significat et quod subicitur *eodem anno*; neque absimili ratione Sullae dictatura item continuata per a. 672—675 in fastis legitur ad primum ex iis adscripta. — Plane eadem ratione tabula triumphalis in unico qui ibi superest triumpho C. Caesaris acto a. 710 VII k. Febr. eum scribit tum fuisse *dict. IIII*. — Nummos deinde C. Caesaris praeter eos, in quibus honores nulli inscripti leguntur, secundum temporis ordinem ita recensebimus, ut si quando adscriptus annus a vulgari hodieque recepta attributione recedat, argumenta in notis afferantur.

a. 705 *Caesar imp.* Cohen (*méd. imp.* vol. I p. 6 sq.) n. 8.

a. 706 *Caesar imp., cos. iter; A. Allienus pro cos.* Cohen n. 1.

Hunc nummum Eckhelius (5, 134) rettulit ad a. 707, quoniam eo anno extremo et incipiente sequente Allienum constat praetorem vel potius pro consule Siciliae praefuisse (bell. Afr. 2, 34; Cic. ad fam. 13, 79). At quoniam et dictatoris honor m. c. Octobri a. 706 a Caesare susceptus in nummo deest et hac aetate in titulis non sepulcralibus enuntiari non solent honores praeteriti, denique Allienus hic cum praeturam administrasset a. 705, Siciliam regendam suscipere debuit a. 706, nummum iudico iam a. 706 ante pugnam Pharsalicam cusum esse. Contrarius qui videtur esse locus Appiani (b. c. 2, 47), Caesarem cos. II in Siciliam misisse Αὖλον Ἀλβῖνον, imo opinionem nostram egregie confirmat; A. Albinum quoniam in hac re nemo praeterea commemorat, omnino ibi reponendum est Αὖλον Ἀλλιῆνον.

a. 706/8 *Caesar dict. iter.* Cohen n. 14.

a. 708 *cos. tert., dict. iter., augur, pont. max.* Cohen n. 4.

" *C. Caesar cos. ter.; A. Hirtius pr.* Cohen n. 2. 3.

In nummo C. Caesari a Traiano attributo (Cohen n. 53) legitur *C. Iulius Caes. imp. cos. III.*

a. 709 *C. Caesar dic. ter., L. Plancus praef. urb.* Cohen n. 15—17.
Praefecti urbem rexerunt dum Caesar ad bellum contra Pompeii filios in Hispania gerendum abesset (cf. Drumannus 3, 633); quare nummi hi propter praefecti nomen inscriptum aut extremis a. 708 diebus aut octo primis mensibus a. 709 attribuantur necesse est. Iam propter dictaturam tertiam ad a. 709 rediguntur.
Caesar dic. ter., C. Clovi. praef. Cohen n. 49 (cf. *Röm. Münzwesen* p. 654 n. 552).

a. 710 *Caesar dict. quart.* / *Caesar imper.* } *M. Mettius* Cohen n. 34—36.
„ *Caesar dict. perpetuo* / „ *Caesar imp., p. m.* vel simpliciter *imp.* } in denariis L. Aemilii Bucae, P. Sepullii Macri, C. Cossutii Maridiani — Cohen n. 23—27. 38—42.
„ *Caesar dic. quar., cos. quinq.* Cohen n. 13.
Mirum est scribi *cos. quinquies*, non *cos. quintum*; unde haud scio an post mortem demum dictatoris hic aureus cusus sit.

Nummi igitur cum plane consentiant cum fastis, recentiorum dictaturas numerandi consuetudini refragantur, maxime is in quo cum dictatura tertia iungitur consulatus secundus. — Lapides C. Caesaris pauci tantum supersunt nec multum inde proficimus. Graeci enim quos habemus plerique (C. I. Gr. 2215. 2368. 2369. 2957) videntur dedicati esse statim post pugnam Pharsalicam antequam Caesar Alexandreae dictaturam susciperet; nam qui eorum plenissimi sunt C. Caesarem dicunt *p. m., imp., cos. II.* Dictaturam non enuntiat nisi qui nuper Athenis repertus est (ἐπιγρ. Ἐλλ. ἀνέκδ. Athen. 1860 I n. 78), in quo tamen ex honoribus non supersunt nisi pontificatus maximus et dictatura numero, si qui adscriptus fuit, cum parte lapidis altera deficiente. Latinus titulus Bovianensis quem supra habuimus (n. 620) sic habet *imp., dict. II, p. m., [augur], cos.*, iterationis nota in consulatu praetermissa. — Tituli igitur qui supersunt etsi ordinem a nobis propositum non confirmant, tamen cum eo omnino consentiunt. Consentiunt item ex epistulis Caesaris apud Iosephum ant. Iud. 14, 10 relatis duae eae quae inscriptiones habent plenas et accuratas et sinceras*) §. 2: *imp., p. m., dic. II* et §. 7: *imp., dic. IIII, cos. V, dic. designatus in perpetuum*, de quo honore infra disputabitur. Reliquis quas habemus epistulis a Caesare vel ad Caesarem scriptis novi quidquam de hac re non docemur, nisi quotidiano usu eum solitum esse *Caesarem imp.* appellari non solum ante dictatoris titulum receptum (Cic. ad Att. 9, 6 A. 11 A. 16 A. 10, 8 B), sed etiam postea (Cic. ad fam. 13, 15); id quod confirmant nummorum quoque non pauci et lapis Bovianensis. — Testibus his longe optimis dignitate inferior, fide non minor accedit belli Hispaniensis enarrator homo rudis, sed aequalis, apud quem c. 2 sic est: *Caesar dictator tertio, designatus dictator quarto multis iter ante diebus coniectis cum ceteris festinationem bellum conficiendum in Hispaniam cum venisset* cet.; ubi media verba immaniter corrupta sic fere restituenda esse censeo: *multis iter ante diebus confecit quam crederes, festinans ad bellum conficiendum. In Hispaniam* cet. Sed hoc utut est, videndum de quonam tempore hoc loco agatur. Romae Caesarem fuisse adhuc a. 708 extremo mense Novembri, scilicet a. d. V k. interkal. priores (est enim hic annus CCCCXLV dierum, ubi inter Novembrem et Decembrem interiecti sunt dies LXVII) constat teste Cicerone (ad fam. 6, 14, 2); consul designatus IV ex urbe exiit (Plutarch. Caes. 56) et post iter XXVII dierum in Hispaniam pervenit ibique aliquantum moratus Ateguam cepit a. d. XI k. Mart. a. 709. Quare etsi Caesar anno 708 extremo ex urbe exiit, tamen quominus anni demum sequentis primis diebus in Hispaniam pervenisse eum statuamus nequaquam impedimur. Scriptor autem belli Hispaniensis cogitavit omnino non de profectionis tempore, sed de adventu. Recte igitur secundum ea quae supra exposuimus a. 709 Caesar dicitur dictator III, designatus IIII. Male autem et alii et Nipperdeius pro eo quod est *designatus dictator quarto* scripserunt *consul designatus quarto*, obliti ii quam sit inconcinnum eius qui sit *cos. III, des. IIII* omisso consulatu praesenti futurum solum commemorari. Imo satis convenit in talem auctorem et solius praecipui honoris accurata commemoratio et dictatoris vocabuli inelegans repetitio; ipsam vero dictaturae designationem recte sic efferri postea demonstrabitur.

Haec testimonia eius ipsius ad quam pertinent aetatis omnia cum inter se optime concordent, iam apud posteriores dissensus incipit reique totius perturbatio. Et primum quidem Suetonius (Iul. 76): *tertium*, inquit, *et quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate decretae cum consulatibus simul, atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses.* Ubi magnopere erravit: nam quartum solum consulatum Caesar titulo tenus gessit et ante annis exitum abdicavit, tertium contra legitime finivit neque in eo sibi collegaeve alios consules suffecit. Similibus erroribus item implicantur quae sequuntur apud Suetonium; unde nulla fides eidem habenda est asseveranti dictaturam Caesari delatam esse una cum tertio consulatu, id quod vero schemati contrarium est, cum Graecorum vero saeculi sequioris schemate omnino convenit. — Sequitur Plutarchus (Caes. 51), apud quem primum reperitur dictaturam post pugnam Pharsalicam a Caesare susceptam esse in annum eiusque tempus exiisse auctumno a. 707. — Idem repetit Dio, qui reliquis explicatius et fusius computationem istam recentiorem proponit; nam quod supra dedimus schema ipsum petivimus ex indicibus Dionis libris praescriptis nec narratio (cf. praesertim 43, 14. 20. 21) inde discedit, nisi quod in hoc sibi refragatur ipse, quod dictaturam secundam annuam ab auctumno a. 706 ad a. 707 extremum protrahit (42, 55; cf. 43, 1).

Restat ut explicemus, quomodo factum sit, ut C. Caesar dictaturas tam singulari ratione sumeret, deponeret, numeraret. Et primam dictaturam quoniam omnes consentiunt mense Novembri vel insequente a. 705 per solos XI dies eum obtinuisse, videamus de secunda tertia quarta re continuis quonam discrimine separentur. Secundam dictaturam constat inter omnes decretam ei esse auctumno a. 706 post nuntium de Pharsalica pugna Romam allatum, susceptam vero Alexandreae (Cic. Phil. 2, 25, 62; Liv. ep. 112; al.). At non annua ea fuit, quod Plutarchus et Dio sibi primum, deinde aliis persuaserunt, sed ad exemplum Sullanae suscepta est in tempus indefinitum, scilicet donec Caesar rem publicam in meliorem statum constituisset. Non ita multo post finito bello Africano aestate a. 708 inter alios novos honores Caesari dictatura concessa est in decennium, id est dictator annuus designatus est decies, scilicet tertium in a. 709, quartum in a. 710 et sic deinceps. Denique paullo ante mortem a. demum ut videtur 710 (quamquam propter scriptorum testimonia Liv. epit. 116; App. 2, 106; Dionis 44, 8 fortasse ea res adscribenda est praecedenti anno 709) dictator similiter factus est in perpetuum, id est dictator designatus est in tot annos, quot victurus esset. Quo posito superiora testimonia plane inter se videntur conciliari, infirmiora satis explicari. Nam primum dictaturas Caesaris vere finitas annuasque fuisse qui negant, neglexerunt gravissimum tabularum Capitolinarum testimonium de magistro equitum Cn. Domitio Cal-

*) Ficta est ni fallor inscriptio §. 4, nam totum caput hoc praecedenti inseri debet. Lacera videtur esse inscriptio §. 6, quae similis puto fuit §. 2.

726 Cf. tabulae Barberinianae. — Litterarum vestigia quae supra nomen Autronii conspiciuntur *Triballorum* nomen indicare olim proposui (ann. inst. arch. 1861 p. 102); sed a Mommseno monitus lapide denuo inspecto PRIDie in eo legi, quod ille coniecerat, mihi persuasi. — Triumphum L. Autronii viri docti tribuerunt anno 725. Cum enim mense Augusto anni 725 Caesar triumpharit, Iulium mensem, quo Carrinatem de Gallia triumphasse ex tabulis Barberinianis didicimus, alius anni fuisse oportet. Unde sequitur Autronium non triumphasse ante annum 726. Deinde qui in fastis statim post Autronianum commemoratur triumphus Licinii Crassi, eum actum esse mense Iulio anni 727 praeter scriptorum testimonia ipsis his tabulis declaratur, quae Liciniano triumpho subiungant Valerii Messallae actum mense Octobri anni 727. De his rebus mirifice hariolatur Sanclementius, eo potissimum in errorem inductus, quod Licinium Crassum anno 726 triumphasse credebat numerum DCCXXV integrum esse ratus. Cf. tabulae Barberinianae et quae de iis in annal. inst. arch. 1861 exposui.

II. FASTORVM CONSVLARIVM TRIVMPHORVMQVE ACTORVM CETERA QVAE SVPERSVNT FRAGMENTA AD AETATEM LIBERAE REIPVBLICAE ET IMPERIVM CAESARIS AVGVSTI PERTINENTIA.

I Tabula magna marmorea litteris magnis. Romae '*credo averlo copiato presso M. Rusconi*' *Marini*. De loco tacet *Fea*. Hodie in museo Vaticano (Gall. lap. suppl. mag. II).

a. Varr.

XIII · EST · A · TI · ANTISTIO · TI · F

335 *me*NENIO · AGRIPPA · LVCRETIO · T*ricipitino nautio rutilo*

servilio axilla trib MIL · CONSVLARI · POTESTA*te*

anno post romam CONDIT · CCCXXXIIII · POST

Descripsi. Exhibent Marinius in sched. Vatic. et Fea in schedis f. 305 manu ignota. *)

*) Putarim titulum perscriptum fuisse in aedificio aliquo publico, quod quibus annis factum et deinceps refectum sit enarrarit, ut sic fere fuerit: *[refecta post annos] .... XIII est a Ti. Antistio Ti. f.* .... (interciderunt cognomen honorque), *[Me]nenio Agrippa, Lucretio T[ricipitino, Nautio Rutilo, Servilio Axilla trib.] mil. consulari potesta[te], ... anno post urbem condit. CCCXXXIIII, post [reges exactos LXXXXI]*. Aetatem recentiorem indicant cum praenominum tribunorum omissio tum quod praenomen quod est Agrippae cognominis locum obtinet. V. 1 Marinius vidit pertinere ad Antistium eum, quem annales (Liv. 4, 42) scribunt in pugna cum Volscis a. 331 facta equites sponte sibi praefecisse, deinde tribunum plebis creatum in a. 332 cum tribus aliis tribunis collegam L. Hortensium impedisse, quominus a consule C. Sempronio poenas exigeret. Hic enim Antistius quo hodie appellari solet praenomen modo Lucii modo Sexti ab editoribus Livii accepit, in cuius libris cum ita scriptum sit: *sex. tempanium a. sellium et antistium et spurillium*, potius inde efficiemus Sex. Tempanium, M. (?) Asellium, Ti. Antistium, Ti. (?) Spurilium. Th. M.

II Fragmentum tabulae marmoreae, rep. anno 1811, cum cloaca facta est ab aede Antonini et Faustinae versus templum Castoris et deinde versus columnam Phocae. Pars est fastorum collegii augurum, quorum alia fragmenta leguntur apud Grut. 300, 1, quae quia ad aetatem pertinent Augusto posteriorem, hoc loco non referuntur. Cf. Borghesi *decad.* 7, 7 p. 24 et *memorie dell' inst. archeol.* p. 258.

674 *q caecilio q f metello pio*

l CORNELIO L F SVLLA *ii cos*

POST·R C AN DC*lxxiv*

L·SEMPRONIVS L F ATRA*tinus cooptatus*

714 CN DOMITIO M F CAL*vino ii*

C ASINIO CN F POLLION*e cos*

L CORNELIO L F BALBO P CA*nidio p. f. crasso suf*

POST R C AN DCCXI*v*

P PETRONIVS P F .... *cooptatus*

760 Q CAECILIO CRETICO M F *silano a licinio nerva siliano cos*

POST R C AN DCC*lx*

DECVRIA II ....

M CORNELIVS M ....

....

Ed. Fea *framm. di fasti* n. 10 p. XXXII, q. v.; restituerunt Clemens Cardinali *memorie romane* 2 p. 86 et Mercklin *Cooptation* p. 217 [cf. supra p. 168].

674 Cardinalius minus recte titulum revocavit ad consulatum Sullae priorem. Mercklinius augures ante quam a Sulla numerus eorum auctus esset in decurias divisos esse negans propterea alterum eius consulatum hic reposuit.

714 L. Sempronius Atratinus in nummis M. Antonii triumviri dicitur augur (Cohen *monnaies de la république* p. 290 tab. LXVI 6. 8); unde ad augurum collegium Borghesius hoc fragmentum retulit *decad.* l. c. — De consulibus cf. fasti Colotiani (n. *IV*) et Biondiani (n. *V*).

760 Fea cum legisset ME, et Cardinalius et Mercklinius supplendum esse putarunt ME*tello*. Borghesius tamen, qui lapidem se vidisse narrat, M·F scripsit et ita supplevit, ut vides, in ann. inst. arch. XXI (1849) p. 51 sq. — Cf. ad fastos Praenestinos adnotata.

III Fragmentum fastorum consularium repertum Amiterni *(S. Vittorino)*.

691 M TVLLIVS CICERO C AN*tonius*

692 D IVNIVS SILANVS L LIC*inius murena*

693 M PVPIVS PISO FRVGI M VALE*rius messalla*

Descripsit R. Garruccius mihique dedit.

De consulibus horum annorum Sauclementius *de vulg. aerae emend.* p. 26. 27 disseruit. — De Iunio Silano cf. Borghesius *ann. dell' inst.* 1849 p. 15; de Licinio Drumannus 4 p. 185, 5; de Pupio Pisone idem 2 p. 84, 21.

FASTI COLOTIANI.

IV Fastorum fragmentum quod dicitur Colotianum innotuit primum ex hortis *(Sigon. Metell. Panvin. Pigh.)* vel aedibus *(Smet., inde Grut. Don., cf. Marlian.)* Angeli Colotii ad aquam Virginem e regione collegii Nazareni sitis *(Fea)*. Unde post mortem Colotii in aream domus Gentilis Delphinii translatum *(Panvin. Pigh., cf. Boissard)*, et ibi anno etiam 1646 a Luca Holstenio visum *(Fea)*, postquam diu latuit, anno demum 1818, cum parvula eius domus cloaca destrueretur, denuo effossum et a Carolo Fea in aedes Conservatorum delatum est, fastorumque Capitolinorum fragmentis adiunctum *(Fea)*. Id quo loco repertum sit, ignoratur; ipsis tamen litterarum formis totaque tabulae dispositione facile intellegitur fastorum hoc fragmentum esse a Capitolinis qui dicuntur plane diversorum. Ne aera quidem, quam fasti Colotiani sequuntur, idem habet cum fastis Capitolinis principium. Nam hos cum antea viderimus ab urbe condita annos numerasse, Colotiani contra fasti versui 10 col. 2 litteras praemittunt $\overline{CL}$, omnino annorum indicantes numerum, quorum centesimus et quinquagesimus cum anno urbis Romae respondeat 738, initium aerae est annus urbis 589. Quo cum nihil, quod sciam, in re publica gestum sit aptum ad aerae principium constituendum, fastos Colotianos ad coloniam quandam collegiumve vel templum crediderim pertinuisse, a cuius die natali annorum in iis computatio inceperit.

a. Varr. 709 *c. iulius. caesar. dict. iii. m. aemilius. m. eq*
C · IVLIVS · CAESAR · IIII · SINS · CONLEG ABDIC
SvF Q · FABIVS · MAXIM · C · TREBONIVS · C · F ·
C · CANINIVS · C · F
710 *c.* IVLIVS · CAESAR · DICT · IV · M · AEMILIVS · M · EQ
C · IVLIVS · CAESAR · V | M · ANTONIVS · M · F |
SvF P · CORNELIVS · P · F
711 C · VIBIVS · C · F · PANSA A · HIRTIVS · A · F
SvF C · IVLIVS · CAESAR SvF Q · PEDIVS · Q · F
C · CARRINAS · C · F P · VENTIDIVS · P · F
m. AEMILIVS | M · ANTONIVS | IMP · CAESAR · III · VIR · R · P · C
EX · A · D · V · K · DEC · AD · PR · K · IAN · SEXT
712 *l.* MVNATIVS · L · F · M · AEMILIVS · M · F
l. | ANTONIVS · | P · SVLPICIVS · CENS · LVSTR · N · P
713 *l.* | ANTONIVS | P · SERVILIVS · P · F
714 CN · DOMITIVS · M · F C · ASINIVS · CN · F
SvF · L · CORNELIVS · L · F SvF · P · CANIDIVS · P · F

imp. caesar. august. xi. cn. calpurnius. cn. f 731
SvF L SESTIVS P F
M · CLAVDIVS M F L ARruntius. *l. f* 732
L · MVNATIVS PAVL AEMILIVS *cens. lustr. n. f*
Q · AEMILIVS LEPID M LOllius. *m. f* 733
M APPVLEIVS SEX F P silius. *p. f* 734
C SENTIVS SATVRN Q LVcretius. *q. f* 735
SvF M VINVCIVS P F
P CORNELIVS P F CN Cornelius. *l. f* 736
C FVRNIVS C F C · IVnius. *m. f* 737
$\overline{CL}$ L · DOMITIVS CN · F P · COrnelius. *p. f* 738
SvF L · TARius. *-. f*
M · DRVSVS · L · F L · *calpurnius. l. f* 739
M · LICINIVS · M · F *cn. cornelius. cn. f* 740
TI · CLAVDIVS · TI · F P Quinctilius. *sex. f* 741
M · VALERIVS · M · F P sulpicius. *p. f* 742
SvF C · VALGIVS · C · F *suf. l. volusius. q. f*
C · CANINIVS · *c. f*

a. 709 CONLEGA DIC Sig. Man. Smet. Don. Fea. Urs., omisit DIC Panv., CONLEG ABCIC Met., CONLEGA SOL Pigh., CONLEG · ABDIC recte solus Marl.; cf. fast. Capit.
710 v. 1 VLIVS omnes praeter Feam. — DICT · M (om. IV) Met.
711 v. 2 Q · LEPIDVS pro *Pedius* Smet. — V. 4 . . . . . MILIVS Marl.
714 v. 1 CN Met. Smet., ⁄CN Urs. — v. 2 om. L · F Panvin. Sigon.
731 Pro SVFL *om.* Met. II · L Smet.
732 LAS Met. Panv. Man. Urs. Smet. — Cf. fast. Capit.
733 MIO Met.
735 LVC Fea.
737 IVN Fea.
738 $\overline{CL}$ · DOMITIVS Grut. errore, ut videtur, typothetae. — P · COR Pigh.; Fea.
739 L · V Smet., *VIII* om. L Met.
741 P · Q om. omnes praeter Feam.
742 v. 1 P om. omnes praeter Feam.
v. 3 CANIDIVS Smet. errore, ni fallor, typothetae.

Descripsi. — Ediderunt Sigonius comm. p. 133 v. et 145 v., q. v.; Panvin. fast. ad a. 708 et 731 et tab. cens. et triumph. p. 27, q. v.; Marlianus annal. consulum cet. p. 93, q. v., optime; Manutius orthogr. 420, 1; Smet. 64 v. (inde Grut. 298, 1), q. v.; Pigh. annal. 3, 458 ad a. 798, q. v.; Boissard 6, 11 (non contuli); Don. 5, 2 ex schedis autographis Petri Victorii; Fea *fasti* p. XXIX n. 8. Extat praeterea in codd. Neapolitano v, E 4, quem Ursinianum putant (ex quo pendet cod. Vat. 5234), p. 45; Vat. 6039 p. 205 v. Ioannis Metelli, q. v.; Berolinensi Pighii f. 127.

710 Nota nomen M. Antonii in litura repositum; cf. fast. Cap. an. 711. 712.

712 Aemilius Lepidus iterum consul hoc anno fuit. Suet. Tib. 5; Dio ind. cons. ad l. 47.

Inscriptiones, quas affert Sanclementius p. 41, Grut. 1042, 7 et 1115, 2 Ligorianae sunt. Censuram hoc anno gesserunt L. Antonius Pietas, triumviri frater, et P. Sulpicius Rufus Caesaris in Gallia legatus (Caes. b. G. 4, 22), deinde praetor et praefectus partis classis Caesarianae (b. c. 3, 101), cui, cum provinciam quandam (fortasse Macedoniam?) regeret, epistolam misit Cicero (ad. fam. 13, 77). De his v. Borghesium *atti dell' accad. pont.* 7 p. 197—215 [cf. supra n. 690] et de Antonio Drumannum 1 p. 528.

713 L. Antonius Pietas et P. Servilius P. f. Vatia Isauricus.

714 Domitius iterum hoc anno fasces gessit; cf. Dio 48, 15. — L. Cornelius L. f. Balbus, cuius lapidem habes I. N. 3602, idem est, de quo Ciceronis extat oratio. Cf. Dio 48, 32. De eo pluribus disputat Biondi *atti dell' acc. pontif.* 6 p. 310 sq. Borghesii secutus epistolam quandam, quam inter opera Borghesiana Parisiis edenda nuper legi. Cf. praeterea fragmentum fastorum augurum (n. *II*).

731 De Varrone Murena in his fastis omisso v. ad. fast. Cap.

733 Nomina consulum habes in inscriptione pontis Fabricii supra n. 600. De Lollio disserui annal. inst. 1856 p. 48 sq.

734 P. Silius. P. f. Nerva est apud Dionem in ind. cons. ad l. 54; quem vide etiam ad annos sequentes; cf. Chronogr. et Chron. pasch. — Ad eum pertinere videtur titulus Carthagine nova ab Hübnero descriptus *Monatsber. der Berl. Akad.* 1860 p. 447.

735 De suffecto M. Vinucio cf. Vell. 2, 96, 2, ubi v. Kritzius; cf. Biondius in actis acad. pontif. 6 p. 352 sq.

737 C. Iunium Silanum *C. f.* dicit index cons. ad Dion. l. 54; *M. f.* eum fuisse affirmat Borghesius ann. inst. 1849 p. 22, quia filius eius C. Silanus cos. 763 *C. n.* in fastis Capitolinis dicitur.

738 L. Tarium Rufum hoc anno fasces gessisse docemur fastorum fragmento Biondiano (n. *V*); de eo cf. Plin. n. h. 18, 6, 7; Frontin. de aquaed. 102. Biondius *atti dell' acc. pontif.* 6 p. 358 sq. Morellium secutus (Dionis Cassii fragm. Paris. 1830 p. 3) apud Dionem 50, 13 pro Ταῤῥύντιον scribendum esse monuit Ταῤῥίον, recte.

742 De supplementis cf. quae ad fastus Capitolinos adnotavi.

FASTI BIONDIANI.

V Rep. in vinea Sicuranorum, postea Carnevaliorum, ad viam Cassiam circiter MMD p. a Roma distante; nunc in aedibus Capitolinis Conservatorum. Tabula marmorea litteris minoribus et in fine versuum paene evanidis scripta.

a. Varr.				
713	*l. antonius p.* *ser*VILIVS	L·MVNATIVS·PAVL·AE*milius. cens. l. n. f*		732
714	*cn. domitius c.* *a*SINIVS	M · LOLLIVS	Q·SE.... (*lepidus*)	733
	suf. l. *co*RNELIVS	M·APPVLEIVS	P · *silius*	734
	p. CANIDIVS	C·SENTIVS	Q · LV*cretius*	735
715	*l. marcius c.* CALVISIVS	SVF	M · VI*nucius*	
	suf. l. COCCEIVS	P·CORNELIVS	CN · LE*ntulus*	736
	p. ALFENVS	C · FVRNIVS	C · SILA*nus*	737
716	*ap. claudius c.* NORBANVS	L · DOMITIVS	P · CORNE*lius*	738
	suf. p. CORNELIVS	SVF	L · TARIVS	
	l. MARCIVS	M · DRVSVS	*l. calpurnius*	739
717	*l. caninius* M · AGRIPPA	M · LICINIVS	CN. *cornelius*	740
	suf. t. STATILIVS	TI·CLAVD*ius*	P · QVINCTIL*ius*	741
718	*l. gellius m.* COCCEIVS	M · VALE*rius*	*p. sulpicius*	742
	suf. cn. N*erius*			

Descripsi. — Aeri incidit supplevit illustravit Aloisius Biondi marchio in *atti dell' accademia pontificia d' archeologia* t. 6 p. 273 sq. tab. I et II; postea ipse edidi Or. 6438.

713. 714 v. fasti Colotiani (n. *IV*) et fragmentum fastorum augurum (n. *II*).

715 L. Marcium Censorinum habes in tabulis triumphalibus huius anni. — De C. Calvisio C. f. Sabino cf. I. N. 6244 (Or. 6742). — Cocceius est L. Cocceius, de quo v. App. b. c. 5, 60 et 64; ad eum spectat Hor. sat. 1, 5, 27 et 32, ut contra auctoritatem scholiastarum recte affirmat Biondius l. c. p. 287 sq. — Alfenus Varus notissimus est iure consultus: Dig. 1, 2, 2, 44; Gellius 7, 5 ed. Hertz; cf. Biondius l. c. p. 291 sq. Publio ei praenomen fuisse indice consulari Dionis l. 55 docemur, quo consul anni 755, quem huius filium putant, *Publii* filius appellatur.

716 Ap. Claudius C. f. Ap. n. Pulcher: v. Borghesi *decad.* 14, 10, 53; cf. I. N. 2403. 2404. 6326 (v. ind. p. 471). — C. Norbanus C. f. Flaccus est in Dion. ind. l. 48. — De suffectis Cornelio et Marcio v. Biondius l. c. p. 319 sq., qui hunc docet fuisse L. Marcium L. f. Philippum eum qui anno 721 triumphavit (cf. tab. triumph. Barb.); illum habet pro P. Cornelio P. f. Scipione patre consulis anni 738, qui in indice consulum libro Dionis 54 praemisso *P. f.* nuncupatur, et Corneliae uxoris Paulli Aemilii Lepidi cos. a. 720 (cf. Propert. 5, 11, 13; 29; 37; 43; 63—67) ex Scribonia, quae postea Caesari Augusto nupsit (l. c. 31; 55; cf. Suet. Aug. 62). — Borghesius litteris ad eundem Biondium anno 1817 missis, quae in editione operum eius Parisiensi lucem videbunt, duobus nummis Morellianis Sisennae proconsulis (*Cornelia* tab. V n. VII et litt. B) usus Cornelium potius Sisennam anno 716 fasces rexisse credidit. Hanc vero sententiam postea retractavit, nam in dissertatione de ultimis censoribus conscripta (*dell' ultima parte della serie censoria* in *atti dell' acc. pont. d' archeol.* 7 p. 123 sq.) consulem suffectum anni 716 P. Cornelium Scipionem nominat maritum Scriboniae (p. 227) auctore ipso Biondio; cf. *decad.* 17, 8 p. 60, quo loco consul anni 716 item Cornelius Scipio dicitur, et 17, 7 p. 52, ubi Sisennam censet proconsulem Siciliae consulatum nunquam adeptum esse, de hoc autem loqui Dionem 54, 27.

717. 718 v. fasti Capitol. et quae de suffectis ibi exposuimus.

732—742 cf. fasti Colotiani. — De censoribus anni 732 cf. fast. Capitol.

FASTI VENVSINI.

VI Fragmentum fastorum, qui olim Capuani credebantur, ad Venusiam pertinere contendit Mommsenus epistula usus a Pomponio Laeto ad Politianum data XVI kal. Apr. a. 1488 (Polit. epist. 1, 15; cf. supra p. 300), in qua postquam verba fecit de kalendario Venusino sibi allato, ita pergit: *mitto et quaedam monimenta rerum eodem in loco reperta et placitura tibi (ut existimo) amatori vetustatis. Romae fere idem, sed multo ante, verum fine caret* cet. Rescripsit Politianus Florent. IIII kal. (?) Mart. a. 1488 (ep. 16): .... *semenstre calendarium mire fuit gratum et quam ais tabulam bello Marsico factam.* Unde fastos hos Venusinos esse et iungendos cum reliquiis kalendarii Venusini collegit Mommsenus (I. N. 697), *castrum* autem *Capuanum*, in quo *apud ducem Calabriae* collocantur, non Capuae fuisse docuit, sed Neapoli in extremo vico S. Petri ad Maiellam (cf. Avellino opusc. 2 p. 286). Cf. *Berichte der Sächs. Ges. der W.* 1850 p. 224—235; I. N. 697. Contra scripsit A. W. Zumptius, suam de his fastis commentationem (*comment. epigr.* Berolini 1850 p. 6 sq.) deque origine eorum opinionem defendens (de fastorum municipalium Campanorum fragmento defensio *Herbst-Programm des Berliner Friedrich-Wilhelm-Gymnasiums* 1853, 4. pp. 36). Respondit Mommsenus *Rhein. Mus. N. F.* 10 p. 481 sq., cuius sententiam I. B. Rossius codicum manu scriptorum novis testimoniis tutatus est dissertatione luculentissima totamque quaestionem confecit (*i fasti municipali di Venosa restituiti alla sincera lezione*, Romae e *giornale Arcadico* 1853 t. CXXXIII), quamquam Zumptius diversam sententiam postea et sic retinere se professus est novo libello de ea re edita (*epistola critica de fastorum municipalium Campanorum fragmento*, Berolini 1854, 4.).

Tota de origine fastorum Venusinorum quaestio absoluta et diiudicata est, si probaverimus fratrem Iucundum eos Neapoli apud ducem Calabriae una cum kalendario Venusino vidisse. Et *castrum* quidem, quod in codicibus commemoratur, *Capuanum* fuisse non Capuae, sed in ipsa urbe Neapoli et antea certissimum erat (cf. Avellino l. c.), et ex ipso ordine, quo tituli ibi descripti inveniuntur in libris manu scriptis, manifesto id apparere Rossius optime exposuit, quem et in ceteris potissimum auctorem secutus sum. In codice enim fratris Iucundi, qui Florentiae in bibliotheca Magliabecchiana extat, monumenta Capuana a fol. 131 r. usque ad fol. 133 v. leguntur; sequuntur variarum regni Neapolitani civitatium, denique a fol. 136 r. tituli incipiunt reperti Neapoli, ubi invenies inscriptionem I. N. 2585 *Neapoli apud marchionem Betonti* collocatam, deinde I. N. 2481, quae *apud illustrissimum ducem Calabriae* dicitur fuisse advecta *ex Pausilipo*; quamque aliunde quoque constat Neapoli semper fuisse. Sequuntur verba *apud eundem in castro Capuano* supra inscriptio-

nem I. N. 3145 posita, deinde cum praefatione *apud eundem* titulus quidam affertur sepulcralis M. Aur. Festo dedicatus. Post quem sic scriptum est: *apud eundem est haec pars kalendarii, quae reperta fuit in agro Venusino.* Sequitur kalendarium Venusinum (supra p. 300) deinde sine ulla praefatione post intervallum trium versuum hoc ipsum, de quo quaerimus, fastorum fragmentum. Repetita denique eadem praescriptione *Neapoli apud eundem illustrissimum ducem Calabriae* adicitur titulus I. N. 3387, qui est Neapolitanorum postremus. Vidit igitur frater Iucundus Neapoli fastos hos; trium autem versuum spatium ante eos vacuum relictum nulla, ut fit in ceteris monumentis, addita indicatione loci optime ita Rossius explicat, ut fastos pro parte quadam ipsius kalendarii frater Iucundus habuerit et indicationem illam ad kalendarium pariter atque ad fastos pertinere voluerit. Quod confirmatur altera, quam novimus, sylloges Iucundianae recensione, quam Iucundus Laurentio Mediceo dedicavit, cum priorem episcopo Consentino Ludovico de Agnellis dono misisset (cod. Magl. init). Deperdito eius exemplari archetypo, quod Clementi XIV pontifici donatum erat (cf. *novelle lett. di Firenze* 1771 p. 725), praeter illud, quod Paciaudius in tabulario Teatinorum Neapoli viderat (Calogerà opusc. t. XIII p. 349) tria eius nunc exempla extant Marcianum (cod. Lat. cl. XIV n. 171) et Borgianum (nunc in collegio Propagandae, de quo cf. *bull. inst. arch.* 1852 p. 132), et quod longe optimum est Veronense (bibl. capit. CCLXX 245 membr. in 12 saec. XV fin. vel XVI ineuntis). In quibus, ordine licet inscriptionum paullulum turbato insertaque inter inscriptiones urbis Neapoli longa serie titulorum Capuanorum et Puteolanorum, tamen monumenta, quae collocantur in castro Capuano, post Puteolana demum leguntur, ita ut de Capuana eorum origine ne hic quidem cogitare possis. Immo Venusiae Iucundum fastos quoque adsignasse inde elucet, quod cum kalendario Venusino alia adiungeret kalendaria Romae descripta, ea post fastos libro suo inseruit itaque fastos kalendarii tantum partem esse clare significavit. Denique quidquid Zumptius contra dicit (*epist. crit.* p. 24), etiam index geographicus codici Cicognae, quem ex Iucundianis manasse omnes concedunt, adiunctus itaque dispositus ut indicatio, quae est *in agro Venusino*, et ad kalendarium et ad fastos necessario referenda sit (de Rossi p. 23), non minimam ad hanc quaestionem diiudicandam auctoritatem habebit. Accedit quod in epistula antea citata Pomponius *a Venusia Apulorum*, inquit, *allata sunt in marmorea tabula: obscuro loco ibi latebant fragmenta aliarum tabularum, ubi annus integer erat; coniungi nequiverunt, quod multa deerant illinc translata Arianum; summa cura vero quae superest tabula servatur. Mitto et quaedam monimenta rerum eodem in loco reperta et placitura tibi (ut existimo) amatori vetustatis; Romae fere idem, sed multo ante, verum fine caret* cet. Respondit Politianus quae supra iam posuimus: *et semenstre calendarium mire fuit gratum et quam ais tabulam bello Marsico factam* (cf. quoque quae ad fastos Capitolinos de iisdem epistolis disseruimus). Omnino eandem uterque inscriptionem indicat, itaque quae de Venusina fastorum origine ex codicibus Iucundianis desumpta sunt, aequalium certis testimoniis corroborantur.

Restat altera quaestio et ipsa viris doctis valde agitata, utrum plures olim e marmore fastos Venusinos exceperint, id quod Zumptius affirmare pergit, an ex solo fratris Iucundi apographo omnia quae hodie circumferuntur exempla eorum propagata sint, quae sententia Mommseni et Rossii est. Quorum hic in disputatione antea commemorata praeter codices Iucundinos Magliabecchianum, Veronensem, Borgianum, Marcianum et, quem etiam Zumptius a Iucundianis manare concessit (*defensio* p. 23), Cicognanum (de Rossi p. 23), Canalensem quoque a Marinio examinatum (qui a cardinali Zelada Toletum delatus signatur ibi 103, 4) exemplo niti affirmavit a Iucundo confecto. Quod verum esse excerpta e codicibus Toletanis ab Halbertsma Harlemensi facta extra dubium posuerunt. Idemque statuit de Petri Sabini exemplo, quod legitur in codice Veneto bibliothecae Marcianae, nostra causa eius qui bibliothecae illi praeest Iosephi Valentinelli iussu descripto. Hoc enim quod ibi legitur f. 52 et 53 fastorum Venusinorum apographum caret quidem loci indicatione et a kalendario interpositis aliis et kalendariis et fastis separatur; sed cum verba supra kalendarium posita ad amussim cum indicatione Iucundiana congruant, etiam quae diverse apud Sabinum leguntur talia sunt, qualia librariorum erroribus oriri solent. Praeterea id ipsum quod apud Sabinum praetermissa est loci indicatio inde explicatur, quod in exemplo Iucundiano fasti a kalendario distincti quidem sunt, sed propriam loci indicationem habent nullam. Denique Sabinus ubi agit de fontibus sylloges suae in litteris ad Sabellicum datis, narrat *partem se ex Cyriaci Anconitani et cuiusdam fratris Iucundi plusculis quaternionibus, quos Laurentio Medici obtulit, conquisivisse* (cf. Rossius p. 30). — Exemplum quoque a Mommseno in schedis Peutingeranis (cod. August. 526 f. 104. 105) repertum etsi satis memorabilem habet lectionis varietatem, tamen et ipsum nititur textu Iucundiano. Seiungitur enim a kalendario et loci indicatione caret; ab initio verba leguntur, ut apud Sabinum, LLA FACTA A BELLO MARSICO; versus aliquot mire transponuntur. Quo tempore quaque via Iucundiana ad Peutingerum pervenerint, Mommsenus aliquando demonstrabit.

Fontes denique examinandi sunt, e quibus exemplaria fluxerunt typis mandata. Et primum quidem quod Apianus f. 315 edidit librariorum neglegentia foede corruptum, tamen cum magnam partem sylloges eius ex Iucundianis propagatam esse constet, quin et Venusinum monumentum inde desumpserit dubitari nequit (cf. Mommsenus I. N. p. XVII. 128. 185; Rossius l. c. p. 28). Ex Apiano fastos sumpsit Smetius f. 163, 9 (inde Grut. 299, 2), quos emendavit f. 64 (Grut. 299, 1). Secutus est Pighius, qui in Annal. 3 p. 494 exemplum publicavit multis locis ex arbitrio correctum. Archetypum eius ex ms. Marcelli Cervini cardinalis desumptum e codice Pighii Berolinensi f. 203 Zumptius edidit (comment. epigr. p. 6. 7). Marcelli autem Cervini codex et ipse pendet e Iucundianis (Rossius p. 31); ut quae varie apud Pighium leguntur aut ex neglegentia librariorum nata sint necesse est, aut ex coniectura. Ita igitur iudicandum est cum de reliquis tum de decantata illa loci indicatione *Capuae in castro* pro *in castro Capuano*. Post Pighium qui novam fastorum editionem paravit Gorius (apud Donium 5, 4; inde Donat. 155, 3) fastos e codice fratris Iucundi Magliabecchiano, qui tum equitis Marmi erat, descripsit. Muratorius denique (294, 1) fastos Venusinos protulit e schedis, ut ait, Farnesianis antiquioribus; sed in his non magis extant, quam kalendarium Venusinum, quod idem Muratorius e schedis Ambrosianis edere se professus est (v. supra p. 301), in codicibus Accursianis. Unde Muratorius utroque loco falsum auctorem videtur adscripsisse; codex vero quo usus est in fastis Venusinis, simillimus sane Peutingerani (v. supra p. 301), hodie latet.

Quaecunque igitur adhuc innotuerunt fastorum Venusinorum exempla ex uno propagata sunt Iucundi apographo; quod quale in melioribus eius codicibus legitur, hic proponam, adiuncta varia librorum scriptura, sed praetermissis iis, quae vel nimis corrupta Apianus et Gorius habent, vel emendata Pighius in Annalibus et Smetius. Exemplum autem Iucundianum cum fastorum partes exhibeat mire disiectas propterea quod male fortasse, quae Rossii est opinio, in castro Capuano compositae erant et ita muro insertae, restitutionem Mommseni infra adiungam.

Tabella facta a bello Marsico

(I) a. 720	P. Pecinius	P. Publilius Aed.
	L. Sempronius	L. Scribonius
	K. Iul.	Paul. Aemilius
		C. Memmius
	K. Novem.	M. Herennius
	— Bellum	Illuricum
	Ex K. Iul. ad	K. Iul.
	Q. Larcius	C. Rumeius II vir
	M. Metilius	L. Annaeus Aed.
(II)	C. Annius	Sex. Vettius Aed.
	Ex K. Iul. ad	K. Iul.
	L. Scutarius	M. Calpurnius Q.
723	Imp. Caesar III	M. Valerius
	K. Mai.	T. Titius
	K. Oct.	Cn. Pompeius
	— Bellum Acti	
	Ex K. Febr. ad	K. Iul.
	Sex Titius	L. Geminius II vir
(III)	Hoc anno Quaestores creati	
	Ex K. Iul. ad K. Iul.	
	C. Sulpicius	C. Salvius Bubulcus Q.
721	Imp. Caesar II	L. Volcacius
	K. Ianuar.	P. Autronius
	K. Mai	L. Flavius
		C. Fonteius
	K. Iul.	M. Acilius
	K. Septembr.	L. Vinucius
	K. Oct.	L. Laronius
	Ex K. Iul. ad K. Iul.	
	C. Aemilius	Q. Pontienus IIvir
	C. Valerius	Q. Turpilius Aed.
	L. Livius Ligus	L. Cornelius Q.
722	C. Domitius	C. Sosius
	K. Iul.	L. Cornelius
	K. Nov.	M. Valerius
	Ex K. Iul. ad K. Sept. Praefecti	
	T. Licinius	L. Cornelius
	Ex K. Sept. ad K. Febr.	
	C. Plotius	C. Aimaeus II vir
	Ex K. Iul. ad K. Febr.	
(IV)	P. Sextius	Q. Luccius Aed.
	Ex K. Iul. ad K. Ian.	
	L. Scutarius	T. Sepunius II vir
	T. Antonius	M. Valerius Mess. Aed.
	L. Annius	C. Valerius Q.
724	Imp. Caesar IIII	M. Licinius
	K. Iul.	C. Antistius
	— Bellum Alexandreae	
	Eid. Sept.	M. Tullius
	K. Nov.	L. Saenius
	Ex K. Ian. ad K. Ian.	
	L. Cornelius	Q. Vettius II vir
(V)	C. Cassius	C. Geminius Niger Q.
725	Imp. Caesar V	Sex. Appuleius
	L. Oppius	L. Livius II vir Q.
	M. Narius	C. Mestrius Aed.
	Q. Plestinus	Sex. Fadius Q.
726	Imp. Caesar VI	M. Agrippa II
	Idem censoria potest. lustrum fecer.	
	Ex K. Ian. ad K. Iul.	
	L. Gavius	C. Geminius Nig. II vir
	Q. Centronius	C. Clodius Aed.

v. 1 pro *tabella* codicum Magliabecchiani et Veronensis *tabe illa* cod. Borg., LLA cod. Petri Sabini et Peutingeri, ubi haec leguntur bipertita, scilicet LLA FACTA A in ipso tituli principio, BELLO MARSICO post v. 9. Roseius cum in libello sola verba, quae sunt *d bello Marsico*, Iucundum in marmore legisse statuisset, iam probabiliter coniecit legisse eum sic ut est apud Sabinum et Peutingerum, restituendum autem esse *bella facta d bello Marsico*. Omiserunt v. 1 *Don. Mur.*
v. 2 Pecinus *Sab.*, Petinius *Peut. Pigh. Mur.* — Publius *Borg. Sab.*
v. 4 Iulls *Peut.* — Paulus *Borg.*
v. 7 Iluricum *Sab.*, Hiloricum *Peut.*
v. 8 ex. kal. *Mur.*
v. 10 omisit *Peut.* hoc loco inserta parte inscriptionis (vide supra), habet pro v. 19. — Anneus *Veron.*
v. 13 Calventius *Mur.*
v. 15 k. Mais *Peut. Mur.* — M. Titius (T above M) *Sab.*, M. Titius *Peut.*, T. Titius *Pigh.*, L. Titius *Mur.*
pro v. 19 substituit v. 10 *Peut.* illumque inserit rursus ad v. 42.
v. 22 Sulpitius *Peut.*
v. 24 Volcatius *Sab. Pigh. Mur.*
v. 25 Mais *Peut.*
v. 28 K. Oct. Vinicius *Mur.*
v. 29 K *om. Peut.*
v. 31 Pontianus *Mur.*
v. 32 C. Turpilius *Peut.*
v. 33 Ligue *Peut.*
v. 34 Cn. Domitius *Peut. Mur.*
v. 36 N. Valerius *Peut.*
v. 40 Aimeus, al. Anneius *Sab.*, Annaeu *Peut.*, Annaeus *Pigh.*
v. 40. 41 om. *Borg.*
v. 41 Lucceius *Mur.*
v. 42 Sex. Titius L. Geminius II vir P. Sextilius *Peut.* (*omissis* Q. Luccius aed.); *vide ad v.* 19.
v. 44 Sepimius *Sab.*, Septimius Peut.
v. 45 Marcus Valerius *Sab.*
v. 46 M. Valerius *Mur.*
v. 47 Picinius *Peut.*
v. 48 Kal. *Mur.*
v. 58 Plaestinus *et* Fabius *Peut.*
v. 60 om. *Peut.* — potestate *Sab.* — fecit *Pigh. Mur.*
v. 61 ad k. Iun. *Mur.*
v. 62 Niger *Pigh.*
v. 63 Cetronius *Pigh.*, Caetronius *Peut.*

Inscriptionem, qualem proposui codicum auctoritatem secutus, si quis accuratius inspexerit, partes eius valde confusas esse ex turbato consulum ordine facile cognoscet. Quapropter post Muratorium Mommsenus Rossius Zumptius annorum et consulum serie restituta magistratuum quoque municipalium fastos emendare errorisque originem explicare studuerunt. Verum Mommsenus tandem invenit exemplo Peutingerano adiutus. In eo enim exemplo verba quae sunt BELLO MARSICO non statim ab initio leguntur, ut in reliquis, sed locum occupant versus 10 *(M. Metilius L. Annaeus aed)*, qui hic quidem omittitur, sed infra ponitur versus 19 *(Sex. Titius L. Geminius II vir)* loco. Versus 19 post versum 41 ante nomen *P. Sextilii* (sic) exstat; versus 42 verba quae sunt *Q. Luccius aed.* exciderunt. Quae cum ita essent, iam Rossius fastos Venusinos duabus columnis exaratos fuisse intellexit, quarum altera sub verbis BELLO MARSICO initium cepisset. At Mommsenus non solum totam eorum dispositionem divinavit, sed etiam qua ratione inter describendum columnarum ordo turbatus esset, sagacissime demonstravit. Scilicet Iucundus in pugillaribus suis fastos Venusinos ita consignavit, ut in imo folio adverso hinc nomina *M. Metilii L. Annaei aed* scriberet, illinc *Sex. Titii L. Geminii II vir;* quare in summo folio averso hinc collocanda erant verba quae sunt *hoc anno quaestores creati*, illinc *P. Sextii Q. Luccii aed* nomina. Quae ne quis ad titulum quendam diversum pertinere crederet, in summo folio averso ultimam adversi lineam repetivit. Ita igitur haec in duobus foliis disposita erant:

in adverso:

1	/LLA · FACTA · A		BELLO · MARSICO		
	P. Pecinius	P. Publilius aed	C. Annius	Sex. Vettius aed	11
	sequebantur vv. 3—9		vv. 12—18		
10	M. Metilius	L. Annaeus aed	Sex. Titius	L. Geminius II vir	19

in averso:

	M. Metilius	L. Annaeus aed	Sex. Titius	L. Geminius II vir	
20	hoc anno quaestores creati		P. Sextius	Q. Luccius aed	42
	sequebantur vv. 21—40		vv. 43—62		
41	ex k. iul. ad k. febr.		Q. Centronius	C. Clodius aed	63

E pugillaribus vero Iucundianis exempli Peutingerani scriptor ita ea desumpsit, ut post columnam priorem folii adversi alteram continuo columnam collocaret, omissa utriusque columnae linea ultima in summo folio averso iterum scripta. Inde factum est, ut *bello Marsico* verba, quae ad alteram columnam pertinere male credidit, loco versus 10 scriberet, hunc autem in locum versus 19 transponeret. Descripta deinde columna priore folii aversi, cum in summa columna altera nomina extarent *Sex. Titii C. Geminii II vir*, haec necessario post lineam 41 inserenda erant; ita autem inserta sunt, ut cum linea 42 in unum versum coalescerent et nomen *Q. Luccii aed.* excideret. Iucundus cum titulum integrum e pugillaribus in librum suum transferret, recte quidem versus bis signatos in folio averso omisit, sed male et ipse columnam alteram folii adversi ante columnam priorem aversi collocavit.

Explicatis hoc modo et exempli Peutingerani confusione et ipsius Iucundi errore, inscriptionem hic proponam, qualis in marmore exarata erat. Omnia tam apte cohaerere videbis, ut unus tantum inter lineas 53 et 54 versus exciderit. Is versus aut in ipso lapide periit, aut a Iucundo neglectus est; desunt enim ibi aedilium nomina, quae omitti non poterant. Maioribus litteris consulum, minoribus magistratuum municipalium nomina distinxi. In corrigendis nonnullis magistratuum nominibus Rossium fere semper secutus sum.

*be*LLA · FACTA · Á · BELLO · MARSICO

	P · PETINIVS	P · PVBLILIVS · AED
a. 720	L · SEMPRONIVS	L · SCRIBONIVS
	K · IVL ·	PAVL · AEMILIVS
		C · MEMMIVS
	K · NOVEM ·	M · HERENNIVS
	BELLVM · ILLVRICVM	
	EX K · IVL · AD · K · IVL	
	Q · LARCIVS	C · RVMEIVS · II VIR
	M · METILIVS	L · ANNAEVS · AED
	HOC · ANNO · QVAESTORES · CREATI	
	EX K · IVL · AD · K · IVL	
	C · SVLPICIVS	C · SALVIVS · BVBVLCVS · Q
721	IMP · CAESAR · II ·	L · VOLCATIVS
	K · IANVAR ·	P · AVTRONIVS
	K · MAI ·	L · FLAVIVS
		C · FONTEIVS
	K · IVL ·	M · ACILIVS
	K · SEPTEMBR ·	L · VINVCIVS
	K · OCT ·	L · LARONIVS
	EX K · IVL · AD · K · IVL	
	C · AEMILIVS	Q · PONTIENVS · IIVIR
	C · VALERIVS	C · TVRPILIVS · AED
	L · LIVIVS · LICVS	L · CORNELIVS · Q
722	C · DOMITIVS	C · SOSIVS
	K · IVL ·	L · CORNELIVS
	K · NOV ·	M · VALERIVS
	EX K · IVL · AD · K · SEPT · PRAEFECTI	
	T · LICINIVS	L · CORNELIVS
	EX K · SEPT · AD · K · FEBR	
	C · PLOTIVS	C · ANNAEVS IIVIR
	EX K · IVL · AD · K · FEBR	

C · ANNIVS	SEX · VETTIVS · AED	
EX K · IVL · AD · K · IVL		
L · SCVTARIVS	M · CALPVRNIVS · Q	
IMP · CAESAR · III ·	M · VALERIVS	723
K · MAI ·	T · TITIVS	
K · OCT ·	CN · POMPEIVS	
BELLVM · ACTI		
EX K · FEBR · AD · K · IVL		
SEX · TITIVS	L · GEMINIVS · IIVIR	
P · SEXTIVS	Q · LVCCIVS · AED	
EX K · IVL · AD · K · IAN		
L · SCVTARIVS	T · SEPVNIVS · IIVIR	
T · ANTONIVS	M · VALERIVS · MESS · AED	
L · ANNIVS	C · VALERIVS · Q	
IMP · CAESAR · IIII ·	M · LICINIVS	724
K · IVL ·	C · ANTISTIVS	
BELLVM · ALEXANDREAE		
EID · SEPT ·	M · TVLLIVS	
K · NOV ·	L · SAENIVS	
EX K · IAN · AD · K · IAN		
L · CORNELIVS	Q · VETTIVS · IIVIR	
....	.... *aed*	
C · CASSIVS	C · GEMINIVS · NIGER · Q	
IMP · CAESAR · V ·	SEX · APPVLEIVS	725
L · OPPIVS	L · LIVIVS · IIVIR · Q	
M · NARIVS	C · MESTRIVS · AED	
L · PLESTINVS	SEX · PADIVS · Q	
IMP · CAESAR · VI ·	M · AGRIPPA · II	726
IDEM · CENSORIA · POTEST · LVSTRVM · FECER		
EX K · IAN · AD · K · IVL		
L · GAVIVS	C · GEMINIVS · NIG · IIVIR	
Q · CAETRONIVS	C · CLODIVS · AED	

VII Romae in aedibus D. Barazzi, fragmentum veterum fastorum in attrito marmore utrimque litteras inscriptas habente *Mur.* 295, 2; apud cl. ab. Ficoronium *idem* 609, 2.

	DC			
	XXXI XXX			
	AB · IMP · CAESA	*imp. caes. augustus xi*	*cn. calpurnius*	731
722	CN·DOMITIVS C SOSIVS	SVF · L · S*estius*		
SVF	L · CORNELIVS	L · ARRVN*tius*	*m. claudius*	732
	M · VALERIVS	L · MVNAT*ius*	*paul. aemilius cens. l. n. f*	
		M · LOLLIV*s*	*q. aemilius*	733

in aversa:

imp. caes. augusto COS · XI · TRIBVN · POTES*t*
MAG · VIII
*f*ELIX MV · SORILIVS · MV · L · MENN
INVS P · SERVILIVS · P · L · R
a CIBA C · ANNIVS · C · L · AP
L · ORSILIVS · L · L · PA
MACE

Murat. 295, 2, cui dedit Thomassinus de Mazaugues praeses parlamenti Aquisextiensis, q. v.; aversam iterum exhibuit 609, 2 a Ioanne Iosepho Ramaginio missam, qui diverse haec legit: v. 1. POTEST; v. 3. MV · SERVILIVS · MV · L · MEN; v. 5. A · P; v. 6. L · OISILIVS · L · L · P · A; v. 7. MAG · X

De primis tribus versibus partis adversae vide supra p. 321. — De ceteris cf. fasti Venusini (n. *VI*) et Colotiani (n. *IV*). — Litteras SVF, quas Murat. versui 6 adiunxit, inter vv. 5 et 6 collocavi; ad utrumque enim pertinent. — In aversa fragmentum habemus fastorum collegii cuiusdam libertorum eiusdem fere aetatis; eius enim v. 1 ad a. 731 spectat.

VIII Fragmentum tabularum, in quibus feriae Latinae continebantur, rep. in vertice montis Albani, deinde Romae apud Fulvium Ursinum, nunc Neapoli in museo (honor. col. 17). Cf. Marini Arv. 129.

*imp. caesare. vii. m. ag*RIPPA · III · COS a. 727
lat. fuer . . . NON · MAI
*imp. caesar. vale*TVDIN · INPEDITVS · FVIT
*imp. caesare. viii. t. sta*TILIO · TAVRO · II · COS 728
lat. fuer . . . K MAI
imp. caesar. in HISPANIA · FVIT
*imp. caesare. viiii. m. iu*NIO · SILAN · COS 729
lat. fuer . . . NON · IVN
*imp. caes*AR · IN · HISPAN · FVIT
*imp. caesare x. c. nor*BANO FLAC COS 730
lat. fuer . . . EID · IVN
inpeditus. imp. CAESAR · VALETVD
imp. caesare. xi. CN · PISONE · COS 731
lat. fuer . . . *EID* IVL
*imp. caes*AR IN MONTE FVIT
*imp. ca*ESAR COS ABDICAVIT
. . . . K NOV
. . . . *cn. pis*ONE · COLLEGA
m. claudio. l. arruntio COS 732

728, 3 TVDINE Urs. — IMPEDITVS Don.
730, 1 ANO · FLAC Don.

731, 2 EID in fractura periit; habet solus Don.
4 . . AR Urs., SAR Don.
6 CN · PISONE Urs. ex coniectura, ut vid.

Ed. Ursinus in notis ad Cicer. ep. ad Att. 1, 3 p. 106 (inde Grut. 234, 1); Doni 5, 3 ex schedis P. Victorii; Maffei M. V. 272, 12 parum bene; Mommsenus I. N. 6750 q. v. — Restituit Cl. Cardinali *mem. Rom.* 1, 207; *atti dell' acc. pontif. d'arch.* 2, 271.

IX Fragmenta duo fastorum municipalium rep. Ripae Transonis in Piceno, ubi Cupram maritimam sitam fuisse volunt; in fundo quodam seminarii alterum extitisse scribunt *Paciaudius* et *Coluccius*, postea in aedes municipales translatum *(Bruti)*; Murani alterum in horto S. Bassi iidem collocant.

. . . .
m. valerius. messalla p. sulpicius. quirinius a. 742
suf. . . . . *c. val*GIVS · *rufus*
. . . . *c.* CANINIVS · *rebilus*
. . . AVGVST · L · VOLVSIVS · SA*turninus*
*imp. caes*AR · PONTIF · MAXIM · CRE*atus. pr*
non. mart. CONGIARIVM · POPVLO · *dedit*
. . . . . SIVS · M · F P · RVFIL*ius* . . .
. . . . . RI . . . . AEL*ius*

fragmentum alterum:

p. vinicio. p. alfeno. varo. cos. l. caesar. AVG · F · DEC*essit. massiliae. xiii. k. oct* 755
. . . . *per. menses.* II · ROMAE · IVSTIT*ium. indictum. est. et* . . .
. . . . DONEC · OSSA · EIVS · INMAESO*laeum. inferrentur*
l. aelio. lamia. m. servilio. cos. V EID · SEPT · BELLVM · CVM *armeniis. ortum. est* 756
. . . . *c. caesar. aug. f.* IN · ARMENIA PERCVSS*us. est. ab. addone*
*praefecto. cum. obsideret. ar*TACIRAM ARM*eniorum. urbem*
*sex. aelio. c. sentio. cos. c. caesar. augus*TI · F · DE*cessit. limyrae. viiii. kal. martias* 757

Ediderunt Paciaudius *antichità di Ripatransone* p. 197 et 200; Murat. 2017, 5 et 6, cui misit idem Paciaudius; Colucci *antichità Picene* 3, 67 et 68, qui fragmentum alterum ipse vidit, alterum ex Paciaudio desumpsit; Bruti Liberati *mem. XXVI sulla via Cuprense* p. 6 frustulum fragmenti prioris exhibet. Fragmentum alterum Borghesius restituit *decad.* 6, 6 p. 25 (ex *giorn. Arcad.* 1822, 15, 43 p. 53), alterum ipse in Orelliana sylloge n. 5370.

I v. 1 CIVS Mur., IVS Col.
v. 2 CANINIVS Mur., ANINVS Col.
v. 3 AVG · L Mur., VSTV L VOLVSIVS S Col.
v. 4 R Mur., V Col.
v. 5 CONCIARIVM Pac. Col.
v. 6 RIVS Mur., IVS Col. — RVPII Pac. Col.
v. 7 RI om. Mur. — AELI Mur.
De consulibus huius anni v. ad fastos Capitolinos adnotata.
II a. 755 De consulibus v. fastos Gabinos (n. *XII*). — Iustitium post mortem Germanici indictum memorat Tac. ann. 2, 82. — v. 3 INAMESO traditur, quod nescio an recte correxerim. — Corpus L. Caesaris a tribunis militum et principibus municipiorum Romam delatum esse narrat Dio 55, 12.
756 Bellum contra Armenios hoc loco commemoratum esse suspicatus sum, quia statim post de Artagira vulnereque a Gaio accepto agitur; cf. Dio 55, 12. — v. 3 inter A et R vocis ARM*eniorum* punctum extat.
757 TIED Paciaudius exhibet. — De die, quo C. Caesar decessit, v. fastos Gabinos (n. *XII*) et Or. 643.

X Fragmentum tabulae marmoreae rep. Luceriae, ubi apud Lombardium Mommsenus descripsit.

INVS . . . . *aed*
749 *imp. caesare.* AVGVST · XII L · *cornelio. p. f. sulla. cos*
*suf. l. vini*CIVS · L · F · M · N *sex. pompeius. cn. f. sex. n*
ser. SVLPICIVS C F GALBA
HNIVS · L · F · CANVL · CRISP · L · N . . . . . . *iiiivir*
S A · F L · FV. . . . . *aed*
750 *c. calvisio* C · F · SABINO L · *Passieno....rufo. cos*

Ed. Mommsenus I. N. 932. — Amplo commentario instruxit Borghesius ann. inst. arch. XX (1848) p. 219 sq., ubi vide de singulis. Eius sunt supplementa, nisi quod pro *IIviris* rectius *IIIIviros* Mommsenus posuit. Ipse dedi Or. 6441.

XI Fragmentum fastorum collegii cuiusdam ad commune sepulcrum comparandum, puto, institutum; Romae in aedibus Alphonsi de Anagnia.

L · LENTV*lo m. valerio. cos* 751
ZOILVS
HERMES
Θ LIVIVS
Θ EROS
DECVR *emerunt*
NICEROS
IMP · CAESARE · XIII · M · *plautio. cos* 752
ANOPTES
LVCRIO ANTONI*anus*
C · IVLIVS HY . . . . .
C · IVLIVS · DIVI · AVG · L · DIONYSIVS
COSSO · CORNELIO · L · PISONE · COS 753
AMPHIO PHILOTEC . .
FLORVS SPINDONT*ian*
Θ GAA AMYNT*ian*
Θ APOLLONIVS AMYNT*ian*
DECVR EME*runt*
C · IVLIVS HILARIO
C · CAESARE · L · PAVLLO · COS 754
EROS · ANTONIAN
DAMACRATES AMYNT*ian*
PSES VEDIAN
ONESIMVS ISOCHRYSIAN
DECVR EMERVNT
C · IVLIVS AGAMENNO
P · VINVCIO · P · VARO · COS 755
ORESTES
Θ C · IVLIVS PARTHENIO
C · OCTAVIVS CLEMENS
AMIANTHVS · ARCHITECT · NICANORIAN

751 v. 3 om. Mur.
752 v. 2 item.
753 v. 2 PHILOTES Mur.
v. 3 SPINDON idem; lege SPENDONT*ianus*.
v. 4 GALLA id.
v. 6 EMIT id., EMER Pigh. Ann.

754 v. 1 PAVLO Mur.
v. 3 DAMOCRATES rectius id.
v. 4 VADIAN id.
v. 7 AGAMEMNON id.
755 v. 1 om. id.
v. 3 Θ om. ed.
v. ult. NICANORIANVS. id.

Pighius in cod. Berol. f. 204 ex card. S. Crucis libro; idem Annal. 3, 529 (inde Reines. cl. 10, 3); Murat. 298, 1 e schedis Farnesiis.

XII Fragmentum tabellae marmoreae subtilis litteris parvis et parum accurate incisis, rep. Gabiis *(Pantano)* anno 1792 *(Marini sched. Vat.)* et perditum, cum monumenta e ruderibus Gabinis effossa Romam transportarentur (*Visconti* p. 11 not. 16).

p. vinucius L · ALFENIVS 755
suf. *k.* IVL P · LENTVLVS · F QVI*nctius*
l. caesar. DECESSIT XIII · K · OCT
M SERVILIVS L · LAMIA 756
SVF K IVL P · SILIVS · L · VOLV*sius*
SEX · AELIVS C · SENTIVS 757
SVF K IVL C · CLODIVS · CN · SEN*tius*
C · CAESAR · DECESSIT VIIII K *mart.*
CN · CINNA *l. valerius* 758
SVF K IVL *c. ateius. c. vibius*
M LEPIDVS *l. arruntius* 759
suf. *k. iul.* *l. nonius*

Edd. Marini *Arval.* 24; E. Q. Visconti *monumenti Gabini della villa Pinciana* (Romae 1797, 8.) p. 11. — Repperi praeterea in schedis Vaticanis Marinii, quarum exemplum hic proposui. Restituit et illustravit Clemens Cardinali *memorie Romane* 1 p. 179 sq. et *atti dell' acc. pontif. d'arch.* 2 p. 257 sq., quem secutus sum. Cum supplementis ab eodem propositis extat apud Orell. 644.

755 Consulum nomina habes in titulo qui praecedit: P·VINVCIO·P·VARO·COS, unde Marinius (Arv. ind. p. XLIV) eumque secuti Viscontius et Cardinalius male dari ei praenomen *Lucii* docuerunt; cf. Dion. ind. l. 55. Pro *Alfenio* ALFENO scribendum erat, sive quadratarii, sive Marinii error est; cf. fast. Biond., in quibus patris nomen legitur; Mar. Arv. 699 cet.; Gell. 7, 5 (ed. Hertz); Dig. 1, 2, 2, 44. Suffecti sunt *P. Cornelius Cn. f. Lentulus Scipio* et *T. Quinctius Crispinus Valerianus*, ut recte iam Marinius l. c. p. 15 et 17 suspicatus erat, Cardinalius autem pluribus exposuit, approbante etiam Borghesio *bull. Napol.* 4, 84 (a. 1845—46). In praenomine igitur videtur esse erratum. De morte L. Caesaris cf. Vell. 2, 102; Flor. epit. 2, 32 ed. Iahn (4, 12), quaeque supra adnotantur ad kalendarium Antiatinum.

756 Suffecti sunt L. Volusius Saturninus, de quo v. Borghesium *giorn. Arcad.* 49 p. 280 sq. (1831), qui mortuus est in praefectura urbis anno 809 (cf. Plin. n. h. 11, 38, 90; Tac. ann. 13, 30); et P. Silius consulis anni 734 filius, de cuius consulatu solis his fastis certiores facti sumus.

757 Consules ordinarii in cenotaphio, quod dicitur, Pisano C. Caesaris leguntur (Or. 643): *Sex. Aelius Catus, Cn. Sentius Saturninus.* Suffectos repperit Cardinalius in terminis ita inscriptis:

C · CLODIVS · LICINVS
CN · SENTIVS · SATVRNINVS COS
TERMINARVNT · LOCVM
PVBLICVM · AB · PRIVATO

Marini *iscr. Alb.* 23 (Or. 3260); nam quod Marinius et Viscontius exhibent ST est ipsum quod requiritur S F, littera extrema fracta non recte excepta. — Dies, quo C. Caesar decessit, legitur in Pisanorum decreto de honoribus eius augendis (Or. 643).

758 Consules ordinarios *Cn.* Cornelium *Cinnam Magnum*, *L. Valerium Volesum* habes apud Grut. 883, 15 et Fabr. 703, 240 (cf. Borghesi *framm. di fasti* 1, 48 et *decad.* 8, 10, 47); suffectos *C. Ateium Capitonem* et *C. Vibium C. f. Postumum* desume ex Grut. 897, 9 et tessera gladiatoria supra n. 750, quos ad hunc annum revocavit fragmentum fastorum Praenestinorum (n. *XIII*); cf. Cardinalius l. c.

759 *L. Arruntius*, *M. Lepidus consules* leguntur in titulo Mur. 299, 1, in tabula patron. apud Gazzeram n. 2 et in tesseris gladiatoriis n. 752. 753; quorum hunc per totum annum fasces gessisse duabus aliis tesseris n. 754. 755 comprobatur nomen eius cum L. Nonii nomine coniungentibus. Nonius autem est Asprenas legatus Quinctilii Vari in Germania, qui duas ex clade Variana legiones servavit (Vell. 2, 120; Dio 56, 22), anno 767 proconsul Africae (Tac. ann. 1, 53). — Arruntius saepe a Tacito commemoratur: ann. 1, 13; 76; 79; 2, 6; 6, 27; hist. 2, 65. — Lepidus filius erat Corneliae, quae filia Scriboniae fuit uxoris Caesaris Augusti (cf. ad fast. Biond. a. 716); eamque ob parentelam et a Velleio 2, 114, 5 *vir nominis ac fortunae* dicitur *Caesarum proximus*, et per integrum annum fasces retinuit; quod ea aetate iis tantum concedi solebat, qui cum familia Augusta adfinitate coniuncti essent. Bello Pannonico cum *victor in hiberna reduceretur exercitus, omnibus copiis a Caesare* Tiberio *praefectus est* (Vell. l. c.), anno insequenti ob bellum Delmaticum ornamentis triumphalibus donatus (id. l. c. 115). De basilica Paulli restituta cf. Tac. ann. 3, 72. Anno 774 proconsul in Asiam missus est; cf. Tac. ann. 3, 32 et Borghesius ann. inst. 1848 p. 247, qui ibi retractat, quae in *decad.* 17, 8 p. 60 sq. de ea re exposuerat.

XIII **Fragmenta fastorum municipalium in foro Praenestino anno 1778 effossa.**

1 *imp. caesar. xxvii* 758
cn. cornelius *l. valerius*
svf · C · ATEIVS *c. vibius*
IMP · CAESAR · XXIIX 759
M · AIMILIVS · LEPIDVS *l. arruntius*
SVF · L · *nonius asprenas*
IMP · CAESAR · XXi*x* 760
Q · CAECILIVS · *metellus a. licinius. nerva*
suf. . . lucilius. longus

2 . . . SEDATV*s quaest.*
. . . LVS · II · VIR
. . . . . . AED
. . . AVIVS · MVSCA Q
. *germ*ANICI · F · IIVIR · QVINQ
. . . SEDATVS · PR
. . . . . . VS · AED
. . . . QVEST

3 CI
. . . . . VS · Q · SPID
. . . . VS · CELER · SI . . .
. . . . . NVS · A . . . .

Ed. Petrini *memorie Prenestine* (Roma 1795, 4.) p. 325 n. 4, q. v.; Marini *Arv.* 24, q. non vidit, fragmentum primum dedit. Partem exhibuit etiam Morcelli *de stilo inscr.* p. 350. — Fastos consulares restituit Clemens Cardinali *atti dell' accad. pont. d'arch.* 2 p. 285; municipales dedi Orell. 7163. Cf. supra p. 311.

I v. 2 VI Petr. Mar., quod corr. Cardinalius, *suf. k.* IVL legendum esse ratus; sed v. a. 759. De annis 758 et 759 cf. ad fastos Gabinos (n. *XII*). — Anno 760 *Q. Caecilius M. f. M. n. Metellus Creticus Silanus*, *A. Licinius P. f. P. n. Nerva Silianus* fasces gessere, quorum ille eos retinuit per annum integrum, ob adfinitatem, credo, domus Augustae (nam filia Neroni Germanici filio pacta erat, Tac. ann. 2, 43); huic kal. Iul. suffectus est *Lucilius* Longus; cf. kal. Amitern., Tac. ann. 4, 15 et Borghesius in *bull. Napol.* 4, 84.

II v. 6 l. PR*aefectus*, sc. Drusi vel Neronis Germanici f. IIviri quinquennalis. De his praefectis v. Mommsenum *Stadtrechte* p. 446 sq. (*Abhandl. d. k. Sächs. Ges. d. Wissensch.* vol. 3), cet.

XIV Fragmentum tabulae marmoreae litteris minoribus inscriptae, rep. prope Antium anno 1846. Ectypum chartaceum cum prima Romam detulisset Sibylla Mertens-Schaaffhausen c. m. f., mox ipsum monumentum eo advectum est; quod ubi nunc lateat, equidem nescio. Ipse Antii vidi et descripsi servoque ectypum chartaceum eo tempore factum.

762 *q. sulpicius.* CAMERINVS · C · POPPAFVS (sic)
*suf. q. popp*AEVS·SECVND·M·PAPIVS·MVTIL
763 *p. cor*NELIVS · DOLABELL · C · SILANVS
SER · LENTVLVS · Q · IVNIVS · BLAESVS
764 T · STATILIVS · TAVRVS · M · AEMILIVS · LEPID
765 GERMANICVS · CAESAR · C · FONTEIVS
SVF · C · VISELLIVS · VARRO
766 L · MVNATIVS · PLANCVS · C · SILIVS
A · CAECINA · LARGVS
767 SEX · APPVLEIVS · SEX · POMPEIVS
768 DRVSVS · CAESAR · C · NORBANVS · FLACCVS
SVF · M · SILANVS
769 SISENNA · STATILIVS · TAVRVS · L · SCRIBONIVS
SVF · C · VIBIVS · LIBO · C · POMPEIVS · GRAECINA
770 C · CAELIVS · L · POMPONIVS · FLACCVS
SVF · C · VIBIVS · MARSVS · L · VOLVSEIVS · PROCVL
771 TI · CAESAR · AVGVST · III · GERMANIC · CAESAR · II
suf. . . . . . FEB · L · SEIVS · TVBERO · III · K · MAIAS
l. valerius (?) ACISCVLVS · K · AVGVST
*q. marcius. barea. t. rustius. num*MIVS · GALL

762—766 cf. fasti Capitolini.

764 M · AEMILIVS pro N · AEMILIVS scribendum fuisse ad hunc annum fastorum Capitolinorum exposui. — Suffectus Aemilio fuit *L. Cassius Longinus*, cuius nomen male omissum est; cf. fast. Cap.

766 Cave ne *A. Caecinam Largum* pro suffecto habeas sive Munatii sive Silii; nomina enim sunt ipsius Silii, in fastis Capitolinis a. 777 abrasa, v. fast. Cap. ad hunc annum.

Primum edidi in Gerhardi *Archaeol. Zeitung* 1846 p. 289 (cf. ibid. p. 388 et *bull. dell' inst. archaeol.* 1847 p. 50 not. 1), deinde Orell. 6442. Postea Aloisius Grifi dissertationi in actis academiae pontificiae archaeol. editae de titulo Scirti agitatoris fastorum Antiatinorum exemplum parum accurate a Petro Matranga, ni fallor, confectum adiunxit, vol. 13 tab. III; quod ne quem falleret, in annalibus instituti archaeologici 1855 p. 3 seq. fragmentum denuo protuli additoque commentario Borghesii potissimum de consulibus in eo nominatis sententias defendi contra commenta Grifii cum aliis rationibus falsi tum Ligorianis inventis iusto saepius decepti. Variam Grifii lectionem proponere supervacaneum est.

769 Scribendum erat POMPONIVS · GRAECINVS: cf. Ovid. de Ponto 1, 7; 2, 6; 4, 9; amor. 2, 10. — Fabr. 701, 224; Cardinali *memorie Romane* 1 p. 235; Borghesi *decad.* 11, 6 p. 25 sq. — De praenomine *Gaio* v. annal. 1855 p. 12 et 16; cf. Reines. VI, 78.

770 Consulem huius anni Dio 57, 17 et index consulum eius libro adnexus et fastorum manu scriptorum plerique, denique fasti Lunenses (v. infra) *Caecilium* appellant, unus Tacitus (ann. 2, 51; cf. cod. Med.) *Caelium*, cum in neutram partem quidquam probent inscriptiones Grut. 448, 8. Gud. 60, 2. Murat. 92, 6, in quibus item *Caelius* legitur, Ligorianae, item *Caecilium* eum nominantes Maff. M. V. 353, 1 et Gud. 45, 8 Antoniniana altera (cf. Mommsen I. N. 20*), altera Ligoriana. Iam fastis nunc Antiatinis et titulo Scirti cum optimo Taciti codice congruentibus de *Caelii* nomine constat sublataque est de hoc nomine diu agitata controversia.

771 De suffectis cf. annal. inst. l. c. p. 13. 14. Suet. Tib. 26 consulatum unum *paucis diebus* gessisse Tiberium narrat, id quod his fastis confirmatur. De *Seio* cf. Grut. 26, 9. — *Q. Marcius Barea* et *T. Rustius Nummius Gallus* probabili Borghesii coniectura pro suffectis huius anni habentur.

Addam inscriptionem Scirti antea laudatam ad fastos consulares non pertinentem quidem sed pluribus consulum collegiis commemoratis horum annorum album optime illustrantem. Reperta nescio quo anno ad viam Latinam ab Aloisio Arduini a Grifio publicata est in actorum acad. pontif. archaeol. vol. 13 tab. II, unde desumptam appendici voluminis tertii inscriptionum Orellianarum n. 7419 et annal. inst. archaeol. 1855 p. 4 inserui. Ipse non vidi.

CARISIA NESIS · Ↄ · L
SCIRTVS · AGITATOR · FACTION · ALBAE
766 L · MVNATIO · ET · C · SILIO · COS · QVADR · VIC · I · SEC · I · TER · I
767 SEX · POMPEIO · SEX · APPVLEIO · COS · VIC I · SEC · I · TER · II
768 DRVSO · CAESAR · C · NORBANO · COS · VIC · I · SEC · II · TER · V
769 SISENNA · STATILI · L · SCRIBONIO · COS · VIC · II · R · I · S · V · T · V
770 C · CAELIO · L · POMPONIO · COS · VIC · II · R · I · S · IIX · T · VI
771 TI · CAESARE · III · GERMANICO · CAESAR · II · COS · SEC · VII · TER · XII
772 M · SILANO · L · NORBANO · COS · R · I · S · V · TER · V
773 M · VALERIO · M · AVRELIO · COS SEC · III · TER · IIII
774 TI · CAESARE · IIII · DRVSO · CAESAR · II · COS SEC · II · TER · V
775 D · HATERIO · AGRIPPA · ET · SVLPICIO · COS SEC · III · TER · IV
776 C · ASINIO · C · ANTISTIO · VETERE · COS · R · I · S · I · TER · V
777 SER · CORNELIO · CETHEGO · L · VISELLIO · COS · SEC · I · TER · IIII
778 COSSO · CORNELIO · LENTVLO · M · ASINIO · COS · TER · II
SVM · SVM · QVADR · VIC · VII · REVOC · IIII · SEC · XXXIX · TER ·
LX · ET · IVSTITIALE · I · SEIVGES · II

Ultimi fastorum Antiatinorum anni fastis Lunensibus optime illustrantur, quos quamquam iam ad aetatem Tiberii spectant hic adiungere liceat:

Fragmentum tabulae marmoreae rep. anno 1810 in valle *di Bedizzano (Repetti)* sive *di Colonnata (Promis)* prope Carraram; pertinet igitur ad agrum Lunensem. Nunc extat Massae in aedibus Salvioni. Pars est fastorum collegii servorum, lapicidarum fortasse; nam in valle *di Colonnata* etiamnunc lapicidinae marmorum Lunensium exercentur. Aetatem tres versus primi indicant, quibus anno 775 Hilarionem *vilicum*, *magistrum* collegii, *consules et nomina decurionum posuisse* docemur. Quaternos singulis annis decuriones ruisse intelleges.

D · HATERIO · AGRIPPA · C · SVL · GALB · COS 775
HILARIO · VIL · MAG · POS · CONSVLES
ET · NOMINA · DECVR
SISENNA · STATILIO · L · SCRIBON · C·S 769
HILARVS · VACCIO
SCARIPVS · NERVIVS Θ
L · PONTO · FLACCO · C · CAECILIO · C·S 770
TIBVRTINVS · PHILO Θ
CAPITO · SOLVMARVS
TI · CAESAR III GERMAN II C· · C·S 771
TIGRANVS · FELICIO
HERMIPPVS · PRIMVS Θ
M · SILIO · L · NORBANO · C·S 772
GABNVS · OPTATVS
APOLLONIVS · CAIO
TEIN . . . .
M · *valerio. messalla. m. aur. cotta. cos* 773

Edd. E. Repetti *sopra l'alpe Apuana e i marmi di Carrara* cet. *dalla badia Fiesolana (Firenze)* 1821, quem librum non vidi (inde *giorn. Arcad.* t. XIV 40 p. 33, unde Orelli-Henzen 6444); C. Promis *dell' antica città di Luni* cet. *Torino* 1838, 4. p. 89, q. v. — Nuper mea causa Franciscus Gamurrini Arretinus descripsit ac me rogante iterum diligentissime contulit locorumque nonnullorum, de quorum lectione certior fieri cupieram, chartacea mihi ectypa misit.

769 v. 1 SCRIBON om. C· *Rep.*, SCRIBONIO · CO *Prom.* — Cum in sylloge Orelliana titulum ederem, vocem COS in fine versuum ubique omisi: quam cum litteris cursivis scriptam in *giorn. Arcad.* vidissem, restitutam ab editore esse credidi.
v. 3 SCARIPPVS · NERVLVS *Rep.* — Θ om. ambo.

770 v. 1. PONPO editor uterque (errore typothetae POMPO Or.), sed in lapide PONTO manifesto legi ectypo edoctus sum a Gamurrinio subministrato. — COS om. *Rep.*
De nomine Pomponii consulis plane constat ex fast. Antiat., neque de nomine collegae amplius dubitari modo monui, sed pro CAECILIVS scribendum fuisse CAELIVS.

771 v. 1 CL · CAESAR *Prom.* pessime. — CO· om. *Rep.*
v. 2 TYGRANVS *Rep.*
v. 3 Θ om. id.

772 v. 2 CABNVS *Rep.*
v. 4 TE *Rep.* qui in fine versus collocat, TEI *Prom.*

773 M om. *Rep. Prom.*

TABVLA TRIVMPHORVM TOLENTINAS.

XV Fragmentum marmoreum litteris parvis saeculi primi ineuntis, rep. anno 1819 in agro Tolentinate in alveo torrentis *Lentogge*, nunc in bibliotheca Leopardiorum Recanstensium.

m. helvius PRO · COS *ovans. de celtiberis. . . . . a. dliix*
q. minuCIVS · THERMVS · *pro. cos. ex hispan. cit. . . a. dliix*
m. porcIVS·CATO·PROCOS *ex hispania. cit. . . . a. dlix*
l. quinctIVS · FLAMININ*us. procos. ex macedonia . . . . . a. dlix*
de rege philippo per triduum

Descripsi ex ectypo gypseo, quod rogatus mea causa ab Ignatio Montanari Auximate Agathocles comes Mazzagalli Recanatensis a Paulina Leopardi c. f. acceptum mecum communicavit. — *(Monaldo Leopardi) libri manoscritti existenti nella libraria Leopardi in Recanati* Recanati 1826 p. 19 dedit aeri incisum tab. III, sed minus accurate. Cf. *bullettino dell' inst. arch.* 1862 p. 64 sq.

Triumphi sunt annorum 559 et 560, de quibus cf. Liv. 34, 10; 46; 52. — Helvium et Minucium praetura tantum functos esse narrat Liv. 32, 28 et 33, 26; quorum illum pro consule provinciam obtinuisse hoc documento constat, alterum item pro consule in Hispaniam profectum esse ideo conieci, quod magnis cum copiis difficillimis temporibus praefuit. Ceterum fallitur Livius, cum successorem eum dicit Helvii (34, 10); antea enim rettulerat hunc ulteriorem provinciam, citeriorem Minucium obtinuisse (32, 28. 33, 26). De praetoribus autem vel praetoriis pro consulibus in provinciam missis cf. Marquardt *enchir.* 3, 1 p. 276. 277.

TABVLAE TRIVMPHORVM BARBERINIANAE.

XVI Fragmenta quattuor lapidis Albani in scalis bibliothecae Barberinianae parieti adfixa sunt, per duas columnas litteris inscripta rudioribus et inaequalibus, quibus continentur triumphi ab anno inde 711 ad annum 733 acti. Exempla eorum aliquanto pleniora, sed parum diligenter scripta Mommsenus repperit in codicibus Barberinianis XXIX 148 et XXX 92 f. 40 et f. 40 v. Quorum hic (XXX 92) fragmentum continet 3 et fragminum 1 et 2 columnam priorem, alterius autem columnae fragminis n. 1 solum versum primum, plumbo haec quidem a Suaresio scripta et calamo hinc illinc emendata; e quibus quae ad fragmenta certe 1 et 2 pertineut, ea ita scribuntur, ut ad aliud quoddam exemplum corrigendum destinata fuisse videantur. Legimus enim in fol. 40 v.:

(*fr.* 1 *col.* 2)	(*fr.* 1 *col.* 1)	(*fr.* 2 *col.* 1)
TIVS .. F .. N · PLANCVS	I SEPT	EID · SE
	IT	M · DEDIT
	IDOC	IIX K SE
	AM	
	EDIT	
	K IVN	SPANIA · VII K IVN
	IT	MAM DEDIT
	DS	PRID EID · IVL
		MAM DEOIT
		AETVS EX AFRICA
		M DEDEIT
		CRASSVS EXCTH

Codex vero XXIX 148 praeter fragmenta 1. 2. 4 quintum etiam frustulum exhibet antea ignotum, quo prior alterius fragmenti columna prorsus suppletur. Et fragmenta quidem 1 et 5 Holstenii manu descripta sunt, 2 et 4 ab ignoto quodam et imperito. Ea miror quo modo Marinium fugerint, quem codice XXIX 148 usum esse *C. Norbani* nomine docemur, quod in fr. 4 v. 3 ex codice quodam Barberiniano se reposuisse ipse auctor est (Arv. p. 643).

Locus quo tabulae Barberinianae repertae sint ignoratur. Narravit quidem Prellero (v. Schneidewini Philol. 1, 98) Aemilius Braunius fragmenta illa effossa esse prope aedem S. Martinae infra ecclesiam S. Mariae de Araceli ad arcum Septimii Severi sitam, eo argumento usus ad suam de aede Iovis Capitolini sententiam tuendam; in eius enim muris triumphos exaratos fuisse eoque exciso saxa inde decidisse in locum inferiorem. Quod unde resciverit Braunius ego frustra quaesivi, nisi quod sententiae ei favet, quod saeculo XVII aedem S. Martinae restituit Franciscus Barberinus cardinalis eodemque circiter tempore fragmenta illa hominibus doctis primum videntur innotuisse; nam hanc aetatem prae se ferunt exempla inter schedas Barberinianas servata. Certe tabulae Barberianae videntur prostitisse in muro templi cuiusdam vel aedificii publici; neque omnes eodem tempore triumphos in iis perscriptos esse dispositio tabularum ipsaque illa, de qua antea locuti sumus, litterarum inaequalitas ostendunt. Nam in fragmento primo cum annorum 711—714 triumphi conscripti sint litteris satis aequalibus binisque versibus singuli, in fragmento secundo, quod primo adnectendum esse constat ex tabulis Capitolinis, singuli triumphi singulis comprehenduntur versibus, quorum primus cum litteris paullo maioribus incisus sit, deficiente spatio ultimum verbum supra lineam collocatum est. Pergitur ita ad annum usque 720, quo anno post triumphum Statilii Tauri sequitur litteris paullo minoribus C·COSSIVS· (sic) EX·IVDAEA, deinde triumphus ab Antronio Paeto actus, quem ad annum 726 pertinere postea videbimus, litteris aliquanto maioribus et ita, ut duobus versibus utriusque columnae spatium impleat. Cui subiungitur similiter scriptus Crassi de Thraecia triumphus et suppletum nunc e codice Barberiniano fragmentum tertium, triumphos annorum 727, 728 et 733 continens. Denique triumphorum ab anno 720 ad annum usque 726 actorum indicem perscriptum fuisse columna priore, demonstratur litterarum vestigiis quae sunt in fragmentis illis a sinistra intuentis. Cum iis enim quartum frustulum Barberinianum coniungendum esse agnovi collatis inter se ectypis chartaceis. Confirmat hoc exemplum fragmenti 4 cod. Barb. XXIX 148, in quo ante nomen Marcii Philippi nomina extant C. Norbani et C. Sossii, quorum illum *a. d. III id. Oct.*, hunc *a. d. III non. Sept.* triumphasse tabulis Capitolinis docemur. Qui dies optime quadrant ad litteras in fragmento primo superstites. Iudaicum quidem C. Sossii triumphum versu iam ultimo alterius columnae in fragmento secundo incisum esse antea diximus. Sed hic versus neque ad finem perductus est nec satis diligenter exaratus videtur que qui triumphos scripsit, vel propter errorem in nomine commissum vel spatio deficiente, quia columna eo loco terminanda erat, ad alteram transisse columnam. Cum quarto denique fragmento novum connectitur fragmen Holstenianum, quo tota fere fragmenti secundi sinisterior pars ita suppletur, ut ab anno inde 720 usque ad annum 733 nullus triumphus desideretur. Quod autem res tempore posteriore gestae continentur columna priore, id ita explicare licet, ut inscriptiones nostras per plures ab initio columnas dispositas fuisse dicamus, quibus impletis omnibus inscripta anno 714 ovatione a M. Antonio acta, cum deinceps alii triumphi ibidem addendi supervenirent, hi adiecti sunt initio sub ipsa columna extrema, versibus tamen longioribus et in marginem excurrentibus, postea vero a latere columnae eiusdem, sicut in fastis quoque Capitolinis similiter evenisse antea vidimus. Quod si verum est, triumphi in hac tabula primum inscripti sunt aut ante annum 714 aut ipso hoc anno, quod confirmat litterarum ad hunc usque annum aequabilis incisio. Quamquam verum est omnino usque ad annum adeo 720 litteras exaratas esse forma satis aequabili; quapropter primam tabularum incisionem ad hunc demum referenti hoc solum obiecerim, quod ab anno inde 715 singuli triumphi scripti sunt versibus singulis, ita ut spatium columnae datum excedant. Denique cum omnes, quos in fragmentis Barberinianis legimus, triumphi paucorum annorum spatio comprehendantur, non magna in universum in litteris appareat necesse est scripturae diversitas; unde de aetate inscriptionum ex varia versuum dispositione potius coniecturam faciemus quam ex forma litterarum. Iam vero quamquam quo tempore inscriptiones Barberinianae incisae sint satis nobis videmur assecuti esse, tamen ad quod aedificium pertinuerint, inde nullum argumentum capi potest. Quod si re vera inventae sunt sub colle S. Mariae de Araceli, tuentur sane sententiam eorum, qui aedem Iovis optimi maximi in hoc colle positam fuisse contendunt, etiamsi ne sic quidem ex ea eas delapsas esse certo constaret.

Litteris maiusculis rectis more solito indicantur partes adhuc superstites, litteris maiusculis inclinatis partes nunc deperditae, litteris minusculis supplementa.

a. Varr.

720 C·SOSSIVS·EX·IVDAEA·III·NON·SEPT
TRIVMPH · PALMAM · DEDIT

720 fr. IV C · NORBANVS · EX · HISPANIA · iiii ID·OCT·
TRIVMPHAVIT·PALMAM·DeDIT

721? L · MARCIVS · PHILIPVS · EX · HISPANia · V · K·
MAI · TRIVMPHAVIT · PALMAM dEDIT ·

722? AP·CLAVDIVS·PVLCER · EX · HISPANia. K·IVN
TRIVMPHAVT · PALMAM · DedIT

722? L · CORNIFICIVS · EX · AFRICA · III · NoN · DEC
TRIVMPHAVT·PALMAM·DEDit

725 *IMP·CAESAR·DE·DALMAtis* EID·SEX
TRIVMPH · *PALMAM* · DEDIT

725 *IMP·CAESAR·AegyPTO* XIIX·K·SEPT·
fr. V *TRIVMPHAVIT*

726 *c. CALVISIVS SABINVS·EX·HI*SPANIA · VII · K · IVN
TRIVMPHAVIT · *PAL*MAM · DEDIT

726 *c. CARRINAS·EX galLIS*·PRID · EID · IVE
TRIVMPH · *PAL*MAM · DEDIT

726 *l. auTRONIVS*·PAETVS·EX·AFRICA·XVII·K·SEPT·TRIVMPHAVT
*PALM*AM · DEDEIT

727 *m. licINIVS* · CRASSVS · EXS · TRAECHIA · E*t. ge*
tcis. IV · NON · IVL · TRIVM · PALMAM · DEDIT

727 *M · VAL · MESSAlla. EX · GALLIA · vii. k. oct. triumph*
PALMAM · DED*IT*

728 *sex.* APP · VLEIVS · EX · HISPANIA · VII · K · FEBR · TRIVM*phavit*
fr. III PALMAM · DEDIT

733 *l. sem*PRONIVS · ATRATINVS · EX · AFRICA · IEEIDVS · OCTO*b*
*t*RIVMPHA*V*IT PALMAM · DEDIT

l. munatius. l. f. l. n · *PLANCVS* · *EX* · *GALLia*
IIII K IAN · *TRIVMPHAVIT* · *palmam. dedit* 711

m. AEMILIVS · LEPI*d*VS · ITRVM · EX · HISPANIA
PRID · K · IAN · TRIVMPHAVIT · PALMAM · DED*it* 711

P · VATINIVS · DE EILLVRICO · PRÍD · K · SEX · TRIVMPHAVI*t*
PALMAM · DEDIT fr. I 712

L · ANTONIVS · EX · ALPIBVS · K · IAN · TRIVMPAVI*t*
*pal*MAM · DEDIT 713

c. caesar. OVANS · QVOD · PACE · CVM
*m. antoni*O · FECIT · PALMAM · DEDIT 714

m. antonius. OVANS · QVOD · PACEM · CVM
c. caesare. fecit. palmam. dedit TRIVMP*havit* 714

L · MARCIVS · CENSORINVS · EX · MACEDONIA · K·IAN · PALMAM · DEDI*t* fr. II 715

C · ASINIVS · EX · PARTHINIS · A · D · VIII · K · NOV · TRIVMPHAVIT · PALMAM *dedit* 715

P · VENTIDIVS · ET · TAVRO · MONTE · ET · PARTHIS · V · K · DIC · TRIVMPHAVIT · PAL*mam. dedit* 716

CN · DOMITIVS · CALVINVS · EX · HISPAN · XVI · K · SEXT · TRIVMP · PALMAM · DEDIT 718

IMP · CAESAR · EX · SICILIA · EID · NOV · TRIVMPHAVT · PALMAM · DEDIT 718

T · STATILIVS · TAVRVS · EX · AFRICA · PRID · K · IVL · TRIVMP · PALMAM DEDI*t* 720

C · [illegible] · EX · IVDAEA

711 v. 1. 2 ////CN PROCOS · EX · GALL||IINAN TRIVMPHAVIT Barb. 29, 148; TIVS . . P . . . N · PLANCVS Barb. 30, 92 f. 40 v.; — v. supra.
v. 3 EMILIVS · LEP . . . Mar. — TRIVM male Mar.
716 EX TAVRO Mar. male pro ET. — DEC idem.
720 v. 1 C · SOSSIVS EX IVDAEA III NON Barb. 29, 148; SEPT Barb. 30, 92 f. 40 v.
v. 2 TRIVMPH · PALMAM DeD*it* Barb. 29, 148. — IT Barb. 30, 92 f. 40 v. (v. supra).
v. 3 C · NORBANVS (correctum in codice ex NORBANIVS) EX HISPANIA IN Barb. 29, 148.
v. 4 TRIVMPHAVIT *id.* — in fine VIT male Mar.
722 v. 1 APP. Mar.
722 v. 3 II · ENO (corr. in III · NO) Barb. 29, 148; O nunc deest.
726 v. 1 . . AL · VLPIVS ABINVS cod. Barb. 29, 148.
v. 3 . . . . INAS · EX CALISP . . . . cod. Barb. 29, 184. — IVL minus accurate Mar.
727 v. 2 HIS cod. Barb. 30, 92 f. 40; quod facile emendatur.
v. 3 M · VAL · GMESSAI id.
728 v. 1 Mar. omisit litteras VII · K · FEB valde evanidas, pro quibus CENSOR exhibet cod. Barb. 30, 92.
733 v. 1 . . . . PRONIVS . . . . TINVS Mar. — Pro IE EIDVS scribendum erat IIII EIDVS. — cod. Barb. 30, 92 ex tabulis Capitolinis tacite correxit IV EIDVS.

Descripsi quae supersunt. — Edidit Marini Arv. p. 607. Qui cum minus accurate tabulas descripserit multis locis valde evanidas, litteras nonnullas, quas integras ille dedit in fine versuum, omisi, incertus num vere eas ille viderit. In codice Barberiniano XXIX 148 antea vidimus legi fragmenta 1. 2. 4. 5, in codice autem XXX 92 fragmentum 3 et fragminum 1 et 2 columnam priorem. Item fragmenta 2. 3. 4 exhibet cod. Barb. XXIX 215 p. 26. 27. 28 valde neglegenter, unde variam eius lectionem non curavi. Ipse in annalibus instituti archaeologici 1861 p. 91—106 tabulas Barberinianas restitutas et illustratas denuo edidi, in *bullettino* autem anni 1862 p. 58—64 ea quae repertis novis exemplis Barberinianis in illa dissertatione vel addenda erant vel retractanda exposui.

711—720 cf. tabulae Capitolinae.

711 v. 1. 2 Restituitur ex tab. Capitol. — Munatio patris et avi nomina addita sunt, quae in ceteris capitibus desiderantur; sed cognomina quoque nota modo commemorata modo omissa, ut in C. Asinio Pollione a. 715; cf. tab. Capit.

v. 3 Noli inde conicere *triumviri* titulum Lepido hic dari; neque enim honores triumphatorum in his tabulis commemorantur, et quod ipse legi, ITRVM (pro *iterum*) cum rebus a Lepido gestis tum ipsis tabulis Capitolinis plane confirmatur; cf. Dio 43, 1; Appian. b. c. 4, 31; Vell. 2, 67.

714 In supplendis his versibus bis scripsi *C. Caesar*, licet in tabulis Capitolinis ad h. a. et paullo post ad a. 718 in ipsis Barberinianis *imp. Caesar* legatur, quod hoc quoque loco supplendum esse Borghesius proposuit (*decad.* 12 p. 5); plus enim septem litteras spatium non admittit. Praenomen *imperatoris*, quod anno demum 725 publice Caesari decretum esse Dio tradidit (52, 41; cf. Suet. Caes. 76); etsi iam antea haud raro ei datum est, tamen in nummis ante a. 715 imperatorem eum nunquam appellari Eckhelius (6 p. 83) notat. A titulo igitur, qui non solum pertinet ad annum 714, sed etiam ipso illo anno videtur exaratus esse, imperatoris praenomen recte abest.

715 Fragmentum alterum ita cum primo coniungitur, ut verbum *triumphavit* in altero legatur versu capitis praecedentis. Id quod ipsa demonstratur fragmenti forma, cuius parte sinistra maius quam dextra frustum intercidit.

720 De C. Cossio v. antea.

Nomina C. Sosii et C. Norbani nunc desiderantur.

725—727 Sequitur fragmentum novum Barb. 29, 148, quod manu scriptum Holstenii a Suaresio, ut Rossio quidem videbatur, suppletum et cum fragmento n. 2 coniunctum est. Huius autem v. 1 et Marinius et qui in cod. Barb. 29, 148 manu satis imperita fragmentum n. 2 exaravit, habent S·EID·SEX; contra Suaresius Barb. 30, 92 f. 40 v. EID·SE. Ipse legi EID·SEX. Marinius igitur quin ex cod. Barb. 29, 148 suam desumpserit lectionem dubitari nequit.

v. 3 ALIPTO Barb. 29, 148, quod facile emendatur.

Imperatoris Caesaris triumphum Delmaticum anno 725 actum esse inter omnes constat. L. Marcium igitur Philippum, Appium Claudium Pulchrum, L. Cornificium, si dies, quibus triumpharunt, in mentem tibi revocaveris, post annum quidem 720, ante annum vero 725 in urbem intrasse facile concesseris; nam cum Cornificius mense Decembri triumphum egerit, anno certe 725 id factum esse non potest. Annos porro 724 et 723 nimis puto bellis Actiaco et Aegyptiaco occupatos fuisse, quam quibus triumphos actos esse credere liceat. Restant anni 722 et 721. Cum vero triumphi Marcii Philippi et Claudii Pulchri, utpote de eadem provincia acti, maiore cum probabilitate ad annos duos quam ad unum referantur, Philippum quidem anno 721, Pulchrum vero anno 722 triumphasse efficitur, quo anno Cornificium quoque Romam rediisse non est dubium. Triumpho denique Cn. Domitii Ahenobarbi anno 723 a recentibus fastorum scriptoribus adscripto (cf. Panvinius Piranesius Baiterus), de quo nullum equidem repperi testimonium antiquum (cf. Borghesi *decad.* 12, 16), in triumphorum indice locum non suppetere ex ipsis tabulis Barberinianis nunc apparet.

De Imperatoris Caesaris triumphis narrat Dio 51, 21: *ἑώρτασε δὲ τῇ μὲν πρώτῃ ἡμέρᾳ τά τε τῶν Παννονίων καὶ τὰ τῶν Δαλματῶν τῆς τε Ἰαπυδίας καὶ τῶν προσχώρων σφισι Κελτῶν τε καὶ Γαλατῶν τινῶν —. ἐν μὲν οὖν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ταῦτα διωρτάσθη, ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ ἡ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ ναυκρατία, κἀν τῇ τρίτῃ Αἰγύπτου καταστροφή*; cf. Liv. epit. 133: *Caesar Alexandria in potestatem redacta — in urbem reversus tres triumphos egit: unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra*, et Suet. Oct. 22: *curules triumphos tres egit: Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes.* Iam vero Actiaca quoque victoria ex publica, ut ita dicam, Romanorum sententia de classe Aegyptiaca reportata erat, et in publicis documentis commode triumphus Aegyptiacus cum Actiaco ita coniungi poterat, ut illius tantum fieret mentio. Pro duobus deinde diebus, quibus actus erat, brevitatis gratia unus tantum in monumentis indicabatur, nec minus bene, quam in kalendario Antiatino (p. 327 sq.) prior, posterior in tabulis Barberinianis incidi poterat. In his autem si quis ante triumphum Dalmaticum Actiacum fortasse triumphum commemoratum fuisse crediderit, ei non solum scriptorum obstant testimonia, quibus *continuo triduo* de Dalmatis primo, deinde de Actio et Aegypto Caesarem triumphasse docemur, sed etiam ipsa fragmenta adversantur Barberiniana hoc quidem loco sine ulla lacuna inter se coniuncta.

726 v. 1 Mommsenus optime emendavit *C. Calvisius Sabinus.* Quod nimis audacter factum esse credere noli, praesertim in tanta scripturae exemplorum Barberinianorum corruptela, in quibus e. g. ad. a. 711 manu ipsius Holstenii scriptum est PROCOS pro PLANCVS, ad annum autem 714 v. 1 NORIBVS pro ALPIBVS et v. 3 ONANIQVODACEVM pro OVANS QVOD PACEM CVM. —

De triumpho C. Calvisii Sabini nihil praeterea traditur. Extat autem columna miliaria viae Latinae (Mommsen I. N. 6244), in qua C. Calvisius Sabinus quidam *cos. imp.* appellatur. Hic utrum fasces gessisset anno 715 an anno 750 Mommsenus dubitavit. Consulem autem anni 715, qui antea legatus fuerat C. Caesaris, ab Octaviano autem classi praefectus et mox munere motus, quia Menodori ad Pompeium transitum non impedisset (Appian. b. c. 5, 96; cf. Pauly *Realenc.* 2 p. 104), eo tempore provinciam aliquam administrasse non est probabile; Plutarchus enim (Ant. 58. 59) tum eum inter comites Caesaris fuisse narrat. Contra consul anni 750 a Calvisio illo, qui anno 726 triumphum egit, diversum esse facile quivis concedet. Quapropter tertium quendam C. Calvisium Sabinum, filium fortasse consulis a. 715, patrem consulis a. 750, anno 726 triumphasse opinor. Is num fasces unquam gesserit et pro eodem cum imperatore antea laudato habendus sit, nescio. Anno autem 726 triumphum eius ideo tribui, qui VII kalendas Iunias triumphasse dicitur; neque igitur eodem anno cum Octaviano nec post annum certe 726 Romam rediit, quo Autronium Paetum triumphasse mox videbimus.

De triumpho C. Carrinatis cf. Dio 51, 21, qui de triumphis Caesaris verba faciens *Γάϊος γὰρ Καρίνας*, scribit, *τούς τε Μαρίνους καὶ ἄλλους τινὰς συνεπαναστάντας αὐτοῖς ἐχειρώσατο καὶ τοὺς Σουήβους τὸν Ῥῆνον ἐπὶ πολέμῳ διαβάντας ἀπεώσατο· καὶ διὰ ταῦτα καὶ ἤγαγε μὲν καὶ ἐκεῖνος τὰ νικητήρια ......, ἤγαγε δὲ καὶ ὁ Καῖσαρ, ἐπειδὴ ἡ ἀναφορὰ τῆς νίκης τῇ αὐτοκράτορι αὐτοῦ ἀρχῇ προσήκουσα ἦν.* Quibus verbis decepti eodem cum Caesare tempore Carrinatem triumphasse omnes sibi persuaserunt (cf. ann. inst. arch. 1861 p. 99 sq.), quamquam, qui paulo accuratius verba Dionis consideraverit, nihil eiusmodi illum proposuisse intelleget; loquitur enim de duobus triumphis ex una victoria actis.

Triumphus, qui sequitur, Autronii Paeti, deperdita in tabulis Capitolinis anni nota, anno 725 tribui solet; id quod errore factum esse nunc patet. Neque anno 727 eum adsignari posse Crassi docemur triumpho post Autronii commemorato; Crassum enim anno 727 Romam reversum esse tabulae Capitolinae demonstrant.

727 fragmento Mariniano n. 3 in codice Barb. 30, 92 f. 40 tres versus adduntur paene integri, quibus hac quidem parte restituitur triumphorum series ex tabulis Capitolinis satis nota. Nota in hoc codice fragmenta triumphorum stilo plumbeo scripta, verba tamen, quae sunt M VAL MESSAI, calamo correcta esse. In tabulis Capitolinis *M. Valerius* legitur *Messalla Corvinus;* quapropter litteram G ante nomen Messallae positam errore a Suaresio scriptam esse opinor tabularum Capitolinarum memore.

733 De supplendis 727—733 cf. tabulae Capitolinae.

FASTI CONSVLARES

AB A. V. C. CCXLV AD A. V. C. DCCLXVI

QVI SVPERSVNT INTER SE COLLATI

CVRA TH. MOMMSENI.

Cum fastis consularibus qui ad nos pervenerunt lapidibus inscripti, Capitolinis et minoribus aliis, componere decrevimus reliquos consulum ordines, quos habemus aut redactos in laterculos annis numerandis destinatos aut insertos adiectosve annalibus populi Romani. Laterculi autem consulares liberae rei publicae aetatem complexi hodie extant tres, Chronographi a. 354 et Idatianus et insertus Chronico Paschali; annalium vero ratio habenda erit Diodori, Livii cum excerptis inde libello Obsequentis laterculoque Cassiodori, Dionysii, Dionis. Nam Mariani Scoti fastos qui dicuntur ipsos esse Cassiodoranos interpolatos ab Heroldo nuper docui in editione chronici Cassiodori p. 581 sq.; ex imperatoriae autem aetatis fastis qui huiusce tabulae annos extremos attingunt, in hac parte corrupti omnes et confusi et fere inutiles, iis hasce tabulas onerare nolui. Illos igitur quos dixi laterculos in tabulis quae sequuntur cum fastis in lapidibus servatis ita composuimus, ut in singulis illis tradita lectio simpliciter exhibeatur adiecta in margine si quae est codicum varia lectione; hac enim ratione iis qui in rebus Romanis explicandis versantur tabulae hae maximam utilitatem visae sunt praebiturae esse. Iam de singulis paginis ea monebimus, quae requiruntur ad tabulas recte utendas notasque criticas intellegendas. De universa autem fastorum rei publicae Romanae ratione et natura quid statuendum mibi esse videatur exposui in chronologia Romana (ed. 2 Berolini 1859).

1) *Fastos consulares in lapidibus servatos* ita primo loco repetivimus ut supra exhibentur, supplementis quoque retentis Henzenianis, quae distinguuntur litteris inclinatis. Singula unde petita sint ubi non adscribitur, proveniunt ex fastis Capitolinis; ex minoribus, quos ubivis citavi numero addito Henzeniano, ea sola adscripsi, quae propriam aliquam utilitatem habent, reliquis tantummodo citatis.

2) *Chronographus anni 354*, cuius supra p. 332 sq. rettulimus fastos menstruos, item fastos consulares libello inseruit a regibus exactis ad annum quo scripsit p. Chr. 354 deductos, quorum inter partem primam fastosque Capitolinos tanta similitudo intercedit, ut fasti quos excerpsit Chronographus non solum exhibuerint necesse sit eadem omnino nomina eodemque fere ordine disposita quem cernimus in tabulis Capitolinis, sed ut etiam iidem scribendi errores utrosque fastos pariter inquinarint. Consensus ille cum in plerisque aliis tum inde apparet, quod magistratuum eponymorum ubi plus tria nomina recensentur, cum fasti Capitolini binis ordinibus iuxta positis ea referre soleant, Chronographus binis nominibus per universum laterculum contentus ea elegit, quae in singulis ordinibus primum locum obtinent, scilicet in collegiis decemviralibus primum et sextum, in seviralibus primum et quartum et sic deinceps. Inter scribae errores utrisque fastis communes primarius est Mugillani nomen a. u. 435 pro Cursore positum, de quo dixi in chronol. ed. 2 p. 112 assentiente Henzeno supra p. 445. Quocum comparabitur, quod a. u. 677 Mamercum pro cognomine prioris consulis, non pro praenomine secundi exceptor accepit, versus scilicet continuitate deceptus. Unde non sine specie veri coniciat quis Chronographi fastos exceptos esse ex ipsis laterculis Capitolinis integris etiamtum, itaque abiciendos eos, ubi hi supersunt; at diligentius qui rem considerarit, aliter opinor iudicabit. Nam inveniuntur in lapidibus Capitolinis errores aliquot, qui non transierunt in Chronographi libellum, ut Phili nomen a. 531 corruptum in Perili, absuntque ab illis et collegia quinque nescio quae in solitudine magistratuum a. 379—383 apud Chronographum adnotata et cognomina quae habet Chronographus *Augurini* Minuciorum a. 297, *Vari* Quinctiliorum a. 301, *Calvi* Rupiliorum a. 623, *Gratidiani* Mariorum a. 672, denique *Structi* tam in C. Servilio Axilla trib. mil. 335. 336. 337 quam in C. Servilio Ahala trib. mil. 346. 347. 352; quorum licet quaedam, maxime tertium quartumque, casu aliquo et errore locum occupare potuisse non negem, tamen proficiscuntur ex prisca doctrina gentilicia cum primum secundumque tum maxime quintum ortum omnino ex controversia, utrum duo illi C. Servilii Axilla Ahalaque cognomen secundum Structi habuerint necne. Accedunt apud Chronographum in vocabulis *Pili* (a. 531. 618) et *Pilonis* (a. 439. 548), *Volso*, *Scaevola* vestigia orthographiae vetustioris, quam quae observatur in tabulis Capitolinis. Denique ipsum illud erratum de quo supra diximus in cognomine Papirii invenit iam in fastis quibusdam Livius (9, 15), quem non facile credemus consulum nomina petivisse ex Regiae parietibus. Imo iam intellegitur consulum laterculum, qualis aetate Caesaris et Augusti circumferebatur (cf. chronol. meae p. 208 not.) coniunctus sine dubio cum fastorum menstruorum tabella, et Livium usurpasse et Regiae exornandae praefectos operis proposuisse lapidibus incidendum et per aetatis imperatoriae librarios ad Philocalum usque aetatis Constantinianae scribam eum propagatum esse. Unde quamquam Capitolini lapides Liviana aetate in opere publico diligenter exarati non solum plenitudine, sed etiam veritate scripturae longe superant exemplum conscriptum et infima aetate et ab eo homine, cui *nepos* ubicumque plene scribitur pro cognomine esset, cuique a vocabulis quae sunt Ligus et Violens sexto casu declinaretur *Ligo* et *Violense*, item Lacnas Caudex Strabo similia indeclinabilia essent, tamen hoc exemplum nequaquam exceptum est ex lapidibus illis habetque etiam in iis locis, ubi extant fasti Capitolini, propria quaedam et utilia. — Fastos hos cum reliqua Chronographia loco supra p. 333 citato edidi integros p. 611—623 ibidemque quae antea prodierunt editiones recensui. Aegre tamen fero exempla codicum Bernensis Vindobonensisque (nam a Peiresciano haec pars fastorum afuit), quae tum adhibui aere parata, non ea qua par erat diligentia excepta esse; unde et in varia lectione plerasque apographorum mendas male tribui ipsis codi-

cibus et in textu ordinando quaedam posui non recte. Quae iam in hac certe primaria fastorum parte emendantur, postquam Vindobonensem excussi ipse, Bernensem mea causa Usenerus. Ita etiam quod vel illo tempore conieceram (cf. l. c. p. 561) Vindobonensem librum descriptum esse ex Bernensi, iam iis quae tum contra eam coniecturam afferri potuerunt argumentis collationum meliorum auxilio sublatis omnibus extra dubium positum est; potuitque igitur Vindobonensis varia lectio universa omitti, cum haec fastorum pars integra supersit in Bernensi. Magis tamen visum est eam retinere, cum et exiguum sibi spatium postulet et inde aestimare liceat bonitatem libri Vindobonensis, qui deperdita archetypi parte maiore eius nobis instar est. — *B* significat librum Bernensem, *V* Vindobonensem, *v* quae eidem manus recens, Cuspiniani opinor, adscripsit.

3) *Fasti Idatiani* tertium ordinem occupant, in utroque codice in quo inventi sunt Claromontano et Fuxensi sic inscripti: 'declaratio (descriptio *Fux.*) consulum (Romanorum *add. Fux.*) ex quo primum ordinati sunt'. Perveniunt inde in Claromontano libro ad annum p. Chr. 465, in Fuxensi, qui extrema parte mutilus videtur fuisse, ad a. p. Chr. 50. Scriptos eos esse in Hispania ostendit cum adnotatio in cod. Fuxensi ad a. 721 adiecta: 'his consulibus era prima' tum erarum indicatio fastis decimo quoque anno adscripta, quam fuisse constat in libro Claromontano, non afuisse ab altero Fuxensi certis indiciis colligitur. Idatio fastos hos attribuerunt Sirmondus et Ducangius (v. huius ad Chr. Pasch. praef. c. 40) probabiliter; nam et finiunt eodem anno, in quem desinunt chronica Idatiana et inventi sunt in codice certe Claromontano chronicis his subiuncta; videtur igitur Idatius ad exemplum Hieronymi chronicis suis fastos subiunxisse consulares. — Laterculus Idatianus eiusdem plane naturae est ac Chronographi, nisi quod ut saeculo recentior est, ita ab huius integritate longe recedit; nam cum apud Chronographum unum a. 461 collegium desideretur, Idatius non solum pro decemviralibus et tribuniciis collegiis omnibus solum numerum posuit, sed etiam pleraque consularia incuriose praeteriit, alia male geminavit aut transtulit aut denique confinxit. Sed tamen Idatius non ex Chronographo, sed ex diverso laterculi exemplo fastos excerpsit et saepe alia atque ille nomina ad annos signandos selegit, ut ubicunque fieri potest utraque excerpta simul adhibenda sint. Denique et ipse pariter ac Chronographus habet cognomina quaedam sibi propria, quae non videntur ex errore orta, sed ex antiquitate translata *Albini* Postumiorum a. 492, *Longi* Sulpiciorum a. 511, *Rugae* Carviliorum a. 520. 526, *Maximi* Valeriorum a. 528. — Noti erant fastorum horum codices, ut diximus, duo, quorum alterum Eusebium praeterea et Hieronymum sine Prospero exhibentem ex bibliotheca collegii Fuxensis Tolosani Iohannes Sabaterius senator misit Pontaco (v. huius Eusebium ed. Burdigalae 1604 p. 28), alter, in quo fasti hi legebantur post Idatii chronica, saeculo XVII fuit in bibliotheca societatis Iesu Claromontana; ambo quo pervenerint, hodie ignoratur. Claromontanum librum postea Parisinae bibliothecae illatum esse ibique per aliquod tempus prostitisse sub numero suppl. Lat. 696 suspicatus est Waitzius (Pertz *Archiv* 8, 13); at codex ille et ibi hodie desideratur neque Oxonium eum pervenisse, ubi alii non pauci ex Claromontanis hodie adservantur, quaerenti mihi amici responderunt. His duobus nuperrime tertius accessit Vaticanus Regin. 560 saeculo XIII scriptus. Continet Hieronymum sine Prospero; in fine non est mutilus, sed parte paginae vacua relicta desinit in a. 465. Si non apographum certe simillimus est Fuxensis libri, quem versavit et edidit unus Pontacus l. c. p. 791—802. Itaque ubi nihil adnotatur, huius editio ubique cum Vaticano codice consentit. Quartum denique Rosius Parisiis invenit in schedis Sirmondianis (Résidu St. Germain 1281 fol. 380 sq.), unde ab ipso Sirmondo ex antiquo codice eum descriptum esse suspicatus est. Sed Leopoldus Delisle instituti Gallici socius a me rogatus affirmavit hunc librum Sirmondi manu certo scriptum non esse, proficisci vero e patrum Benedictinorum cum Montfauconio consociatorum studiis. Inscriptionem habet hanc: *ex manuscripto cod. t. post chronicon Hydatianum descriptio consulum ex quo* cet. et cum Fuxensi plerumque consentit. Variam eius lectionem meum in usum enotavit et humanissime transmisit Leopoldus Delisle. Claromontani codicis hanc partem primus evulgavit Labbaeus (nova bibl. mss. Paris. 1655 vol. I p. 3 sq.), quam editionem emendavit ex codice Ducangius (post Chron. Pasch. Paris. a. 1688 p. 439 sq.), haec praefatus: 'cum Idatianos fastos longe fere aliter quam in laudato codice [leguntur] ediderit Labbaeus, ipsos hic rursum damus, prout iacent, hoc est cum suis naevis ipsis, quos ad examen revocare et emendare cuivis liberum erit.' Nihilominus vel in Ducangiana recensione pleraque videntur remansisse contra librum scriptum ab emendatore posita; nam vix dubium est inversionem collegiorum a. 388. 389, geminationem collegiorum a. 458. 459. 736, omissionem collegii a. 679 in Fuxensi libro pariter ac in Graeca versione observatas ne a Claromontano quidem libro afuisse. Contra Fuxensem librum Vaticanus et Pontacus etsi non satis docte satis fideliter certe expresserunt eosque magis sequendos esse iudico, maxime ubi consentit Graeca versio, de qua statim agemus. — Exhibui codicis Claromontani lectionem secundum Ducangium inserta Labbaeana (*L*), non tamquam per se utilis sit, sed ut de Ducangii fide certiore ratione constet, item libri Fuxensis secundum editionem Pontaci (*F*) et exemplum Vaticanum (*V*); ascripsi denique pauca quae Parisinus liber (*P*) aliter habet ac Vaticanus et Pontacus.

4) *Fasti recepti in Chronicon Paschale*, quod scriptum est c. a. 627, ipsi sunt de quibus modo vidimus Idatiani ex Latino sermone in Graecum conversi (v. quae observavi in chronol. p. 113) neque aliam utilitatem habent nisi quod quae post Idatium in textum irrepserunt vitia versionis auxilio emendantur, quamquam multo plures potioresque errores fastorum Idatianorum, cum tam Latinis quam Graecis communes sint, Idatius aut ipse commiserit aut in eo quem secutus est laterculo invenerit necesse est. Servavit Chronicon Paschale unus codex Vaticanus n. 1941 scriptus saeculo fere decimo, quem librum Hieronymus Surita in Sicilia alicubi in antiqua bibliotheca reperit et cum Antonio Augustino communicavit; reliqui autem qui extant codices manu scripti, ut Casaubonianus olim, postea Augustanus, hodie Monacensis, inde orti sunt, quod Vaticanum librum antequam Chronicon ederetur aliquoties descripsit notus ea aetate librarius Graecus Darmarius. Chronici Paschalis codicem cum Surita statim ad Antonium Augustinum attulisset, factum est, ut fasti eius vel antiquissimis fastorum ordinatoribus innotescerent Sigonio Panvinioque, apud quos Graeci Siculive appellari solent. Prodierunt primum seorsum in Friderici Sylburgii Romanae hist. scriptoribus Graecis minoribus (Francofurti 1590 fol. p. 2 sq.) excepti ex Chronici codice Casauboniano, item cum parte Chronici in Scaligeri Eusebio (app. p. 227 ed. 1658), deinde una cum ipso Chronico in editionibus Raderiana (1615), Ducangiana (1688), Dindorfiana (1832). Extat praeterea Mediolani in bibliotheca Ambrosiana A. 175 inf. codex sic inscriptus 'Fasti Siculi qui occurrunt in Chronico paschali cum insigni varietate lectionum'; quem librum cum a Maio admonitus Borghesius contulisset eumque non semel ad fastos emendandos adhibuisset (v. Borghesi fast. 1, 42. 63. 76; dec. 6 obs. 6), a Iaffeo impetravi, ut eum ab initio ad a. p. Chr. 10 ut solet diligentissime conferret; nec tamen quidquam inde

profeci nisi quod constitit sic certissimis argumentis librum illum nullam habere utilitatem. Chartaceus is est formae maximae; scriptus saeculo XVI; insunt nomina consulum ab initio eorum ad annum p. Chr. 215 (Λιτούλου καὶ κερεαλίου) adscriptis olympiadibus per totum librum, annis Artaxerxis sic ut leguntur in Chronico integro ad annum usque u. c. 258. Iam cum in fastis his edendis praeter Casaubonianum integri Chronici exemplum Sylburgio praesto fuerit simillimus liber, desinens scilicet in Caracallae anno quarto, id est ipso anno p. Chr. 215, missus Sylburgio Patavio a Iohanne Vincentio Pinello et Antonio Ricobono, eum librum aut hunc ipsum fuisse suspicor aut ex hoc descriptum, cum praesertim Pinellianas schedas constet illatas esse in bibliothecam Ambrosianam. Iam Mediolanensis libri lectionibus examinatis eum intellexi descriptum esse ex exemplo viri docti cuiusdam saeculi decimi sexti, Augustini fortasse vel ipsius Panvinii, qui fastos ex Chronico Paschali excerptos adhibitis tabulis Capitolinis et excerptis a Cuspiniano ex Chronographia a. 354 editis emendasset tradita lectione non raro in margine adiecta; certe nihil inveni quaerens data opera, quod cum a codicis Vaticani lectione recedat neque erratum sit, a docto eius aetatis correctore non potuerit coniectura reperiri. Visum tamen est, ut suo quivis iudicio in ea re uteretur, variam lectionem codicis Ambrosiani huic editioni adicere. — Proposui igitur fastos secundum codicem Vaticanum propterea post collationem Dindorfianae editionis causa institutam denuo nec sine fructu collatum a Detlefseno; Ambrosianas emendationes interpolationesve, sicut eas enotavit Iaffeus, interposui uncis quadratis circumsaeptas.

5) Ad *Diodori* fastos a. 268—452 complexos exhibui quem habemus reliquis pleniorem apparatum Dindorfianum, nisi quod ad accentus non attendi et interpretem Latinum abieci. Ad eos autem qui fastos continent libros 11—20 codices adhuc collati non sunt nisi recentissimae aetatis et infimae notae nec minus male excussi quam scripti; unde caute admodum adhibenda est varia lectio Diodorana petita ex libris interpolatis nec diligenter inspectis. In collegiis quibusdam tribuniciis referendis cum nomina quaedam excidissent, extremo loco tot quot deessent nomina ab interpolatore adiecta esse observavi (v. praesertim a. 364); quod utrum auctoris culpa acciderit an librariorum, non definio, uncis tamen quadratis eiusmodi nomina inclusi, ne quis corrupta ea putet, cum sint ficta. — Libri autem a Dindorfio adhibiti hi sunt

A ad libros XI—XX

F Florent. Laurent. plut. LXX n. 12 saec. XV (non XIV teste fratre qui eum inspexit). Dindorf vol. 1 part. 2 p. III.

I = *T* Paris. Regius Wesselingii alter }
L = *W* Paris. Regius Wesselingii prior } Dindorf l. c. p. III—VI.

Q margo ed. Stephanianae a. 1559.

B ad libros XI—XV

A Coislinianus 149 saec. XV. Dindorf vol. 1 part. 1 p. III.

H Vaticanus saec. XV. Dindorf l. c.

K Claromontanus saec. XV. Dindorf l. c.

M Venetus complexus l. XI—XIII. Dindorf l. c. p. VII.

R Venetus n. 375 saec. XII collatus ad l. XV. Dindorf l. c.

Pighii liber sive codex Antonii card. Granvellae (v. Pighii ann. 1, 101).

C ad libros XVI—XX

X Venetus n. 376 saec. XV. Dindorf vol. 1 part. 2 p. VIII.

Y Vaticanus saec. XV. Dindorf l. c.

V liber a Casaubono collatus ad l. XVIII. XIX. Dindorf l. c.

6) Ex fastis *Livii* annalibus insertis quae supersunt a. 245—462. 536—588 ita fere exhibui, ut prodierunt in mea Cassiodorani chronici editione (p. 554. 595 sq.), nisi quod in ea omittenda fuerunt collegia tribunicia. Variam lectionem adscripsi horum librorum

A ad libros I—X

V Vormaciensis ad l. I—VI adhibiti a Rhenano.

M Florent. Laurent. plut. LXII n. 19 membr. saec. XI.

P Parisini n. 5725 saec. X.

B ad libros XXI—XXX

P Puteani, nunc Parisini n. 5730 saec. VIII.

M Florent. Laur. plut. LXIII n. 20 saec. XI }
C Colbertini, nunc Parisini n. 5731 saec. XII } in his locis solis, qui absunt a Puteano.

C ad libros XXXI—XXXVIII

B Bambergensis M. IV. 9.

D ad libros XLI—XLV

cod., scilicet Vindobonensis phil. Lat. 105 saec. VII.

Addidi denique consulum collegia ab Obsequente servata secundum editionem principem, cum codice hodie destituamur.

7) *Cassiodori* chronicis insertos fastos, excerptos eos ex annalibus Livii vel potius ex epitoma eorum antiquiore, cum hanc fastorum consularium editionem parans intellexissem circumferri corruptos admodum et interpolatos, nuper chronicon illud ad codices recognovi et edidi in actorum societatis Saxonicae vol. VIII p. 547 sq., unde iam repetitur laterculus consularis. Servavit chronicon illud codex Reichenaviensis scriptus saec. VIII exeunte vel incipiente nono, qui ex Helvetia allatus ad Cuspinianum Vindobonam hodie desideratur. Repraesentant eum cum editio Cuspiniani *(Cusp.)* tum codices duo Parisinus 4860 *(P)* scriptus saec. X medio et Monacensis 14631 *(M)* scriptus saec. XI, ex quibus tamen editio Cuspiniana tam neglegenter facta est, ut inde parum proficias. Codices contra scripti sunt accurate uterque, plene solus Parisinus, cum Monacensis librarius consulum collegia non pauca praeterierit.

8) *Dionysii* fastos, qui pertinent ad a. 245—311, expressi in l. I—X ad codicem Urbinatem *(U)* saec. XI vel XII omnium qui aetatem tulerunt praestantissimi; adiecta est in margine varietas codicis Chigiani *(CH)* saec. X. In fastis depromptis ex l. XI expressi codicem Vaticanum 133 *(V)* adscripta varia lectione codicis Parisini olim Coisliniani 105 *(C)*. Trium Romanorum librorum variam lectionem misit Kiesslingius, Parisini Sintenis Servesto-Anhaltinus.

9) *Dionis* denique supersunt indices librorum XXXVII—LVII. LIX. LXXIX, sistentes fastos consulares eorum annorum, quorum res gestas singuli libri enarrant. Lectionem exhibui in l. XXXVII—L codicis Laurentiani plut. LXX n. 8 saec. X, usus collatione ea, quam Furia misit Sturzio, a fratre Tychone ad ipsum librum denuo exacta; cuius codicis eximia bonitas facit, ut reliquam variam lectionem a viris doctis congestam spernere liceat. Ad libros extremos inde a XLV ipse Venetiis nuper contuli eximium codicem Marcianum n. 395 saec. XI. Adhibendi fuerunt praeterea secundi ordinis libri codex Laurentianus plut. LXX n. 10 saec. XV item Sturzii iussu collatus, quem secutus sum in textu, quoniam collationem codicis Marciani tum nondum nactus eram, et editio Roberti Stephani (Lutet. 1548 fol.) ad simillimum librum expressa, cuius in margine exhibui variam lectionem notatam nota S; nam praeter Marcianum exempla haec duo sola satis accurate et plerumque consentientia repraesentant traditam lectionem in editionibus multis locis temere emendatam.

a. u. c. Varr.	ante Chr. n.	Chronographus a. 354	Fasti Hispani	Chronicon Paschale
245	509	Bruto et Collatino	Bruto et Collatino	Βρούτου καὶ Κολλατίνου
246	508	Publicola II et Tricipitino	Publicola et Lucretio	Πουβλικολὰ καὶ Λουκρητίου [Λουκρατίου]
247	507	Publicola III et Pulbillio [pulvillo *v*]	Publicola II et Publilio	Πουβλικολὰ τὸ β' καὶ Πουπλίου [Πουλουΐλλου]
248	506	Rufo [ruffo *V*] et Aquilino		
249	505	Voleto [valerio *v*] et Tuberto		
250	504	Publicola IIII et Tribicitino [tricipitino *v*]	Publicola III et Lucretio II	Πουβλικολὰ τὸ γ' καὶ Λουκρητίου τὸ β'
251	503	Tuberto II et Lanato	Menenio [menno *V*, memenio *P*] Agrippa et Postamio [postumio *L V*]	Μεμενίου [Μενενίου] καὶ Ποστουμιανοῦ [Πού̈τουμίου]
252	502	Tricosto [constricatus *v*] et Bigellino [viscellinus *v*]	Tricasto et Uistellino [uitellino *L V*]	Τρικόστου καὶ Βιτελλίνου
253	501	Aurunco [arunco *V*] et Rufo [ruffo *V*]	Aurunco [arimeo *V*, arunco *F P*] et Flauo	Ἀρούγκου καὶ Φλάβου
254	500	Cornuto [camareno *v*] et Longo	Camerino et Longo	Καμερίνου καὶ Λόγγου
255	499	Helua [eleala *v*] et Cicurino [geminio *v*]	Helua et Gemino	Ἑλούα [Ἑλουὰ] καὶ Γεμίνου
256	498	Rufo [ruffo *V*] II et Vocula [volcula *V*, siculo *v*]	Flauo et Sifulo	Φλάβου τὸ β' καὶ Σιφούλου [Σικούλου]
257	497	Atratino et Augurino [minucio *v*]	Atratino [acratino *V*] et Augurino	Ἀτρατίνου καὶ Αὐγουρίνου
258	496	Regellese et Tricosto [tricostro *B*, tricostro *V*, constricatus *v*]	Albo et Coelimontano [celimontano *V*]	Ἄλβου καὶ Κελεμοντανοῦ [Κοιλεμοντάνου]
259	495	Inreligiense et Structo	Sabino et Prisco	Σαβίνου καὶ Πρίσκου
260	494	Celimontiano et Cicurino [geminio *v*]	Coelimontano II [celimontano, *om.* II *V*] et Uitellino [uitellino *V* uifellino *L*] III	Κελεμοντανοῦ τὸ β' καὶ Γεμίνου τὸ β'
261	493	Aurunco et Vigellino [viscellino *v*]	Aurunco II et Uitellino [uitellino *numero postea adiecto V*]	Ἀρούγκου τὸ β' καὶ Βιτελλίνου [Βετελίνου, *sed corr.*]
262	492	Macerino et Augurino	Macrino [maccrino *L*] et Augurino	Μακρίνου καὶ Αὐγουρίνου τὸ β'
263	491	Augurino II et Atratino II	Augurino II et Atratio [acratio *V*]	Αὐγουρίνου τὸ γ' καὶ Ἀτρατίνου τὸ β'

Livius integer	Livius sec. epit. Cassiodori	Dionysius	ante Chr. n.	a. u. c. Varr.
1,60 L. Iunius Brutus L. Tarquinius Conlatinus 2,2 suf. P. Valerius 2,8 suf. Sp. Lucretius apud quosdam veteres auctores non invenio Lucretium consulem; Bruto statim Horatium suggerunt. 2,8 suf. M. Horatius Pulvillus	Iunius Brutus et L. Tarquinius suf. L. Valerius suf. Sp. Lucretius suf. Horatius Pulvillus	4,76 Λεύκιος Ἰούνιος Βροῦτος 5,1 Λεύκιος Ταρκύνιος Κολλατῖνος 5,12 suf. Πόπλιος [πούπλ- *CH*] Οὐαλέριος 5,19 suf. Σπόριος Λοκρήτιος [λουκρ- *CH*] 5,19 suf. Μάρκος Ὁράτιος	509	245
2,8 P. Valerius II T. Lucretius	Valerius II et Titus Lucretius	5,20 Οὐαλέριος τὸ δεύτερον Λουκρήτιος	508	246
ex libris Livianis antiquissimo tempore exciderunt		5,21 Πόπλιος Οὐαλέριος Ποπλικόλας τὸ τρίτον Μάρκος Ὁράτιος τὸ δεύτερον	507	247
2,15 Spurius Publius Lucretius [spurius publius lucretius *M*; purius publius lucretius *V*; p. lucretius *P*] Titus Hermenius [titus hermenius *vel* ermenius *codices Flor. S. Marci et Leid.* 1; *om. MP*] P. Valerius Publicola	Spurius Largus et Titus Herannius [heramnius *Cusp.*]	5,36 Σπόριος Λάρκιος [σπόριος μάρκος λάρκιος *CH*] Τῖτος Ἑρμήνιος	506	248
2,16 M. Valerius P. Postumius	Valerius III [II *M*] et P. Postumius	5,37 Μάρκος Οὐαλέριος Πόπλιος Ποστούμιος Τούβερτος	505	249
	D. Laelius [lelius M] et C. Antistius	55 Δέκιμος Λαίλιος Δεκίμου υἱ. Βάλβος Γ. Ἀντίστιος Γ. υἱ. Οὐέτερ	6	748

a. u. c. Varr.	ante Chr. n.	Fasti in lapidibus servati	Chronographus a. 354	Fasti Hispani	Chronicon Paschale
749	5	MIN. X *Imp. Caesar* August. XII L. *Cornelius P. f. Sulla* SVF. *L. Vinicius* L. f. M. n. SVF. *Ser.* Sulpicius C. f. Galba SVF. *Sex. Pompeius Cn. f. Sex. n.*	Augusto XII et Sulla	Octauiano XII [*P;* XV *V*] et Sylla [*P;* silla *V*]	Ὀκταβιαῦ λυπὸν τὸ ιγ' [Ὀκταβιανοῦ Αὐγοῦ τὸ ιγ'] καὶ Σύλλου
750	4	*C. Calvisius* C. f. Sabinus L. *Passienus -. f. Rufus*	Sabino et Rufo	Sabino [sabiano *F*] et Rufino	Σαβίνου καὶ Ῥουφίνου
751	3	MIN. XI L. Lentul*us*	Lentulo et Messalino	Lentulo et Messalino	
752	2	Imp. Caesar XIII M. *Plautius*	Augusto XIII et Siluano	Octauiano XIII [*P;* XVI *V*] et Silano	Ὀκταβιανοῦ Αὐγούστου τὸ ιδ' καὶ Σιλανοῦ [Σιλουανοῦ]
753	1	Cossus Cornelius L. Piso	Lentulo et Pisone	Lentulo et Pisone	Λεντούλου καὶ Πίσωνος [ed. Dind. p. 374
754	post Chr. 1	C. Caesar L. Paullus	Caesare et Paulo	Caesare [c. caesare *L*, lucio cesare *V*, lucio caesare *P*] et Lucio Paulo [et paulo *VP*]	Πουπλίου [Πουβλίου] Καίσαρ καὶ Παύλου
755	2	P. Vinucius P. Varus; MIN. XII L. Alfenius MIN. XIII SVF. K. IVL. P. Lentulus SVF. K. IVL. P. Quin*ctius*	Vinicio [uincio *V*] et Varo	Vindicio [*P;* uinditio *V*] et Varo	τοῦ ἰνδικίου [Οὐινικίου] καὶ Οὐάρου [Βάρου]
756	3	M. Servilius L. Lamia SVF. K. IVL. P. Silius SVF. K. IVL. L. Volu*sius*	Lamia et Seruilio	Lamia [*P;* lamio *V*] et Seruilio ū mano [nonniano *P*, monmano *V*, inōniano *F*]	Λαμίου καὶ Σερβηλίου [Σερβιλίου]
757	4	Sex. Aelius C. Sentius SVF. K. IVL. C. Clodius SVF. K. IVL. Cn. Sent*ius*	Catulo et Saturnino		
758	5	Cn. Cinna; MIN. XIII *Cn. Cornelius* . . . . SVF. K. IVL. *C. Ateius;* MIN. XIII C. Ateius SVF. K. IVL. *C. Vibius*	Voleso et Magno	Magno Pompeio et Valerio	Μάγνου καὶ Βαλερίου
759	6	MIN. XIII M. Aimilius Lepidus; MIN. XII M. Lepidus . . . . MIN. XIII SVF. L. *Nonius Asprenas*	Lepido et Adruntio [arruntio *V*]	Lepido et Aruntio [arundo *V*, aruuclo *P*] Caesare [*P;* cesare *V*, *om. L*] et Capitone [*om. L*]	Λεπίδου καὶ Πλάγκου Τηβερίου [Τιβερίου] Καίσαρ καὶ Καπήτωνος [Καπίτων]
760	7	MIN. XIII Q. Caecilius M*etellus;* MIN. II Q. Caecilius Creticus M. f. *Silanus*	Cretico et Nerua	Cretico et Nerua	Κρητίου [Κρητικοῦ] καὶ Νέρβα [Νέρουα]
761	8	M. Furius P. f. P. n. Camill. Sex. Nonius L. f. L. n. Quinctilian. SVF. K. IVL. L. Apronius C. f. C. n. SVF. K. IVL. A. Vibius C. f. C. n. Habitus	Camello et Quintiliano	Camillo et Quintiliano	Καμέλλου [Καμίλλου] καὶ Κυντιλιανοῦ [Κυντιλλιανοῦ]
762	9	C. Poppaeus Q. f. Q. n. Sabinus (*cf.* MIN. XIV) Q. Sulpicius Q. f. Q. n. Camerinus (*cf.* MIN. XIV) SVF. K. IVL. M. Papius M. f. M. n. Mutilus (*cf.* MIN. XIV) SVF. K. IVL. Q. Poppaeus Q. f. Q. n. Secund. (*cf.* MIN. XIV)	Camerino et Sabino	Camero [camerino *L*] et Sabino	Καμερίνου καὶ Σαβίνου

Aufidius Bassus sec. epit. Cassiodori	Dio	ante Chr. n.	a. u. c. Varr.
Augustus Caesar XI et L. Sylla	55 Αὔγουστος τὸ ιβ′	5	749
C. Calvisius et L. Passienus	55	4	750
C. Lentus [*sic*] et M. Messula [*sic; om. M*]	55 Λ. Κορνήλιος Λ. υἱ. Λεντοῦλος Μ. Οὐαλέριος Μ. υἱ. Μεσσαλᾶς ἢ Μεσσαλῖνος	3	751
C. Augustus Caesar XII et M. Plautius [plaucius *M*]	55 Αὔγουστος τὸ ιγ′ Μ. Πλαύτιος Μ. υἱ. Σίλουανος	2	752
Cossus Lentulus } [*om. M*] et L. Piso }	55 Κόσσος Κορνήλιος Γν. υἱ. Λεντοῦλος Λ. Καλπούρνιος Γν. υἱ. Πίσων [πείσων *S*]	1	753
		post Chr.	
C. Augustus Caesar XIII [*om. M*] et L. Paulus [*om. M*]	55 Γ. Καῖσαρ Αὐγούστου τοῦ υἱ. Λ. Αἰμίλιος [αἰμύλιος *S*] Λ. υἱ. Παῦλος	1	754
C. Vinicius } [*om. M*] et P. Alfenus }	55 Π. Οὐϊνίκιος ἢ Μινούκιος Ν. [μ. *F*] υἱ. Π. Ἀλφῆνος ἢ Ἀλφήνιος [ἀλφίνιος *FS*] Π. υἱ. Οὔαρος	2	755
M. Servilius et L. Lamia	55 Λ. Αἴλιος Λ. υἱ. Ταμίας [λαμίας *S*] Μ. Σερουΐλιος Μ. υἱ.	3	756
Sex. Aelius et C. Sentius	55* Σέξστος Αἰμίλιος [αἰμύλιος *S*] Κ. υἱ. Κάτος Γ. Σέντιος Γ. υἱ. Σατορνῖνος [σατουρνῖνος *F*]	4	757
Cn. Cinna et L. Valerius	55 Λ. Οὐαλέριος Ποτίτου υἱ. Μεσσαλᾶς Οὐάλαισος Γν. Κορνήλιος Λ. υἱ. Κίννας Μάγνος	5	758
M. Lepidus et L. Arruntius	55 Μ. Αἰμίλιος [αἰμύλιος *S*] Λ. υἱ. Λέπιδος Λ. Ἀῤῥούντιος Λ. υἱ.	6	759
Q. Caecilius [cecilius *M*] et A. Linicius [*sic*]	55 Αὖλος Λικίννιος Οὐέρνας [τερούας *S*] Σιλανός Κ. Καίλιος Μέτελλος Κρητικός	7	760
M. Furius } [*om. M*] et Sex. Nonius }	55 Μ. Φούριος Μ. υἱ. Κάμιλλος Σέξ. Νώννιος Λ. [γ *FS*] υἱ. Κυϊντιλιανός	8	761
Q. Sulpicius } [*om. M*] et C. Poppaeus }	56 Κ. Σουλπίκιος Κ. υἱ. Καμερῖνος Γ. Ποππαῖος [πομπαῖος *FS*] Κ. υἱ. Σαβῖνος	9	762

a. u. c. Varr.	post Chr. n.	Fasti in lapidibus servati	Chronographus a. 354	Fasti Hispani	Chronicon Paschale
763	10	P. Cornelius P. f. P. n. Dolabella (*cf. min. xiv*) C. Iunius C. f. M. n. Silanus flam. Mart. (*cf. min. xiv*) SVF. K. IVL. Ser. Cornelius Cn. f. Cn. n. Lentul. Malug. flam. Dial. (*cf. min. xiv*) *min. xiv.* SVF. Q. Iunius Blaesus	Dolabella et Silano	Dolabella et Salino [sabino *L*]	Δολαβέλλα [Δολιβέλλα] καὶ Σιλανοῦ
764	11	*M'. Aimilius* Q. f. M. n. Lepidus; *min. xiv* M. Aemilius Lepid. *min. xiv* T. Statilius Taurus SVF. K. IVL. L. Cassius L. f. -. n. Longinus; *min. xiv omittunt*	Lepido et Tauro	Lepido et Tauro	Λεπιδίου καὶ Ταύρου
765	12	Germanicus Ca*esar Ti.* f. Augusti n. (*cf. min. xiv*) C. Fonteius C. f. C. n. Capito (*cf. min. xiv*) SVF. K. IVL. C. Visellius C. f. C. n. Varro (*cf. min. xiv*)	Caesare [cesare *V*] et Capitone [capitono *V*]	[Germanico Caesare *L*] [et Capitone *L*]	Τιβερίου Καίσαρος τὸ β' καὶ Σκηπίωνος
766	13	C. Silius P. f. P. n. *Caecina Largus*; *min. xiv* C. Silius A. Caecina Largus L. Munatius L. f. L. n. Plancus (*cf. min. xiv*)	Planco et Silano	Flacco et Silano [filano *F*]	Φλάκου καὶ Σιλανοῦ

Aufidius Bassus sec. epit. Cassiodori	Dio	post Chr. n.	a. u. c. Varr.
P. Dolabella et C. Silanus	56 Π. Κορνήλιος Π. υἱ. Δολοβέλλας Γ. Ἰούνιος Σιλανός	10	763
M. Lepidus et T. Statilius [stadius *M*]	56 Μ. Αἰμίλιος [αἰμύλιος *S*] Κ. υἱ. Λέπιδος Τ. Στατίλιος Τ. υἱ. Ταῦρος	11	764
Ger. Caesar et C. Fonteius } [om. *M*]	56 Γερμανικὸς Τι. [Τι. om. *FS*] Καίσαρος υἱ. Καῖσαρ Γ. Φοντεῖος [φόντιος *FS*] Γ. υἱ. Καπίτων	12	765
L. Plancus et C. Silius	56 Λ. Μουνάτιος Λ. υἱ. Πλάγκος Γ. Σίλιος Γ. υἱ. Καικίνα Λάργος	13	766

AD FASTOS HISPANOS ADNOTATIO.

Ad fastos Idatianos sive Hispanos constituendos optima quae hodie supersunt subsidia cum ad manus venissent absoluto fere libro et absente auctore, accidit ut dum schedae postea submissae perfecto operi insererentur, quaedam irreperent aut minus recte dicta aut incerta et ambigua. Unde hoc loco primum quae de codicibus p. 481 dicta sunt quatenus opus est retractabo, deinde supplementum v. l. exhibebo ad annos 245—325; nam inde ab a. 326 cum ipse plagulas recognorim, eiusmodi errata ne committerentur sedulo cavi. — Innotuit laterculus hic ex codicibus duobus Claromontano et Fuxensi, quos deperditos latentesve repraesentabant adhuc editiones Ducangiana et Labbaeana (*L*) illum, hunc Pontaciana (*F*). Nuper autem Claromontani editis illis longe praeferendum scriptum exemplum prodiit e codice bibliothecae Parisinae *Résidu S. Germain* n. 1281 (*P*); quo quae de Ducangii fide non satis certa suspicatus eram, plane confirmata sunt. Fuxensis vero gemellus desinensque ut ille in a. p. Chr. 50 (non 465) codex est antea Alexandri Petavii, hodie Vatic. Reginae n. 560 (*V*), scriptus saeculo XIII et Hieronymi chronica continens sine Prospero, omnino is quem sub nomine Petaviani citat Pontacus, prae ceteris ad Fuxensem eum accedere etiam in Hieronymo testatus. Copiis his patefactis debuit quidem exhiberi in textu liber Parisinus, adiecta in margine varietate libri Vaticani iussu meo a Kiesslingio diligenter collati; contra quae Ducangius Labbaeusque aliter habent ac Parisinus quaeque Pontacus ex Fuxensi profert non confirmata a Vaticano, tuto potuerunt omitti. Sed id quominus ipse faceret cum editor impeditus sit, iam qui librum adhibent hoc rogat, ut ad *PV* solos attendant consentientes plerumque tam inter se quam cum versione Graeca, textum, qui est Ducangiana lectio, variamque lectionem Labbaei (*L*) et Pontaci a *V* discrepantem (*F*) spernant. — Quod ad lectionem attinet, haec restant adnotanda, maxime ne Parisini libri lectio dubia maneat.

251 postamio *P*
252 uitellino *PV*
253 arunco *PV*, arimeo *F*
257 atratino *P*
258 coelimontano *P*
260 coelimontano II *P*, celimontano II *V*, celimontano (*om.* II) *F* et uitellino III *PFV*, *sed in V ex* III *factum est* II.
261 et uitellino *sine* III *praeter V m.* 1 *etiam PF*
263 atratio *P*, atracio *V*, acratio *F*
264 fabio *PV*
268 uitellino *PV*
269 maloginense *P*
272 tertullo *PF*; tertullio *V*
273—287. 296—311 *ubicunque dissentiunt Ducangius, id est textus meus, et Vaticanus neque quidquam ex Parisino libro affertur, P cum illo facit, non cum Vaticano.*
295 uibulano II *PV* et maloginense *P neque aliter Ducangius* [M. *P dele*]
302 lenato *V*, leuato *F*
309 curtio *PF*, curcio *V*
314 *om. PV*
317 pidenate *PV*
318 maloginense *PV*
320 capitolino *P*
323 poeno (*non* poena) *P ut Ducangius.*

Inde ab 326 ubicunque dissentiat Vaticanus ab altera familia, de Parisini libri lectione diserte testati sumus.

Praeterea in fastorum laterculis haec corrige
p. 487 a. 245 Dionys. v. 1 et 2 Δείκιος *scr.* Λεύκιος
p. 488 a. 275 Chr. Pasch. *scr.* [Κυηκινάτου]
p. 490 a. 293 Diodor. *scr.* [πόυβλιος *Q*] *deleto* A.
p. 493 a. 297 Cassiodor. *scr.* Q. Minucius
a. 303 Dionys. v. 2 Δείκιος *scr.* Λεύκιος
p. 495 a. 309 Dionys. *scr.* c. 58 *pro* l. 58.
a. 312 Diodor. *scr.* αἰκεύτ- A.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Ad p. 6 n. 16. Secundi nummi aerei cum capite Apollinis tauroque anthropomorpho similem describit Garruccius *Bullett.* 1860 p. 133, in quo inscriptum sit ad taurum SVESANO et IX more solito, ad caput Apollinis VRIANO. Quae lectio venit quidem ab auctore parum fido, per se tamen non habet quod offendat; nam ut ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ ita Urianorum, id est Nolanorum veterum nomen recte sociari potuit cum Suessanis. — Tertii nummi Ritschelius enarr. p. 100*a* exemplum proponit ligno incisum ex museo Monacensi, in quo est P/OSVM.

Ad p. 8 n. 22. Nummos musei Berolinensis ligno incidit Ritschelius enarr. p. 100*b. c.*

Ad p. 8 n. 23. Nummos inscriptos ARIMN ligno incidit Ritschelius enarr. p. 11 tab. VII n. 29 *c* (ex Marchii et Tessierii libro de aere gravi extr.). *d* (ad nummum mus. Berol.), inscriptos ARIM ibidem n. 29 *e. f* (ex Toninio Rimini p. 21). *g* (ex Marchii et Tessierii libro cit. initio).

Ad p. 8 n. 25. Interdum pro ⊦ in hisce nummis Garruccius scribit (*ann.* 1860 p. 232) deprehendisse se L, quod per se probabile cum sit, adhuc indiget confirmatione.

Ad p. 13. P. Cornelius Scipio consul a. 738 videtur is esse cuius titulus prodiit Athenis hic (C. I. Gr. 364): *ὁ δῆμος Πόπλιον Κορνήλιον Ποπλίου υἱὸν Σκιπίωνα ταμίαν καὶ ἀντιστράτηγον ἀρετῆς ἕνεκα.*

Ad p. 18 n. 32. Scipionis Barbati elogium reperi postea in cod. Vaticano 6040 f. 19 (qui codex praeter Metelliana complectitur etiam alterius nescio cuius viri docti adnotationes de rebus antiquis in urbe saec. XVII incipiente observatis) praescripta hac loci indicatione: 'Apud Pontem Palatinum sive S. Mariae in via iuxta flumen in quadam officina lapicidae 15 Septembris 1614 haec inscriptio in lapide piperino longo palmis 5 unc. 4 lato palm. 2 unc. 10 reperto via Appia iuxta monumentum Caeciliae.' — Praeterea lectionis Ritschelianae versum ultimum nescio qua amentia a me corruptum sic emenda:

Dedét Témpestátebus — aíde méretod *vótam.*

Ad p. 20 n. 36. Secundis curis deprehendisse sibi visus est Ritschelius enarr. p. 104 in ectypo v. 3 extr. post ANNORV evanescentia litterae M vestigia.

Ad p. 21 n. 37. Amicus quidam Ritschelii (mus. Rhen. 16, 297) recte monuit de *advivendi* vocabulo cogitandum esse, male vulgo coniungi *quoad.*

Ad p. 21 n. 38. Carminis v. 1 extr. fortasse ACCVMVLAVEI legendum esse ectypo denuo inspecto adnotavit Ritschelius enarr. p. 104.

Ad p. 24 n. 53. Iterum exhibuit Ritschelius tab. XXXVI, 2.

Ad p. 25 n. 54. Sub cistae Praenestinae pede inscriptionem antea ignotam reperisse se scribit Garruccius (*graffiti de Pompéi* ed. 2 p. 26): *'la légende est tracée au poinçon sur le revers d'un des trois pieds. C'est une découverte que j'ai faite, lorsque l'on disputait à Rome sur la provenance du monument.'* Garruccius ductus a se exceptos et repetitos a Ritschelio enarr. p. 2 legit ita, ut litterae a dextra ad sinistram procedant, MAQVOLNIA, id est *Maquolnia* interposito digammate, scilicet Garrucciano. Equidem non mirabor, si qui cistam denuo examinabit illo loco nihil reperiat nisi spatium vacuum rubigine obductum et facile implendum nugis talibus, quales novimus ex edicti Venafrani recensione ab illo homine parata.

1500 (inserenda post n. 54). Cista Praeneste reperta sic mihi descripta ab amico Ottone Iahn: 'In operculo cistae ab utraque 'parte femina seminuda inter duos satyros nudos sedet, quorum alter gestibus amorem indicat, alter hic cithara illic tibiis canit. In 'ipsa cista medium occupat Diespiter, a cuius latere hinc Hercules illinc Iuno stant; omnes summa cum attentione Mercurium aspi'ciunt, qui penes Iunonem stat et sinistra trutinam duabus lancibus instructam tenet. Hanc suspicit vir iuvenis, cui pallium tergus 'tegit, gladio armatus et hasta quam sinistra sustinet, dextra mentum attingit et vultum in Mercurio fixum tenet; quin intellegendus 'sit Memnon vix dubitari potest, quamquam IACOR nomen explicari nequit. Sequitur pone laurum Aiax barbatus thorace indutus gladio 'se cingens, cui galeam tradit femina vestibus involuta dextra hastam tenens appellata nomine obscuro LAPITVS; post eam est columna. 'Ab altera parte Herculem excipit prope aram Victoria vestita, alis magno oculo ornatis instructa, quae galeam Achilli porrigit, 'ocream sinistro cruri inducenti. Achilles retrorsum spectat, ubi pone columnam duo equi apparent, quos puer manibus sublatis excipit 'MICOS vocatus'.

Nomina haec sunt:

MICIOƧ ΛCIVEƧ ΛIЯOTƆIV ꟻERCVEƧ IDIEƧPTR IVNO MIRCVRIOƧ IΛCOR ΛIΛX VEPITVS

1 *micos* 2 *aciles* 3 *victoria* 4 *hercles* 5 *diesptr* 6 *iuno* 7 *mircurios* 8 *iacor* 9 *aiax* 10 *uepitus?*

Prodiit in mon. inst. arch. a. 1861 vol. VI tab. LIV, unde inscriptiones repetivit Ritschelius enarr. p. 98 O. — Primum nomen quae sequuntur lineolae ad capillamentum puelli pertinent, non ad inscriptionem. — Sextum nomen utrum legendum sit *iafor* an *iacor*, dubitat Garruccius; in tabula est *iacor.* Memnonis figuram etiam alibi reperiri adscripto nomine praeterea inaudito monuit Iahnius. — Decimi nominis tabula lectionem admittit *u(l)e(a)pi*(aut *ti* aut *n* pro *pi*)*tu(l)s*; respondere feminam Victoriae oppositae observavit Iahnius. Fortasse operarius scribere voluit VENVS (cf. supra p. 397 ad Iul. 20); nam non probo, quod Ritschelius (mus. Rhen. 18, 608) cogitavit de *veritus, virtus.*

1501 (inserenda post praeced.) Cista simul reperta, adservata hodie in museo publico Berolinensi, item descripta mihi ab Iahnio sic: In operculo cistae ab utraque parte femina vestita curru tribus equis iuncto rapitur. Alteram cui VENVS adscriptum est femina seminuda praecedit habenas tenens, alteram AVCENA vocatam puer; supra Veneris equos lauri ramus conspicitur, subter Aucenae duo ser'pentes, a latere leo equi ut videtur caput aggressurus. In ipsa cista a dextra incipientibus conspicitur labrum in quod ex ore leonino 'aqua defluit, ab altera parte Alexander pallio ornatus, dextrum pedem saxo innitens, dextra lauri ramum tenens sinistram versus 'nudam Atalantam extendit, quae collari ornata sinistra capillos comptura est. A tergo stat columellae innixa femina nuda, cui obscurum 'nomen ALSIR adscriptum est, calceis induta, armillis et collari ornata; sinistra folium tenere videtur. Tertium locum Helena occupat, 'pallio cuius partem dextra elata tenet tergum obvoluta; penes eam hinc amphora illinc columna posita est. Paris videtur iudex 'constitutus non dearum quidem sed heroidum pulchritudine celebratarum, locus iudicii balneum. A tergo Alexandri sequitur pone 'monumentum quoddam ramis velatum iuvenis palliatus pileum gerens, cuius nomen non prorsus perspicuum fortasse Nirei fuit pul'cherrimi Graecorum neque alieni ab eiusmodi de forma certamine et iudicio [nisi potius ibi perscriptum est nomen Thesei]. Adversus 'eum Amazon Unimamma (nam hoc significat OINVMAMA) equo insidens, pelta et hasta armata, tunica et pallio induta ingreditur, intra 'pedes equi bestiolae rana, musca, musculus adpictae sunt. Sequitur Aiax barbatus, nudus, dextra hastam sinistra scutum gerens, post 'eum Chryseis pallio praeter pectus involuta dextra elata poculum ferens; denique Cassandra pelta atque hasta armata equo insidens, 'cuius sub pedibus praeter scutum canis conspicitur. Marginem occupat variarum bestiarum continua series.'

Nomina haec sunt:

VENVS AVCENA

1 *venus* 2 *aucena*

ЯƎTNƎƧAƆ CRISIOA AIAX OINVMAMA TESEƧ ALIXENTR ATELETA ALSIR CELENA

3 *casenter(a)* 4 *crisida* 5 *aiax* 6 *oinumama* 7 *teses* 8 *alixente[r]* 9 *ateleta* 10 *alsir* 11 *felena*

Prodiit in mon. inst. arch. a. 1861 vol. VI tab. LV. Inscriptiones inde repetivit Ritschelius enarr. p. 98 P.

Ad p. 25 n. 55. Huiusce speculi alterum exemplum reperit Huebnerus in bibliotheca publica Matritensi, Kircheriani ita gemellum, ut linea lineae litterae littera respondeat nec differant nisi minima, ut in inscriptionibus legitur ƧƎƆVMA (non A), AИSOЈ (non Ƨ); denique dextra sinistraque in exemplis duobus reperiuntur commutatae. Alterutrum falsum sit necesse est, nam eiusmodi generis imitatio non cadit in artem antiquam; utrum vere antiquum sit, nondum satis sibi liquere quaerenti mihi respondit Brunnius huiusmodi rerum peritissimus arbiter. Ad originem quod attinet, satis constat de neutro.

Ad p. 25 n. 57. Speculum hoc nuper emptum museo Parisino vidi Romae apud Brunnium, qui deprehendit in eo non PROSEPNAI, sed PROSEPNAIƧ; littera extrema etsi spatio deficiente paullum supra reliquas posita est, certa tamen est et extra dubium posita. Declinatio haec videtur hybrida esse et ex genetivo Latino *Proserpinae* Graecoque Περσεφόνης quodammodo mixta; nec raro similem genetivum declinationis primae in *es* et *aes* offendimus in titulis graecissantibus maxime aetatis labentis. Speculum ipsum edidit lapide expressum Brunnius ann. 1858 p. 383 sq. (mon. vol. 6 tab. 24); vocabulum *prosepnais*, de quo monuit idem Brunnius *bullett.* 1862 p. 6, delineavit Ritschelius in priscae Lat. suppl. I.

Ad p. 26 n. 60. Ed. speculum Roulez *annali* 1859 p. 135 (mon. vol. 6 tab. 29), unde repetivit in enarr. p. 102 Ritschelius.

Ad p. 26 n. 62. Extat Parisiis in bibliotheca publica, non in museo. Ed. Ritschl tab. XCVII B.

Ad p. 27 n. 65. Kircheri de sepulcro Furiorum commentarium ex schedis auctoris ms. supplevit Fea misc. 1 p. CCCXXII (cf. praef. p. 23); quamquam quae ibi adduntur, non pertinent ad inscriptiones.

Ad p. 27 n. 72 scr. Ritschl l. c. A.

Ad p. 28 n. 73. Partem adhuc superstitem, id est v. 1—4, servatam hodie Praeneste in aedibus Cecconianis, post impressam plagulam illam conferre licuit tam ad ectypum charta exceptum quam ad ipsum archetypum; unde iam sic erit lectio constituenda:

A P O L O N *i putio*
.. M E T I L I O ......
M A G I S T E R E *s* .....
C O R A V E R O N *t*
C·ANICIO·L·S aufio
probAuerOnt

Nam cum ex emendato vel potius expleto versu tertio efficiatur versu secundo extremo alterius magistri nomen intercidisse, praeterea probabile est versu sexto in litteris, quas dimidiatas opinor Cecconius sic excepit RIANDO, latere BAVERO ex *probaueront*.

Ad p. 28 sq. n. 74—165. Adde fundum qui dicitur *la Colombella* principis Barberini esse, Dominici autem Mattiae vicinum; in hoc pauca sepulcra reperta esse, longe plurima in fundo Barberino. — Post impressam plagulam qua continentur tituli sepulcrales Praenestini antiquissimi, Romam profectus vidi et contuli eius generis octo et triginta, scilicet Romae in domo Barberina triginta quattuor (n. 74. 75. 77. 80. 81. 85. 87. 88. 89. 97. 101. 106. 107. 108. 113. 114. 123. 128. 133. 137. 139. 140. 141. 142. 145. 146. 148. 149. 150. 153. 154. 159. 162. 165), in museo Kircheriano unum (n. 116), Praeneste in aedibus Sebastianelli tres (n. 129. 130. 131). Quibus examinatis intellexi in hoc genere inscriptionum eas, quae circulo scriptae in pinearum basibus rotundis leguntur, sive scriptae sunt in margine basis superiore sive in inferiore sive denique in base media, longe antiquiores esse tam iis, quae leguntur in ipsis pineis (quo pertinent ex iis quas vidi quinque n. 87. 89. 140. 141. 148) quam quae scriptae sunt in cippis quadratis pineae suppositis (quod cadit ex iisdem in n. 129. 130. 131); nam in his et forma litterarum aetatem indicat aliquanto recentiorem (ita inter alia L angulatam ibi non observavi nisi in unica n. 89 neque ibi satis certa ratione expressam) neque in sermone summae vetustatis adsunt vestigia. Quam unam habemus pineam tam supra quam infra inscriptam n. 139, accedit ea ad genus vetustius. Ad lectionem autem stabiliendam haec observavi editionem meam comparans cum archetypis:

n. 74 recte Henzenus ⟨CAMELIO · N · ⟩
n. 80 tota corrupta est et incerta; ego sic excepi CAMLIAOV · M ⸤
n. 81 legi plenam M · APTRONIO · M · F
n. 87 CALTIVS, non CAITIVS.
n. 97 sic excepi MINO · COIIONIA · ARTOROMAI, et etsi dubitavi de partis extremae lectione, tamen COPONIA reiciendum esse mihi constitit.
n. 114 integra est.
n. 123 in fine integra.
n. 128 recte Henzen.

n. 133 lege ⸤ · ORCVIO C F
n. 137 lege PESCNC| ⸤J
n. 142 lege PROQUIA · C F, ut conieceram.
n. 159 sic excepi MAIO · FORTVIM. De praenomine igitur verum vidi; nomen desperatum est.
n. 162 recte omnino Henzenus, nisi quod prima littera mihi visa est esse posse tam O quam Q. Lege igitur *Q. Oceo T. f.*, id est Q. Ovius T. f.
n. 165 legi ⟨ACIIIO · ⸤ ⸤

Accedunt cippi quattuor nuperrime reperti Praeneste in fundo Barberinorum:

1501*a* C · CAMELIO · L · L
1501*b* TAMPIO
1501*c* PATOLIIIA · LF
1501*d* RVDIA · VERGELIA
..... ANTVLAI · L

Cicerchia misit per Henzenum. In secunda praenomen videtur periisse. Tertiae gens est Patoleia sive Pantoleia, quacum conferendus *Pantulaeius* vel potius *Pantuleius Parra* Varronis (r. r. 3, 5, 18). In quarta nec Vergiliae libertae nec patroni (cf. *A. Caecina Cesaula* Gori 3, 159) patronaeve praenomen extrico.

Ad p. 31 n. 166. Denuo fideliterque ex archetypo exceptum titulum incidit Ritschelius enarr. p. 101 sic:

OMO · PAMILIAI · DONOM · V

Extrema littera fracta cum accipi possit tam pro V quam pro ⸤, sic interpretor: *[Eros Marci h]omo fameliai donom l[ubens dat]*.

Ad p. 33 n. 181. Incidit Ritschl tab. XCVII A, ubi v. 2 praenomen datur ⸤ pro C; ego tamen dubito.

Ad p. 34 n. 183. Ritschl tab. XCVIII D ad ectypon a Garruccio missum sic:

VECOS · SVPN
VICTORIE · SEINQ
DONO · DEDET
LVBS · MERETO
QVEISTORES
SA · MAGIO · ST · F
PAC · ANAIEDIO · SI

Opportune Garruccius *Bullett.* 1861 p. 40 contulit et titulum n. 1169 P. T. Sex. Herenniorum Supinatium et ex actis martyrum editis a de Costanzo (*atti di S. Rufina* p. 364) locum hunc: *ego M. Dodo sum abitator in territorio Marsicano in Transaque in ipsa civitate Supino Marsicano territorio;* unde probabiliter conicit vici nomen fuisse Supinatis.

Ad p. 34 n. 184. Exhibet Ritschl tab. XCVIII B ad ectypum a Garruccio subministratum.

Ad p. 37 n. 194. Codici inscriptionum, quem nuper vidi Bononiae depositum in bibliotheca publica iussu domini comitis Francisci Bianchetti, inutili ceteroquin utpote descripto saeculo decimo sexto ex Apiano edito, praefixum est folium scriptum manu ignota c. a. 1629 (certe ad inscriptionem quandam Lunensem ibidem relatam diem ea adiecit 11. Nov. 1629), in quo tam inscriptio n. 194 refertur quam altera inedita haec*):

ST · PONTIIIS
N · PONTIIIS
V · ALPIS ·
TR · APIDIS ·
IOVIOIS
PVCLOIS SIIST · A · PLIINS

Secunda inscriptio a textu edito non differt, nisi quod v. 1 legitur CIAA pro CIA, male opinor, cum in tabula videatur fuisse potius CIA: praeterea v. 2 in *brais*, v. 3 in *pam*, v. 5 in *cnatois* littera *a* hanc formam habet A punctaque adsunt v. 1. 2. 5 extr. et v. 1 ante *pacia*, v. 3 ante et post *pam*. Maxime autem memorabile quod adicitur inscriptiones illas legi in lamminis aereis duabus repertis Sulmone. Unde iam sublata dubitatione, cuinam potissimum Italicarum dialectorum titulus Minervae dedicatus adiudicandus sit, apparet scriptum esse tam hunc quam qui nunc accedit lingua Frentana, quae licet ad Samniticam proxime accedat (ut e. c. noti tituli Mamertini formae ΣΤΕΝΙΣ, ΠΟΜΠΤΙΕΣ, ΟΥΠΣΕΝΣ plane similes sunt supra relatis *alpis*, *ponties*, *aplens*), tamen in quibusdam ab ea differt, ut in nominativo decl. 1 desinente non in *u*, sed in *a*, item in vocabulo *inom* pro *et*, magis simili Umbrico *enom* quam Osco *inim*.

*) Descriptor partim cursivis litteris usus formas litterarum genuinas plerumque non servavit. ⸤ bis reperitur v. 6; P semel v. 6 incip.; II pro *e* remansit v. 1. 6 extr. Contra v. 2 in scheda est *Pontius*, v. 6 *SUST*, inde scilicet explicandum, quod notam II male pro *u* habuisse eum qui haec exaravit interpretationes ostendunt adscriptae ad v. 1. 6: *Status Pontius — sustentandis auri plenam unciam soluit.* Ubi supra dedi V, eam ipsam, non U litteram in codice reperi.

Ad p. 45 n. 197. Ritschl tab. XCVII Q tabulae Bantinae fragmentum Avellinianum ad v. 3—11 pertinens denuo proposuit emendatum.

Ad p. 55 Testimoniis de lege Calpurnia adde Lucilianum ex libro XX saturarum servatum apud Nonium (v. priores p. 427 Merc.): *Calpurni saeva lege in Pisonis reprendi eduxique animam in primoribus naris.* Unde cum Lucilius natus sit anno post legem Calpurniam latam, comperimus mansisse eam aliquantum neque abrogatam crediderim lege Iunia nisi paucis ante C. Gracchum annis.

Ad p. 61 v. L scr. *apparitoribusque nei.*
Ad p. 62 v. LXIII pro *deum* scr. *dum.*

Ad p. 74 col. 1 v. 23 pro *Romanis* scr. *Romani.*

Ad p. 75 col. 2 v. 5 pro 653 scr. 635.
Ad p. 76 col. 2 v. 8 scr. *post kalendas.*
Ad p. 85 v. LXXXIII pro *locus* scr. *locum.*
Ad p. 88 col. 2 v. 10 pro *cum* scr. *eum.*
Ad p. 94 col. 2 v. 33 pro *Huschkius* scr. *Huschkium.*

Ad p. 107 n. 201. Epistulam senatus ad Tiburtes reperit postea Huebnerus in codice Antonii Augustini bibl. Matrit. Q. 87 f. 37 r. Cuius exempli omnino missi ab Ursino varia lectio haec est: v. 3 post V·F spatium vacuum. — v. 8 VOSTRAE, non NOSTRAE, — v. 10 IN·DOVCIMVS· — v. 11 VOBIS, quod recipiendum. — v. 12 SENATVEI, non SENATVI. — v. 13 IN·DOVCERE.

Ad p. 110 n. 203. Fragmentum hoc tabulae aereae effossum anno 1570 Romae extat apud doctissimum Fulvium Ursinum canonicum basilicae Lateranensis' praescribitur in supplementis ms. Gruteri (cod. Lugd. Papenbr. 6 f. 89.).

Ad p. 114 n. 204. Codex Ambrosianus, unde plenum legis de Termessibus exemplum protulit Muratorius, est A 55 inf.; scripta autem lex ibi est in solitaria scheda hodie inserta inter f. 39. 40, quae unde venerit, non liquet. Adscribam autem exempli a Muratorio parum recte repraesentati variam lectionem integram, ut de eius indole fideque iudicium sit penes omnes. Inscr. 1 *gn.* — 3 *primus* — I, 3 *gallio gn.* — 5 *abs ieis* — *iei*] *hei* — 7 *liberi* — 9 *thermesis* — 12 *agri* — 14 *martio* — 16 *sunt*] *sun* — 17 *ieis*] *eis* — 18 *quae*] *quaeque* — 20 *sun ac ne* — 22 *gallio* — 23 *possideant* (*t* erasa) — 27 *thermensium* — 28 *preiuataue loco agros aedificia sunt praeter fueruntee* — 33 *thermensium* — *uti sun* — 35 *utei* — 36 *quei thermeses* — *peisidae liberos* — II, 2 *quoia*] *quei am* — *quoiue* — 4 *iuditia* — 7 *opidum* — 8 deest totus — 10 *quoue*] *queiue* — 11 *meilits* — 12 *hibenacula* — 14 *neiue*] *neu* — 15 *imperato* — 16 *eo ex lege Portia* — 18 *matio* — 20 *lege* — 21 *ciues* — 22 *thermenses* — 23 *agreis*] *a grecis* — 24 *thermensium* — 25 *supra ascriptei* — 26 *aedifitia.* — 28 *aedificeis* — *thermensium* — 30 *sun* — *fian* — 31 *maritimeisque* — 32 *pisidae* — 33 *deixerint* — 36 *trasportubun.* — Apparet exemplum hoc descriptum esse a scriba imperito ex antiquiore minusculis exarato, id autem quamvis non optimum neque immune a mendis saeculo XVI consuetis, tamen alienum fuisse ab interpolatione.

Ad p. 113 col. 1 v. 10 pro *M. Lepidus* scr. *L. Sisenna.*
Ad p. 116 v. 40 pro *s(ei) non)* scr. *s(ei) n(on).*

1502 (inserenda post n. 211). Mediolani in bibliotheca Trivultiana.

-SQVE:
ADVERSVS · H
QVE · ADVERSVS
QVI·VOLET·ACTI
POPVLI · IVDICIO
QVOD · QVISQVE
FECERIT · DV
ISRO

Descripsi. — V. 2. 3. 4 ad exemplum legis Tudertinae (supra p. 263 n. 1409) ita licebit explere: *[Quod quisque] adversus h(anc) [legem fecerit sciens dolo malo, ei multa esto sestertium .... eiusque pecuniae] qui volet acti[o esto ..... eamque pecuniam vel] populi iudicio [petere vel in sacrum iudicare liceto].* Etiam v. 6 sq. prope accedunt ad ea quae proxime sequuntur in aere Tudertino: *[Quod quisque adversus alias rogationes] huius rogationis ergo fecerit quodve ex earum [aliqua facere cum oporteret, huius rogationis ergo n]on fecerit* cet. Habemus igitur in hoc frusto legum tam publicarum quam municipalium sanctionis tralaticiae novum exemplum.

Ad p. 128 n. 214. Aureum melius incisum dedit Ritschelius in enarr. p. 9 tab. VI n. 11 *b.*

Ad p. 128 n. 220. Ex Riccio *mon. di Luc.* tab. 5 repetivit Ritschelius in enarr. p. 9 tab. VI n. 16 *c. d.*

Ad p. 129 n. 221. Ad nummum musei Berol. incidit Ritschelius in enarr. p. 9 tab. VI n. 16 *e.*

Ad p. 129 n. 222. Ex Riccio *mon. di Luc.* tab. 5 incidit Ritschelius enarr. p. 9 n. 16 *b*, ex Barthio (*röm. As* tab. 5 n. 13) idem l. c. p. 10 tab. VI n. 16 *l.*

Ad p. 129 n. 223. Ex Riccio *mon. di Luc.* tab. 5 incidit Ritschelius in enarr. p. 10 tab. VI n. 16 *f.*

Ad p. 133 n. 341 scr. CN·DOMI.

Ad p. 133 n. 351 scr. P·M·N·M

Ad p. 136 n. 423. In alio asse Sullano quem vidi Romae apud Lovattium, non SVA est, sed SVA. Variant igitur in litterae L forma exempla.

Ad p. 143 n. 526. Ab Ap. Claudio Ciliciae proconsule docuit Borghesius (dec. num. 14, 7) non Apameae tantum et Laodiceae cistophoros cusos esse, sed praeterea etiam Tabis, scilicet inscriptos ΗΡΑ ΜΙΛΩΝΟΣ (non ΚΙΜΩΝΟΣ) vel apud Pinderum male relatos ad Apameam.

Ad. p. 144. Nummum, in quo legi perhibent MVN et L·AP·DEC·Q (v. Eckhel 1, 25), docuit me Aem. Huebnerus vere habere inscriptum MVRT et Myrtilis esse oppidi Lusitaniae, Mundae autem nummos extare nullos. Exhibet eum Lorichs *num. Celtib.* tab. LIII n. 10.

1503 (inserenda ante n. 530) in ara magna ex lapide Albano formae cubicae; ima ara ibi ubi in solo posita fuit cava est; in medio latere utroque et in parte postica media foramina cernuntur rotunda, quae sibi respondent. Reperta est nuperrime Romae ad S. Laurentii inlataque in museum Capitolinum.

in latere		in latere
⊦·I·XXVI	HERCO⊦EI	
	SACROM	
	M·MINVCI·C·F	u. c. 537
	DICTATOR·VOVIT	

Brunnius misit. Ex eodem exemplo edidit nuper Ritschelius in programmate Bonnensi autumnali a. 1862 inscripto 'Priscae Latinitatis epigraphicae supplementum I'.

Dictatores cum ab anno inde u. c. 552 fieri desierint, ante hunc titulus scriptus sit necesse est. Iam vero cum dictatorum tabula plena fere sit (vide quae diximus in his add. p. 564 ad elog. XI), maxime postrema parte, ad quam dictatorem M. Minucium pertinere ipsa lingua ostendit a summa antiquitate iam recedens et optime conveniens belli Hannibalici aetati, diligenter quaerendum est, quem locum is olim ibi obtinuerit. Et obtulit quidem statim sese cogitatio dictatoris Minucii, de quo quod narrat Plutarchus (Marcell. 5) eius nominis dictatorem cum magistro equitum C. Flaminio occentu soricis audito magistratu se abdicasse, id ipsum Valerius Maximus (1, 1, 5) accidisse scribit dictatori Fabio Maximo eidemque C. Flaminio. Quibus de testimoniis inter se pugnantibus cum adhuc ita fere iudicaverimus (vide supra ad elog. n. XXIX p. 388) Valerium recte rem rettulisse, cum praesertim de Fabii illa dictatura aliunde quoque certiores fiamus, Plutarchum autem errasse, fortasse quod a dictatore anni 533 ad eiusdem anni consulem oculi aberrarint, iam venit in mentem, num fortasse alio modo deceptus Plutarchus substitutum dictatorem nominarit pro instituto; in eandemque opinionem video incidisse Ritschelium l. c. Nec deest spatium, imo eiusmodi additamentum

commode se inserit tabulae Capitolinae tertiae hoc loco hianti; nam in summa tabula cum inter a. 532 et 536 deficiant deducta margine metr. 0. 18 sive lineae 9—10 (vide supra Henzenum p. 418), praeter tres consulatus a. 533. 534. 535 (lin. 3) et censuram a. 534 (lin. 1) et belli Punici secundi indicationem (lin. 2) admitti poterit dictatura duplex (lin. 4). At incidit coniectura illa in scopulum, quem cum initio facile evitare posse mihi viderer, quo accuratius in eam rem inquisivi, eo magis intellexi esse insuperabilem. Scilicet quod scribit Livius (2, 18) ad a. 253, ubi agit de dictatura instituta: *consulares legere; ita lex iubebat de dictatore creando lata,* falsum quidem est omnino ita ut traditur; nam nec convenit illius aetatis moribus, ut certis finibus magistratus imperium in re tali circumscribatur; et si ita inde ab ipso dictaturae principio leges cavissent, tribuniciae potestatis pro consulari substitutio necessario ipsam quoque dictaturam sustulisset, quod secus fuit; et inde a principio ad a. usque 433 dictatores, qui consules non fuerunt, inveniuntur longe plures quam dictatores consulares*). Nec tamen commenticia protulit Livius, sed quae tempore posteriore obtinebant, ad dictaturae primordia revocavit, non errore suo, sed fraude scriptorum eorum, qui quae saeculi septimi partibus probabantur, iis vetustatis colorem inducere studebant; cuius generis in annales populi Romani relatas interpolationes cum alibi passim notavi tum in chronologia p. 93 sq. Neque in ipsa lege de dictatore creando fraudem substitisse crediderim, sed eodem redire, quod in primi dictatoris locum a. 253 pro M'. Valerio M. f. Volesinae gentis inlatus est consul eius anni T. Larcius, secundus A. Postumius ex anno 255 detrusus est in locum inferiorem a. 258, quo gessit consulatum (cf. chronolog. p. 199 n. 390). Illa vero de qua agimus consuetudo dictatoris non creandi nisi consularis coepit per bellum Samniticum secundum circa a. 434; nam cum per annos proxime praecedentes dictatores non consulares passim facti sint, postea non reperiuntur nisi tres C. Poetelius C. f. C. n. Libo Visolus a. 441 creatus, certe secundum ea quae tradit Varro, legis de nexis liberandis perrogandae causa; Q. Hortensius inter a. 465 et 468 per seditionem et populi secessionem factus; M. Claudius Glicia a. 505 scriba qui fuerat, quem notum est eius anni consulem P. Pulchrum dixisse ludibrii causa et ut senatui contumeliam faceret. Videtur autem usus ille non lege publica constitutus esse, sed obtinuisse senatus consulto primum, deinde consuetudine; nam de lege quominus cogitemus, impedimur tribus argumentis. Primum rerum Romanorum condicionem qui penitus novit, non negabit magistratus arbitrium ne ea quidem aetate eiusmodi lege publica circumscribi potuisse. Deinde fictio illa annalium legis de non creando dictatore nisi consulari in ipsa dictatura instituenda latae longe facilius explicatur, si quidem non lege usus ille obtinuit, sed more. Denique tres illos dictatores non consulares a. 441 et a. 465/8 et a. 505 cum creatos esse contra consuetudinem senatusque auctoritatem de tertio constet, de primo secundoque admodum probabile sit, cum praesertim de seditionibus Poeteliana et Hortensiana perexigua hodie memoria supersit, tamen fuisse eos dictatores nemo umquam negavit neque ipsum Gliciam fasti excludunt; ut appareat eiusmodi dictatores creari magis non debuisse quam non potuisse. De senatus consulto autem ut cogitem nec de sola consuetudine, hoc me movet, quod dictatores non consulares post a. 433 subito desinunt, non sensim evanescunt. — Quibus expositis iam apertum erit, aetatis posterioris viri non consularis dictatura quarta M. Minucii n. c. 533/5 quam sit parum probabilis vel potius plane non admittenda. Nam primum ea aetate senatus in re publica dominatio ita stabilita erat et confirmata, ut de illa labefactanda vix qui cogitarit inveniatur. Deinde per triennium illud res quietae fuerunt neque quidquam accidit cum Poetelianis turbis Hortensianave seditione Claudianave adeo superbia comparandum. Denique M. Minucius consul a. 533 si commisisset simile quid ac Pulcher ille cognatumque aliquem suum non consularem nec sane illustrem hominem dictatorem creasset invito senatu spretaque consuetudine ea aetate iam ad legis vicem prope accedente, certe de ea re vel maxime non tacuissent rerum scriptores, qui longi sunt in enarranda Q. Fabii dictatura a. 537 nec sine odio erga Minucium. — Quam ob rem omissa hac coniectura alteram proponam, quam quamvis intellegam plerisque longe audaciorem et fortasse temerariam visum iri, tamen multo magis probo. Scilicet M. Minucius ille C. f. dictator mihi creditur is ipse, qui consul fuit a. 533 et ad a. 537 in fastos Capitolinos ita legitur relatus: *M. Minucius L. f. C. n. Rufus mag. eq.*; cf. Liv. 22, 49: *inter eos* (qui ceciderunt in pugna Cannensi a. 538) ... *M. Minucium numerant, qui magister equitum priore anno, aliquot annis ante consul fuerat.* Huic omnia optime conveniunt praeter praenomen patris*). Nam quamquam in fastis appellatur magister equitum, tamen notissimum est post victoriam ad Gerunium reportatam lege Metilia magistri equitum et dictatoris ius aequatum esse, sicut praeter Livium (22, 25) aliosque refert locuples testis Polybius 3, 103: αὐτοκράτορα κἀκεῖνον κατέστησαν ....καὶ δὴ δύο δικτάτορες ἐγεγόνεισαν ἐπὶ τὰς αὐτὰς πράξεις, ὃ πρότερον οὐδέποτε συνεβεβήκει παρὰ Ῥωμαίοις. Pugnam, propter quam Minucius victor votum solvit Herculi scilicet victori, paratam sic habebimus illam ipsam Geruniensem. Quod attinet autem ad patris praenomen diversum, obstaculum quamvis in homine novo, qualis fuit M. Rufus, facilius ferendum, tamen longe gravissimum num vincant ea quae supra exposui, apud lectores iudicium esto; certe nec qui conscripserunt tabulas Capitolinas nec qui eas inciderunt ab omni errore sibi ca-

*) Scilicet dictatores non consulares reperiuntur hi: a. 253 M'. Valerius M. f. Volesi n.; a. 255 A. Postumius Albus Regillensis; a. 260 M'. Valerius Volusi f. Maximus, qui secundum elogium supra p. 284 relatum *prius quam ullum magistratum gereret, dictator dictus est;* a. 317. 320. 328 Mam. Aemilius Mamercinus trib. mil. a. 316; a. 319. 336 Q. Servilius Priscus Structus; a. 323 A. Postumius Tubertus; a. 346 P. Cornelius Rutilus Cossus; a. 358. 364. 365. 386. 387 M. Furius Camillus trib. mil. a. 353; a. 374 T. Quinctius Cincinnatus Capitolinus trib. mil. a. 366; a. 386 P. Manlius Capitolinus trib. mil. a. 375; a. 391 L. Manlius Capitolinus; a. 392 Ap. Claudius Crassus idem fortasse trib. mil. a. 351; a. 393 T. Quinctius Pennus Capitolinus Crispinus; a. 401. 405 T. Manlius Imperiossus Torquatus; a. 402 C. Iulius Iulus; a. 404 L. Furius Camillus; a. 414 L. Papirius Crassus tum praetor; a. 417 C. Claudius Crassinus; a. 420 P. Cornelius Rufinus; a. 422 M. Papirius Crassus; a. 423 Cn. Quinctilius Varus; a. 433 Q. Fabius Ambustus (nisi hic est consul a. 432, vide supra p. 287); a. 433 M. Aemilius Papus sive Barbula (vide supra p. 280 elog. n. XI cum add. p. 564). Fiunt homines viginti quinque, dictaturae triginta una, cum eodem tempore dictatores consulares non reperiantur nisi sedecim a. 253. 296. 315. 369. 394. 396. 398. 403. 409. 410. 412. 415. 419. 427. 429. 432. Mire in enchiridiis quibus hodie utimur haec res ita tractatur, quasi dictaturae in hominem non consularem collatae unum tantum alterumve exemplum in annalibus extet; vide e. c. Beckerum 2, 2, 155.

*) Huius ipsius praenominis lectio non caret aliquo dubio. Quaerenti enim mihi de littera illa L rescripsit Henzenus partem inferiorem desiderari totam, id quod reliquum est tale damnum passum, ut tam pro L quam pro M accipi posset, nisi spatium obstaret nequaquam capax secundae litterae latioris. Videri itaque tam sibi quam Rossio subsistendum esse in lectione FEAE.

verunt*). Qui opinionem meam probabit, consulem a. 557 Q. Minucium C. f. C. n. Rufum accipiet pro consulis a. 533 fratre aliquantum minore. — Inscriptae in latere litterae solitariae ı·ı·xxvı quid significent, nescio; certe quam explicationem proposuit Ritschelius, legiones ibi nominari primam et vigesimam sextam, pro quibus dictator votum voverit, improbabit qui reputabit illa aetate singulis annis veteres legiones dimissas esse novasque creatas ita, ut in singulis dilectibus numeratio denuo ab initio repeteretur, ipso autem bello Punico, ut in re evidenti utar exemplis paucis, in annum 536 legiones decretas esse non plus sex (Liv. 21, 17), in annum 540 ad duodecim veteres sex novas legiones adiectas esse (Liv. 24, 11). Quibuscum quomodo conciliabimus, quae est Ritschelii opinio, anno omnino quieto 533 fuisse legionem aliquam numero vigesimam sextam**)? Duorum autem dictatorum Fabii et Minucii exercitum compositum fuisse ex legionibus quattuor prima secunda tertia quarta Livii (22, 27) testimonio constat. Praeterea neque in latere scribenda erant talia, sed ipsius dedicationis partem efficere debebant, nec litteris solitariis, quae eam rem celarent magis quam explicarent. Subest potius adnotatio quaedam ad anathematis a dictatore voti custodiam pertinens, qualis est, ut ludamus exempli causa, *loricae inlatae*. Neque improbabiliter Henzenus contulit inscriptionem Praenestinam supra n. 1134, ubi in latere post N numerum scriptum fuisse existimat.

*) Ita P. Crassus consul a. 657, qui in actis triumphorum ad a. 661 recte dicitur *M. f.*, in fastis ad a. 665 male appellatur *L. f.*; M. Pomponius cos. a. 523 ad hunc annum recte dicitur *M'. n.*, male ad a. 537 *M. n.* Item corruptum est *Ai. n.* ad a. 439. Ad a. 435 in tabulis male scriptum fuisse *L. Papirium Mugillanum* pro *Cursore* demonstravi in chronol. p. 112. Item L. Anicium Gallum qui ex praetura triumphavit de rege Genthio a. 587 difficile est diversum habere a L. Anicio Gallo qui consul fuit a. 594; at in fastis ille appellatur *L. f. M. n.*, hic *L. f. L. n.* Denique *ex*, non *in monte Albano* ovantem Caesarem (acta tr. a. 710), scilicet ad exemplum Ventidii triumphantis ex monte Tauro, quomodo excusabimus?

**) Quos ad legionem vigesimam sextam in lapide saeculi sexti incipientis aliquatenus excusandam Ritschelius p. XI affert titulos duos saeculi ut putat septimi, inscriptum glandi supra n. 664 et Beneventanum Henzeni n. 6669 *a*: '*C. Clodio P. f. Ste. leg. XXX et Valeriae Sex. l. Theodorae h(eres) f(aciendum) c(uravit)*', eorum in illo supra deprehendimus evidentissima ni fallor fraudis indicia; hunc etsi 'satis antiquum' recte dixit Henzenus, hoc voluit non esse legionis Ulpiae victricis a Traiano constitutae, sed pertinere sane non ad septimum saeculum, at ad bellorum civilium aetatem, per quam supra quadraginta legiones simul in armis fuisse constat.

Ad p. 147 n. 535—537 Adnotat Ritschelius enarr. p. 40 litterarum A et F figuras ab antiquitate alienas non ab antiquo lapicida proficisci, sed Rocchio teste postea demum in lapidem illatas esse a scalpro aliquo novicio. Vel sic tamen magnopere dubito, num inscriptiones hae vere exaratae sint saeculo sexto medio, neque ab eadem suspicione abhorret Ritschelius.

Ad p. 151 n. 542. Accursii codicem (Ambros. D. 420 inf.) postquam ipse excussi totum, constitit mihi vidisse eum lapidem; sibi enim constat peraeque homo diligentissimus in secernendis ab iis quae ipse vidit aliunde adsumpta. Denique Accursius in exemplo Apiani, quo usus est, reperto a me in eadem bibliotheca (M. 212) ad hanc inscriptionem adscripsit haec: 'sciendum est lapidem esse rotundum instar magnae mensae altitudine pedum circiter duorum, continentem varias imagines diversa conferentium ad aram; quae agnosci prorsus iam nequeunt, appingenda tamen fuerunt utcunque. Media autem inscriptio ipsa hoc ordine habetur'. Ubi habes etiam de anaglyphorum condicione unicum testimonium fide dignum et sane admodum diversum a Ligorianis narrationibus. Quamvis autem iam constet lapidem visum esse ab Accursio, tamen consentaneum est Pomponianum exemplum in describendo ante oculos habuisse eum idque in multis secutum esse, ubi lapis evanidus certam lectionem non admitteret; nam in nulla re graviore a Pomponio recedit.

Ad p. 156 n. 552. Incidit Ritschelius tab. XCVIII A B (cf. enarr. p. 49). Disputavit praeterea de titulo Minervinius *Bull. Nap. nuovo* 7 p. 8. Columna alta est palm. $6\frac{3}{16}$, sed ut sola pars superior palm. $4\frac{3}{16}$ sculpta sit, reliqua remanserit rudis.

1504 (inserenda post n. 556). '*Tronca colonna nell' ultimo oriental casale di Arienzo detto Capo di Conca nel luogo detto S. Lucia*' *Lettieri*. Postea frustra quaesita est.

C·SEMPRONIVS *ti.* F
AP·CLAVDIVS·C·*f*
P · LICINIVS · P · F
III·VIR

Lettieri *storia di Suessola* p. 156, apud quem adhuc latentem titulum primus protulit Garruccius *Bull. Nap. nuovo* 7, 95.

1 L·F pro TI·F, 2 C·E pro C·F Lett.

Ad p. 160 n. 567. Titulus hic nuper denuo prodiit eo ipso loco, quo descripsit eum Pratillius, Capuae in domo quondam A. S. Mazochii, nunc Merolarum fratrum. Iuvenit eum ediditque Jannellius (*Bull. Nap. nuovo* 6, 20 sq.). Unde iam constat de sinceritate inscriptionis, quam quamquam loco non movi et pervidi sane Pratillii manum satis notam minime prae se ferre, tamen non sine iusta causa ante contendi caute adhibendam esse. Varia autem lectio Jannellii haec est:

1 LINI.. Pratilli, LINO, adnotans: '*la* N *e la* I *appariscono per metà; segue però l'* I *una cifra che non è stata affatto danneggiata, ed è una specie di piccolo o virgolato, poco dissimile da un nove, e che sembrami indicasse l'* VS *finale di* LINIVS' Jannelli. Non est quod moneamus nec Linii cognomen Latinum esse et satis ridicule illud medii aevii scripturae compendium in septimi saeculi titulum transferri.

6 A·POMPONIVS Prat., L·POMPONIVS Jann.

8 FACIVND Prat., FACIVNÐ Jann.

Ad p. 166 n. 578—81. Reperi nuper Mediolani in bibliotheca Ambrosiana (cod. A. 55 inf.) schedas Kiriacanas eas, ex quibus Muratorius edidit titulos quosdam locorum indicationibus destitutos neque, ut posuit temere editor, urbanos, sed Samothracicos potius, qui tituli nunc leguntur in C. I. Gr. n. 2157. 2159. 5926. 6182*b*. Inde placet referre titulum n. 2159, quoniam editor suppressit partem potiorem eius Latinam:

ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΘΑλατΣΙΩΝοΣ τΟΥ
ΘΑΛΑΣτΙΩΝΟΣ
SEX·POMPEIO·ET·SEX·APPVLEIO·COS p. C. 14.
IDIBVS·SEPTEMBR·MYSTES·PIVS
P·SEXTIVS·LIPPINVS·TARQVITIANVS·Q·MACEDON·*f.* ET·SYM
MYSIAE·PII PrO·PIIS

1. 2 ΘΑΣΙΩΝΙΣΙΟΥ | ΘΑΛΑΣΙΩΝΟΣ cod.; em. Boeckhius. — 5 MACEDONI ET SYM | MYSIAE PII POPIIS codex; EPOPTIS proposuit Huebnerus.

Iam igitur constat mysteria illa non facta esse die stato; nam cum in titulo n. 578 indicetur mensis Iulius, in hoc nominatur dies Sept. 13.

p. 167. In inscriptione n. 136 v. 2 lapis habet sic SEXTO·VETV. *V. Bullett.* 1861 p. 224.

p. 167 col. 2 v. 18 post *lega-* excidit *tionibus*.

1505 (inserenda post n. 582) in agro Caleno prope vicum Palacium iuxta viam Latinam intus in aquaeductu scriptum in tectorio.

L · CORNEL
CINNA COS ITER — u. c. 668
PVRGATVM MENSE INR

Dom. de Guidobaldi *Bullettino Italiano* I p. 116 *tav. d' agg. A.* Ibidem relatum est alterius similis inscriptionis ibidem repertum fragmentum:

PVRG
DIODOR
IDEM

Versu tertio quod proposuit editor *mense introeunte* ferri non potest; neque enim Latinum est introeundi vocabulum pro eo quod est incipere et si maxime esset, ratio non admittit tam perversam temporis determinationem parte expressa mensis non nominati. Probabilius longe Huebnerus cogitavit de mense intercalari. Magis tamen crediderim in contignatione illa litterarum latere IANVAR; nam hoc posito consulis alterius omissio hac aetate plane insolita inde explicatur quod inscriptio facta sit post mortem C. Marii (Ian. 13) ante suffectum consulem L. Flaccum.

Ad p. 168 n. 585 v. 2 lege FELEICI, nam ita est in codice Iucundi, non, ut erat in exemplo mihi misso, FELLEICI.

1506 (inserenda post n. 592). Romae in platea e latere ecclesiae S. Chrysogoni trans Tiberim.

P · SERVILIVS · C · *f*
ISAVRICVS
IMPERATOR · CEPI*t* — u. c. 680

Reperi in schedis olim ad Reinesianum corpus (Lips. 1682) adiunctis, hodie inde avulsis et adservatis Bononiae in bibliotheca universitatis cod. 9 fasc. 16. Descripsisse se hunc titulum a. 1690 adnotavit qui scripsit; qui qui fuerit, ignoro.

1 CL, 3 CEPI traditur.

P. Servilius C. f. M. n. Vatia post consulatum, quem gessit a. 675, pro consule missus est adversus piratas in Ciliciam Isaurisque ibi domitis Isauricus appellatus Romam redux cum per quinquennium exercitui praefuisset (Cic. Verr. 3, 90, 211), a. u. c. 680 triumphavit. Ex praeda signa recepta in aedes publicas rettulisse eum praeter titulum testatur Cicero in Verr. l. 1, 21, 57: *P. Servilius quae signa atque ornamenta ex urbe hostium vi et virtute capta belli lege atque imperatorio iure sustulit, ea populo Romano apportavit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad aerarium perscribenda curavit.* Similes titulos supra habuimus M. Marcelli n. 530. 531, M. Fulvii n. 534, L. Mummii n. 548—546. — Praeterea notandum est cognomen Isaurici statim post triumphum in publico titulo admissum.

Ad p. 174 n. 597 Ritschl tab. III E desumpsit ex Garruccio *Graffiti de Pompéi* p. 22, tab. LXX J ex libro meo.

Ad p. 174 n. 600. Didici nuper ex enarratione Ritschelii p. 76 pontis Fabricii inscriptionis eius, quae Ritschelio D est, partem priorem hanc:

L · FABRICIVS
FACIVNDVA
Q · LEPIDVS · M · F · M · LOLLIVS · M · F · COS

a Brunnio telescopii ope examinatam repertam esse noviciam, scilicet saeculo fortasse decimo quinto restitutam. Quae observatio eo gravioris momenti est, quod in prioris consulis nomine error videtur commissus esse; nam Q. Lepidus cos. a. 733 cum non possit non esse pater consulis a. 764 eius qui dicitur in tabulis Capitolinis *[M'. Ai]milius Q. f. M. n. Lepidus*, iam intellegitur non in fastis Capitolinis erratum esse, quae opinio fuit Borghesii (ad Tac. ann. 3, 32 ed. Nipperdeianae), sed in titulo ponti inscripto, neque amplius dubitabimus patrem consulis a. 733 avumque consulis a. 764 non ignotum aliquem M'. Lepidum fuisse, sed notissimum triumvirum Marcum.

Ad p. 177 n. 607. Nescio quomodo accepi exemplum Metellianum non ea qua par erat diligentia exscriptum; nam in codice (Vat. 6038 f. 39), quem nuper examinavi ipse, ne littera quidem discedit Metellus ab ea quam recepi lectione. Praescribit autem Metellus haec: 'in muro nunc effosso, qui dividebat comitium a foro Romano, desumpta ex alio opere antiquiore'.

Ad p. 180. Pro VII · VIII · IX · X scr. VI · VII · VIII · IX.

Ad p. 182. Post n. 621 ad inscriptiones anni certi addendus est titulus nuper repertus Pompeiis in albo atramento scriptus (*Bullettino Italiano* I p. 7) supra p. 448 relatus apud Henzenum, *magistrorum vici et compiti* nomina complexus qui fuerunt *C. Iulio Cae[s]are dict. iter. M. Antonio mag. eq.* (707) et *[C. Caes]are M. Lepido cos.* (708). Hunc enim laterculum per capita ipsis illis annis perscriptum esse praeter alia hoc ostendit, quod prioris anni eponymi non consules sunt Q. Fufius et P. Vatinius exeunte eo demum creati, sed dictator cum magistro equitum. Nota praeterea in anno secundo omissam vetusta consuetudine iterationis notam.

GLANDES.

Ad p. 191 n. 665. Eandem glandem Neapoli in museo Santangeli a se deprehensam Kiesslingius descripsit sic:

EMΓ
MALVAM
MAL

Lego *eme malvam mal(am)*, id est recipe malvam, propter quam animam ebullias. Simili ioco in aliis Perusinis hostis iubetur culum pandere.

1507. 1508 (insere post n. 685) glandes repertae Perusiae.

1507	*ab una parte* *fulmen*	*ab altera* WVƆIDNVI	1508	*ab una parte* L C·L	*altera pars non videtur habuisse litteras*
	PETO	FVLVIAE		V⊥ƆO	

Descripsit utramque Henzenus exhibitas sibi ab Iosepho Lovattio ediditque Bullett. 1862 p. 33. 34. In priore fortasse legendum: *peto Fulviae [p]andicam;* huiusmodi enim vocabulum, a pandendo declinatum ut medici a medendo, potuit plebeio sermone significare culum, cum *culum pandere* etiam in alia glande n. 684 hostes iubeantur. Cf. Quintil. inst. 11, 3, 122: *pectus ac venter ne proiciantur observandum, pandant enim posteriora.* — Altera significat omnino: *lingo culum Octavi* similisque est n. 682: *pet(o) culum Octavi,* ubi iam ad exemplum n. 1507 legemus *peto*, non *pete.*

Ad p. 193 n. 687. In exemplo musei Bononiensis, quod charta expressum misit vetus mihi probusque amicus Franciscus Rocchius, ubi in reliquis exemplis est FV, certa legitur N, ut inscriptio ibi sit LVNIASIA.

Ad p. 193 n. 690. Perusiae nuper investigavit Brunnius glandis huius exemplum optime servatum sic descriptum mihi ab Henzeno:

RVFVS · IMP)(*fulmen*

Recte igitur praenomen, quod a Vermigliolio perhibetur esse Q, contendi erratum esse.

Ad p. 194 n. 705. Eiusdem glandis optime servatum exemplum Perusia a Brunnio relatum sic descripsit mihi Henzenus:

CAESAR · IMP)(*fulmen*

Ad p. 194 n. 708. Rocchius ab una parte legit F · XV, alterius litteras interpretari non potuit.

Ad p. 194 n. 709. Exemplum Bononiense consentit cum Miniciano n. 66.

Ad p. 194 n. 710. In glande hac, quae extat Bononiae in museo publico, optime legit Rocchius CITO · FERCE.

Praeterea glandes plumbeae in museo Campanae extant complures editae in catalogo eius musei cl. II p. 5, sero autem ad me allatae. Inter quas maxime memorabilis haec est (n. 22):

1509 (insere post praeced.)

PVOMIS OMNIA)(AVR VDRV MALO

ubi cum reliqua obscura sint, *vomis omnia* recte videtur se habere ceteris in hisce glandibus obviis facetiis addendum. Reliquae autem praeter notam inscriptionem FIR etiam in Campanae glandibus compluribus repertam fere constant elementis solitariis suntque hae:

1510 · S · I · (n. 2). Cf. n. 675.
1511 · B · H (n. 21). Cf. n. 678.
1512 B · III (n. 4)
1513 C · A · D (n. 17) = supra n. 676
1514 C · A · I (n. 6. 7), fortasse eadem
1515 D · I · Z · F · (n. 10. 26) = supra n. 680
1516 · D · I · S · L · ·)(· V · I · F (n. 1). Cf. n. 26
1517 D//F · — D · I · S · E · (n. 24)
1518 F · X · V (n. 23)
1519 · H · I · V (n. 9)
1520 I · A · D (n. 11)
1521 I · T (n. 29)
1522 I · X · V (n. 18)
1523 L · V (n. 31). Cf. n. 694. 695.
1524 L · X · I · (n. 30) in parva lamina plumbea
1525 · M · D · — Ξ (n. 8)
1526 M · L · V (n. 16)
1527 · P · B · (n. 12)
1528 S · — P · B — V · I Ξ (n. 5)
1529 P · I · T (n. 13)
1530 PL · I · F · R (n. 20) = supra n. 677
1531 &IC — FI — L (n. 15)
1532 · T · // (n. 19)
1533 T · — F · I · — M · C · — L (n. 3)
1534 T · I · (n. 28)
1535 V · I (n. 27)
1536 V · I · F (n. 25). Cf. n. 7

Viso hoc haud exiguo numero glandium novarum, quae et a reliquis certae auctoritatis eius generis inscriptionibus longe abhorreant et inter se simillimae sint omnes et mire conspirent cum quibusdam nuper demum prolatis glandibus admodum suspectis, multo magis vereri coepi, ne falsarii quidam nostrae aetatis in hoc monumentorum genus cupide iam a multis expetitum impudenter grassentur.

TESSERAE.

Ad p. 196 n. 724. Ritschl tab. XCVII I, ubi v. 3 est AP pro A.

1537 (insere post 731) tessera Romae apud negotiantem rerum antiquarum.

A N T E R O S
A C I L I
SP · ID · QVI
CN · COR · L · MAR   u. c. 698

Descripsi exhibitam mihi a Brunnio. Ed. Henzen *Bullett.* 1862 p. 81; Ritschl Priscae Lat. suppl. fasc. I.

Ad p. 199 n. 764. Nunc in museo Parisino, fortasse eo delata Verona. Ritschl tab. XCVII K.

Ad p. 200 n. 774. Ritschl tab. XCVII M.

Ad p. 201 litt. *h*. Nunc in museo Parisino. Incidit Ritschelius p. XCVII L sic diverse:

MARCELLINVS · Q · MAX
FASVCIO
A · D · X · K · NOV
M · SIL · L · NOR · COS

Ad p. 201. Adde tesseram non osseam, sed aeream neque hoc solo nomine omnino damnandam musei Parisini editam a Chabouilleto *Catal. des camées et pierres gravées de la bibl. imp.* n. 3171. Incidit Ritschelius tab. XCVII H:

D I V N I V S
H E R M E T V S
SPECT K · MAR
M LEPID Q CAT

FIGLINAE VELEIATES.

Ad p. 203 n. 797. Postea vidit Detlefsenus et intellexit in secundo versu scriptum esse CN · LMTV.

1538 (ins. post n. 806) saxum magnum litteris bonis et alte incisis. Iacet prope Romam ad viam Appiam.

R · MAG · LVDOS
*her*COLEI · MAGNO ·
NEO · FECIT

Descripsi. Titulus ad aetatem liberae rei publicae pertinere videtur cum propter sermonem tum quod in urbe commemorantur magistri ludos edentes, scilicet compitalicios, qui ludi quamquam manserunt sub imperatoribus, tamen ea aetate non videntur editi esse a magistris vici. — 1 in. R superest ex cognomine magistri. — 3 quid subsit nescio; nam lusus est, quod in mentem mihi venit: *in theatro lig*NEO FECIT.

Ad p. 207 n. 811. Ritschl tab. XCVII E.

Ad p. 208 n. 812. 813. Incidit Ritschl enarr. p. 97 N; praeterea utramque charta expressam diligenterque collatam misit Detlefsenus. In priore v. 3 VIT · videtur esse potius quam VIΓ·; v. 4 VON, non VOM legendum esse testatur Detlefsenus; item v. 5 in. punctum apparere; denique sub littera C v. 7 adesse vestigium \ litterae V potius quam A. — A me propositum supplementum *die nef*ASTVD · FACITVO impugnavit nuper Ritschelius mus. Rhen. nov. 17, 605, nescire se contendens ad quosnam homines eiusmodi lex pertinuerit. Videtur tamen non absurde aes alloqui eum qui ad aram de qua agitur sacrum facturus sit potestque quodammodo comparari quod scriptum fuit Anagniae supra portam bifariam: *Flamen, sume samentum* (cf. Frontonis epp. ad M. Caesarem 4, 4), item quod legimus in titulo Campano n. 574: *hanc aram ne quis dealb(et)*; insolentiam vero rei aliquatenus excusabit ipsa tituli vetustas superstitia sane ex ea aetate, cuius praeterea ad nos pervenerunt monumenta sacra paucissima. Sed ut ea quae proposui satis habeam ita defendisse, ut esse potuerint, non ut ita omnino neque aliter fuerint, quae in eorum locum substituit Ritschelius, *sacrom* CASTVD · FACITVO, extrema interpretatus *castu facto*, ea ne potuisse quidem ita scribi mihi constat. Offendit primum in supplemento illo participium *facitus*, quam formam quamquam ipsae sermonis Latini origines fortasse non ignoraverunt, tamen ad quintum sextumve saeculum eam pervenisse ut credamus, certa argumenta requiruntur, non lacera huiusmodi et dubii admodum intellectus vestigia. Multo magis vero displicet castus, id est ieiunium, quem adhuc non novimus nisi in sacris Romanorum Graecis, ut sunt Isiaca Cererisque, iam translatus ad quintum sextumve urbis saeculum et ad sacra Iunonis Lucinae, deae si qua alia est plane Romanae.

Vascula cretacea Kircherianis simillima et probabiliter ex vinea S. Caesarii delata ad musea extera postea investigavit Detlefsenus quinque haec et descripsit. Cortonensia quattuor praeterea per Heuzenum misit Agramantius Lorini Cortonensis.

1539 (ins. post n. 836) Cortonae in museo.

L · APVLEI RODD	L. Apulei(us) Rodo
L · APVLEIA · D · XVK MAIAS	L. Apulei(us) a. d. XV k. Maias

v. 1 exaratus est stilo rudiore. Littera extrema propius ad D accedit quam ad O.

1539a (ins. post n. 848) Cortonae in museo.

CLARTAMO	
C · CALVENET	C. Calventi(us) C. l. Artamo
A · D · III · NON · IANVA	a. d. III non. Ianua(r.)
I	

1539b (ins. post n. 862) Cortonae in museo.

CVRIATIA · OBIT · A · D · IIKAP	Curiatia obit a. d. II k. Apr.

Firmatur hoc titulo de qua dubitavimus in n. 902. 979 formula *a. d. II* pro *prid.*

1539c (ins. post n. 875) cum Passerii reliqua supellectile antiquaria hodie custoditur Pisauri in museo publico.

Γ o V R I A	Fouria
AD III K DE	a. d. III k. De(c.)

1539d (ins. post n. 891) Cortonae in museo.

SIIR · LICINI · ANT · D · III	Ser. Licini(us) ant(e) d. III
IIIDVS · MARTIAS	eidus Martias.

Ad p. 218 n. 1007. Inveni carmen adiectum codici Kiriacano bibliothecae publicae Parmensis sub hoc titulo 'epigramma inventum Romae 22. Iun. 1480'; quod exemplum in his discedit a textu meo: 2 SEPVLCHRVM · HAV · PVLCHRVM PVLCHRAI FOEMINAI — 4 SVON · (sic) DILEXIT · MAREITVM · CORDE · SVO — 5 GNATOS · CREAVIT · DVOS — 6 SVS · TERRA · LINQVIT · ALIVM · IN · TERRA · LOCAT — 8 DEIXI · ABEI

Ad p. 220 n. 1009. Protomen inscriptam ΕΥΧΑΡΙΣ ΛΙΚΙΝ reperit Huebnerus in museo historiae naturalis Matritensi nec de sinceritate dubitavit (v. eius *antike Bildwerke in Madrid* n. 507). Dicebatur autem ea aetate tam *Eucharis Liciniae l.* quam *Eucharis Licinia*, ut *Graeca Vatronia* n. 155 aliaque similia.

Ad p. 225 n. 1034. Isidem in Capitolio aedem habuisse indicant praeterea Suetonius Dom. 1 et Tacitus hist. 3, 74.

Ad p. 227 n. 1043. Iunge *C. Fidustio C. l. Diacono sibi et coniugi;* neque est huius aetatis.

1539e (ins. post n. 1069) basis quadrata ex lapide Tiburtino scripta litteris aetatis extremae liberae rei publicae. Extat Romae in villa Wolkonskia.

L · L · NAEPORI
NICEPHOR · FVLLO
TI · ET · LIBERTAS
*d*IOMEDEI
I · ET · LIB*er*TAS

Detlefsen *Bull.* 1861 p. 251. — Nomina v. 1. 4 tertio casu scripta sepultorum sunt; Nicephor autem fullo videtur is esse qui monumentum fecit. Formula v. 3. 5 obscura est; expectamus *item liberti et libertae.* Recepi propter nomen Naeporis componendum cum Marpore similibusque (v. n. 1076).

Ad p. 235 n. 1127. 1128. Incidit Ritschelius enarr. p. 62 tab. LXX E *a b*. Priorem vidi ipse; fracta est in principio.

1540 (ins. post n. 1132) basis Praeneste rep. a. 1778 '*nello scavo de' P. Dottrinari*'.

COQVES · ATRIENSIS
MAGISTRES · RODO · OR*c e u i . . . s*
ARTEMO · DIND · Q · S · APOLI*naris . . . . . . s*
PROTVS · AE*m i l i . . . s*

Reperi inter Mariniana cod. Vat. 9127 f. 278 scriptam manu ignota. Similes titulos Praenestinos supra recensuimus n. 1129—1132.

Ad p. 236 n. 1133. Incidit Ritschelius enarr. p. 30 tab. XXXVI F.

1541 (ins. post n. 1139). Praeneste nuperrime reperta.

TVRPENO PA*tri*
C VATRON*i*//*s*ALIN
L ORCEVIV*s*////////
PR ///////

Henzenus misit ectypum a Cicerchia oblatum, sed exceptum ex base admodum evanida et ita obscurum, ut eas solas litteras, quas supra repraesentavi integras, ego ibi deprehenderim; reliquarum punctis indicatarum fides est apud eos qui lapidem viderunt. — Turpenus deus, quem etiam patrem dictum esse volunt iidem, plane ignotus est, nomina autem praetorum plana. V. 2 spatium non admittit plus quattuor elementa inter VATRON et ALI.

Ad p. 237 n. 1149. Errore meo edidi v. 1 M · MANLIVS, cum nominis litterae tertiae vestigia Brunnius Ritscheliusque deprehendissent ea, quae non ad N ducunt, sed aut ad E aut ad L. Scribendum itaque aut M · M*a*ELIVS aut M · M*e*LLIVS.

Ad p. 238 n. 1160. Ectypum quod nuper mihi exhibuit Henzenus, omnino habet sic fere ut edidit Marangonius, litteris leviter incisis, sed certis formaeque satis vetustae.

M · ARRIVS · M · F · L · N ·
L · VITORIVS · C · F
AID · SEN · COP

Ductus enim qui postremi vocabuli litteram primam similem efficit Graecae *e* lunatae Є, tam male factus est, ut casui tribuendus esse videatur. At cum ad senatus cooptationem nullo modo pertinere videatur, titulum, quem restitutum crediderim, corruptum iudico a scalptore corrigendumque ita fere ut supra proposui AID · D · S · SEN · COR (cf. n. 73).

Ad p. 230 n. 1168. Sic exhibetur apud Accursium (cod. Ambros. D. 420 inf.) inter Celaneuses: 'supra ianuam domus hortorum illustrissimae ducis, cui vulgo nomen *el giardin della porta*, subscriptum imagini mulieris scopulo sedentis, truncae autem capite brachiisque, ut quo prorsus habitu fuerit agnosci non detur'.

MENTI · BONAE · D · D · SVRVS · TETTIENI · C · S
PHILONIC · MARCIAE · S · NICOMAC · ALBI · M · S

Ad p. 239 n. 1170. Ritschl tab. XCVIII E.

1541*a* (ins. post n. 1170) in columna parva Pescinae.

A · SALVIVS · V · F · CLEDVS
PVRCEFRO · D · D · L · M ·

De Costanzo *odeporico* ms. f. 234 ex schedis baronis Tomasettii.
Videmur hic deprehendere numen adhuc ignotum Purciferi, quod in mentem revocat nomen in titulo eiusdem agri simili collocatione inventum Epointao (n. 1169), ut mittamus obscurum SO · CIO n. 1171. Imporcitorem indigitamentorum Romanorum non contulerim.

Ad p. 240 n. 1171. Ritschl tab. XCVIII K.

Ad p. 240 n. 1173. Ritschl tab. XCVIII J. Legitur iam I. N. 5534.

Ad p. 240 n. 1174. Ritschl tab. XCVIII G, ubi pro Z est P.

Ad p. 245 n. 1222. Incidit Ritschelius tab. XCVIII C et suspectam iudicavit recte. Ego nuper inveni in schedis Marinii Vaticanis plenam seriem Cassittianorum titulorum qui dicuntur reperti in agro Vitulanensi, falsi vero sunt omnes ac plerique conficti, ut pagorum qui nunc sunt nomina vetustatis fuco inducantur; in quibus hic quoque invenitur pago Calci tributus ideoque nomen prae se ferens Cauciorum.

1541*b* (ins. post n. 1223). Beneventi.

D · M · S
A · VIBBIO · IANVARIO
CLAVDIALI · AVGVSTALI
CVR · MVNERIS · DIEI · VN*i*
VS · AVLIS · VIBBIS
I V S T I N V S
I V S T I A N V S
I A N V A R I V S
FILIS · PATRI · BENEM · P

Titulum hunc, quem ad exempla non satis fida edidi I. N. 1520, nuper denuo reperit Brunnius et ita descripsit ut supra dedi; neque discedunt inde nisi in minimis apographa antiqua accurate facta Accursii (quod corrupit Muratorius 191, 4) et Gualteri. Recepi extra ordinem, quoniam lapis certo scriptus post Claudium imperatorem nihilo minus habet nominativum pluralis secundae antiquo more exeuntem in *-is*. Cf. I. N. 1909: *A. Freio A. f. Gal. Mercurial .... P. L. Freis filiei fecerunt.*

1542 (ins. post n. 1255) tabula marmorea litteris antiquis reperta Paesti.

A · SCALPONI
PAQ · L · QVI

Descripsit Kiessling.
Nota tribum rusticam hominis libertini.

Ad p. 250 n. 1267. Huiusce tituli reperi exemplum iis quae adhuc innotuerunt antiquius diligenterque exceptum, etiam versuum ordine servato, in codice Chigiano I. VI. 203 saec. XVI incip. f. 45, discedens ab eo quod ego proposui his: v. 1 in. SFE SEI, v. 4 in. M · ESSE · QVOD · NATVRA · TRAD, v. 5 in. T · REBVS, v. 6 in. VIVOS · VTARVS · VALE

Ad p. 251 n. 1274. Ritschelius tab. IV E repetivit ex Garruccio *graffiti de Pompéi* p. 26.

Ad p. 252 n. 1281. Fugit me Auli praenominis per O litteram singularem indicati exemplum certissimum tituli a. u. c. 711 supra n. 625 relati, quo tamen a me posita regula minime subvertatur; titulus enim scriptus est ab homine non satis litterato nec magis inde notam praenominis O · licebit commendare quam aspirationem in Hirtii nomine omissam.

Ad p. 253 n. 1297. Priorem hexametrum sic constitui iussit Ritschelius tit. Mumm. p. XVI enarr. p. 43:

Prótogenés Clovl(ei) suavei(s) heic ei situst mimus

ut *ei* interiectio sit dolentis. Quod acute excogitatum est et fortasse verum; putarim tamen non poetam interiectionem illam admisisse, sed inseruisse eam eum qui titulum scripsit versu pessumdato.

1543 (ins. post n. 1304) stilo scriptum in olla cretacea, quae est Hatriae apud Cherubinium.

~OBILI
MIIL·M·OB·DA

Ex schedis canonici Gandelli Interamnensis excerpsit Kiessling. — Legendum videtur: *Q. Obili(us) Mel(antus?), M. Ob(ilius) Da(sius?).*

Ad p. 254 n. 1306. Nuper in museo Rhenano novo 17, 300 sq. proposuit Ritschelius in carminis v. 1 PARiter · SCRIPTVM (scilicet elementi, quod proxime praecedit SCRIPTVM vocabulum, vestigia tam in M quam in R litteram quadrant), v. 5 FECIT · AEQum.

1543 *a* (ins. ante n. 1311) Faleriis.

|aPRICIVS · C · F
|IBVRCVS · Q
ap|OLINEI · DAT

Ab Amatio acceptam Borghesius misit Labusio d. 1. Mart. 1822; inde sumpsit Henzenus.

Ad p. 225 n. 1311. 1312. Ex Garruccio repetivit Ritschelius enarr. p. 97 L. M.

Ad p. 256. Dele numerum 1314.

Ad p. 256 (ins. post n. 1340). Lapides formae conicae supra n. 1315—1340 relatis similes, item reperti Caere et in museo Campanae olim adservati, iam delati Parisios.

1544 T · ACILIVS · L · L
1545 L · EQVITI · L · F
1546 L · HATILE · L · L · ARCONIDES ·
1547 L · LVTATI · M · F
1548 C · MINI · M · L · L · ARTEMO
1549 M · PACI · M · L
1550 M · PONTI · M · L ·
1551 L · SVLPICI · C · F
1552 L · SVLPICI · L · F

Brunnius reperit in angulo aliquo musei Campanae delitescentes; descripsit ad ectypa Henzenus. Ritschelius edidit enarr. p. 104 typis expressos non sine errore. — Adde his titulum inscriptum ollae fictili musei Campanae, quae origine creditur esse Caeretana.

1552 *a* A · ANNIVS
A · D · VII · ID/////

Ad Brunnii exemplum exhibet Ritschelius enarr. p. 103.

Ad p. 259. 260 n. 1375. 1391. 1392. 1395. Arcarum figuras exhibet Ritschelius enarr. p. 65. 66.

Ad p. 261 n. 1394. Sic legenda est inscriptio testibus qui archetypum nuper denuo contulerunt Brunnio et Kiesslingio:

C · RVPIVS · S · PINXIT

Ita stabilita lectione (qua de vide praeterea disceptantem Ritschelium enarr. p. 66. 106) S litteram apparet cognomen indicare liberti in inscriptione hac ut in aliis non paucis saeculi fere VII non enuntiatum, sed significatum. Simulacrum ligno incisum proponit Ritschelius enarr. l. c.

Ad p. 262 n. 1406. Etiam Huebnerus descripsit, discedens a lectione a me recepta duobus locis v. 3 QVINQVEN, v. 7 L · L · LALAVCVS.

1553 (ins. post n. 1428). Prodierunt nuper Arimini saxa sex haec:

a (m. 0. 67; m. 0. 89)
C · MAECI · T · *f*.....
SALVE *vale*

b (m. 1. 27; m. 0. 30; m. 1. 285)
Q · NADIACVS · Q · PILON
Q · OVI · C · F · FREG HIC SEPVLT

c (m. 1. 315; m. 0. 28; m. 1. 31)
LIBERTEIS · HISCE · FECERE
PATRONO · Q · OVI · Q · L · BARG

d (m. 0. 985; m. 0. 60)
QVOD · SVIS · DEDIT · A

e (m. 0. 615)
PPARE

f (m. 0. 33; m. 0. 64)
PVL

Dedit amicus Rocchius a Toninio accepta.

Videntur pertinere ad idem monumentum quadratum olim et conscriptum pluribus lateribus. Ne iungas *d* et *e*, obstat litterarum collocatio in illo fragmento ab hoc omnino diversa. In fragmento secundo versu priore omissum esse crediderim L · post praenomen patroni sive Graeco more (cf. n. 1256) sive lapicidae errore; Nadiaci nomen prope accedit ad Avidiaccum et Seminiaccum et similia. FREG explere licebit FREG*ellanus* vel FREG*enas*; cognomen potius est quam domus indicatio. — In fragm. 3 cognomen habes Bargatis ut n. 1029.

Ad p. 267 n. 1434. Vidi nuper Insbrucki in Ferdinandeo probavique in omnibus lectionem Stoffellianam, nisi quod v. 2 in lapide est simpliciter AIMILIA, v. 3 extr. sic: LTT, id est LTT. Litterae solitariae C · R nisi indicant nomen coniugis, explicandae erunt *civis Romana;* quae adiectio etsi insolita tamen in titulo satis antiquo Romanae mulieris extra Italiam sepultae fortasse poterit admitti.

Ad p. 270 n. 1454. Ritschl tab. XCVII D ad archetypum.

Ad p. 271 n. 1469. Ex Drinzzi mus. Naniano n. 65 repetivit Ritschelius in enarr. p. 59. Ipsum lapidem ego nuper Legnagi prope Patavium inter alias reliquias musei Naniani reperi et contuli; unde emenda v. 1 Q · L. Reliqui tituli Naronenses n. 1470—1472 videntur interiisse; certe frustra quaesivi eos tam Naronae quam Legnagi.

1554 (ins. post n. 1473) in insula Samo.

SER *f*VLVIVS SER · L · HERODOTVS E*t*
SER *f*VLVIVS · SER · L · *p*ATROCLVS
MACISTREI

Misit Sperling, legationis Borussicae, quae est Constantinopoli, interpres, acceptam a nescio quo viro docto una cum Graecis titulis compluribus.

1 EVLVIVS et EI, 2 EVLVIVS et BATROCLVS exemplum.

1555 (ins. post n. 1476) refertur inter titulos Carthagine nova in Hispania repertos loco non indicato.

L·BAEBIVS·L·F·M·CATI·M·F
L·TAVRIVS·L·F·SER·AEFOLAN
GENIO · OPIDI · COLVMNAM
POMPAM·LVDOSQ·
COIRAVERVNT

Bibranus in schedis Gruterianis (cod. Lugd. Papenbroek. n. 6) f. 43 r. vix ex lapide neque indicato auctore.

2 'AEFOLAN aliis FOLA' Bibran. Aefulani nomen cum confirmetur titulis C. I. Gr. n. 3187 et Goriano 1, 158, 87, Huebnero videtur legendum esse *Ser(vius) Aefolanus* patris nomine biatu intercepto. Mihi magis placet Aefolanum cognominis loco habere et SER · accipere de tribu Sergia.

Ad p. 273 n. 1481. Ritschl tab. XCVII C denuo meliusque ad archetypum.

Ad p. 273 n. 1486. Emanuel Bofarull Barcinonensis invenit lapidem loco ab Antonio Llobet indicato et Barcinonem in museum transtulit. Idem affirmavit XXI in lapide legi, non XXC vel LXX.

Ad p. 274 n. 1488. Exhibent titulum etiam codd. Scaligeri Lugd. Pap. p. 21, Romieu Lugd. f. 109, Burmanni Lugd. Q. 6 p. 10, item Grut. 61, 5 a Scaligero missum. Variam lectionem non rettulimus consulto.

Ad p. 274 n. 1494. Ritschl tab. XCVII N denuo ad archetypum.

Ad p. 274 n. 1499. Manubrium est cretaceum; extat Romae in Kircheriano. Denuo exhibuit Ritschl tab. XCVII O.

1556 (ins. post n. 1499) litteris antiquissimis in strigili aerea Romae in museo Kircheriano

Ⅼ·POVLIMO

Descripsi. Interpretatio incerta est; nam cognomen Moderati vel simile aliquod tantae vetustatis inscriptio non admittit.

1557 (ins. post praec.) *orlo della bocca di un grosso vaso trovato a Narni 24 Maggio* 1847.

CN·IVNIO
C·L·POBLIIIIO S

Eroli *miscellanea storica Narnese* vol. 1 (Narni 1850) p. 249. Corrupta omnino, sed digna quae data opera investigetur et emendetur.

1558 (ins. post praec.) in fragmento cretaceo 5 poll. alto formae pyramidis Berolini apud Gansaugium.

ES
QVRAI

Communicavit mecum qui vidit Iul. Friedlaender deditque praeterea ectypum Huebnerus.

1559 (ins. post praec.) Tessera plumbea formae rotundae, cuius exempla extant duo alterum repertum Lucenae, postea apud Garciam de la Torre, nunc Madriti in bibliotheca publica, alterum Sevillae apud Eduardum Sanchez. Visitur ab una parte iuvenis nudus sine ornamentis, nisi quod in colle habet monile ex margaritis, currens et ex vasculo quod ambsbus manibus tenet liquorem effundens in solum. Ante eum in exemplo Matritensi est phallus alatus (in Sevillano deest); ad pedes cernuntur scopae. Adscriptum legitur ad iuvenem utrimque

Q·CO | ILI·Q

et sub eo lineis conclusum

IVSO

Omnia haec cinguntur corona laurea cum bacis. — Ab altera parte cernitur femina nuda item currens, sinistra tenens tintinnabulum, dextro humero impositum gerens baculum supra largiorem gubernaculi instar. Ad mulierem adscriptum est utrimque litteris maioribus

P S

item in solo exemplo Matritensi in baculi parte superiore:

PRVM

Haec cinguntur corona laurea sine bacis. — Edidit incisam lapidi Gaillard in catalogo musei Garciae de la Torre (Madriti 1852) p. 24 tab. VI; contulit denuo Aem. Huebnerus *Bullett.* 1861 p. 245. Quid significet, nescio; nisi quod *Q. Coili(us) Q. (filius?* cf. n. 1493) et *P(aulla) S....* nomina videntur esse, cum praesertim in simili tessera Cordubae reperta (Huebner *Bullett.* 1861 p. 231) legantur nomina duo haec:

A·AT
L·AI

ELOGIA.

Ad p. 280 elog. XI. Dictatorem M. Aemilium Q. f. L. n. Barbulam puto esse eum ipsum, de quo sic scribit Livius (9, 7) ad a. 433: *Q. Fabium Ambustum* (dictatorem) *dixerunt et P. Aelium* (*aemilium* libri) *Paetum magistrum equitum; quibus vitio creatis suffecti M. Aemilius Papus dictator, L. Valerius Flaccus magister equitum*, sive in cognomine dictatoris a. 433 annales variabant, sive utroque cognomine vere usus est M. hic Aemilius, qui et frater minor videtur fuisse Q. Aemilii Q. f. C. n. Barbulae cos. 437. 443 et item princeps Paporum familiae. Barbularum vero Paporumque stirpes propiore cognatione coniunctas esse ostendit Quinti praenomen utrisque commune et apud reliquos Aemilios rarissimum. Denique dictatorum laterculus maxime saeculi quinti integer est, nisi quod dictatoris a. 406 nomen adhuc ignoratur. Cui anno ne M. Aemilium illum adscribamus, cogitandum est propter patris avique praenomina hunc fratrem credendum esse consulis a. 437.

Elog. XXXV (ins. post n. XV). Columna parva ex lapide Albano litteris saeculi Augusti reperta his diebus Romae in monte Palatino in cryptis hortorum Farnesianorum forum versus.

FERT·ERRESIVS
REX·AEQVEICOLVS
IS PREIMVS
IVS·FETIALE PARAVIT
INDE·P·R·
DISCIPLEINAM·EXCEPIT

Ectypon chartaceum acceptum a Petro Rosa, qui lapidem invenit, misit Henzenus. Ed. Renier *revue archéologique* 1862 p. 202. — 3 pro IS primum scriptum fuit FS, item v. 6 DISCEPLEINAM pro DISCIPLEINAM.

Auct. de praen. § 1: *Recitant — ab Aequiculis Septimum Modium primum eorum regem et Fertorem Resium qui ius fetiale constituit*, ubi *Fertorem* Paris habet, *Sertorem* codex Valerii Bernensis cum deterioribus. Auct. de viris ill. c. 5: *(Ancus Marcius) ius fetiale, quo legati ad res repetundas uterentur, ab Aequiculis transtulit, quod primus fertur Rhesus excogitasse* (ita codd.; *Fertor Resius excogitavit* proposuit Renier probabiliter, quamquam fortasse non

librarius sic peccavit, sed ipse scriptor). Liv. 1, 32: *(Ancus Marcius) ius ab antiqua gente Aequiculis quod nunc fetiales habent descripsit, quo res repetuntur.* Cf. Dionys. 2, 72; Serv. ad Aen. 10, 14; Schwegler hist. Rom. 1, 555. 603. — Ex elogio illo iam perspicuum est Sertoris praenomen quamquam aliunde certum (cf. n. 1097 1412), tamen apud auctorem de nom. interpolatum esse hoc loco ex altero § 4, verum autem servatum esse a Paride praenomen alibi non testatum Fertoris. *Erresium* regem dictum fuisse non crediderim, cum Resii nomen consensus duorum supra citatorum auctorum confirmet, nec nimis placet Fertoris praenomen rarissimum non plene scriptum; equidem putarim lapicidam, qui et alibi erravit et puncta posuit incuriose, scribere debuisse FER·TOR·RESIVS. Ipsum autem nomen haud scio an descendat ex ferendis rebus, lusu eodem, quo ipsa iura fetialia modo ab Aequiculis repetuntur modo ab Aequis Faliscis.

Ad p. 286 elog. XXVI. Reperi postea in cod. Vatic. 6039 f. 297 exemplum a Metello exceptum diligentissime ipsique Smetiano longe praeferendum hoc: 'retro collegium Capranicorum in angulo cuiusdam domus in basi ut videtur marmorea statuae litteris et antiquissimis et optimis'

CONSILIIS · PVBLICIS · CO
ANNVM · EXPLETVRVS
MORTEM · EIVS · IVSTITIO · PER · CON
OMNES · LVXERVNT ' CENSV
INSIGNIBVS·DECORATA·CV

Magnopere autem vereor, ne in interpretando fragmento praescripto nimium tribuerim antiquo apographo Signoriliano specie pleniore. Nam et ab interpolationis suspicione Signorilium minime alienum esse nuper didici et parum conveniunt quae ex hoc titulo ille solus habet cum posteriorum exemplis vel accuratissimis (ita nec v. 1 extrema littera potest fuisse N nec conciliari cum v. 5 Signoriliana lectio DECORATAM QVAM) et quae efficitur lectio pessime procedit. Abiectis autem additamentis Signorilianis pertinebit omnino titulus ad aliquem familiae Augustae, cui cum adulescentulo ius datum esset ut consiliis publicis interesset, eundem mox praematura morte ereptum iustitio per consules indicto omnes luxerunt funereque honorarunt censorio. Itaque titulus tollendus est ex serie eorum quae hoc loco composuimus elogiorum.

Ad p. 287 elog. n. XXVII. Pro u. c. 445 scr. u. c. 430.

Ad p. 287 elog. n. XXVIII. Dictaturae Appii annus quamquam non traditur, tamen iam poterit aliquatenus determinari fastis Capitolinis ita accurate propositis, ut ex ipso hiatuum ambitu coniecturam capere liceat. Ap. Claudius cum incidat in eam aetatem qua dictatorem non facile legebant nisi consularem, dictatura eius collocanda est post a. 447; nec si antea dictator factus esset, Livius id omisisset in dictaturis referendis satis accuratus. Iam praeter fastos Livianos, qui finiunt a. 462, supersunt Capitolini per a. 448—464. 470—474. 490 et deinceps ita pleni, ut Appium dictatorem nequaquam admittant. Anni autem 465—469. 475—489 etsi desunt in tabula Capitolina, tamen constat illos ibi olim implevisse spatium metr. 0. 20, lineas 10 ad 12, hos spatium metr. 0. 34, lineas 17 ad 19*). Priore loco constat intercidisse consulatus quinque (lin. 5) et dictaturam Q. Hortensii anni incerti, sed collocandam omnino inter 465 et 468 (lin. 2), praeterea censuram memoratam apud Livium epit. 11 c. a. 465 actam (lin. 1), in his consulatus quindecim (lin. 15) et censuras duas a. 479. 483 (lin. 2); ita vacui restant in a. 465—469 versus duo ad quattuor, in a. 475—489 versus ad summum duo. Ad hos implendos paratos habemus dictatores duos anni incerti, Ap. Claudium cos. 447. 458 et P. Cornelium Rufinum cos. 464. 477, quorum cum illum ante hunc ad dictaturam pervenisse probabile sit, secundus autem hiatus non capiat nisi ad summum dictaturam unam, sequitur ut Appius dictator dictus sit inter a. 465—469. Quam ob rem cum Q. Hortensius in dictatura mortuus sit, nihil obstat quominus in eius ipsius locum eodemque anno Ap. Claudius dictator factus sit. Praeterea quod in horum annorum fastos recte referri possit nihil invenio, quamquam hiatus prior paullo maior esse videtur neque adhuc satis expletus.

*) Sequor fere calculos ab Henzeno p. 417 propositos, nisi quod a. 481 consules statuit suffectos, qui nulli fuerunt. Denique spatium metr. 0. 34 non capit lineas 21.

Ad p. 290. Elogium n. XXXII C. Marii reperitur in cod. Veneto Petri Sabini cum praescriptione hac: 'media pars marmoris effossa via Flaminia a dextris exeuntibus ex urbe sub colle hortulorum; nunc intra moenia inserta ad Pomponii domum quae est in Quirinale'.

FASTI ANNI IVLIANI.

Ad p. 300 sq. fast. ann. n. IV. Fastos Venusinos edidit Muratorius ex cod. Ambros. A. 55 inf. eodem, de quo supra egimus in his addendis ad n. 204. 578. Leguntur ibi in schedula olim solitaria, hodie inserta inter f. 12. 13. Muratorius autem contra codicem posuit haec: Mai. 3. 4 codex det ut Peutingerus certaque est in Ambrosiano lineola illa, quae FLORAE revocat ad diem Mai. 3. — Mai. 7 Ambr. fere ut Peut. — Mai. 21 AG · VEDIOVI, non VEDIORI Ambr. — Iun. 1 sic: H · K · IVN · N IVNONI MONET — Iun. 3 C adest in Ambr. — Iun. 7 Ambr. ut Peut. — Iun. 11 B · III MATR MATR · ME N Ambr. — Iun. 13 N adest. — Iun. 15 Q · S · I · D · F Ambr., unde scribo Q · ST · D · F. — Iun. 19 C adest. — Iun. 20 CIR Ambr. — Iun. 26 CONFEC Ambr.

Ad p. 320 fast. ann. n. X. Ex Marcanovano cod. coll. Romani quae rettuli, postea reperi item in primario Mutinensi. Praeterea in codice bibl. univ. Bononiensis n. 851 ceteroquin descripto ex Iucundo fastos hos deprehendi ex lapide emendatos; ita inter alia Aug. 16—31 pars restituta separatur ab antiqua et legitur in fine:

XI · NAT · C · CAESARIS · GERMANIC
VS V̄

Nec tamen exemplum ita comparatum est, ut operae pretium esse videatur variam lectionem eius hoc loco referre.

Ad p. 322. In fastis Vaticanis ad Mart. 15 scr. NP pro EN.

Ad p. 354 v. 4 et p. 355 v. 4. Pro DIES · XXXI scr. DIES · XXX

Ad p. 375 col. 2 Meditrinalia Oct. 13 scr. Oct. 11.

Ad p. 390 Mart. 24. 'Natali calices', quem ad Mart. 24 adnotavit Silvius, monuerunt me amici significari apud scriptores Christianos natalem calicis, id est institutionem eucharistiae. Ita in Alcimi Aviti operum editione Sirmondiana p. 178 fragmentum citatur sermonis eius 'de natali calicis'; alia exempla suppeditat Ducangius. Quare addendus est hic dies feriis Christianis, quas composui p. 410.

Ad p. 402 Sept. 25. Pro *Sept.* 14 scribe *Sept.* 26.

Ad p. 408 Dec. 13. Lectisternium statum annuum religionis privatae memorat titulus Comensis Henzeni n. 7336: *Item lectisternium tempore parentalior(um) ex* ✱ CC *memoriis eiusd(em) Valerianae et Appi Valerian(i) fil(i) eius per offic(ium) tesserarior(um) quodannis ponatur et parentetur* et post alia: *ex cuius summae reddita quodannis die — natalis eius ante statuam lectist(ernium) ex* ✱ CCL *ponant.*

p. 411 col. 2 v. 6 a fine pro *tredemus* lege *tredecimus*.

p. 412 col. 1 v. 22 a fine lege: CON . . . . DE SVO et mox v. 21 C·V pro C·V.

FASTI CONSVLARES.

In p. 418. 419 adiuncta tabula IV ad fastos cos. a. 617—646 pro numeris 0,40,0 scr. 0,40,6, item ibi in triumphis a. 628—631 emenda XXII. XXIII.

p. 423 col. 1 v. 5 scr. *eluxit.*

col. 2 vv. 40. 41 pro *nonnullas — particulas — non visas* scr. *nonnulla — fragmenta — non visa.*

p. 426 ad a. 304 A · P corr. AP · et pro *uisclus* scr. *uisolus.*

p. 427 a. 332 pro *q. antonius l. f.* scr. *q. antonius t. f.*

p. 428 inter a. 347 et 348 excidit linea quae annos hos separat.

p. 432 ad a. 445 virgula, qua separantur capita, collocanda est post v. 2, non post 3, sic:

L · PAPIRIVS
C · IVNIVS
HOC · ANNO

Ad p. 433 fast. Cap. a. 452—455. Loci difficillimi recepta restitutio habet quae offendant non pauca; quae ut appareant primum proponam quae de dictatura a. 454, in qua cardo rei vertitur, praeterea accepimus. Fasti Philocaliani hunc annum signant *Corvo II et Rulliano II;* Idatiani eum tribuunt *Corvino dictatori* et *Aemilio mag. eq.* Tabula triumphalis recenset M. Valerii . . . . . dictatoris iterum triumphum quartum. Livius denique 10, 3: *dictus,* inquit, *M. Valerius Maximus dictator magistrum equitum sibi legit M. Aemilium Paulum; id magis credo, quam Q. Fabium ea aetate atque eis honoribus Valerio subiectum; ceterum ex Maximi cognomine ortum errorem haud abnuerim.* Postquam narravit cladem a magistro equitum absente dictatore acceptam, item victoriam dictatoris et triumphum, *consul,* inquit, *ex dictatura factus M. Valerius.* Apud auctores igitur reliquos non reperiuntur nisi dictator Corvus, magistri Rullianus et Paullus; dictator huius anni Rullianus II magisterque equitum Sempronius nituntur solis tabulis Capitolinis vel potius incertis earum supplementis. Accedunt alia. Chronographus cum praeterea tabulam Capitolinam presse sequatur, hoc loco, si vera est eius recepta restitutio, ab ea discedit bis, primum quod dictaturas Rulliani Corvique invertit, deinde quod a. 454 priorem consulem posuit Corvum, qui secundum supplementa illa in tabula scriptus fuit loco posteriore. Non magis placet adnotatio '*hoc anno dictator et mag. eq. sine cos. fuerunt*' media posita inter duas ad quas spectare dicitur dictaturas. Quibus perpensis probabiliora mihi visa sunt supplementa haec:

452 *m. liuius - f.* C · N · DEN*ter m. aimilius l. f. l. n. paullus*
c. iunius c. f. c. N · BVBVLCVS · BR*utus* *dict* *rei gerund. caussa*
m. titinius C · F · C · *n* *mag. eq.*
453 *m. ualerius m. f. m. n.* MA*ximus coruus ii* *dict*
q. fabius M · F · N · N · MAXI*mus rullianus ii abd. in e. l. f. e. mag. eq.*
m. a i MILIVS · L · F · L*n. paullus* *mag. eq.*
*hoc an*NO · DICTAT*or et magister eq. sine cos. fuerunt*
454 *m. ualerius* M · F · M · N *coruus v. q. appuleius - f. - n. pansa*
cens. p. sempr O N I V *s p. f. c. n. sophus p. sulpicius ser. f. p. n. sauerrio l. f. xxix*
455 *m. fuluius. cn.* F · CN *n. paetinus t. manlius t. f. t. n. torquatus in m. m. e. in e. l. f. a.*
m. ualerius m. f. m. n. coruus VI

Ita redit Corvus consul quintum in eum quem secundum Chronographum in Capitolina tabula a. 454 omnino obtinuit locum priorem. Item iam optime sic conveniunt laterculi Philocalianus et Idatianus cum Capitolino, ita tantum diversi, ut magistrum nominet Capitolinus utrumque, Philocalianus priorem, Idatianus posteriorem. Consentit item Livius; nam quod reicit hic magistrum equitum Rullianum, id ultro fatetur facere se ex coniectura. Deinde ubi singula ponderamus, litterae M/ (quas certas esse neque ullo modo cogitari posse de M · N · quaerenti mihi rescripsit inspecto denuo marmore Henzenus) ostendunt hoc loco non falso (cf. vir. ill. 26), sed praeter consuetudinem Corvo tribui cognomen alterum Maximi. Id ipsum in suo laterculo, quem constat Capitolini similem fuisse, etiam Livius invenit nec solum dictatori a. 453 Maximi nomen diserte tribuit, sed praeterea fuisse eum non M. Valerium Maximum cos. a. 442, sed patrem huius M. Valerium Maximum Corvum cos. a. 406. 408. 411. 416. 454. 455 ibi testatur, ubi scribit Maximum ex dictatura factum esse consulem a. 454. Plane conveniunt denique triumphorum acta. — Censores quod ita ex anno 455 reiciuntur in a. 454, tantum abest ut offendat, ut eo referendi sint necessario, cum nomina censorum in fastis adscribantur ad eum annum, in quo inierunt magistratum, non ad annum lustri conditi, lustrum autem censores hi condiderint teste Livio (10, 9) a. 455. Denique quod in fr. XII versu extremo adhuc lectum est F · C · N, cum secundum restitutionem supra propositam requiratur F · CN, marmore data opera inspecto apparuit vere punctum inter C et N adesse nullum. Th. M.

Ad p. 433 fast. Capit. fr. XV. Post impressam hanc plagulam dubitare coepi de collocatione huius fragmenti a Borghesio commendata supplementisque eodem auctore adscitis. Nam collatis inter se tabulis chronographi et Capitolina intellexi tanta aequabilitate consulum nomina in utraque ordinari, ut ubicumque a chronographi ordine Capitolina tabula recedere videatur, videndum sit, ne peccent ibi supplementa; neque indigna ea aequabilitas est cui paullum immoremur. Etenim cum constet ex eodem laterculo antiquissimo tam Capitolinum descriptum esse quam Philocalianum, consentaneum est consentire utrumque etiam in nominum ordine, quamquam per se vario et incerto; ita scilicet, cum non plus quam binos eponymos per singulos annos admittat Philocalianus, ut prior sit apud eum qui in tabulae ordine priore, item posterior, qui in tabulae ordine posteriore aut primus invenitur aut solus. Ad ternaria igitur collegia haec lex non spectat, cum in his laterculus primarius omnino tria nomina uno ordine perscripserit, sicut fit in tabulis Capitolinis; recepit autem ex illis Philocalus modo secundum et tertium (a. 332. 336), modo primum et secundum (a. 346). Denique transpositi consules a. 762 et 766 in legem illam non offendunt, cum non pertineant ad fastorum Capitolinorum partem antiquiorem profectam ex eo ipso laterculo, quem ante oculos habuit Philocaliani primus auctor. Ut mittamus has exceptiones, regula illa tanta constantia observatur, ut contra eam peccent in universo laterculo ad summum sex loci, quorum tribus a. 498. 578. 731 suffecti nominantur pro ordinariis, tribus autem a. 464. 532. 694 consulum ordinariorum ordo invertitur; nam a. 454 supra vidimus sequi legem communem, modo lacerae reliquiae recte expleantur. Inversionem hanc etsi admittimus tam a. 532, ubi omnino certa est, quam a. 694, ubi nititur vestigiis litterarum duarum exilibus quidem, sed diligenter examinatis, tamen frustuli huius exigui a Borghesio proposita collocatio aliquantum inde labefactatur, quod consul a. 464 P. Cornelius Rufinus, qui apud chronographum posterior est, in tabulis Capitolinis ita invenitur esse prior. Accedit quod fragmentum XV cum adhuc relatum sit ad a. 462—464, tamen prope accedit etiam ad a. 605—607 potestque videri locum olim habuisse inter fr. XXI et XVIIII ita:

605	*l. marciu*S · C *f.* *c.* N CENSORINVS	*m'* · MANILIVS P · F · P · N
606	*sp. pos*TVMIVS *sp. f. - n.* ALBINVS MAGN	L · CALPVRNIVS · C · F · C · N · PISO *cae*SONIN
607	P *c*ORNELIVS *p. f. p. n. scipio* AFRICAN AIMIL	C · LIVIVS · M · AI MILIANI · F · M *n. d*RVSVS
	CENS · L · COR*nelius cn. f. L.* N LENTVLVS LVPVS	· L · MARCIVS · C *f.* C · N · CENSORI*n. l.* F · AVI

At haec restitutio cum praeterea probabilis sit, tamen eo laborat, quod L. Marcius Censorinus qui consul fuit a. 605, censor a. 607, ita priore loco Q. f. dicitur, posteriore C. f.; neutro autem loco lapidibus denuo data opera inspectis error in lectione deprehensus est. Nam de ea re interpellatus Henzenus ita rescripsit in a. 607 praenominis C litteram certam esse et integram et vel punctum post eam superesse sibi visum. Altero vero loco, qui incidit in fr. XV a. 605, hodie quidem post litteram S non superesse nisi C ita fractam, ut tam pro C quam pro Q accipi possit; sed frustulum n. XV reperisse se loco nuper motum et recenti fractura eo ipso de quo agimus loco imminutum nec dubitari posse antea vere ibi deprehensum esse S · Q; nam et Feam ita edidisse ne temptata quidem restitutione et Borghesium, qui et lapidem viderit et duo ectypa adhibuerit, constanter sic posuisse et se cum Detlefseno ante paucos annos id ipsum enotavisse. Quibus testimoniis non habeo quod opponam; visa est tamen res notatu digna nec silentio premenda. Th. M.

p. 434 a. 507 scr. ATIC, quod dedit quadratarius pro ATTIC.
p. 435 in. XVII*a* dele.
p. 435 ad a. 516 pro T · SEMPRONIVS scr. TI · SEMPRONIVS
p. 436 ad a. 552 *ai*LIVS scr. *ae*LIVS.
p. 438 scr. XVIIII. XX*a*.
p. 438 ad a. 604 scr. PVNICVM.
p. 439 ad a. 694 scr. *caecil*IUS.
p. 442 ad a. 764 adscribe numerum fragmenti XXXVIII.
p. 444 col. 2 extr. scr. CRASSVS INREGILL*ensis*.
p. 447 col. 1 v. 2 pro *Lentulus* scr. *Claudius*.
ad a. 646 v. 7 pro *praetorem* scr. *praetore*.
p. 448 ad a. 675 v. 15 post *appellatur* insere *P. f. Ap. n. Ap. pron.*

p. 449 a. 717 deletis verbis 'eodemque modo numerum II in tabulis triumphalibus a. 718 interpretandum esse' scribe 'quo item rettulit numerum II in tabulis triumphalibus a. 718 signatum, perperam omnino, cum pertineat ad denotandum Caesaris triumphum secundum'.
p. 450 col. 1 v. 31 scr. *reppererim*.
ad a. 766 v. 4 pro *filius* scr. *Silius*.
p. 451 col. 2 v. 12 scr. *adscitum*.
p. 457 a. 474 v. 3 scr. Q · F ·
a. 487 v. 1 scr. *Regu*LVS
p. 458 ad a. 532 litterae hae v. 1 extr. X altera, v. 2 extr. M, v. 3 med. OP et R, extr. V, v. 4 med. IR etsi infractae tamen supersunt.

Ad p. 460 act. triumph. a. 656 et p. 463 comm. ad triumphos a. 557—559. De proconsulis nomine concesso hominibus non consularibus quamquam non lubet hoc loco disputare (late enim patet quaestio nec potest paucis absolvi), tamen hoc adnotabo in actis triumphorum Capitolinis ante C. Caesarem dictatorem proconsulem eius generis reperiri nullum praeter unum L. Cornelium Dolabellam, qui triumphavit pro consule a. u. c. 656, in fastis quos habemus consularibus certe non inventum. Fieri potest, ut ex praetura hic proconsulis nomen et insignia sortitus sit denegata ea reliquis omnibus, quorum ex praetura triumphos acta recensent, scilicet Q. Valerio Faltoni a. 513, C. Cicereio a. 582, Cn. Octavio et L. Anicio a. 597, . . Servilio Vatiae a. 666. Probabilitatem tamen cum eiusmodi diversitas habeat nullam, potius crediderim eos qui acta ex annalibus excerpserunt homines diligentes magis quam doctos simpliciter attribuisse ducibus consularibus titulum proconsulis, praetoriis propraetoris. Neque eam opinionem certa ratione refellit locus actorum de Dolabella; nam cum consul a. 651 L. Aurelius Orestes in magistratu sit mortuus (Plutarch. Mar. 14) neque ea quidem aetate substitutionem praetermissam esse probabile sit, quid vetat Oresti suffectum esse ipsum illum Dolabellam? Qui homo praeterea nusquam memoratur parique fere obscuritate teguntur res per illos annos in Hispaniis gestae; nisi quod non pacatas eas tum fuisse apparet tam ex Appiano (Iber. 99) quam ex Obsequente, qui c. 44 ad a. 653 adnotavit: *Lusitanis devictis Hispania ulterior pacata*, item c. 46 ad a. 655: *Lusitani rebellantes subacti*, denique c. 47 ad a. 656: *Hispani pluribus proeliis devicti.* Quae referenda esse videntur omnia ad L. Dolabellam, quem in locum L. Orestis in magistratu mortui

